36
14 G
4

36. 14. G. H.

I

MART. BELLAII LANGAEI, EQVITIS TORQVATI, COMMENTARIORVM DE REBVS GALLICIS, LIBRI DECEM.

QVIBVS Franciſci primi, Galliæ regis, res geſtas, varios caſus, & bella quæ illi cum potentiſs. principibus & populis interceſſerunt, complexus eſt.

Ex Gallico Latini facti ab Hugone Suræo.

CVM INDICE COPIOSISSIMO.

FRANCOFVRTI,
APVD ANDREAM WECHELVM.
M. D. LXXV.

36 14 6 4

NOBILISSIMO, ERVDITISSIMO ET CLARISSIMO VIRO D. THOMAE

Redigero Vratislauiensi, Hugo Suræus S.

HOMERVS omnium ingeniorum parens, Redigere clarissime, dum ad Troiæ mœnia duas duorum populorum acies aduersas prælium inire paratas scribit, Helenam interim domi sedentem facit, quæ varia illorum certamina artificiosè in tela contexta exprimit: in qua quæ viri fortes bello gesserant, postea depicta viserentur, quæ & spectantium oculos pascerent, & rerum memoriam à temporis obliuione vindicarent. Idem Nestorem non semel inter Græcorum proceres differentem inducit, iuuenile pristinum robur & vires exoletas rursus sibi adesse optátem: réque vel à se gestas, vel quibus, dum gererentur, interfuisse se recordatur, commemorantem scribit. Quibus locis duo hominum genera mihi quidem describere videtur: vnum eorum qui res ab aliis gestas historiæ commendare studeant, quíque tum eorum quos ornare instituerunt, virtutes celebrant, tum verò sibi etiam ingenii laudem è scriptorum celebritate comparare cupiunt. Alterum eorum qui quæ ipsi viderunt, dixerunt fecerúntue, breui quadam narratione vel aliis viua voce nuntiant, vel scriptis vt minus elaboratis, sic magis ad genuinam rerum veritatem pertinentibus, posteritatis memoriæ consecrant. Nam tertium illud genus voti magis est quàm consilii, imò fingi potius quàm optari nedum sperari potest, quod ab eodem poeta exprimitur, siquis nempe in acie ipsa & medio certamine versetur, quem Minerua manu ducat, impetúmque ab eo omnem & periculum auertat, vt neque extra telorum iactum sit, neque à telorum iactu sibi metuere cogatur. Hæc duo scriptorũ genera si quis diligentius inter se cõferre volet, reperiet hos vnum fere illud sectari, vt quo quidque ordine, tempore & ratione factum sit, commemorent, sic tamen vt non annales nudos atque ieiunos cuiusdam quasi fastorum commemorationis instar conficiendos suscipiant, sed consilia ducum & imperatorum, apparatum, dolos & strategemata addãt, quàm fœliciter vel euétus consiliis prudenter susceptis responderit, vel fortuna & casus, quæ in

rebus humanis (vt loqui solent) dominantur, sapientes nonnunquam homines prospero successu, debito licet virtutis, prudentiæ & fortitudinis præmio fraudarint. Illi in eo potius esse videntur, vt lectoris animum retineant, delectent & rapiant: ingenii & eloquentiæ commẽdationem hac ratione aucupantes, longiori quàm veriori operi insistunt, veritatísque oratione (quam simplicem esse dicere solemus) non contenti, pigmentorum varietatem toto studio anxiè conquirunt, nimirum Helenam illam imitantes, quæ (vt inquit ille) μείζω μοῖραν ὕφαινε, Δίκτυα, μαρμαρέην, πολλοὺς δ' ἐνέπασσεν ἀέθλους, aut (vt de Andromache idẽ scribit) ἐν δὲ θρόνα ποικίλ' ἔπασσε. Quæ sanè causa est cur eos qui in otio & vmbra res gestas ex aliorum vel narratione auditas vel commentariis excerptas, lucubrationibus suis latius describunt, non absque quadam suspicionis vmbra legamus, quos scimus & ab aliis accepta tradere, & artificium nõnunquam affectare, vt multa ex ingenio prodant, eas nonnullis conciones orationésq; tribuant, quæ ab illis ne ediscì quidem potuerint, atque adeo potius μελέτας ad delectandum auditorem cõfingant, quàm veras διηγήσεις ad docendum lectorem conscribant. Eos verò scriptores & libentius legimus, & tutius recipimus, quos in puluere & sole versatos otii quoque nonnihil à rebus seriis ac strepitu suffurari scimus, vt visa, audita, vel etiam à se gesta literis proderent. Huiusmodi scriptores duos præstãtissimos Gallia nostra his temporibus protulit, Philippum Comminæum & Martinũ Bellaium. Quorum illum Io. Sleidanus simplicitate styli delectatus (quam fidelis & sinceræ veritatis argumentum idoneum inter cætera, esse meritò iudicauit) in Latinam linguam conuertit. Hunc Gallica lingua aliquot abhinc annos euulgatum cùm multi iampridem Latinè loquentem audire cupiebant, tum verò ornatissimus & doctissimus vir D. Weyerus Illustrissimi piissimíque principis comitis Palatini consiliarius sæpe se optare significauit, vt illius commentarii Latinitate donarentur: quorum lectione magno vsui, vtilitati ac voluptati multis fore iudicabat, qui propter linguæ Gallicæ imperitiam non vulgari fructu carebant. Quæ quum ab eo sæpius audirem cõmemorari, tandẽ illius nõ modò autoritate (quæ me plurimũ mouere debuit) sed etiã rationibus verissimis & grauissimis permotus sum, vt eos & Latinitate donarẽ, & tibi præstantissime REDIGERE dicarem. Quas quidem rationes præterquàm quòd non leues esse, vt quæ à tanto viro afferebantur, statuere debebam, etiam ipse meo iudicio solidas & idoneas, cùm in ipso interpretandi labore, tum absoluto opere comperi & agnoui: vt & bene locatam à me in eo studio operam putem, nec me temeritatis vllius incusandũ esse existimem, quòd tibi, quicquid id est, nũcupare ausus fuerim. Quorum alterum illis ipsis rationibus, quæ à me exponentur, adductus, credo, verum esse pronuntiabis: alterum ne repudies, tuæ humanitatis erit. Horum ergo Cõmentariorum non vnus est autor, licet vnius nomẽ præfigatur, sed duo fratres Gulielmus & Martinus Bellaii, qui Langeorum etiam cognomen habuerunt: qui quidem genere, cognomine, vitę instituto & virtutibus verè fratres fuerũt, ambo

in

in rei militaris administratione, prudentia, fide, diligentia ac fortitudine singulari præstantes: vt etiam vtriusque ob excellentes virtutes ad maximas res administrandas atque gerendas opera & fide vsus sit Franciscus Galliæ Rex, qui regiones quas suæ ditioni bello partas adiunxerat, quas nonnisi summæ sapientiæ & integræ fidei hominibus committendas esse intelligebat, illis tenendas & seruandas tradidit. Qua in re nec iudicio halucinabatur, nec spe decipiebatur, qui eos vigilātissimos, prudentissimos ac fidelissimos expertus est. Ac vt de eorum laudibus iustam orationem non instituam, cuius exitum vix reperirem, mihi videntur illam tantopere celebratam Cyri Pædiam & à maximis semper ducibus diligenter lectam propemodum edidicisse, reipsa profecto in muneris administratione optimè expressisse. Eius enim quum potissimum præceptum à Xenophonte celebretur, vt exercitus imperator hostium consilia sciat, sua occulta habeat: hanc non minimam ducis virtutem in quo melius quàm in vtroque horum perspicere vnquam licuit? Quis Gulielmi diuinam pene sagacitatem non admiretur, qua legatorum Regis, quos marchio Vastius nefariè trucidandos curauit, & periculum antè præsensit, quum eis tutiorem itineris faciendi rationem ostenderet, & necem perpetratam, maxima calliditate obscuratam, singulari solertia & diligentia deprehendit atque illustrauit? Nihil omissum à se Vastius putabat, ne rei perpetratæ vel exiguum extaret vestigiū, vt ne Ibyci quidem grues pertimescendi viderentur. At Gulielmi vigilantia, industria & labore illius consilia patefacta & in apertissimam tandem lucem extracta sunt. Quum ambo aduersa castra haberent, multi ex Vastii militibus ad Gulielmum trāsierunt: multi in oppidis consilia clàm communicabant, quorum opera magnam regionem suo principi nulla pene hominum iactura acquirere poterat: nisi quorūdam inuidia præclaræ hominis virtuti obstitisset. Quid illud commemorem, quòd Pedemontanis fame laborantibus tanta diligentia prouidit, vt ni hoc ab eo factum fuisset, & regioni incolæ defuissent, & regio ex regia dominatione fame vrgēte auulsa fuisset? Quæ omnia vt ille summa prudentia administrauit, ita maxima impensa sustinuit: vt quum alii publica munera sibi demandata quæstui habere soleant, ille dum populi commodis & principis sui gloriæ seruit, loculos proprios exhauriret, & valde obæratus moreretur, Martino fratri & dissoluendum æs alienum & imitandam virtutem atque fidem relinquens, cuius etiam viuus fœliciter æmulum semper habuerat. Quale enim hoc illius est (vt è multis vnū proferam) quòd Taurino decedens, quos relinquebat, iis tanto antè prædixit, ne plaustra fœno onusta oppidū intromitti paterētur? Hæc enim opprimendi oppidi maximè ingeniosa & occulta ratio ab hoste excogitata fuerat, Martino indiciis declarata, & multo antè prouisa. Laudatur Xenophontis opus, quo Cyrum non ad historiæ veritatem, sed ad iusti imperii effigiem depinxit. Hîc & rerum gestarum veritatem cùm in multis aliis quorum res præclarè & fortiter gestæ cōmemorantur, tum in iis ipsis qui scripserunt, legimus: & quod ille philosophicè non historicè docet, apud

hos non minus perſpicuè intuemur: vt theoriam hîc ex praxi elicere facile ſit, quum theoriam illic in praxim producere difficillimũ videatur. Atque hæc quidem communia illi inter ſe habuerunt. Nam Gulielmo propria fuit ſingularis bonarum literarum, artium & linguarum ſcientia, in qua non modò excellebat, ſed etiam omnibus eruditis qui in Italia, Germania & Gallia florebant, chariſſimus erat. Huius eruditionis nomine tã acceptus Henrico VIII. Angliæ regi fuit, vt dum negotium quod ille cupiebat, apud celeberrimas orbis academias (in quibus notiſſimus erat) perficeret, Regi in eius gratiam quingenta quinquaginta coronatorum millia dono daret, quadringenta millia mutuo concederet, quę ille quinquennii tempore perſolueret. Tantum vnius hominis eruditio & gratia, qua apud homines literatos valebat, Regi potentiſſimo, ſed tum rei pecuniariæ inopia valde laboranti profuit. Illius eloquentiæ acceptũ tulit dux Illuſtriſſimus Wirtembergenſis, quòd ditionem ſuam ampliſſimam recepit: in cuius cauſa orationes duas apud principes Germanos ab illo habitas in hiſce Commentariis legimus. Neque verò quum dicendo plurimũ valuerit, ſcribendo minus noſtrę ætati quoq; profuiſſet, ſi eius ad nos ſcripta incolumia perueniſſent. In quo ſanè duo ſummopere mirari ſubit, quî fieri potuerit, vt vir militaris rebus bellicis maximè implicatus, tantũ temporis ab armorum ſtrepitu abreptum literarum ſtudiis & ſcribẽdi labori impertierit: deinde quis tandem caſus nobis illius lucubrationes ademerit, qui & ætate noſtra ſcripſit, vt id temporum longinquitati atque iniuriæ (quod fieri ſolet) tribuere nõ poſſimus: & prudẽtia ſingulari præditus, plagiariis tamen potuerit eſſe obnoxius. Quicquid ſit autem quod egregios tanti viri labores nobis abſtulerit, ex ipſius verbis tenemus quæ ingenii monumenta reliquerit Latinè ſcripta, quæ ab ipſo commemorata legimus in præfatione libro horum Commentariorum quinto præfixa. Nam librum Gallicũ De diſciplina militari ab eo (ni fallor) ſcriptum memini me Lutetiæ excuſum aliquando vidiſſe. Is igitur Xenophon Gallicus (quo enim nomine melius eum appellẽ, qui orator eloquentiſſimus, ſcriptor ſuauiſſimus & dux fortiſſimus prudẽtiſſimúſque fuit?) vitam ſui Ageſilai, Franciſci Regis, qui hoc nomine primus dictus eſt, deſcripſerat, res ab eo geſtas, varios caſus, bella quæ cum potentiſſimis hoſtibus geſſit, ſuis ſcriptis celebrauerat, illuſtres & fortes viros ſua hiſtoria commendauerat, quos apud eum gratia & autoritate valere videbat, in primis virum bellica laude clariſſimum Annam Mommorencium, ne etiam Ageſilao ſuus deeſſet Lyſander. Horum ſcriptorũ iacturam Martinus Bellaius ſarcire cupiens, tres à fratre ſcriptos libros quos habuit, ſuis Commentariis inſeruit, qui ſunt ordine quintus, ſextus, ſeptimus, vnà cum præfatione cuius meminimus, quam ille toti operi prępoſuerat. Hic igitur eſt eorum librorum ordo, REDIGERE ornatiſſime, quibus nimirũ vita Franciſci iam inde ab eo quum regnum Galliæ iniit, continetur. Hæ denique ſunt cauſæ, quibus D. Weyerus adductus autor fuit, vt Latina lingua eos donarem: vt quoniam res non ſolùm in Gallia ſed etiã in Italia & Germania

mania à Gallis gestas complectuntur, possent etiam ab Italis & Germanis hominibus legi, imò & ad eas gentes permanarent, inter quas Latini sermonis sonus auditur: præsertim quum non Frãcisci modò, cuius memoriæ celebrandę potissimùm dicati videntur, res gestas complectantur, sed etiam multa narrent tum de Carolo v. Cæsare, qui Romanum Imperium cum miro rerũ successu tam potentibus aduersariis tum oriẽte tum occidente impetitus gessit, tum de aliis maximis principibus ac populis, quibus res cum Francisco fuit. Cur autem meum hunc laborem tibi dicare in animum induxerim, si eam tantùm causam afferam, quòd eundem autorem hac in re secutus sim, satis (opinor) fuerit dictum, vt vel eo nomine solo munus tibi non ingratum fore confidam, quòd hominis tibi amicissimi & coniunctissimi verbis atque commendatione ornatum esset. Nam temeritatis quidem culpam cur deprecer, quòd ignotus te compellare ausus sim? Huiusmodi excusationes apud eos adhiberi solẽt & debẽt, qui scripta pro hominum gratia & notitia admittunt, non homines pro scriptorum dignitate complectuntur. Apud te verò his minimè opus esse intelligo, qui eruditos omnes viros quanti semper feceris, abunde perpetuò testatus es, quum Italiam, Germaniam, Galliam & Angliam perlustrares eo præcipuè studio, vt literatorum notitiam atque cõsuetudinem tibi cõparares, eósque ad familiarem & intimam necessitudinem admitteres: nõ minori sanè cura atque impigri negotiatores pretiosissimas merces maxima diligentia conquirunt. Quo fit vt non modò apud te huiusmodi non paucos viros habeas, sed plurimi etiam variis & maximè dissitis locis disiuncti, te tamen certatim summopere colant & obseruent, téque benignissimum eruditorum hominum Mecenatem virtutis tuæ, doctrinæ & humanitatis merito celebrẽt, à quo se maximi fieri animaduertunt. Quis enim ignorat quàm charos habeas nostræ ætatis Theologos, Iurisconsultos, Medicos, Poetas, atque eos nõ tyrones quosdam, sed ipsos triarios, Vrsinum, Cuiacium, Ioãnem Metellum, Cratonem, Gerartum Falkemburgium Nouiomagum, & cæteros rara doctrina insignes viros? Cum his præstantissimis hominibus quanquam nullo pacto sum conferendus, imò me infinitis partibus inferiorem agnosco, vt nihil ad te, quo hanc tuam in doctos beneuolentiam mihi demerear (quod illi perfacilè possunt) mittere aut proferre queam: non sum tamen ea exiguitatis meæ conscientia deterritus, quin te accederem, vt qui sciam eiusdem esse & doctos homines admirari, & eos qui ad aliquid præstandũ pro virili enituntur, non aspernari. In primis verò quod mihi deesse satis intelligo, id te boni consulturum hanc ob causam confido, quòd ex omni literarum genere, historiæ potissimùm studio teneris, eiúsque lectione vehementer delectaris. Quæ res tibi iampridem φιλόξενον, Hub. Languetum verè πολυξενον iure optimo conciliauit, illiúsque cõsuetudinem atque amicitiam iucundissimam reddidit. Hac ego te historiæ delectatione & voluptate in his Commentariis perlegendis non cariturum spero, qui locis antea conspectis, quæ hîc narrari audies, longè melius ob oculos tibi ponere poteris. Hos porro libros etsi Gallicos non minus à te intelligi scio quàm in Lati-

nam linguam conuersos, tamen tantum abest vt ea me causa à sententia deduxerit, vt potius contrà illa valde sim impulsus, quòd sperarem tibi rem non minus gratam fore quàm illi ipsi D. Weyero, cui etiam planè ea lingua nota est: præterea cæteris, qui alterius tantùm linguę scientiam tenēt, animum additum iri, vt libētius tutiúsque ac minori interpretationis dubitatione legendum sibi hoc scriptum putent, quod ei nuncupatum esse norint, quem fallere nec possim nec ausim, quiq; eo munere nō solùm afficiatur, sed censor etiam ac iudex constituatur. Atque hæc quidem ornamenta tua verè esse censeri debent, quæ tuo labore, studio & industria tibi comparasti. Hæc etiam vel solame inuitare & mouere potuerunt, vt hoc munus & te decere arbitrarer, & mihi ad te nōnullum aditum patefacturum esse cōfiderem. Accedebat etiam multo grauissima alia causa, generis nobilitas, & familiæ dignitas atque amplitudo: quæ in aliis tātam vim habent, vt qui huiusmodi ornamentis commendantur, multi ad eos certatim sibi esse aspirandum statuant. Quātum enim dignitatis in patria apud Vratislauienses obtineas, quantum tota Silesia nomen vestrum ac fama sit, vel ex eo satis perspicitur, quòd illic fratrem habes qui summum vrbis magistratum gerit, Nicolaum Redigerum, qui in tanti muneris fastigium virtute, sapientia & probitate euectus, familiæ decus administrandi ratione æquat, ciuium vota & expectationem etiam superat. Ille verò quum non minus historia legenda delectetur, nō minorem, credo, ex his Commentariis fructum & voluptatem capiet, qui satis nouit quāti referat eorum quæ superioribus seculis cōtigerunt animo memoriā complecti, quò ex aliorū prudentia, consiliis & prospero euētu, solertia & dexteritas in rebus gerendis comparetur. Quid verò si hoc addam, duorum fratrum lucubrationes duobus etiam fratribus iure optimo dicatas videri? Quod tametsi appositè admodum ipso numero quadrare videtur, tamē summopere dolendum est quòd tertium adiungere non licet, Ioannem Redigerum, qui ante annos aliquot Pragæ diem obiit, postquā Galliam, Italiam, Germaniam & Angliam non πλαγχθεὶς, vt ille πολύτροπος, sed eodē atque tu studio peragrauerat, & sapientiæ virtutumq; merito in summū regni Boemici senatū à Cæsare Maximiliano allectus erat. Qui sanè quātum familiæ, ordini ac genti ornamentum attulisset, tantum sui moriens desiderium reliquit. Hæc sunt REDIGERE clarissime, quæ mihi & animum addiderunt, vt tibi hunc nostrum laborem in vertēdis hisce Cōmentariis nuncuparem, & metu liberarunt, ne vel temerarius vel rusticè blandus viderer, quòd antea minimè notus tanta audacia te compellarē. Quæ profecto non tam reformidaui (quanquam metuenda videbantur) quàm sperauī fore, vt quæ Galli sua lingua libenter legerūt, obuiisq; vlnis, quum in lucem prodirent, amplexi sunt, deinceps Latina facta omnes nō minori alacritate euoluāt: qui porro iā tibi eruditionis nomine noti sunt, quæ in tuam gratiam præstiti, ea non fastidire incipiāt: mihi denique alia in posterum suscipiendi studium excitent, & diligentiam industriamque acuant. Vale. Francofurti ad Mœnum, Prid. Cal. Sept. 1574.

LECT-

LECTORI.



QVOD sibi omnes sumere coguntur, qui historias hodie ex vulgari quadam lingua in Latinam transferunt, id nobis cõcedi meritò postulamus: vt in nominibus oppidorum, dignitatum, munitionum, armorum, alia ad recepta iam Latinæ linguæ vocabula referamus, aliis Latinum sonum quasi vestem aptemus. Siquis enim vniuersa velit Latinis priscis dictionibus efferre, eum simul cum libro dictionarium emittere oporteret: siquis contrà nullum Latinum seruare velit, sed omnibus Gallicis Latinum vultum tribuere, is videatur omnem vetustatem fastidire. Itaque modus quidam tenendus est, quem tamen nemo certum queat præscribere. Homeri ætate Ephyra dicebatur, quæ postea Corinthus: at Dyrrachium etiamnum hodie potius quàm Durazonem dixerimus. Ita Brigantium & Briansonem, Tauroentam & Tolonem promiscuè scribimus: quum Agathopolim pro Mompessulo retineamus: imò & Lutetiam hodiéque dicimus, quàm si hoc nomine in ipso oppido & apud incolas ipsos appellares, se Parisinos esse non Lutetianos dicerent. In dignitatum similiter nominibus eandem pene rationem sequuti sumus. Latini Athenienſium archontas & Lacedæmoniorum ephoros scripserunt: at duces & imperatores, non strategos dixerunt, decuriones, non decadarchos. Græci Persarum satrapas non solùm retinuerunt, sed & σατραπεύειν & σατραπεῖαν inde finxerunt. Latinorum consules ὑπατεύειν dixerunt, unde ὑπατεία fecerunt. Dictatorem seruarunt, tametsi etiam αὐτοκράτορα aliqui dixerunt. Nos quoque veteres illos non prorsus ineptè opinor imitati, quum legatum & signiferum Latino vocabulo dicamus, tamen centurionem vel capitaneum promiscuè dici posse existimamus. Marescallatum & cancellariatum gerere, vt tribunatum & consulatum, diximus. Connestablium, seneschallum, & alia quædam domestica vsurpauimus: at præfectum prætorio quàm magnũ magistrum dicere maluimus. Vicecomitem, procomitem: vicedominum, prodominum, nonnunquam appellauimus, quin & ipsum Gallicum Vidamij nomen interdum retinuimus. Marescalli nomen Galli multis in rebus vsurpant. Nam castrorum marescallum dicunt, quem Bud. ex Tacito præfectum castrorum appellat. Est etiam marescallus quem epistathmum Græca voce dicunt, quasi σταθμῶν id est mãsionum designatorem. Huiusmodi enim marescalli mansiones militibus, quum in oppidum quoddam aut vicum veniunt, describunt. Vt interim vulgatam marescalli appellationem omittam, qua veterinarium aut denique fabrum ferrarium significat. Sed in his Commentariis marescallos intelligimus quales Gallia quatuor habet, apud quos militaria iudicia exercentur. Illis cõnestablius præest, tanquam magister equitum. Marescallo demortuo alius statim succedit: verùm connestablij morte non

continuò quisquam sufficitur. Carolo Borbonio Gallia egresso, nemo hunc honorem gessit multis annis: sed Franciscus Rex Hispania demum reuersus, Mommorenciũ hac dignitate virtutis ergô auxit. Quo etiam mortuo, iam septimum hunc annum Gallia connestablio caret. Amiralium classis præfectum aut nauarchum dicere licet: præest enim classi Gallicæ, & rerum quæ mari gerũtur, ad eum procuratio pertinet. Qui exactius de his velit disserere, vt origo & institutio exponatur, satius fuerit opus proprium tantæ rei dicare. Equitum turmas ex præfectorum nominibus Galli appellant: equites ipsi cataphracti à nobis aliorum exẽplo dicuntur, quos Gallico nomine homines armorum aut armatos vocamus. Quum autem turmam aliquam quinquaginta cataphractis constare audis, equites ibi plus minus ducentos fuisse debes intelligere. Equitibus siquidem singulis bini attribuuntur, quos sagittarios vocant. Vtrorunque institutionem & descriptionem ad Carolum septimum exactis Gallia Anglis referunt. Henricus secundus anno 1549. nonnihil mutauit. Sagittarij sic dicuntur à sagittis quibus tum vtebantur, vt essent hippotoxotæ. Itaque nomen vetustum armorum genere licet commutato, manst. Quin & hodie, quum quispiam ad eum locum euehitur, ei sagittarum manipulum aut dragma porrigi audio. Eo autem inter se præter cætera distinguũtur, quòd aliorum paludamentis manica desit, aliis dependeat. Hos porro sagittarios aliquando diximus, aliquando etiam Arcitenentes, licet vocabulo non Latino, partim vt Gallicum nomen exprimeremus, qui non à sagittis, verùm ab arcu (vt Græci suos τοξότας) eos nominant, partim nequis putaret esse sagittarios quosdam pedites, quales in Anglorum exercitu nostra ætate fuisse, in his etiam Commentarijs significamus. Nam Galli hoc armorum genere multo citius vti desierunt. Hippotoxotas alicubi, sed semel me dixisse memini: hi sunt qui equites arcubalistarij Gallicè tum temporis erant & dicebantur. In quo rum locum successerunt quos hippoſclopistas congruo vocabulo appellari posse putauimus. Peditum cohortes dicimus, vbi Gallicus scriptor societates (vt ita exprimam) vel signa ex linguæ consuetudine dicit. Quot verò militibus cõstent, nihil certi affirmari potest: horum enim numerus & augetur subinde & minuitur. Ad armorum porro nomina quod attinet, id video quod in multis alijs rebus, vt usu vel genere mutato, nomina tamen vetusta remanserint. Helepolim Demetrij ætate natam scriptores prodiderũt, machinam ab Epimacho Athenienſi architecto inuentam. Hæc arietibus crebritate desectis (vt ait Am. Marcel.) successit. Tandem hoc nomine tamen dici omnia machinamenta, quibus diruuntur oppida, testatur Hesychius. Sic vetusta nomina æneis machinis igniuomis patrum nostrorum memoria inuentis tribuere licet. Aliorum armorum nomina ex vernaculis Latina fiunt, vt apud celebrem quendam nostræ ætatis scriptorem repererim partisanas & alabardas. Itaque siqua paulo ob nouitatem insolentiora aures initio radere videbuntur, quum armorum aut munitionum hodierna genera nominabuntur, necessitate extorta vsu tandem mollescent, & familiaria, vt spero, fient.

EIDEM.

EIDEM.

PRÆTER *indicem quem huic historiæ subiunximus (qui tibi abũde ac in promptu quod cupies subministrabit) visum est, idque quorundam scriptorum exemplo, singulorum librorum epitomen conficere, quæ tibi vno quasi aspectu quæ præcipua sunt, oculis subiiciat: vnde postea indicem quoque adire queas, si quærendi & chartas euoluendi compendium cupis.*

PRIMI LIBRI SVMMA.

REX Ludouicus duodecimus quum ducatum Mediolanensem nuper amissum recipere conaretur, Trimollium illuc cum exercitu mittit: quem ad Novariam Heluetij prælio superatum regredientem persequuntur, tandémque alpibus superatis Diuione obsident. Per idem tempus alia ex parte Cæsar Maximilianus & Henricus Angliæ rex prælio victores, quod à calcaribus denominatum fuit, Teroanam & Tornacum capiunt. Rex pacem cum Heluetiis & Anglis facit, Angli sororem in matrimonium ducit, filiam dat vxorem Francisco Angolismensi, quum deni que expeditionem Mediolanensem pararet, moritur. Angolismensis regno accepto, quod ille instituerat perficit, Heluetiis ad Marinianum deuictis. Belli inter eum & Carolum quintum initium describitur, cui occasionem dederunt Henricus Albretus & Robertus Marcanus, quòd ille Nauarræ regnum recipere, hic Bulionensis ducatus suprema autoritatem tueri vellet. Aiperraltus Nauarræ regnum paucis diebus recipit, & denuo amittit. Marcano tota penè ditio adimitur. Galliam Cæsar ad Campaniæ oram inuadit, Musonem capit, Masseriam frustra obsidet. Rex hac iniuria incensus Artesiam & Hannoniam cum exercitu ingreditur, ad Valencenas prælio eum lacessit, Hedinum capit. Anglus pacem componere conatur, sed perfici non potest ob Fontirabiam, quam Boniuctus à Rege missus ceperat. Torna cum post longam obsidionem in Flandrorum potestatem venit. Turbæ Mediolani autore Leone papa aduersus Regem suscitantur.

SECVNDI.

PROSPER Columna, qui exercitui Papano & Cæsariano Francisci Sfortiæ nomine præerat, Gallos magna ex parte Mediolanensis agri expellit. Rex Lautreco, quem illic præesse iusserat, subsidium mittit, cuius tamen ob stipendij penuriam nullus vsus fuit. Gallis ad Bicoccam cæsis, Mediolanum & Genua amittitur. Adrianus papa demortuo Leoni succedit. Borbonij ad Cæsarem defectio Regem ab itinere suscepto reuocat, ne Mediolanum ipse proficisceretur. Eò Boniuctum cum maximo exercitu mittit, sed nullo etiam tum fructu, quum nec stipendium nec supplementum submitteretur. Angli interim & Burgundiones longè in Picardiam progressi Mondiderium & Roiam incendunt. Hispani Fõtirabiam recipiunt. Comes Gulielmus Fustembergus cum Germanicis copiis in Burgundianum ducatum impressionem facit, quem Guisius repellit. Borbonius & marchio Piscarius Massiliam obsident, Regis cum firmissimo exercitu aduenientis metu se recipiunt. Ille copias alpes traducit, Mediolanum cum aliis plerisque oppidis recipit. Papiam obsidet, vbi prælio cum hostibus commisso capitur.

TERTII.

REGE in Hispania captiuo ducissa Angolismensis eius mater quum regnum administraret, rebus omnibus sapienter prouidet, nequid detrimẽti accideret. Anglum placat, qui bellum Picardiæ inferre cogitabat. Ducis Lotaringi fratres Germanicam quandam plebem, quæ aduersus nobilitatem conspirauerat, ad Sauernam delent. Rex Madrilij ægrotat: quæ res Cæsarem mouet, vt domum eum redire permitteret, liberis tamen obsidibus datis, certisque additis cõditionibus, quæ quum iniquiores essent, minimè seruantur. Roma à Cæsarianis diripitur, in qua capiendo Borbonius occiditur. Fœdus sacrum ad pellendos Italia Hispanos sancitur. Illuc Lautrecus cum exercitu mittitur, qui multa ditionis Mediolanensis oppida in Francisci Sfortiæ commodum capit, reliqua capturus, nisi ad liberandum papam ab Hispanis oppressum festinare coactus fuisset: quos inde auocat ducto in Neapolitani regni fines exercitu. Cuius omnia capit oppida, præter Manfredoniam, Caiettam & ipsam Neapolim: quam quum obsideret, peste in exercitu grassante ipse cum maximo suorum numero moritur. Auria à Rege deficit, & Genuensibus defectionis autor est. Pax Cameraci inter Cæsarem & Regem componitur, quo fit vt liberi regij reddantur, ipse Cæsaris sororem in matrimonium ducat. Cæsar non multo pòst in Italiam contendit. Romæ coronatur, Florentinos diuturna obsidione reipublicæ formam commutare cogit.

Quarti.

Franciscvs Rex quum pacti Cameracensis durissimis conditionibus stare non posset, sollicitatus in Germania, Anglia & Italia init, quibus se confirmet. Regina Aleonora pacem inter eos alere & colloquium adducere conatur. Rex Vngariæ Ioannes pecuniis à Rege, quem admodum petierat, iuuatur. Instat Regi Cæsar vt sibi bellum cum Turca gerenti opem ferat: quod ille denegat, nisi Italiam defendere opus sit. Britoniæ ducatus assentientibus regionis ordinibus, Gallico diademati adiicitur. De Concilio habendo quæstio inter principes agitatur. Mervilius patricius Mediolanensis crudeliter à duce Sfortia necatur, quum Regis apud eum legatum ageret. Qua ille iniuria offensus bellum ei inferre parat, nisi mors interueniens ducem vltioni exemisset. Dux Aurelius Catharinam Mediceam, quę Regis Henrici III. hodiędque in Gallia mater est, vxorem ducit. Duces Vvirtembergenses principum Germanorum opę atque armis, quos ad hanc rem Langæus oratione sua adduxit, pecuniis verò à Rege collatis, suas ditiones, quas Ferdinandus occupabat, recipiunt. Legionarij in Gallia instituuntur, aperirique incipit odium quo Rex Sabaudum prosequebatur.

Quinti.

Francisci postremi è Sfortiana gente ducis mors Regem mouet, vt Mediolanum à Cęsare petat. Sabaudiam & Pedemontanum agrum, vriter sibi planum reddat, bello occupar, ius sibi in eam ob matris mortem arrogans. Cæsar ex Tunetensi expeditione reuersus Regiis legatis de Mediolano reddendo spem facit, dum vires parat quibus Pedemontanum regionem ei adimat, & in Prouinciam moueat. Quod priusquam aggrediatur, multa publicè aduersus Regem loquitur, idque Romæ in papę & cardinalium cœtu. Rex illius maledicta scripto refutat.

Sexti.

Cæsar numerosum exercitum ex variis gentibus colligit, vt Galliam ex Prouinciæ parte bello petat. Galli eius copias ad Fossanum aliquandiu remorantur: tandem pactione deditionem facere coguntur, à Francisco marchione Salussiano proditi, quem Rex Pedemontanis locis prępositurat. Cæsar concilium cogit, apud suos concionatur, multa sibi cum quibusdam Gallis arcana incercedere iactat, exercitum Niceam, vt Prouinciam ingrediatur, progredi iubet.

Septimi.

Cæsar cum suis in Prouinciam veniens, biduo celerius quàm alioqui necesse erat, festinat, vt in primam Galliam die Apostoli Iacobi peruenirer, quòd eodem die anno superiori in Africam appulisset, paucisque diebus Tunetes cepisset, deinde quòd Hispani hunc Apostolum tutelarem habent, ea ratione omen lęti exitus captans. Apud milites velut occasionem loquendi inde nactus, orationę habet. Galli tota Prouincia vastitatem edunt, vt illius exercitui cibaria deessent. Delphinatui tuendo Humerius diligenter prouidet: alia ex parte Massiliam & Arelatum magna prędia deducuntur. Mömorencius prefectus prętorio ad Auenionem exercitum cogit, castra vallo & fossa munit. Alium exercitum Rex ad Valentiam colligit. Montijanus & Bosius ad Briniolas malè pugnāt. Burgundiones Peronam obsident. Franciscus Delphinus summo omnium luctu moritur. Comes Rango ac reliqui Regis socij exercitu in Italia coacto, Cęsarianis & Genuensibus bello molesti sunt. Cęsar in Aquensi ciuitate quā nostri deseruerant, commoratur, cum quadam apparatus specie, quasi Massiliam & Arelatum obsidere cogitaret. Rustici Prouinciales panem nauticum, qui è Pedemontanis locis in castra comportabatur, intercipiunt.

Octavi.

Cæsaris in Prouincia milites fame & pestilentia in castris vexantur. Quare propius mare accedit, supplementi quidpiam ab Auria accipit, & quo veneratitinere dilabitur. Burgundiones Perona magnis conatibus nequicquam oppugnata discedunt. Rex Prouinciam peragrat, populúmque consolatur: quæ à Rangone apud Pedemontanos gesta sunt, cognoscit. Lugduni Rege in iudicio sedente, capite damnatur is qui Delphinum veneno iustulerat. Scotus ad Regem accedit, cui Magdalene eius filia despondetur. Burius & Taxius dum Casalum Monferratense expugnare cogitant, profligantur. Rex Cęsarem in senatu Parisiensi deserte clientelaris fidei ob Flandriam, Artesiam & Carolęam reum agit. Eo qui insequutus est anno Artesiorum fines ingressus Hedinum, Sampaulum, Liberium & Sauenantum capit. Sampaulum Burgundiones paulo post magno Gallorum numero cęso recipiunt, Montrolium deditione capiunt, Teroanam obsident, Annobaldum qui obsessis commeatum duxerat, prælio superant. Delphinus obsidionem tollere instituit, dum breues interim inducię Vngariæ regiinæ opera fiunt. Pedemontana res variè administratur ob Rangonis & Caguini dissidia. Eò Humerius prorex cum Germanico peditatu mittitur, Astam obsessam non expugnat, Albam capit, Quarasium munit: exercitu ob stipendij penuriam tumultuante recipere se cogitur. Vastius liberè castra metatur, Gallos multis oppidis ademptis valde premit, vt Rex exercitum eò ducere

cere cogitet. Hostes angustiis Susiis occupatis aditum impedire conantur, quem Mommorencius vi patefacit. Delphinus Vastio pugnandi facit potestatem, quæ ille ademerat, ex iis nonnulla recipit. Trimestres fiunt inducię: quæ congressu Cæsaris & Regis ad Nicæam in decennium prorogantur. Mommorencius connestablius creatur. Cæsar vt Gandauos coerceret, media Gallia amicè iter facit. Cluiensis Nauarræ Regis filiam vxorem ducit, sed matrimonium nequaquam absoluitur. Fames Pedemontanos vexat, cui sapienter à Gulielmo Langæo prospicitur, qui tum prorex eam regionem administrabat.

Noni.

Hvmanitas summa Cæsari, quum Gallia transiret, exhibita, eius ódio sociorum à Rege vó luntatem alienat: neque tamen tantum apud eum valuit, vt quod de Mediolano promiserat præstaret. Suum erga Regem odium clarius aperuit, quum Rinco & Fregoza legati violantur & necantur. Qua iniuria violatis decennalibus induciis Delphinus Perpinianum obsidet, Aurelius dux Lucemburgum capit, quo non diu potitur. Langæus apud Pedemontanos Vastij vim sustinet, sex Italorum millia defectione sibi conciliat, eúmque à castrametádo desinere cópellit, aliquot oppida Galli illius opera, in quibus consilia arcana habebat, capiúr. Annobaldus illuc prorex venit, Coniú frustra obsidet, dum maleuolorum consiliis abductus Langeum monentem aspernatur: qui hac de causa in Galliam rediens Tararæ obiit, magnum sui desiderium viris literatis & rerum vsu prædítis relinquens. Eius frater Martinus Bellaius Taurinis præfectus relictus, ditionem Taurinensem dilatat captis Sambonio, Castillione & Sarraphaele. Annobaldus dum in Galliam reuertitur, in monte Censio procella niuali opprimitur, cùm multos ex suo comitatu amittit, tum verò Carrugiú, ac vix ipse euadit. Rupellani rebellionis rei veniam à Rege obtinent. Bellaius multa quæ Cæsariani machinabantur, deprehendit, proditores capite plectit. Buterius illo decedente Taurinorum oppido præest, quod paulum ab eo abest vt à Cæsare Neapolitano occuparetur, aliàs scalis, aliàs fœneorum plaustrorum dolo. Vindocinus in Picardia hostium fines populatur, Teroanam commeatum introducit, Lilerium captum diruit.

Decimi.

Proximó anno Rex Hannoniam bello vexat, agrum Auennensem vastat, aliquot munitiones & castella excindit. Vindocinus Bapalmam capit, arcem reuocatus relinquit. Landrisium Burgundiones deserunt, ob situs commoditatem à Gallis communitur. Rex quò opus tutò fieret, diu castra ad Marollas habet. Delphinus Malbeugium & Emerium capit, Balnearum oppidum obsessum relinquit, quòd non amplius biduo illic manere posset. Anguianus quatuor triremes amittit, dum Nicenam arcem occupare conatur: in eam fraudem à Griniano Massiliæ prætore impulsus, qui arcanæ alicuius rei consciosillic se habere confidebat. Dux Aurelius secundò Lucemburgum & Arloné capit. Landrisium vix communiri cœptum Cæsar obsidet, propugnantibus Landa & Esseo. Princeps Melphitanus Lucemburgum egrè commeatum introducit. Landrisium milites & cibaria intromittuntur, quum non procul illinc exercitum Rex haberet, quem quum paulo pòst discederet, Cæsar paululum insequutus obsidionem soluit: Cameraci arcem ædificat, quam Landrisio opponeret. Barbarossa Nicæam oppidum capit, arcem frustra obsidet. Vastius quum obsessis subsidio veniret, Mondeuisium capit, item Carinianum, quod etiam communit. Buterius apud Pedemontanos prorex Sangermanum capit, malè audit quòd Carinianum magni momenti oppidum muniri non prohibuerit. Anguianus à Rege missus prouinciam ab eo accipit, Crescentino, Palesolo & Desana captis Carinianum obsidet. Vastius suis auxilium ferre conatur: vnde pugnæ Serisolanæ occasio extitit. Victores Galli Carinianum ac pleraque tum Pedemontana tum Monferratensia oppida capiunt. Cæsar & Anglus hac victoria irritati Galliam duobus locis inuadunt. Anglus Boloniam obsessam ignauia prefecti capit, Cæsar Lucemburgum, Linium & Sandiserium capit, Sperneum venit, in Picardiá exercitum ducit, pacem cum Rege facit. Rex aduersus Anglum à Cesare desertum vires suas tum terrestres tum nauales conuertit. Delphinus inferiorem Boloniam simul capit & amittit. Propugnaculú Vltraqueú ędificatur, quo Anglorú incursiones cohibeantur, quos Galli aliquot prœliis profligant. Amiralius Annobaldus cum magna classe Anglos ad prœlium allicere conatus, oram maritimá populatur. Pace deinde facta Anglus non multo pòst moritur, quem Franciscus non procul subsequitur, Rambolieti extremum vitę diem claudens.

MARTINI BELLAII
IN SVOS COMMENTARIOS PRÆFATIO.

IN omni eorum numero qui ad scribendum animum appulerunt, vt res memoria dignas immortalitati consecrarent, paucos reperias, qui non vel ad ornandos suos principes vel ad aliorum gloriam obscurandam de suo aliquid addiderint. Nonnulli quoque tantum sibi licere putauerunt, vt temere quicquid animo occurrebat, literis mandarent: à quibus sanè multis in locis ineptas & plusquã aniles fabulas pro historia accepimus. Quin etiam hodie videmus quantum fidei sit iis habendum, quos non pudet suas lucubrationes emittere, quibus res longè aliter narrant, quàm quomodo ipsi gestas esse certò nouimus. Quæ tamen eo non dico, quòd inficiari velim aliquot nobis extare historiæ scriptores, qui non minori eruditione quàm diligentia bella periculosè suscepta, pacis & fœderũ rationes, rerumpubl. administrationem, regnorum atque imperiorum mutationes, hominum mores & ingenia, locorum denique situs atque ciuitatum instituta in genere descripserunt. Inter quos Paulus Æmilius & Paulus Iouius in primis magnam laudem merentur, ob ea quæ nobis reliquerunt historiæ monumenta, quam de iis, quæ toto orbe nostra memoria gesta sunt ediderũt. Nisi quòd Iouius multis in locis partium quoddam maius studium prodere videtur, quàm in historiæ scriptore esse debeat, quem incorruptam veritatem sectari omni conatu decet. Verùm quæ ad nostram gentem propriè spectant, & ad ea bella quæ celeberrimæ memoriæ rex Franciscus huius nominis primus vel illata propulsare, vel ipse inferre coactus est, neminem esse memini, qui adeo fusè sigillatim omnia descripserit, atque frater meus Gulielmus Bellaius Langæus, equestri dignitate à Rege ornatus, & rebus in Italia administrandis ab eo præpositus, cuius virtutem atque eruditionem omnes satis norunt. Is septem ogdoades Latinè conscripserat, easdemque à Rege iussus in Gallicam linguam conuerterat: in quibus tanquam in speculo non solum perspici poterant varia huius ætatis euenta, verùm etiam mira quædam in scribendo dexteritas elucebat, quam ille doctiorum iudicio propriam habebat. Verùm tantus hominis labor nobis inutilis mansit, nonnullorum improbitate qui illius opera suffurati sunt, vt vel sui principis & gentis gloriam sepultam obrucrent, vel eo fortasse consilio, quòd temporis progressu in proprium commodum ea cõuertere se posse putarent, alio scilicet ordine inducto, & stili genere aliquantum muta-

mutato: quo sanè & historiæ veritas (quod ad rem ipsam attinet) non parum obscuraretur, & autoris fama vehementer læderetur. Hæc quum ita essent, meum esse arbitratus sum, vt dum ab armis quies datur, ne otio abuti videar (vnde omnium vitiorum origo emanat) laborem nullum aut operam defugerem, quò tres libros qui nobis ex quinta illius ogdoade supersunt, in lucem emitterem, quibus alios septem Commentariorum libros de rebus tum bello tum pace gestis comites adderem: quasquidem partim testis oculatus commemoro (qui multis locis tum cisalpinis tum trãsalpinis coràm ipse adfui) partim ex eorum testimonio & non dubio relatu qui interfuerunt narro, quorum fidem integram & iudicium sincerum comperi, quorúmque verba inter se contuli, imò ne ipsos quidem exteros prætermisi, quos partium studio minimè duci intelligebam. Quippe ingenti semper studio flagraui, vt quæ ab hinc duos & quadraginta annos acciderunt (ex quo nempe belli tyrocinium inij, ad Francisci Regis mortem) liquidò & verè cognoscerem. Hoc quidem non grauatè agnosco, opus meum non esse rhetoricis pigmentis illustratum, vt neque hoc meæ vitæ institutum fuit. Mihi in scribẽdo propositum hoc fuit, vt ad rei veritatem quàm fieri maximè posset accederem: neque puto me vlla in re aliquem præter meritum vel collaudasse vel vituperasse. Quòd si quid fortè à me prætermissum est (vt sanè omnia videre perdifficile est) eo mihi facilius ignoscendum esse existimo, quo minus in literarum studio educatus sum, minus item otij & facultatis habui, vt tempus ad scribendum conferrẽ, qui principi meo militans in bello assiduus fui. Id à lectoribus etiã atque etiam considerari velim: qui cùm grato animo accipient, quod lectu non prorsus indignum iudicabunt, tum me cum Lucilio viro Romano nequaquam sentire perspicient, qui sua scripta ad doctissimorum manus peruenire, multo etiam magis ab indoctis legi nolebat, quòd illos plus quàm seipsum, hos nihil prorsus intelligere diceret. Ego enim hac mea lucubratione viam duntaxat sternere doctioribus studui: qui quæ crassius dedolaui, limatius perpolire & elegantiori dicendi genere exornare poterunt, tum etiam addere vel detrahere quæ magis quadrare videbunt: vt quæ nostro seculo cum virtute & laude gesta sunt, ad posteritatis memoriam transmittantur.

ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩ ΑΝΔΡΙ
Θωμᾷ Ρεδγήρῳ.

Τεφὸς Αλεξάνδρου Μακεδὼν φόρμιγγα λύγδην
Εν πολλοῖς ὁρόων κλήμασι δακτυλίοις,
Τὴν μὲν ὀνόσασθ', ὁ δὴ ἥεφος χέλυν Αἰακίδαο
Ητεε, Τίω ἰδέῳ ἔξοχ' ἰμειρόμενος.
Δὴ γὰρ ἀπ' ἰφθίμων ἀνδρῶν ἓ λείψανα λυγρῆς
Αξια, πᾶσ' ἡ ἄλλων ἐδενόσωρα πέλᾳ.
Τῷ κὴ Βελλαίου κλυτὲ Θωμᾶ λάζεο δέλτον
Γρευμένεος, ἓ τὸν μνώεο παῖχυ πάλιν,
Εργων τε πρεπέα καλῶν, ῥητῆρά τε μύθων,
Αβρεκέος δ' ἡμῖν ἀρέξενον ἰσοείης.

ΤΩ ΑΥΤΩ.

Ταῦτά τοι, ὦ Θωμᾶ κύδιστε, θαλύσια ῥέζω
Χλιοχρόφος καμάτου λαμπρὰ τυπογραφικοῦ,
Εξ οὗ δὴ τὸ πρῶτ' ἀκαλαρρέεσθαι πάρ ὄχθας
Μοίνου εὐκλειμένου ναιετάουσι πόλιν,
Κηπίδος ἀπρεφυγὼν ἅμα ἢ πρηΰνε φόως δὲ
Φερνέλιον, πρὸς ἀγὼν ἕλκος ἐπ' ἐσθλὸν ἄκος.
Ως ἄρα Γηλείδης, ὑπὸ Ιλιον ἦλθε Μαχάων
Ιππῆρ, πολέμου ἕλκε' ἀκεσσόμενος.

EIDEM.

Bellaivs dum bella gerit, dum bellica scribit
Facta & magnanimûm clara trophæa ducum,
Hic tibi se gemino commendat nomine Thoma,
Virtute & vera clarus ab historia.
Vt quia te gemini appellatio nominis ipsa
Conspicuum gemina nobilitate notat,
Bellica tum virtus tum veri oratio testis
Bellaium meritò sic tibi concilient.

H. SVR.

MARTINI BELLAII

LANGAEI EQVITIS TORQVATI COMMENTARIORVM

DE REBVS GALLICIS

LIBER PRIMVS.

QVVM post fœlicem illam Rauennensem victoriã, rex Ludouicus duodecimus rerum humanarum inconstantiam in iactura ducatus Mediolanensis expertus esset, omnia periclitari decreuit, quò illũ reciperet, & in suam potestatem redigeret: voluitque princeps ille pro sua prudentia & animi magnitudine singulari, nihil diligentiæ, quæ ad rem tanti momẽti esset necessaria, reliquum facere. Hoc autem eo maiore etiam celeritate curandum putabat, antequam arces quæ Mediolani & Cremonę erant, ab hostibus occuparentur, quarum præsidia penes Gallos adhuc erãt, quum arx Mediolanensis ab equite Louanio, Cremonensis à Ianoto Herbouillæo Bunouio teneretur. Quare tum vt illis opem ferret, tum vt ducatum recuperaret, statuit exercitui idoneum virum præficere: quam ad rem inter reliquos delegit Ludouicum Trimollium, quem dignum iudicauit qui copiis præesset, quas conscripsit anno 1513. quo fere tẽpore adolescens ad aulam accessi. Illi præterea comites viros fortissimos & rei militaris peritia clarissimos adiunxit, Ioannem Iacobum Triuulsium mareschallum Galliæ, & Robertum Marcanum Sedanium. In eo exercitu erant octingenti fere cataphracti equites, octo millia peditum Gallorum, & Germanorum sex millia, quibus præerat Florengius filius maior natu Roberti Sedanij. Is Robertus genus quoddam munitionis ex ligno confectum excogitauerat, quod carris vehebatur, quo, si loco iniquiore cogerentur prælium cõmittere, exercitus cingi posset. Hoc tamen hominis inuentum (vt postea dicetur) quum magno constitisset, non magno vsui fuit. Eodem anno (hoc enim interiicere visum est) feriis Pentecostes Castelloduni celebratæ sunt nuptiæ Caroli comitis Vindocini & Marleani, qui vxorem duxit Franciscam Alenconiam viduam ducis Frãcisci Longouillani: qui quidem dum ex Aquitania rediret, mortem obiit. Huius autem itineris, antequam longius progrediar, mentionem mihi faciendam video: quòd præteritarum rerum cognitio historiæ nostræ non modicum lumen allatura videatur.

Ludouicus amissum Mediolanum recipere cogitat.

IVLIVS secundus pontifex anathematis fulmen in eos omnes reges vibrarat, quorũ oratores concilio Pisano interfuerant, eorúmque regiones prædæ addixerat. Huius rei prætextu rex Arragoniæ Ferdinandus quum paulo post Rauennensem victoriam Galliam bello inuadere simulasset, impressionem in regnum Nauarræ fecit: vt Ioannes rex priusquam se tueri & hostis impetum sustinere posset, cùm alia munitissima regni oppida, tum verò Pampalonam amiserit, & penè toto regno spoliatus sit. Quamobrem Ludouicus Rex quum fœdus cum illo & societatem seruare cuperet, Longouillanum statim proregem Aquitaniæ cum exercitu auxilio mittit, qui bello capta oppida illi restitueret: atque vnà cum illo comitem illum Vindocinum Carolum Borboniũ. Cui quoniam non bene conuenire cum Longouillano certior fiebat, quòd satis sciret huiusmodi controuersiis magnas interdũ in castris rerum perturbationes oriri, & insignes etiam

Nauarra regnum papa auctore Ioãni peruiniarum ademptum.

1513. clades accipi: Francisc̃um ducem Valesium & comitem Angolismensem (qui proximus hæres erat regni, qui etiam ipsi postea Ludouico successisti) misit, qui discordiam hanc componeret, æmulationémque suprem æ autoritatis de qua inter se dimicabant, sedaret. Qui postquam illuc peruenit, licet Longouillanus semper imperij summam teneret, quòd (vt supra dictum est) prorex illius prouinciæ esset, tamen vnà cũ illis ad montem Ialosium peruenit. Vbi quum Hispanis qui ad Sanjanum Pedeporcium castra habebant, pugnandi potestatem fecissent, non prodierunt illi, quòd sibi vetitum esse à rege Ferrando dicebant, ne rem incerto pugnæ euentui committerent. Postea ducem Albanum Ferrandi regis principem legatum Roncesuallem transire compulerunt. Ibi Angolismensis cum exercitu à Rege vt omni mora sublata redeat, accersitur: propterea quòd Anglus Henricus octauus & Maximilianus Cæsar designatus, instigante & autore papa Iulio, magnos apparatus bellicos ad inuadendos Picardorum fines faciebant. Et sanè ingens fuit ille conatus: quippe Anglus descensionem fecerat peditatum habens ad xxv aut xxx millia, equitatum ingentem, tormenta verò ænea quanto ante centũ annos numero aduecta ex Anglia citra mare non fuerant. His copiis se cum Maximiliano coniungit, vt ambo exercitus simul essent ad VII aut VIII equitũ millia, peditum XLV millia Anglorum, Germanorum & Hannoniorum: nam ex Fiandria & reliqua Caroli Austrij Hispaniarum principis ditione nulli aderant, quum ille Regis amicus esset. Etenim illius pater Philippus morti proximus, quum à se Carolum filium (cuius in his commentariis fiet mentio) relinqui videret annos natum vndecim, vereri cœpit ne antequam ille ætatem attingeret, Rex ob insitam Flandris leuitatem illius ditionibus manũ iniiceret. Cui malo vt occurreret, Regem Ludouicum XII curatorem testamento instituit: qui ex consensu ordinum totí regioni Caprarium è familia Croiana præposuit.

Cæsaris & Anglí in Galliã expeditio.

Teroana Morinorum obsidetur.

TOTVS ille exercitus ad Ardream & Santaudomarum facto itinere, ad obsidendam Teroanam Morinorum cõsedit. Quorum nonnulli qui postremi iter faciebant, & machinis æneis præsidio erant, ad oppidum Turnohanum in trecentos aut quadringentos ex nostris cataphractos, qui Montrolio & Bolonia venerant, incidunt. Ibi ablata illis est magna machina, quam duplicem colubrinam vocant, nomine S. Ioannis appellata (nam duodecim eadem magnitudine, & quæ glãdes isoperimetras capiebant, Anglus habebat, quas nominibus XII Apostolorum vocabant) & cæsi aliquot ex illis peditibus. Eodem temporis articulo Anglus in itinere erat, vt Caleto profectus in castra ad Teroanã veniret: vt paulum abfuerit quin in nostrorum equitatum incideret. Itaque Santaudomarum se recepit: quò quum Cæsar venisset, ambo vnà in castra se contulerunt. Paucis post diebus qui Montrolij & locis finitimis præsidio erant, (inter quos erat turma equestris Vindocini ducis ductore Moæo, ducis Alenconij, Francisco Sillio Imberrurio, item Plessij Dassæi, vt numerus esset ad quadringentos cataphractos) nuntiato magnam cõmeatus vim Guineis ad castra Teroania conuehi, ad illum intercipiendum ad Ardream progrediuntur. Ibi Anglorum præcursores obuij facti à nostris profligãtur: qui in ipso agmine erant, quum se impares cernerent, carris se cingunt, aditus omnes sagittariis dispositis muniũt. Ita noster equitatus impetu licet aliquoties facto, propter carros, quos pro vallo obiecerant, perrumpere non potuit: vt post diuturnum prælium se tandem illi carrorum præsidio firmati Ardream (nam à nostris relicta erat) nostri Boloniam reciperent. Hic cùm multi fortes viri ex nostris perierunt, tum Plessius ipse sagitta ad subalare ictus, dum sublato brachio pugnat: magna quoque equorum multitudo sagittis confecta est. Teroanæ duos principes legatos Rex pari autoritate constituerat strenuos viros, Tellinium Seneschallum Ruergiæ cum centũ cataphractis equitibus ex turma Caroli ducis Gueldrij, cuius ipse legatus erat, & Antonium Crequium Pondormium, Crequij fratrem natu minorem, cum pari numero equitum ex turma Gruturij: qui prorex Picardiæ quum paulo antè obiisset, equites illi Pondormio commissi erant. Præter illos erant etiam Sercutius quingentorum peditum tribunus, Hellius & Burnonuillanus totidem, Brandhecus Germanus totidem suæ gentis. Eodem tempore Lutetiæ celebrantur nuptiæ Claudij Lotaringij comitis Guisij & Aumalij, & Antoniæ Borbonię, quæ soror erat Caroli comitis Vindocini, quum quidem Rex in ædibus Turnellanis esset: epulum verò è regione in ædibus Stampanis factum est. Post prandium nuntiatur Regi Trimollium ad Nouariam prælio superatum esse & exercitum profligatum.

Guisius exigit Borbonia uxorem ducit.

Hic

Hvc non exiſtimo ab re fore, ſi obiter paucis oſtendero, re altius repetita, quam ob cauſam & quo pacto regius exercitus ex Italia expulſus fuerit: cuius recipiendæ gratia totum hoc fuerat ſuſceptum. Anno 1508 Rex, papa Iulius & Cæſar Maximilianus ſuos oratores conuenire Cameraci iuſſerant: vbi fœdus ſimul inierunt, ſtatuerúntque impenſis belli communibus Venetos ex continenti Italia eiicere: quicquid enim illic haberent, per iniuriam tum Imperio, tum Eccleſiaſtico patrimonio, tum ducatui Mediolanenſi ademiſſe. Quam ad rem perficiendam viſum eſt vt Rex, papa & Cæſar ſuas copias coniungerẽt dicto huic negotio die, anno 1509, ad limites Venetæ ditionis. Rex ipſe cum regij ſanguinis principibus & exercitu in tempore adfuit: papa & Cæſar promiſſis non ſteterunt, quorum nomine nemo Regi præſto fuit. Ipſa quidẽ populi Veneti inſtructa acies prælium cõmiſit inter Caſſanum & Pandinũ, qua rex ſuperior euaſit, vt ducibus omnibus captis, hominibus ad xx millia interfectis, & Piſcariano caſtro vi capto omnia Venetorum oppida Verona, Vincentia, Cremona, Crema, Patauium, Brixia, Bergamũ, tum ciuitates omnes Giaradaddæ, denique quaſcunque in continenti habebant, præter duas aut tres, in eius venirent poteſtatem. Quoniam autem ipſo Cameracenſi fœdere cautum erat, vt Cæſari reſtituerentur quæ ipſi adempta fuerant oppida, & papæ itidem quæ Eccleſiæ eſſent: Rex Cæſari in manum tradidit Veronam, Vincentiam, Patauium, cum reliquis, papæ verò Ariminum, Fauentiam, Ceruiam, Rauennam, & quæcunque Eccleſiaſticæ ditionis erant. Verùm eo ipſo anno, quum negligentius Cæſar rationibus ſuis proſpexiſſet, Veneti Patauium receperunt: ad quam iacturam ſarciendam Rex iuſſit Paliſſæum Cæſari eſſe auxilio cum quadringentis equitibus grauis armaturæ Gallis: qui tamen ſiue negligentia, ſiue alia de cauſa, parum profecit. Papa & Cæſar vires ſuas ad opprimẽdum Regem contulerunt, & ducatum Mediolanenſem aggrediuntur, ſucceſſu ſanè parum ſecundo. Etenim Gaſto Foxius prorex Italiæ anno 1512, collatis ſignis cum illis ad Rauennam ipſis Paſchalibus pugnauit. Quo prælio illis victis, & Rauenna impetu capta, quum Foxius victoriam perſequens à nemine ſuorum animaduerteretur, nullis comitatus interficitur. Itaque Paliſſeus Iacobus Chabanius (qui ante paucos dies prætorij præfecturam in Gallia, mortuo anno ſuperiore Carolo Amboſio obtinuerat) prorex Mediolani & Italiæ conſtituitur. Eodem anno papa & Cæſar Regi (cuius tanta in illos ex tabant merita) adhuc infeſti, quum eius copias diſiunctas viderent, Heluetios ad bellum ſolicitant, nomine Maximiliani Sforziæ Ludouici Sforziæ F. Qui quum antea ducatum Mediolanenſem occupaſſet, à Rege Ludouico (qui ducatum iure ſibi ob Valentinam auiam vindicabat) bello captus & captiuus in arce Loſcia obierat. Heluetij ergo in ducatum ex improuiſo impreſſione facta, noſtros, priuſquam ſpatium illis daretur ad res ſuas curandas, ducatu expellunt, & Maximilianum Ludouici filium compotẽ faciunt, quem etiam in ſuam fidem & clientelam recipiunt. Hæc igitur Regi cauſa erat Trimollium illuc mittendi, qui ducatum reciperet.

Fœdus Cameracenſe aduerſus Venetos.

Veneti à Rege cæſi.

Papa & Cæſar in Regem ingrati.

Post Trimollij profectionem, quum Heluetiis nuntiaretur exercitum noſtrum aduentare, accerſunt à confœderatis ſubſidio decem hominum millia. Quos quum expectarent, & ſatis conſtaret noſtros Delphinatum iam eſſe ingreſſos, Mediolano proficiſcũtur ſeptem aut octo millibus hominum, eo conſilio vt noſtros faucium Suſiarũ tranſitu prohiberent. Verùm certiores facti illos ſumma celeritate confecto itinere iam in pla niciem euaſiſſe, ſe Nouariam recipiunt, vt illic ſubſidium præſtolarentur: quod quidem valle Auſtana Ivræam contẽdebat. Hoc accepto nuntio Trimollius non expectato reliquo exercitu, qui adhuc per montium ſalebras progrediebatur, Nouariæ illos obſidet, ſecum duntaxat habens peditum Germanorum ſex millia, Gallorum quatuor, equitatum verò ſuam ipſius turmam, nempe cataphractos cẽtum, totidem ex turma Borbonij, quibus præerat eius legatus Nothus Cliettanus: aderat etiam Robertus Marcanus cum ſuis centum, dux Albaniæ quinquaginta, Santandræus & Buſſius Burgundio totidem, Iacobus Iunius cognomento Malherbæus quinquaginta ex turma Marchionis Monferrati: huius enim legatus nuper creatus erat obitu Crottæi, qui Ludæi frater erat. Hoc igitur exercitu Trimollius ad oppidum acceſſit: quo acerrimè machinis concuſſo, & muri iuſta ad oppugnationem parte deiecta, ab oppugnando tamen duabus de cauſis abſtinuit: vna, quòd tanta eſſet intus Heluetiorum multitudo, vt abſque ingenti hominum iactura irrumpere nefas videretur. Altera, quòd certior fieret ſubſidium iam

1513. Ivræ appropinquare: à quo, quum recentes & integri succederent, noſtrorum exercitus poſt cruentum conflictum etiam victor facilè deleretur. His cauſis adductus, obſidione ſublata rectà vt ſubſidium illud oppugnaret, antequam vires coniungerent, contendit: & duo paſſuum millia Nouaria, quâ Trecaſſum iter eſt, caſtra facit. Ea re nuntiata Heluetij, relicto ad læuam noſtro exercitu, nocte ſubſequenti nemine illis occurrente Nouariam ingrediuntur. Ibi conſilio communicato ſtatuunt egredi, vt Trimollium adoriantur, qui loco valde iniquo caſtra habebat, quòd æquitatus peditibus opem ferre non poterat, quum canales & latæ admodum foſſæ intereſſent: præterea vbi equites pugnaturi erant, locus eſſet paluſtris, quo equi crurū tenus cœno immergebantur. Accedebat hoc incommodi, quòd ne ſic quidem ſibi proſpexerant, vti munitione illa lignea (quæ tanto ſumptu vecta fuerat) caſtra circundarent: quod ſine dubio plurimum valuiſſet ad impetum Heluetiorum tantiſper infringendum, dum reliqui exercitus aduentum expectarent. Hanc tantam offenſionem eo accidiſſe ferunt, quòd villæ cuidam Ioannis Iacobi Triuulſij parcere ſtuderent. Si tempus productum fuiſſet, Tauanius fatis maturè ad illos acceſſiſſet: is enim cum ſex millibus peditum Germanorum, quos Carolus dux Guel

Trimolli exercitus ab Heluetiis cæſus.

driæ Regi auxilio miſerat, iam Santambroſium in valle Suſia peruenerat. Heluetij leuiter curatis corporibus nulla mora in apertum prodeunt, partim recta via primum agmẽ noſtrum petunt, partim ad læuam procedunt, & relicto ad dextram noſtro exercitu, impetum in Germanos faciunt, quâ Trecaſſum itur: qui quum neque ab equitibus iuuari, neque quo loco conſtiterant commodè pugnare poſſent, alij turbatis ordinibus diffugiunt, alij interficiuntur: quinetiam Florengius illorum ductor & Iameſius frater minor natu inter mortuos iacuerunt. Quod vbi reſciuit eorum pater Robertus Marcanus, cum centum illis equitibus quibus præerat, cõuerſo itinere tanta vi hoſtium aciem perrupit, vt ad eum locum vbi filij iacebant, peruenirent. Maiorem in equum ſuũ extulit, minorẽ equo ſui cuiuſdã equitis impoſuit: ſicq; inuitis hoſtibus periculo exemit, nõ ſine tamen multis tum facie tum iugulo acceptis vulneribus: verùm Dei beneficio & medicorum arte vita illis ſeruata eſt. Trimollius vbi omnia aduerſa & ſe ad ſummam deſperationem peruenifſe videt, quòd nullum iam in peditatu robur eſſet, ipſe autem in crure vulnus acceperat, Vercellas verſus ſe primum, poſtea Suſam recepit: quod facilè potuit, quum Heluetiis nullus eſſet equitatus. Alij ex noſtris valle Auſtana dilapſi euaſerunt.

PER idem tempus Rex quatuor actuarias naues freto Gaditano tranſmiſſo ductore Pregentio miſerat, quibus Anglorum incurſiones reprimerentur, qui Oceanum per totam Normandiæ & Britoniæ oram infeſtum habebant. Eas Amiralius Angliæ in fugam Breſtum vſque compulit: vbi tamen ab iiſdem nauali prælio ſuperatus, acceptóque vulnere paucis pòſt diebus moritur. Rurſus ad Gaſſorium promontorium claſſe Anglicana LXXX nauium cum Normana & Britonica claſſe XX nauium æquo marte dimicatum eſt, quòd noſtri vento ſecundo, Angli aduerſo vterentur. Inter cæteros capitaneus Primalguetus Brito, qui naui Franciſcanæ quæ vocabatur, præerat, (ea magnitudine omnes ſuperabat, fuerat autem reginæ Annæ iuſſu ædificata & inſtructa) vbi ſe decem aut duodecim Anglicanis nauibus circumueniri, vt ſe expedire nullo modo poſſet, cernit, mori magno hoſtium damno decreuit. Itaq; primam nauem (Rectricem Anglicanam vocabant) rectà petit, ignéque immiſſo ambabus incẽſis nauibus, omnes vtrin que viri perierunt. Paulo pòſt Rex certior factus quanta rei frumentariæ anguſtia laborarent Morini, qui obſidionem ſex aut ſeptem iam ſeptimanas tulerant, iuuare illos tantiſper conſtituit, dum copias colligit, quibus illos prorſus liberaret. Iámque nuntiatum illi fuerat Germanorum peditum ſex millia, opera ducis Sothfolci Albaroſani, qui iampridem ex Anglia profugus erat, ad ſe adduci. Ob eam cauſam Piennio Picardiæ prætori (eum enim principem legatum præfecerat exercitui quem Blangij Ternorum ad Hedinum colligebat) imperat, det ille operam vt Morini commeatu iuuentur. Piennius communicato cũ iis quos ſecum habebat capitaneis conſilio, Ludouico nempe duce Longouillano, qui præerat centum regiæ turmæ nobilibus, Paliſſæo Gallici prætorij præfecto, Imbercurio, capitaneo Badio, barone Beardo, Emario Pryçeo, Boniueto, Bonoualano, Fayetto amiralij Grauillij legato, equitibus ex turma Iulij Saſſeuerini, Malleberto comitis Guiſij Lotaringi legato, Claromontio Andenſi ducis Angoliſmenſis legato, Nicolao Moæo Vindocini legato, Franciſco Sillio Candomi præfecto & ducis Alen-

Angli nauali prælio ſuperati.

conij

conij legato & aliis equitatus capitaneis,adiuncto etiã Futrallio, qui toti Albanorũ equitatui præerat:statuit mittere Futrallium cum Albanis, qui equorum collo appensum lardum & puluerem machinarium seorsum ferrent. His mandat vt ad superciliũ fossæ perueniant,& in eum locum ista conueniant,vnde oppidani præsidio machinarũ & scloporum freti tutò ad se comportare queant: ipse & Palissæus cum mille quingentis equitibus cataphractis ponè iugum Guinogattum ad illos fulciendos euadunt. Res fœliciter virtute & industria Albanorum perficitur. Verùm nobiles aliquot adolescẽtes vnà cum illis animi causa profecti,oppidum ad amicos inuisendos ingrediuntur, spe statim egrediendi,cuius tamen rei facultas non contigit.In his erant Antonus vnicus Busciagij filius,Rupemenius,Ioannes Moçus Malleræus,Bocartus,Rupemondus,Rupesendrius & alij complures.Re ex sententia perfecta Piennius de reditu cogitandum cẽsebat.Ibi tum iuuenes aliquot incessit cupido propius accedendi ad castra hostium exploranda,alij ob æstum vehementiorem(erat enim medius Augustus mensis) depositis galeis & tolutariis equis consciensis se ex lassitudine bibendo recreare cœperunt, imperatori parum dicto audientes,& de consilio hostis nimium securi. Dum lagenis epotandis indulgent,hostis rebus gerendis intentus equitum circiter quinque millia, peditum tum Anglorum tum Germanorum duodecim fere millia emittit,& tormenta duodecim léuioris vecturæ.Qui flumine Lilio ad Delettam traiecto nostros in vado fluminis quod Huchinum alluit,expectant:in quos nullo ordine equitantes impetu facto,ita eos,antequam otij satis esset ad conscendendos equos bellicos & galeas induẽdas,perturbatos agunt, vt perpaucis pugnare liceret. Quamobrem quoniam calcarium maior quam gladiorum vsus illic fuit, pugnam calcariam appellarunt. In ea capti sunt Longouillanus, Palissæus(sed postea hostibus ereptus) Badius,Claromontius Andensis, Bussius Ambosius & alij nonnulli tum ductores tum milites.Hac clade Lutetiam ad Regem perlata,quum morbo ac ticulari grauiter afficeretur, lectica Ambianum vsque pergit.Inde Francisco Angolisimensem(qui postea regnauit)Picardiæ proregem constituit,& ad castra Blangiana mittit,quòd compertum haberet id totum ex cõtrouersiis ducum exercitus accidisse. Huic diserte dat in mandatis , nequid nisi ex veteranorum capitaneorum sententia gerat. Ille exercitu accepto Blangio mouet,& Ancorã traiecto flumine Somona peruenit: is enim locus percommodus ad obsistendum hosti,quamcunque se in partem mouere conaretur,(vt qui in media regni ora esset) videbatur.Rex tãdem quum planè desperaret se exercitum tatis maturè colligere posse, vt obsessis (quibus cibaria deficiebant)subueniret, eos monuit vt conditionibus quàm possent æquissimis cum hoste deciderent.Quod ab illis perfectum est.Nam obsidionem nouem septimanarum perpessi , summa rerum inopia conflictati,impedimentis tamẽ saluis,equites galeati,signis explicatis, in procinctu, pedites instructa acie,signis elatis & tympani strepitu,ciues denique ipsi cum sua supellectile egrediuntur. Anglus deditione facta, oppidum instigantibus Flandris solo æquat, fossas complet,ædificia omnia,præter ædem sacram & Canonicorum domos incendit.

Terouane deditio græcizat.

Dvm hæc apud Morinos geruntur, Trimollium ex Italia (vt supra diximus) decedentem insequuntur Heluetij quatuordecim aut quindecim millibus hominum (hortatu Papæ Iulij & Cæsaris Maximiliani) assumpto equitatu ex Burgundia superiori(quã comitatum vocant) & Germanis aliquot equitibus , quibus præerat Vlrichus Dux witembergensis.Hunc ergo Diuione obsident. quod oppidum est primarium inferioris Burgundiæ siue ducatus, sed nullo vallo neque munitione firmatum:verùm hominum virtus pro mœnibus fuit.Post obsidionem menstruam & eo amplius Trimollius subsidij spe abiecta, quòd Anglus & Cæsar in finibus Picardorum essent, Aquitania ad Fontirabiam & Nauarram bello premeretur , rationem inire cœpit quo pacto a se illos amitteret.Tandem multis sermonibus vltro citróque habitis,promissis quadringentis coronatorum millibus(quam sibi summam deberi confirmabant bellorum causa quę Regis nomine antea in Italia gesserant)vt discederẽt perfecit. Ex hac summa viginti millia quũ repręsentasset,de reliqua obsidibus cauit,quos dedit,Masserium suum nepotem,Rupefortem iuridicum Diuionensem,& quatuor ciues.Ita placati Heluetij domum redeunt, & Burgundiones metu liberantur. Quanquam hac in pactione conditiones quędam pro tanti Regis amplitudine parum honorificę inerant:sed durum telum necessitas id cogit,quum prouincię salus agitur. Quinetiam illas Rex vbi intellexit, ratas non habuit,

Trimollius ab Heluetiis Diuione obsidetur.

verùm vt ſibi ignominioſas recuſauit.

POST Morinorum excidium(cuius ſuprà meminimus) Anglus videns exercitum à Rege comparari,& anni tempus præceps,ſtatuit è Picardorũ finibus excedere, & hortatu Maximiliani iter Tornacum Neruiorum cõuertit. Hoc oppidum ab omni vetuſtate Regiæ ditionis fuerat:ſed tum nullo præſidio à ſolis ciuibus tenebatur:propterea quod Rex minimè ſuſpicabatur, Anglum, relictis Picardicis rebus oppidum aggreſſurum eſſe,quod etiamſi caperet,paruo illi vſui futurum erat,vt pote toto Belgio, hinc Hannonia illinc Flandria incluſum, inſuper procul à mari ſitum. Tamen inductus à Cæſare illuc duxit copias:nam & Cæſarianus exercitus ab Anglo ſtipendia habebat, & ipſi Cæſari centeni quotidie coronati in cibum pendebantur. Iter Inſulis Flandrorum fecit, decem paſſuum millibus Tornaco. Eò poſtquã tantus exercitus peruenit,oppidani abſque duce,quum nullam ſibi ſpem auxilij relinqui viderent (Regi enim erat tota Hannonia tranſeunda, & duo vel tria latiſſima flumina traiicienda,in primis ipſe Scaldis & Carpus) poſt aliquam oppugnationem deditionem fecerunt. Anglus arce illic ædificata, commeatu & præſidio, quantum ſatis videbatur,impoſito, quum hyemem imminere cerneret,in Angliam exercitum tranſportauit.Quo etiam tempore inſignem victoriam de Iacobo quarto Scotorum rege retulit, qui eo prælio cecidit: quũ quidẽ Dux Northfolcus ex familia Hauartia Anglicani exercitus eſſet imperator.

Tornacum ab Anglo deditione cõpulum.

EODEM anno 1513.circa Natalia Blæſis moritur regina Anna Britonica, regis Ludouici vxor,duabus filiabus relictis, maiore Claudia, minore Renata. Viduo igitur Ludouico, dux Ludouicus Longouillanus, qui captiuus erat in Anglia, ſermonem iniecit de nuptiis Mariæ Anglicæ regis ſororis, vt hac ratione firma pax inter duos Reges & populos coaleſceret: id quod perfectum eſt,vti poſtea dicetur.Hãc pacem Rex ſummopere expetebat,vt nihil ſibi ab Anglo timendum eſſet,dum ad Mediolanenſem ducatum recuperandum exercitum cogebat.

1514. MENSE Maio anni ſequentis Franciſcus dux Valeſius , comes Angoliſmenſis Gallici regni hæres,vxorem duxit Sangermani Layorum Claudiam maiorem natu Regis filiam,quæ matri reginæ Annę in ducatum Britoniæ ſucceſſerat.Hoc matrimonium dum viueret regina Anna, cõponi non potuerat,quæ filiam Carolo Auſtrio nunc Cæſari potius tradere cupiebat: qua de re longè prius agi cœptum fuerat quàm de Angoliſmenſi. Cauſa huius rei ferebatur, quòd Ludouicam Sabaudam Franciſci mattem odio proſequeretur.Quinetiam paulo antè, quum Rex graui morbo Bleſis laboraret, illa mortem mariti metuens, pretioſiſſimam ſupellectilem ſecundo Ligeri flumine in arcem Nannetenſem deuehendam curauerat. Quam quum mareſchallus Gyæus ad Salmurum retinuiſſet,tantum in illum odium concepit, vt ex aula expelli curaret. Menſe octobri ineunte pactum matrimoniale Regis & Mariæ Anglicanę confectum eſt, inchoatum antea Longouillani opera.Quo in conciliando hoc in primis vrgebat Anglus, vt ſibi in manus traderetur dux Sothfolcus, qui apud Regem militabat: quòd idem de maiore illius fratre rex Philippus feciſſet : quod tamen obtineri non potuit. Illud quidẽ ſe exorari paſſus eſt,ne eum in regni ſui ditione haberet: atque adeo Metas illum abire iuſſit,vbi annuam penſionem ſexies millenorum francorum dedit.

Franciſcus Valeſius Claudiã vxorẽ ducit.

EGO tametſi res Anglicanas literis mandare non conſtituì (quum meum ſit conſilium his commentariis quæ in Gallia noſtra acciderunt, aut certè quę externis bellis à noſtris geſta ſunt, complecti)dicendum tamen paucis & obiter putaui, quiſnam fuerit hic Sothfolcus,quidque cauſę fuerit cur ſolum verteret,& ex Anglia profugus Regi militaret.Regi Anglorum Eduardo quarto(cuius in Philippi Cominęi commentariis mentio fit,qui Ludouico vndecimo rege in Picardiam deſcẽdit,fœdúſque cum illo Picennij percuſſit)duo erant fratres, vnus nomine Georgius dux Clarentianus, alter Richardus dux Gloceſtrius. Is Merlini libros fatidicos conſulere cogitauit, vt ſciret quid poſteris futurum eſſet: quæ ſuperſtitio in Anglia iam ab ipſius regis Arturi ętate admodum inualuit.Hęc vaticinia vbi intellexit,vt quidem illi exponebantur(nam flexiloquam habent interpretationem nõ ſecus atque Apollinis oracula)comperit alterum ex fratribus, eum nempe cuius nominis initium eſſet a litera G, hæredibus eſſe regnum eripturum: erant autem illi duo mares,& totidem fœminæ.duci Clarentiano(vti dixi) nomen erat Georgius : itaque eum putauit oraculo illo deſignari. Quare comprehenſum ſtatim & indi-

Sothfolcus Anglia exulat.

Anglus fratrem necat.

indicta causa immersum in dolium vini aruisij necauit. Illius morte se oraculi fato defunctum esse credidit, non animaduertens alterum fratrem esse ducē Gloceſtrię, cuius ditionis nomen ab eadem litera inciperet. Huius Clarētiani filia superstes relicta est, quę nobili cuidam Anglo nupsit cognomento Polo: à quo genus duxit Millordus Monsacutus, quem Henricus octauus obtruncauit, insuper Reginaldus Polus, qui exul Romę regis iram fugiens, in cardinalium collegium allectus est, & etiamnum viuit: denique alius frater Godefredus Polus.

EDVARDVS Rex fratris morte expiatum esse ratus ominosum hoc Merlini vaticinium, morti proximus liberos suos pupillos reliquit tutelę fratris Gloceſtrij. Qui cupiditate regni post fratris mortem occupandi incensus, duos mares in turri Londinensi interfecit, rumore in vulgus sparso illos casu è ponte quo in turrim est aditus, deiectos periisse: fœminas in monialium collegium intrusit, illegitimo partu illas editas esse causatus, quòd earum mater nobili cuidam Anglo nupsisset. Ita coronam sibi per vim imposuit: rerum potitus, qui de tanta iniuria conqueri ausi essent, eos omnes variis suppliciis occidit. Comes Richomontius, qui plurimum apud suos gratia valebat, regis æquitiam veritus, naui consensa in Galliam profugit: sed tempestas aduersa in nauale quoddam Britonię detulit. Vbi à Francisco duce captus, qui regi Anglię pro affinitatis vinculo gratificari studebat, ad illius vsque ducis mortem mansit. Carolus postea octauus quum eius filiam Annam ducissam Britonię vxorem duxisset, liberum Richomontium esse voluit, & honesta pensione, qua se sustentaret, donauit.

QVVM Richardus rex tyrannicè & insolenter se gereret, optimates totius Anglię, in primis frater maior natu ducis Sothfolci, cuius supra meminimus (is ex familia Poolana erat oriundus, genus ducens ex gente Lanclastria, cuius gentis symbolum erat alba rosa: quemadmodum contrà gens Yorcana, vnde Richardus rex ortum habebat, gesta bat rubram) vt regni quieti consulerēt, Richomontio missis clam nuntiis spem faciunt, si à Rege obtinere posset vt classem illi instrueret, grauem armaturam quadringentorum equitum & peditatum ad duo millia ad occupandum in Anglia portum traderet, fore vt plurimi in illius partes transirent, & Richardus tyrannus regno pelleretur. Postulata cōcedit Rex & Anna Frācica soror, ducissa Borboniorum: ea enim propter fratris ętatem in procuratione regni erat. Instruitur classis Deppę, cui Regis nomine præficitur Candecius Delphinas, Francisci comitis Vindocini legatus, & nauis dominus, cui nomen erat Equuleo Deppęo. Fortuna illis mirificè fauit: si enim quò intendebant appulissent, obuium habuissent Richardum cum quadraginta hominum millibus. Sed ventus adeo op portunus illis fuit, vt in oppositam partem delati, in Vuallię fines appulsis nauibus facilè milites exponerent.

BIDVO pòst rumor pererebuit Richomontium Vualliam inuasisse: ad quam famam qui illum accersierant, cum multis aliis se se cum illo coniunxerunt. Coactis copiis visum est rectà Londinum proficisci: quòd ea vrbe occupata, facilè sit totum regnum tenere. Richardus quum hominum amplius quadraginta millia secum (vti dixi) haberet, hostem recta petit, cúmque in itinere Londinum versus offendit. Acie vtrinque in conspectu instructa, maxima pars regij exercitus rege relicto ad comitem transiit: nihilo tamē secius rex magnitudine animi singulari intestus in hostem vadit. Verùm tam exigua manu impetum tanti exercitus sustinere non potuit: ipse quidem fortiter pugnās quo constiterat loco occubuit. Victor Henricus Richomontius Lōdinum proficiscitur: ibi coacto senatu Eduardi filias ex parthenone educit, quarum maiorem ipse vxorem populo cōsentiente ducit, atque adeo diadema regium assumit: minorem Comiti Vonshero nuptum tradit, cognomento Cortenæo, postea marchioni Exceſtrio.

ITA regni ex sententia compos, ducem Sothfolcum suspectum habere cœpit, licet illius præcipuè opera & hortatu in Angliam nauigasset, propterea quòd ex gente Lanclastria genus haberet: itaque illius familiam radicitus extirpare cōstituit. Sothfolco duo erant fratres: Sothfolcus (de quo diximus) prorex in Hibernia, alter septem aut octo annos natus. Ipse factus certior de pessima regis in se voluntate, nauigat in Flandriam, perfugium quærens apud Philippum regem Cęsaris Maximiliani & Marię (quę Caroli Burgundionum ducis filia erat) filium. Hibernię prorex audito fratrē aufugisse, mari salutē in Ostrelinorū fines quęsiuit, inde in Germaniā se recipit. Minimus turri Lōdinēsi inclusus

1514. est, vbi illum vidi anno 1518. verùm postea obiit. Post aliquot annos quum Philippus rex ex Flandria in Hispaniam nauigaret, aduersis ventis in Angliam appellit. Excipit illum honorificè rex Henricus, & mutuo dat coronatorum quinquaginta millia, pignore accepto lilio aureo: quod postea in fœdere Cameracensi Carolo quinto Cæsari redditum est, dum liberi regij redimerentur. Tamen nõ prius illum suo regno excedere passus est, quam illi traderet Sothfolcum, qui in ipsius ditione Belgica erat, & se illum morte non esse affecturum confirmat. Id quod postea præstitit ille quidem: sed moriens filio Henrico octauo mandauit, vt simulatque obiisset, securi illum percuteret: quod etiam perfectum est. Accidit postea vt Anglus, qui regnum opera regis Galliæ (quemadmodum dictum est) obtinuerat, cũ exercitu in Galliam nauigaret, & Boloniam obsideret. Sothfolcus, superioris illius frater, quum esset in Germania, certior factus bellum inter Regem & Anglum coortum esse, eo venit cum nõ paruo Germanorum peditum numero. Quũ inter duos reges pax ad Boloniam conciliaretur, Anglus summa contentione postulabat sibi Sothfolcum tradi. Rex ne fidem datam solueret, cò se adduci nunquam passus est. Illud quidem promisit, è regno eum abiturum. Ex eo tempore omnibus fœderibus hoc caput eadem forma inseri consueuit: vt quoties pax fieret, ille exulatum abiret: constato bello statim in Galliam militatum rediret. Hoc perpetuum fuit ad pugnam vsque Papiensem, anno 1524. in ea enim occubuit, vt a nobis dicetur.

NVNC ad matrimonium Regis & Mariæ Anglicanæ redeat oratio. Rebus vt narratum est constitutis, Rex ad Picardiæ fines ad sponsam excipiendam accessit. Abbauillam vt venit, Boloniam comitem Angolismensem misit, quem comitati sunt duces Alenconius & Borbonius, comites Vindocinus, Sampaulius & Guisius, denique maxima pars procerum qui apud illum erant. A quibus Maria magnifico apparatu excepta, maximo splendore Abbauillam deducitur. Huic Rex obuiã procedit, & postero die nuptiæ summa celebritate fiunt in æde quæ est ad forum rerũ promercaliũ. His gestis Lutetiam contendit, vt illic Regina, sumpto prius Sandionysij diademate, auspicato ingressu exciperetur. Illam ex Anglia cum multi primarij nobiles prosequuti fuerant, tum marchio Orsetus & dux Sothfolcus nõ tumimo loco natus ille quidem, verùm regi Henrico ob virtutẽ gratiosissimus: vt ducatu Sothfolci illũ auxerit, quem Polis ademerat, vt dictum est. Rex quum sibi pacem cum Anglo constare videret, exercitum comparare decreuit vt proximo vere ducatum Mediolanensem recuperare conaretur. Huic præposuit ducem Borbonium. Hãc prouinciam antea recusarat, (quo tempore Trimollius illam susceperat) quòd exercitum satis firmum esse ad rem tantam aggrediendam negaret: quod rei euentus in Trimollij clade verum esse comprobauit. Ad illud bellum è Germania accersit ad sexdecim hominum millia, quibus cùm alij præerant, tum comes Wolfius & Capitaneus Brandhecus. Deinde Borbonium Mosendinum præmittit qui exercitum acceleraret. Sed defuit illi temporis facultas ad cœpta peragenda: nam Cal. Ian. circiter mediam noctem animam Deo tradidit Lutetiæ in ædibus Turnellanis. Funus ad ædem Virginis matris inde Sandionysium elatum est, vbi tota principum consanguineorum turba regia illi iusta more maiorum persoluta sunt. Post eius mortem suspicio quædam extitit reginam Mariam grauidam esse: sed statim rem aliter habere ipsamet confirmante compertum est.

Ludouici Regis mors.

ADVERSIS rebus valde ab ipsa adolescentia iactatus fuerat. Quum dux Aurelius esset, prælio victus est ad Sãtalbinum in Britonia, & captiuus magna turri Biturigum diu inclusus. Deinde Carolo octauo Neapolim profecto, obsessus Nouariæ eò venit omnium rerum penuriæ, vt canibus & soricibus vescendum illi esset: sicque multos ex suis inedia ac egestate amisit: donec eum Carolus Neapoli rediens liberauit. Postquã regnum iniisset, qui rebus aduersis cum illo steterant, suadere conabantur, vt eos vlcisceretur qui regnantis Caroli nomine & iussu illum bello afflixerant, maximè Ludouicum Trimollium, qui illum prorex ad Santalbinum prælio vicerat, & ceperat. Verùm negauit ille REGIS Galliæ esse, iniurias vindicare quas dux Aurelius accepisset: qui enim integra contra se erga Regem fide fuerant, eos non minori in se nunc Regem fore.

PRIN-

RINCIPI optimo, ob eámque causam patri populi dicto, successit Franciscus dux Valesius comes Angolisimensis. Qui tanta successione auctus, Principes consanguineos & reliquos regis Ludouici familiares in consilium adhibuit, nullúmque ex illis expunxit, sed qua cõditione apud Regem fuerant, manere iussit. Horum ex sententia placuit quamprimum Remos proficisci, vt illic regno inaugurarentur: idque factum est eiusdẽ mensis Ian. xxv die, 1514. Deinde regio apparatu pro more Lutetiam ingreditur, & hoplomachiam in vico Antoniano instituit, vbi certamen sustinebant dux Alenconius, dux Borbonius & comes Vindocinus. His gestis animum cœpit appellere ad componendas rationes & magistratus regni. Principio Antonium Pratensem, summum senatus Parisiensis præsidem cancellarium creauit. Nam morte Regis erat duntaxat fiduciarius sigilli regij Stephanus Poncherius episcopus Parisiensis, qui postea archiepiscopatũ Senonensem gessit. Ducem Borbonium magistrum equitum dicit, Connestablium vocant: comitem Vindocinum Insulę Francię, Lautrecum Aquitanię præficit. Palisiz̃ũ, præfectum prætorio, Marescallum cõstituit: Bosium, quem adolescens moderatorem habuerat, prętorio præficit. Hunc vnà cum Florimondo Roberteto principe secretario, summam administrationem omnium rerum habere voluit. Habuit denique hic Rex apud se duos in primis charos, Annam Mommorentium & Philippum Chabotum Brionium, quorum postea summa apud nos extitit autoritas. Porro quum iter à Ludouico cœptum perficere in animo haberet, fœdera cum principibus & populis finitimis renouare decreuit. Pacem cum Anglo initam à rege Ludouico confirmat, viduã eius remittit, sexagena coronatorum millia quotannis dotis nomine pendens. Eam Anglus duci Sothfolco pro summo in illum amore nuptum tradit. Rex Ludouicus Venetis Bartholomęum Aluianum imperatorem, qui pugna Pandina captus fuerat, Andream item Grittum prouisorem Brixię captum, pactione certa cum eis facta remisserat. Huius pactionis conditiones Rex confirmat: erant autem hæ: vti Veneti auxiliares copias Regi mitterent ad ducatum Mediolanensem recuperandum & seruandum: vtique Rex mutuò illis auxilium ferret ad recipiendum quicquid Cęsar Maximilianus per vim occupabat, nempe Brixiam & Veronam cum aliis oppidis.

Franciscus primus regnum init.

DVM hęc geruntur, Lutetiam ad Regem accessit comes Nassauuius legatus Caroli Austrij, vt fidem clientelarem & obsequij autoramentum profiteretur nomine comitatuum Flandrię & Arteśię aliarúmque prouinciarum, in quibus regem Gallię superiorem agnoscebat: id quod prętitit. Simul etiam vt firmior amicitia inter duos illos principes constaret, agi cœptum est de matrimonio ipsius Austrij cum Renata Ludouici filia, Reginę sorore. Ad illius pacti constitutionem mittitur Vindocinus legatus ad Carolum Austrium: cui adiungitur Stephanus Poncherius, Genlius & Scheneius. Vindocinus per Hannoniam & mediam Brabantiam iter faciens, Hagam Hollandorum peruenit: vbi quum Carolum Austrium reperisset, transacta illic res est. Quum autem Austrius comitem Nassauuiũ familiariter diligeret, initum etiam illic est eius matrimonium cum principis Aurangij sorore, quæ in aula Gallica cõmorabatur. Quare Nassauuius Vindocinum illinc Feram vsque ad flumen Osiam comitatus est: quò princípem Aurangiam Giuerius & Manlia nobilis fœmina è Picardia adduxerunt, ibique consummatum est matrimonium. Libet hìc commemorare quid in eo itinere didicerim, & quemadmodum Princeps ille Hispaniarum instituebatur. Caprarius, quem antea docui à Rege Ludouico illi ex consensu ciuitatũ Flandriæ moderatorem præpositum fuisse, sic illum educabat, licet annum ętatis decimumquintum nondum attigisset, vt ex quibuscunque prouinciis adferrentur literę vel nocte intempesta, omnes ipsi rederentur: ex quibus perlectis ad consilium, vbi omnia coram eo constituebantur, ipse referret. Accidit aliquando vt Genlius qui apud eum Regis legatus erat, (ego verò illic quoque iussu Vindocini cum illo substiteram) apud Caprarium cœnaret, in eúmq; sermonem veniret, vt mirari se diceret, quòd adolescentis principis ingenio tantum laboris, quo eum facilè poterat leuare, imponeret. Tum Caprarius: Mi Genli, inquit, video me illi curatorem & tutorem datum: hunc volo post mortem meam sui iuris esse. Quòd si suarum rationum ignarus sit, me mortuo alio illi curatore opus fuerit, vt qui ex

Carolo Austrio educatus.

aliena fide & diligẽtia penderet, neque in rerum gerendarũ cognitione esset versatus.

DVM hæc fiunt, Rex quum Ambosiæ esset, copias suas magnis itineribus Lugdu num contendere iubet, quò ipse extremo Iulio mense peruenit: vbi etiam Vindocinus illi præsto fuit, qui eum de rebus a se gestis docet. Ferrandus Arragonius quum timeret ne in se vires illas quæ in Italiam parabantur, Rex conuerteret, quibus Nauarræ regnũ paulo antè per vim occupatum eriperet, cum illo pacisceitur. Rex Lugduni quo ordine exercitum progredi vellet, demonstrat: primam aciem Borbonio tradit, adiuncto Francisco Borbonio eius fratre, qui nuper dux Castelloraldi creatus erat, item marescallo Chabanio, principe Talemondio Ludouici Trimollij filio, Ioanne Iacobo Triuulsio Galliæ marescallo, Boniueto, Imbercurio, Telinnio Rouergiæ seneschallo, barone Beardo, comite Sancerrano & aliis equitum præfectis. Pedestres copias ducebat Petreius Nauarrenus, nempe sex millia Vasconum, quibus illum Rex præfecerat, nulloque redemptionis numerato pretio liberum fecerat, quum in pugna Rauennensi (vbi peditibus Hispanis præerat) in Gallorum potestatẽ venisset. Adiunxit etiam Rex quatuor Gallorum millia, quibus octo duces præposuit, Lorgium, Piraltum Malgeronium, Richoburgium, Lortellium, Lanatum minorem, Onatilium, Herculem Delphinatem, & capitaneum Commarquium: denique Germanorum militum octo aut nouem millia. Mediam aciem ipse ducebat, secum habens ducem Lotaringum, ducem Vindocinum, comitem Sampaulium, Orvalium, Ludouicum Trimollium, ducem Albaniæ, nothum Sabaudum, Odetum Foxium Lautrecum, capitaneum Badium (cui tantus honos a Rege est habitus, vt ipso prælij die ab illo cingi & equitum tor quatorum dignitate ornari voluerit) & alios multos equestrium turmarum ductores. Aderat præterea Carolus dux Gueldrius, qui vniuersо Germanico peditatui præerat, cum comite Guisio nepote Caroli ducis Lotaringi fratre: hi enim peditatui accensebantur vnà cum ipso Gueldrio. Postremum agmẽ traditum est duci Alenconio cum firmissimis tum equestribus tum pedestribus copiis. Quum Rex Gratianopolim peruenisset, iam Borbonius Ambrodunum versus iter faciebat, & certis locis forum vinarium exercitui instituebatur. Itaque Rex matri Ludouicæ Sabaudæ regni gubernacula tradit, ipse Ambrodunum Borbonium subsequitur. Eò postquam peruenit, reperit Prosperum Columnam Romanum virum fortem, qui à Leone papa cum mille quingentis equitibus submissus fuerat Heluetiis, ad ipsas alpium radices in Pedemontana regione consedisse, valde securum animi, quòd montium angustiæ ab Heluetiis obsidebantur. Sed extiterũt certi quidam exploratores, præmissi à Carolo Solerio Morettano, qui confirmabant transitum esse ad Roccam miluiam, vbi nullæ erant Heluetiorum custodiæ, quia nulli vnquam equites hac iter facere consuerant: hac Prosperum inopinãtem facilè opprimi posse. Hoc nuntio perlato, negotium dat marescallo Chabannio, Imbercurio, Albinio, Badio, Busio Ambosio & Mommorentio, qui tum Bosij præfecti prætorio legatus erat, rem vt aggrediantur, ad quam opera Morettani & ducibus itineris vtantur quos habebat. Addebat Morettanus, illis, etiam siquid offenderetur, tutum tantisper receptum vel Fossanum vel Sauilianum fore, dum exercitus appropinquaret.

Papa Regis hostes exercitu mouet.

NOSTRI quum ex superioribus locis copias in campum non sentientibus aduersariis deduxissent, certiores fiunt Prosperum cum equitatu esse Villanouæ Soleriorum. Itaque illuc contendunt: quò quum peruenissent, comperiunt illos Villafrancam discessisse: est autem exiguum oppidum ad flumen Padum, duorum ab eo loco millium interuallo. Verùm iam diluxerat, & transeundum erat flumen, quũ nusquam esset propinquus pons, nisi in ipsa Villafranca. Hæ difficultates quum occurrerẽt, ex itineris ducibus quidam recipit se illos vado traiecturum, mille ferè passuum interuallo infra Villafrancam: id quod præstitit. Imbercurius præcursorum præfectus prandij tempore ad portam oppidi accedit: quo animaduerso ex oppidanis aliquot ad claudendas portas concurrunt. Verùm duo equites, alter Normanus, nomine Bellouacus cognomento Elegans, alter Halancurius genere Picardus summo conatu incitatis equis ad portam accelerant. Halancurius tametsi equi impetu in fossas oppidi deturbaretur, eũ tamen oppidanis terrorem iniecit, vt Bellouaco otium fuerit ad lanceam immittendam, quò portam subitò claudi prohiberet. Imbercurius subsequens statim equo desilit, & in portam

Prosper Colũna prandens opprimitur.

tam vi irrumpit. Interim mareſchallus Chabannius cum reliqua multitudine accedit, & vniuerſi equis inſidentes oppidum ingrediuntur: ibi Proſper menſæ aſſidens deprehenditur, qui vt ſaluti ſuæ conſuleret, ſe data fide Albinio dedit. Denique omnes prandendo capiuntur, fitque præda mille ducentorum equorum Neapolitanorum. His rebus confectis noſtri metu Heluetiorum qui Conij erant, cum captiuis & equis ſe Foſſanum recipiũt, dum totus exercitus adueniret. Heluetij ſuos equites profligatos eſſe certiores facti, Gallorum exercitum in planitiem tranſiſſe, iámque Regem iuga alpium tenere ſupra Sampaulum, quâ nullus vnquam exercitus iter fecerat, Conium & omnes aditus relinquunt, vt Mediolanum ſe reciperent. His ſe coniungit cardinalis Sedunenſis, qui Pinierolæ erat cum parte copiarum, vbi legati papæ autoritatem habebat, & Maximiliani Cæſaris nomine rebus adminiſtrandis conſtitutus erat. Ita nullo prohibente Rex iter per anguſtias conficit, & Conium, vnde Heluetij pridie eius diei profecti fuerant, peruenit. Dũ hęc fiunt, Emarius Pryæus alio itinere à rege miſſus, auxilio Genuenſium vſus Alexandria potitur, & in fidẽ Regis accipit, opera quorũdam oppidanorum qui Guelfinarum partium erant. Rex vbi omnia ſibi proſperè euenire perſpicit, Conio rectà Carmaniolam contendit, inde Moncallerium, vbi Padum tranſit. Ibi auunculus dux Sabaudus frater Ludouicæ Sabaudæ (quæ in Gallia relicta regni adminiſtrationi præerat) illi obuiam procedit, eúmque Taurinos ducit, vbi magnificè excipitur. Deinde nulla mora interpoſita Chiuaſum contendit, vnde Heluetij nuper diſceſſerant dire-
pto oppido, & arce incenſa. Inde Vercellas mouet, quâ ſcilicet Heluetij progrediebantur: quibus a tergo imminebat, vt conquieſcendi facultatẽ nullam daret, donec Mediolanum illos compulit. Vercellis Nouariam ire contendit, quæ in illius fidem traditis clauibus venit: cui præficitur mareſchallus Chabanius. Illuc adueniunt cohortes nigræ, quæ vocantur: conſtabant ſex millibus Germanorum, qui totos viginti annos ſimul militauerãt, & bello aſſueuerant. Has dux Gueldrius auxilio regi adduxerat, cui legatus attributus erat Tauanius. Ita Rex omnibus copiis collectis iter Marinianum inſtituit.

Pax inter regem & Heluetios.

DVM hæc geruntur, dux & Nothus Sabaudus rem componere inter Regem & Heluetios aggrediuntur, tandémque his cõditionibus perficiunt, vti Rex pecuniæ magnã vim repræſentaret, quam ſibi ab ipſo & maioribus deberi dicebãt tum ſtipendiorũ nomine quæ ſuperioribus bellis meruerant, tum pacto quod Diuione Trimollius fecerat: vtique illi ducatu Mediolanenſi decederent: vtique Rex annua penſione ſexagena ducatorũ millia Maximiliano Sfortiæ, qui tum Mediolanum tenebat, perſoluaret. Ad tantam conflandam pecuniæ ſummam collatum eſt quicquid argenti tum ſolidi tum ſignati erat apud principes & reliquos nobiles, vt illis in octo dierum ſumptus tantùm relinqueretur. Dux Gueldrius pacem videns conciliatam, ſimul quòd audiret Brabantos ſuos fines bello inuaſiſſe, venia accepta, & in ſuum locum relicto comite Guiſio nepote, commutatis ad itineris celeritatem iumentis, ad ferendam ſuis opem proficiſcitur. Lugduni certior fit committi prælium: quo ex nuntio tantum doloris cepit, vt in ſebrim continentem magno ſalutis periculo inciderit. Compoſitione vtrinque confecta & collatis pecuniis, deliguntur Lautrecus & Nothus Sabaudus cum grauis armaturæ quadringentis equitibus, qui pecuniam Bufaloram deferrent: illic enim præſto eſſe oportebat delegatos confœderatorum ad eas accipiendas. Rex quòd arbitrabatur ex pacto vrbem & arcem Mediolanenſem ſtatim traditum iri, Sambrigidum vſque progreditur, quod ad magnam viam Mediolanenſem ſitum eſt, eo conſilio vt poſtero die duobus paſſuum millibus Mediolano caſtra poneret. Per idem tempus exercitum pontificium ducebat magnificus Laurentius Medices papæ nepos, erátque Placentiæ. Erat præterea exercitus regis Hiſpaniarum non procul Placentia ad flumen Padum, duce Remundo Cardonio, qui Hiſpanici exercitus imperator fuerat in pugna Rauẽnenſi. Cum illis ſumma contentione agebant tum dux Maximilianus tum cardinalis Sedunenſis, vt ſuas copias cum Heluetiis cõiungerent: ſed duabus de cauſis adduci huc non potuerunt: vna quòd ſibi mutuò diffidebant. Laurẽtius enim quum Remundum multa ſimulatè agere animaduerteret, ſuſpicabatur iſta iuſſu Hiſpani fieri, qui cũ Rege commercij aliquid clanculum haberet. Idem Remundus à Laurentio metuebat, quòd legati à papa ad Regem crebrò accederent. Altera, quòd ambo pariter vtrinque includi nolebant hinc noſtris copiis, quas integras & paratas videbant, illinc Venetis, quas adduce-

bat Bartholomæus Aluianus, quæ nobis maximo adiumento fuerunt. Heluetij iam suos delegatos missuri erãt Bufaloram, qui pecunias pactas acciperent, quũ repente à Cardinali Sedunensi de sententia deducuntur, & ad soluendam fidem impelluntur. Docebat enim, Regem, vt qui de pace facta nihil dubitaret, negligentius suas copias habiturum, quinetiam ea de causa Bartholomæo Aluiano, qui Laudæ cũ exercitu Veneto erat, Regis iussu renuntiatum esse ne vlterius progrederetur. Proinde illos, si ex improuiso proficiscerentur, duo simul consequuturos esse: tum pecuniam Bufalora ex itinere auferre posse, quam illuc Lautrecus coniuexerat, tum Regem prælio adoriri, quum nihil tale suspicaretur, imò qui copiarum partem à se dimisisset, Venetorum scilicet auxilia, & quadringentos equites quos duxerat Lautrecus. At ille quum tale esse Heluetiorum consilium ab exploratoribus didicisset, recto itinere relicto Galerasum se recepit. Quare Heluetij ea spe deiecti, ad Regem profligandum progrediuntur.

Cardinalis Sedunensis patrem violari fuadet.

1515. DIE Iouis XIII Septembris (qui dies Crucis sacer est) 1515 hora circiter secunda pomeridiana Heluetij aggrediuntur primam aciem, cui præerat conuestablius Galliæ Borbonius. Qui quum in armis esset, primum eorum impetum fortiter sustinuit, sed non sine graui damno. Nam vnam aciem Germanorum grauissimus terror occupauit, quo parum abfuit quin fugam arriperent: quòd arbitrarẽtur pactum illud adhuc firmum & ratum esse, & prælium hoc simulatè ad suam ipsorum perniciem committi, vt hac ratione infestissimorum sibi Heluetiorum libidini traderentur. Verùm nouas vires paulo pòst sumere & prælium redintegrare cœperunt, vbi viderunt equitatum irruentibus hostibus acriter resistentem, Regem etiam ipsum cum cohortibus nigris & machinis bellicis prodeuntem. In eo prælio cecidit Franciscus Borbonius, Imbercurius, comes Sancerranus, cum aliis multis egregiis viris. Dimicatum est ad ipsam noctem, quæ tam caliginosa fuit, maximè ob pulueris copiam vtrinque excitati, vt inter se dignosci minimè possent. Accedebat quòd Heluetij insigne crucis albæ nõ secus quàm Galli gestabant: hoc intererat, quòd clauem ex albo panno humero vel pectori assutam habebant. Et, vt omnia magis inopinata nostris acciderent, nulla tympana habuerant, buccinis tantùm ad dispersos colligendos vtebãtur. Vnde tanta perturbatio cõsequuta est, vt multis locis Heluetij & Galli alij in aliorum castris pernoctarent. Rex ipse sub armis, depositis sola galea, in carpento tormenti ænei iacens noctem transegit. Vbi diluxit, & internosci potuerunt, quò singula signa inferebantur, eò se quisque recipit, & acrius quàm pridie pugnari cœptum est, vt ipse viderim vnũ ex firmissimis nostrorum Germanorũ cuneis amplius centum pedũ interuallo loco cessisse, Heluetiúmque quẽdam omnia agmina prætergessum eò peruenisse, vt bombardam vnam manu tangeret, ibi tamen interfectum fuisse. Quòd nisi equitum nostrorum virtus certaminis molem sustinuisset, maximum impendebat periculum. Ibi interfectus est Frãciscus Trimollius, princeps Talemondius, Trimollij vnigenitus, Bussius Ambosius, Royus & alij plerique, Vindocini equus duobus aut tribus locis hastis confixus. Comes Guisius totius Germanici exercitus præfectus, quum in primo ordine esset, in terram deiicitur: sed armiger illius Adamus genere Germanus, quũ herum videt iacentem vndique hastarũ ictibus peti, in illum incumbit, & vulneribus excipiẽdis sese obiicit. Interim Heluetij loco pelluntur, & Guisius seruatur: quem quidẽ ex regia turma Iametus Scotus è prælio extulit: quo quidem auxilio maximè opus habebat. Tot enim vulneribus confectus erat, & prætereuntium pedibus ita calcatus, vt ægrè respirare posset. Hora ferè nona matutina Heluetij vt nostros aliò auerterent, suorum cuneum valle quadam læuam versus emittunt, qui à tergo impediméta adorirentur, vt nostra acies illuc conuersa deleretur. Sed occurrit illis dux Alenconius, qui nouissimum agmen ducebat, à quo fusi & fugati sunt. Horum pars in sylua sese abdidit, sed tum à Vasconibus, quibus præerat Petreius Nauarrus, tum ab hippotoxotis (cẽtum ducebat Cossæus minor, Malgeronius totidem) ad vnum omnes interficiuntur. Pridie eius diei Bartholomæus Aluianus accepto nuntio Heluetios violata fide in nostros aciem duxisse, Lauda cum suis profectus tota nocte iter facit, sperans se in tempore adfuturum: & summa vsus celeritate circiter decimam matutinam cum equitatu ad locum pugnæ peruenit, peditatu longè subsequente. Comitis Petiliani filius iuuenis, qui magno iampridem studio tenebatur vt suam fidem & obsequium in prælio Regi probaret, Heluetios qui se è pugna recipiebant, adoritur, illicque cum multis prælians interficitur. Heluetij qui ad

Heluetii contra fidem pugnantes cæsi.

pugnan-

pugnandum trigintaquinque hominum millibus venerant, quam prælium diutius sustinere nequirent, amissa præfectorum maxima parte, bidui labore defessi, & animo consternati in fugam se coniiciunt. Ex iis plurimi ædes vbi Borbonius cõfederat, petunt: vbi quum deditionem facere recusarent, igne immisso omnes comburuntur, simulque ex nostris aliquot, qui ad illos conficiẽdos promiscuè irruperant: in quibus Ioannes Moęus Malleræus regius signifer. Alij partim arcem Mediolanensem, partim domum redeunt: rex enim victoria contẽtus abire illos passus est. Heluetij ad quindecim millia occubuerunt, atque ij omnium fortissimi & bello exercitatissimi. tum ordinum ductores tum milites. Cardinalis Sedunensis, quem antea perfidiæ autorem fuisse demonstratum est, cũ sexcentis equitibus illos comitatus quoad primum conflictum videret, vbi contra suam expectationẽ nostros prælium inire perspexit, vesperi cum suis Mediolanum contendit. Ibi ciuium tumultum animaduertẽs, & ipsorum etiam Heluetiorum querelam tum ob acceptam cladem tum ob stipendium trimestre quod debebatur, in Germaniam ad Cęsarem Maximilianum fuga se recipit.

REX postquam Deo supplicasset ob tam insignem victoriam, quam vno & vicesimo ætatis anno consequutus fuerat, constituit postero die exercitum ad duo passuum millia Mediolano adducere: vbi ciuitatis claues illi afferuntur. Verùm non tam citò illuc sibi ingrediendum censuit, quòd Maximilianus Sfortia cum quatuor Heluetiorum millibus arcem teneret: propterea visum est illum nõ prius vrbem ingredi quàm arcis ipsius compos esset. Itaque præmittitur Borbonius cum prima acie, qui in vrbe castra locaret, arcémque obsideret. Rebus ad obsidionem necessariis cõstitutis Borbonius Albinium ibi relinquit, ipse ad regem redit: qui cum reliquo exercitu Papiam venit, vbi omnes se illi subiiciunt. Dum illic moratur, comes Petreius Nauarrus, cui summa obsidionis cura à rege & Borbonio mandata fuerat, paucis diebus aqua educta fossas exiccauit, eo consilio vt muros suffoderet, cuius rei maximum vsum habebat: & breui infimum propugnaculum (casamattam vocant) quod dextrum erat portam ingredienti, & plateam vrbis quæ est ad portam Comensem respiciebat, deturbat: toto igitur illo muri latere diruto, pluteis tectus murum cœpit labefactare. Dum totus in fossa huic rei intentus est, fortè pluteo egreditur ad aliquid explorãdum. Tum ex nostris qui ad machinas erant, quum animaduerterent abati partem adhuc extantẽ, illuc totius ordinis bombardarum glandes emittunt. Quo factum est vt abati cadentis ruina obrueretur Petreius: vnde extractus & summo vitę periculo domum relatus est. Sfortia & Heluetij obsessi quum nullam auxilij spem viderent, quum præsertim rex cum Heluetiorum principibus de fœdere ageret, de arce tenenda desperant, quanuis Cæsar Maximilianus illis subsidium se missurum polliceretur. Tandem multis cum Borbonio colloquiis habitis, iussu regis hæ conditiones statuuntur, vti Heluetij cum impedimentis domum redirent, vtique Sfortia regi in manus arcem Mediolanensem, Cremonensem & cæteras quas occupabat traderet, illique iure suo quod in ducatu sibi vindicabat, planè decederet, & in Galliam se conferret: vtique rex illi viuo sexagena ducatorum millia annua pensione suppeditaret, reliquum vitæ in Gallia loco quem commodissimum iudicaret, transigeret. Hæc omnia peracta sunt, & in Galliam mittitur Sfortia: quò illum iussu regis deduxit Mauleo frater Trimollij, Franciscus comes Pontremius, & alij aliquot nobiles. His omnibus perfectis rex Mediolanum armato comitatu ingreditur: cui aderant princeps consanguinei dux Alenconius, Carolus Borbonius cõnestablius, Carolus Borbonius comes Vindocinus, Franciscus Borbonius comes Sampauli, dux Lotaringus & comes Guisius, & tota nobilium multitudo quæ Gallia venerat (iis exceptis qui in prælio ceciderant) equites ad duo millia grauis armaturæ, deinde prætoriani nobiles, omnes galeati, præterea exteri quos rex pensione donabat: quibus præerat princeps Rupesurionius Vindocini patruus: pedites tum Galli tum Germani, ad viginti quatuor millia. Hi omnes armati acie instructa progredientes regem ad summum templum deducunt, quò ad preces faciendas ingressus, inde eodem comitatu palatium petit. Accepta in fidem tota Mediolanensi ditione, Vigeuam contendit: vbi marchio Monferrati cum vxore Alenconij sorore ad eũ salutandum adfuit. Illuc etiam principes omnes & dynastæ Italiæ miserunt legatos: quinetiam papa Leo, antea hostis, misit ad fœdus ineundum. Quam ad rem constituitur dies quo adessent Bononiæ, vt illic omnes controuersiæ componerentur, & firma

Mediolanum recepto Sforti. rex in Gallias mittit.

1515. pax iniretur. Omnes enim Italiæ principes, præter vnum papam fœdere sese cum Rege coniunxerant. Dum hæc geruntur, Bartholomæus Alvianus Veneti exercitus imperator cum suis proficiscitur, cogitans ex improuiso Brixiam opprimere, quam Veneti annis superioribus amiserant. Sed qui in præsidio erant, aduentu illius cognito, Veronam ad M. Antonium Columnam mittunt, à quo subsidium quinque aut sex cohortium Hispanorum & Germanorum accipiunt: qua re audita Alvianus mutato consilio tentare Veronam constituit. Dum iter facit, alui profluuio laborare cœpit: quo tum ob grauiorem ætatem tum ob ingentes labores quos pertulerat exhaustus animam Deo tradidit: cuius mors detrimentum sanè ingens attulit. Fuit enim sua ætate vir rei militaris peritia & imperatoria industria clarissimus.

DECEMBRI ineunte papa & rex Bononiæ conueniunt. Paciscuntur inter se vti regis esset Parma & Placentia, quas iam tenebat: vtique rex papam exercitu iuuaret ad recuperandum ducatum Vrbini, quem Fracisc⁹ Maria (vt dicebat) Ecclesiæ Romanę ademptum occupabat: eundémque papa nepoti Laurētio Medici dederat. Illic adfuit magnificus Iulianus papę frater, cui nupserat Nemorensis, duc⁹ Sabaudi & Gallici regni rectricis soror. Illic etiā cùm alia trāsacta sunt, tū antiquata est pragmatica sanctio. Præterea cardinalitio galero donatus est frater Bosij præfecti prætorij, qui quidem episcopus erat Constantiensis. Rex Bononia Mediolanum reuertitur: vbi quæ ad status rationes pertinebant constituit, senatum ciuibus restituit, cui summū præsidem & procancellarium Ioannem Selvam virum eruditione & vitæ integritate singulari præponit, Borbonium conneſtablium proregem toti regioni præficit: ipse magnis itineribus in Galliam ad matrem & vxorem contendit, & Lugdunum ad candelalia peruenit. Dum verò Bononia Mediolanum rediret, ibique rebus omnibus prospiceret, interim comes Vindocinus, comes Guisius, & episcopus Laudunēsis (qui postea cardinalis Borbonius dictus est) multique cum illis nobiles Venetias proficiscuntur, ibique non minori splendore & apparatu excipiuntur quàm si rex ipse fuisset: deinde Mediolanum ad regem reuertuntur, quū ille rediturn in Galliam pararet. Post illius discessum institutum est in platea arcis decursorium certamen, in quo Sampaulius lancea in ipso oculo ictus est. Rex cùm multas obres in Galliam properabat, tum verò hæc illi redeundi causa fuit, quòd Anglus molestè ferebat ab eo regem Scotiæ adolescentem in fidem acceptum esse, atque adeo missum in Scotiam Ioānem Stuartum ducem Albaniæ, qui regis ipsius & regni moderator esset: à quo vel interfecti vel in exilium pulsi fuerant quotquot compererat Anglo studere, maximè ipsius regis mater, quæ Angli soror erat. Quæ quū ita essent, veritus rex nequid illic nouarum rerum, dum abesset, suo malo oriretur, redire decreuit. Præterea Ferrandi Arragoniæ regis fides illi non parum suspecta erat, qui sentētiam leuiter mutabat, vbi commodi sui rationem ita ferre existimabat. Mortuo Alviano, dum rex adhuc Mediolani commoraretur, mittitur Ioannes Iacobus Triuulsius cum regiis & Venetis copiis, qui Brixiam obsideat. Vbi quum Veneti eruptione quadam oppidanorum malè accepti fuissent, auxilium illis augetur missō notho Sabaudo regis auunculo cum trecentis grauis armaturæ equitibus, & Petreio Nauarreno cum sex millibus Vasconum. Tandem cōsentiunt oppidani, nisi ante vicesimum diem subsidium mittatur, abituros se cum impedimentis & signis explicatis. Nothus Sabaudus certior factus comitem Gulielmum Roquendolsium cum magna hominum multitudine angustiis Rhetorum superatis appropinquare, communicato consilio censuit relinquendam esse obsidionem, quòd se tanto numero imparem videret: ita oppidum Germani ad sex hominum millia subsidio ingrediuntur. Anno 1515 ante paschalia mittitur à Borbonio Odetus Foxius Lautrecus cum nostro & Veneto exercitu ad Brixiam obsidendam. Is postquam diu locis vicinis consedit, vt famem ciuitati afferret, comperit Cæsarem Maximilianum Tridentum venisse cum sedecim millibus hominum quos è superiori Germania collegerat, & Heluetiorum quatuordecim millibus, præterea aliquo equitatu. Itaque Cremona vtrunque exercitum reducere coactus, hostem transitu fluminis Addæ prohibere conatus, die paschalium Mediolanum se ad Borbonium recipit. Qui quum videret quanta celeritate Cæsar Lautrecum insequeretur, se cum exercitu Veneto in oppido continet, ibique auxilium Heluetiorum præstolari constituit. Et quoniam ob inopinatum Maximiliani aduentum verebatur ne ad suburbia communienda non satis esset otij, oppidum solum

Pragmaticam sanctionem papa abrogat.

solum custodire decreuit, suburbiis incensis, ne hosti ad locandũ exercitum vsui essent. Postea quum Cæsar in itinere aliquantulum temporis cunctaretur, mutato consilio suburbiorum partes describit, quæ singulis vallo cingendæ attribuerentur: vt paruo interposito temporis interuallo parata essent omnia ad tantas copias sustinendas. Interim Mediolanum venit Albertus Petræus cum tredecim Heluetiorum millibus: qui stipendio accepto statim discesserunt, illo cum ducentis aut trecentis viris duntaxat relicto.

CÆSAR Maximilianus Lautrecum idcirco tanta diligẽtia insequutus fuerat, quòd speraret nostros suo aduẽtu territos in Galliam redituros esse, vt antea acciderat, quum non satis firmæ essent copiæ: ita se ex pecunia quam Mediolani reperiret, suis stipendia numeraturum. Verùm aliquot dies moratus, vbi se hac spe deiectum videt, quòd rebus omnibus summa prudentia à Borbonio prouisis, qui Cæsarianis partibus Mediolani fauebant, nihil eorum quæ intendebant, perficere possent, suis imprudentibus noctu cum trecentis fere equitibus clam excedit: vt priusquam res in castris innotescerent, iam viginti passuum millibus abesset. Hi vbi se capite & pecuniis carere vident, illum magna diligentia subsequuntur: quos insequuti comes Sampaulius, Mommorencius & Scutatus, nonnullos ex illis interfecerunt. His rebus perfectis Borbonius Foxium Lautrecum ducatui Mediolanensi præficit, & proregem in Italia constituit, ipse in Galliam ad regem proficiscitur. Lautrecus acceptis à Borbonio copiis, quę Venetis promissa fuerant perficere parat, & coniunctis copiis Brixiã obsidet. Duobus locis tum à Gallis tum à Venetis mœnia tam acriter quatiuntur, vt ad colloquium oppidani descẽderent, se, nisi sexto die auxilium ferretur, deditionem facturos, modò cum impedimentis, armis & signis militaribus explicatis abire liceret: quam ad rem confirmandam obsides dant Maldonatum & Ioannem Seruilium. Vbi dies venit, quum oppidani moras nectere viderentur, minatur Lautrecus obsides se interfecturũ, donec tandem vrbem regi ex pacto tradiderunt, quam Venetis (sic enim conuenerat) in manum dat. Nostri hoc facto ad hybernia in agrum Mantuanum proficiscuntur, æstate quæ sequuta est, Veronam obsident. Duobus locis oppugnatur oppidum, à nostris Mantuam versus, à Venetis, quà spectat Vincẽtiam. Nostri partem muri deiectam duobus locis magno impetu adeunt, hinc portam versus, hinc ad muri latus iussu Lautreci suffossum, vbi M. Antonius Columna, quem Cæsar oppido præfecerat, sclopi glande vulneratur. Qui licet faucius esset, & rerum omnium summa egestate laboraret, tamen vt colloqueretur nunquam adduci potuit. Circiter mensem octob. comes Roquendolsius cum octo hominum millibus ex locis Tridento vicinis subsidio oppidanis venit: quare nostri Villafrancam redeunt, quæ est ad flumen quod agrum Mantuanũ à Veronensi diuidit, vt hostes fame premerent: vbi commeatus tota hyeme nostris opera eorum quibus Veneti negotium dederãt, aduehebatur. Ita Hispani cibariorum inopia compulsi, circa Natalia deditionem faciunt, & vrbs Venetis etiam traditur. His rebus gestis, quum Mediolanum rediisset, postulat ab eo legatus papæ Leonis, vt (quemadmodum Bononiæ conuenerat) exercitum mitteret, quo Franciscus Maria ducatu Vrbinensi (quem per vim occupabat) pelleretur. Huic Lautrecus deesse noluit, & Chissæũ eò cum aliquot hominũ millibus præmittit: deinde subsequi iubet Thomam Foxium Scutatum fratrem, qui illic prorex cum imperio præesset, cui equitatum & peditatum firmissimum Gallorum attribuit: peditibus præerant eques Ambrẽsis, Alsunius, Samblimondus Picardus, & alij. Scutatus Vrbinẽsis ducatus fines ingressus tanta celeritate rem gessit, vt paucis diebus totam regionem subigeret: cuius possessionem & dominium Laurentio Medici restituit.

Cæsar Maximilianus exercitu relicto se subducit.

PER id tempus Turonum ad Regem accessit Philippus Cluienſis Rauaſtenus à Carolo Austrio principe Hispaniarum & Flandriæ comite missus, qui de constituendo commodo loco ageret, vbi vtrinque delecti coirent, vt semel tum eorum, tum vtriusque sociorum & fœderatorum controuersiæ componerentur. Deligitur oppidum Nouiodunum, quò proficiscitur à Rege Arturus Gofferius Bosius præfectus prætorio: à principe Hispaniarum Antonius Croæus Caprarius: qui duo duorum illorum principum moderatores adolescentiæ fuerant: adsunt etiam vtrinque qui illis à consiliis erant, & multi clarissimi viri. Multi vltro citroque habiti sunt sermones ob regnum Nauarrę paulo antè à rege Arragoniæ occupato, tum etiam ob Neapolitanum. Tãdem placuit vt Carolus intra sex menses regnum Nauarræ Henrico Albreto, cuius patri

Pacta inter Regem & Carolum Austrium.

rex Arragoniæ Caroli auus maternus per vim ademerat, restitueret, aut certè illi intra idem tempus alia ratione planè satisfaceret: vtique pro Neapolitano regno Regi quotannis centena quinquagena ducatorum millia (si bene memini) penderet. Sed neutrum reipsa factum est. Ibidem conuenit de nuptiis Caroli Austrij & Ludouicæ maioris natu regis filiæ, licet antea actum fuisset de Renata reginæ sorore in matrimonium illi tradenda. Hæc pacta vt iureiurando confirmarentur, misit Carolus comitem Roxium præfectum prætorio Hispaniæ. Is regem Lutetiæ conuenit, qui quidem Carolo insigne equestris suæ militiæ dono misit, isque suo vicissim Regem sanctioris amicitiæ ergò donauit. Constitutum denique est vt Cameraci ad colloquium conuenirent.

Ferdinãdi Arragoniæ regis mors.

Eodem tempore moritur Ferdinandus Arragoniæ rex (quem vulgò Ioannem Gippo- 10
nem cognominabant) Caroli auus maternus. Itaque Carolus vt regnum iniret, nauigauit in Hispaniam: id quod impedimento fuit ne reges, vt decretum fuerat, conuenirent. Rex qui iam iter illud adornabat, mutato consilio Blæsas rediit, inde Ambosiam.

1517. Fráciscus Delphinus nascitur.

Ibi paulo post regina Claudia primogenitum peperit mense Februario 1517. Baptizatus est expromissore Laurentio Medice papæ nepote, ipsius nomine, & nomen Franciſci inditum. Ad huius diei hilaritatem edita sunt munera omnium quę maiorum memoria spectata vnquam fuerant maximo apparatu, equitum qui committebantur, velitationum, præliorum simulatorum, & oppugnationum. Rex ad arctius vinculum amicitiæ cum papa ineundum, Laurentio consanguineam quandam despondit, quam vnicam reliquerat filiam atque hæredem comes Boloniæ: mater erat soror Francisci Bor- 20
bonij comitis Vindocini, qui quum Carolus rex Neapoli rediret, Vercellis obierat. Eodem tempore princeps Aurangius splendido comitatu in aulam venit, vt Regi operam suam & obsequium offerret, qui tamen cum quadam animi offensione egressus in eliẽtelam & societatem Caroli Austrij trãsijt. Paulo antequam ista fierent, Rex Teroanam Morinorum instaurauit, eique Nothum Morellium Fraxinæum præfecit. Circiter id tempus Rex negotium dat Gastoni Brezæo principi Folcarmondo, qui frater erat magni Normaniæ Seneschalli, vt cum duobus peditum Gallorum millibus (quorum præfecti erant capitaneus Pifollius, baro Gondrinus Vasco, Samblimondus Picardus, & capitaneus Landa) auxilio iret regi Daniæ aduersus Regem Sueuiæ. Hi prælio vno victores, tandem à Danis relicti, in alio prælio quod in glacie commissum est, profligãtur: vbi 30
maxima pars periit propter arborum in sylua cæsarum multitudinem. His enim nostri, qui è glaeie se in syluam receperant, impediebantur, vt hastæ longæ, quibus præliabantur, nulli essent vsui. E quibus cùm alij perierunt, tam Samblimondus vir fortis interfectus est. Horum ne dimidia quidẽ pars domum rediit, iique nudi, exarmati, vestimentis destitutis. Qui licet turpiter à rege Danorum, ad quem iuuãdum hoc iter susceperant, relicti tamen naues epibadas nacti in Scotiam, deinde in Galliam nauigarunt. Anno 1518 Sangermani Layorum nascitur Henricus secundus filius regis, cuius susceptor fuit Henricus octauus Angliæ Rex misso legato, eumque suo nomine Henricum appellauit.

Rex Daniæ à Gallis auxilium accipit.

1518. Henricus, postea Rex nascitur.

Pavlo post moritur Maximilianus Cæsar. Vnde multæ postea factiones ortæ sunt ad eum deligendum qui successurus esset, quum alij Francisco Regi studerent, alij 40
Carolo Austrio Philippi regis (qui Maximiliani Cæsaris demortui filius fuerat) filio. Quamobrem amiralius Boniuetus in Germaniam ornatu simulato proficiscitur, quũ multi ex electoribus Regi suam suffragationem in comitiis promisissent. Verùm opera & studio Federici comitis Palatini & cardinalis Leodiensis (cuius frater erat Robertus Marcanus) effectum est vt Carolus Austrius Francoforti deligeretur: qui postea Aquisrani coronatur. Eodem anno Bosius præfectus prætorio Galliæ & Caprarius denuo Agathopoli siue Mompessuli coeunt, vt simul de firma pace semel statuenda disputarent, omnésque tum Cæsaris & Regis tum sociorum controuersias componerent. Postquam aliquot dies conferendo absumpti essent, & res tam magnos progressus faceret, 50
vt fœlicissimus exitus sperandus videretur, Bosius febri cõtinua correptus moritur: quapropter quæ inchoata fuerant, quum perfici nõ possent, rediit Caprarius in Hispaniam. Hæc mors multorum bellorum causa fuit, vt postea intelligetur: si enim absoluissent quę inceperant, nõ est dubium quin Christiana resp. summam quietem habitura tum temporis fuisset. Nam qui postea negotiis administrandis præfuerunt, non tam studiosi fuerunt pacis Christianæ quàm duo illi se præbuerant. Eodem anno moritur Piennius cognomento

gnomento Halluinus prorex Picardiæ, in cuius locum suffectus est Carolus dux Vindocinus. Insulæ autem Franciæ, cui præfuerat Vindocinus, Rex prætorem constituit Franciscum Borbonium comitem Sampauli ipsius Vindocini fratrem. Eodem anno mense septembri Rex Andibus quum esset, quòd videret non successisse tentatam cum Carolo Austrio concordiam, fœdus cum Anglo arctius inire constituit. Cui rei Gulielmum Goferium Boniuetum Galliæ amiralium destinat, eúmque ad Anglum cum mandatis mittit. Is cum multis proceribus & viris literatis profectus Anglum offendit Grenuichæ quæ domus est ad amœnitatem & voluptatem comparata, ad Tamisam tribus passuum millibus Londino. Ibi agi cœptum est de nuptiis Francisci delphini Galliæ & Mariæ quam vnicam Anglus habebat, quamuis illa quadriennio quàm delphinus maior esset. Postquam illic sesquimensem commoratus fuisset, lautè ab eo exceptus venatione, epulis, ludis circensibus & reliquis oblectationibus, in Galliam nauigauit, firma inter duos reges amicitia conciliata. Ad quam etiam confirmandam & nuptias transigendas, paulo pòst millortus Chamberlanus & prior Ioannis Hierosolymitani Londinus Lutetiam ad regem veniunt, quos tum rex tum regni principes prolixè & magnificè acceperunt. Illic conuenit vti Tornacum Regi restitueretur: quod oppidum antea Angli regi Ludouico ademerant: nam ea etiam de re cum Anglo amiralius Boniuetus egerat. Hæ verò fuerunt conditiones: vti Rex quater centena coronatorum millia numeraret, ducenta scilicet ad rependendos sumptus arcis illic ædificatæ, machinarum, pulueris, & reliqui bellici apparatus, quæ omnia illic relinqui oporteret: reliqua ducenta cederent tum in sumptus belli quo Tornacum Anglus ceperat, tum in reliquationem pensionis debitæ supplendã. Et quoniam præsens pecunia non numerabatur, dantur Anglo obsides octo nobiles, dum tota summa suppeditaretur. Hi fuerunt quatuor ex regia cohorte, & quatuor pueri honorarij qui vocantur: primi erant Franciscus Mommorancius, Rupepotæus, Carolus Moæus Malleræus, Antonius Pratensis Mõtipessatus, & Carolus Solerius Morettanus Pedemontanus: alteri primogenitus Hugouillæi, Mortimarius minor, Melodunus & Grimaldus. Pacti etiam sunt, non prius Tornacum restituendum esse quàm obsides Caletum ingressi in potestate Angli essent: qui simulatque illic essent, mitteretur Gaspar Collinius Castellionæus Galliæ marescballus cum ducentis grauis armaturæ, qui oppidum ingrederentur. Hæc omnia eo modo perfecta sunt. Aduenienti enim marescballo, qui ab Anglo mandata habebant oppidum, arcem & cætera omnia illico tradunt, & ab oppidanis ea lætitia exceptus est acsi Rex ipse fuisset: qui vt summa erga Regem studium testatum facerent, hilaria celebrarunt, per omnia oppidi compita ignẽ scamnis & sedilibus quibus Angli vtebantur, subiicientes. Quæ res testimonio erat nihil illis optatius fuisse quàm vt nunquam in illorum potestatem venirent.

Regi Tornacum restituitur, & pax firma conciliatur.

ANNO sequenti, qui fuit 1519, Amiralius Boniuetus, qui mortuo Bosio fratre præcipuam negotiorum regni curam gerebat, cum Cardinali Yorcano (qui pari in Anglicanis rebus autoritate pollebat) agit vt duo Reges cõdem conuenirent, vt coram omnia rata haberent quæ à suis fieri & confirmari antea mandarant. Dies constituitur quo Rex Ardream & Anglus Guineas veniret, deinde locus in medio itinere ad occursum deligitur: ad hanc rem funalium dies dictus est. Tum Reges ambo equis Hispanicis inuchentes, comitati vtrinque maxima nobilium multitudine, quanta ante centum annos conspecta simul non fuerat, florentes ætate, omnium totius orbis terrarum pulcherrimi & ad arma omnis generis tum equestri tum pedestri certamine aptissimi sese corã conspexerunt. Quæ fuerit vtriusque regij ornatus magnificentia, dicere nihil attinet: quum tanta in ipsis comitibus esset copia, vt locus ille castra aurea dictus sit. Vbi sese ex equo complexi sunt, descẽdunt in tabernaculum ad eam rem comparatum, quum quidem Rex secum duntaxat amiralium Boniuetum, cancellarium Pratensem & paucos cõsiliarios haberet, Anglus cardinalem Yorcanum, duces Northfolcum & Sothfolcum. Illuc ingressi & de priuatis rebus familiariter colloquuti, iubent eo loci fieri theatra & hippodromum, ad decursorium certamen, vt sese summa lætitia toto tempore oblectarent, quum vtrinque delecti rebus grauioribus decidendis incumberent: qui singulis diebus de iis quæ transacta erant referebant. Duodecim aut quindecim dierum spatio duo principes concurrerunt, & adfuerunt magno numero viri bellica laude præstantissimi: neque enim verisimile est infimos ab illis adductos fuisse. Postea Anglus Regem

1519. *Regi cum Anglo colloquio.*

Apparatus vtriusque regij descriptus.

epulo excepit ad Guinecas in ædibus ligneis, quæ quatuor manſionibus conſtabant. Has in Anglia ædificari indéque apportari curauerat. Exterior domus circuntecta erat tela picta, quæ ſpeciē quadrati lapidis præferebat, interior aulæis pretioſiſſimis circunſtrata, vt nemo eſſet cui non videretur ædificium ſumma arte extructum: fuerat autem ad formam comitij mercatorum quod viſitur Caleti compoſita. Ea poſtea diſiuncta in Angliā reportatur, vt totum illud nihili conſtiterit, quàm quod in vecturam expenſum eſt. Poſtridie Rex Anglum excepturus erat ad Ardream: quam ad rem conopæum tendi iuſſerat ſexagenos pedes quaquauerſum patens, quod ſupernè tegebant multitia auro criſpato contexta, internè holoſericum erat cæruleum, inſperſum liliis ex auro Cyprio, opere phrygionico: ad quatuor angulos ſinguli papiliones eodem operis genere. Funes erant ſerici colore glauco, auro Cyprio contorti: quæ res maximi erat pretij. Sed tanta vis venti & procellæ extitit, vt diſruptis omnibus funibus omnia peſſum ruerēt. Quamobrem Rex mutare ſententiam coactus locum ad epulum celebrandum ſumma celeritate fieri curauit: vbi nunc eſt propugnaculum quod ab illo epulo nomen habet. Non immorabor in commemoranda magnitudine ornatus & ſumptus in tanto apparatu: hoc enim humano iudicio æſtimari non poteſt. Non pauci certè illuc domos, ſyluas & prædia humeris (vt ita loquar) geſtarunt.

His rebus maximo ſplendore perfectis Rex Boloniā, Anglus Caletum rediit. Nemo erat integro iudicio præditus, qui ſuſpicaretur exorituras aliquando vllas inter iſtos principes inimicitias. Quum rediſſet Caletum Anglus, nuntiatur Carolum Cæſarem ex Hiſpania nauigātem in Angliam appuliſſe: quo audito ad eum Cantuariam proficiſcitur: vnde Caletum & Grauelingam redit, pari vtens comitate qua Regem proſequutus fuerat. Illic inter ſe ſtatuunt, ſiquid inter Imperatorem & Regem controuerſiæ incideret, Anglum fore litis arbitrum, cuius iudicio ſi alter ſtare detrectaret, illum ſe pro hoſte habiturum. Quod quidem planè pugnabat cum iis quæ inter Regem & ipſum conuenerant. Deinde Cæſar in Flandriā Anglus domū ſe recepit. Per id tēpus Rex Anboſiam proficiſcitur, inde extremo decembri Romorentium venit, ibique regalium die commoratur. Vbi quum reſciſſet apud Sampaulium fabacio libo regē ſortitò eſſe creatum, decreuit cum ſuis animi gratia bellum regi indicere. Quum ergo magna eſſet niuis copia, Sampaulius cum ſuis magnum pilarum niualium numerum, item malorum & ouōrum ad ſuſtinendam oppugnationem collegit. Quæ omnia vbi defeciſſent, hoſtibus vi irrumpentibus, male cautus neſcio quis ē feneſtra titionem deiecit, qui caput Regis vehementer ſauciauit: adeo vt per aliquot dies chirurgi valetudinem certò non auderent polliceri. Sed generoſus princeps nunquam paſſus eſt vt in hominē inquireretur, æquū eſſe dictitans vt partem eius quod ipſe intriuerat, exederet. Statim per totam Flādriam, Arteſiā & Hiſpaniam fama ſpargitur Regem ex vulnere mortuum eſſe: qui leuius mentiri volebant, non mortuum illum quidem, ſed excæcatum prædicabant. Quibus rebus impulſus Rex (qua erat prudentia) legatis quos apud exteros principes habebat, per literas ſignificari iubet, rem illi vti habebat, nuntiari curarent. Quinetiam principum legatos qui in comitatu erant accerſit, vt ab illis coràm videretur.

Rex in ludicro conflictu grauiter vulneratur.

1521. Anno 1521 vere ineunte Henricus Rex Nauarræ (cuius patrē ante paucos annos regno deturbauerat rex Arragoniæ auus maternus Caroli Cæſaris) certior factus in Hiſpania magnam ortam eſſe inter nobiles & plebem ſeditionem, & iam in armis eſſe, rationem quærere cœpit qua nonnullorum opera regnum reciperet. Itaque quum per ætatem rem tantam aggredi non poſſet, Aſperraltus Lautreci frater collectis Vaſconibus tum ex ipſa regione tum ex finitimis, ad ſex millia, grauis armaturæ ferè trecentis ex regio equitatu, Nauarræ fines ingreditur, & totum regnum quindecim dierū ſpatio recipit. Verùm ille poſtea autore Sancolumbo Lautreci legato rebus tam proſperè geſtis non contentus, in Hiſpaniam mouet, tam facilem ratus illius regni quàm Nauarræ occupationem fore, & prædæ ſpe motus ad Groniam progreditur. Vbi quum nemo occurreret, Sancolumbus præauaritia (vt quidem ferebatur) illi perſuadet peditatus aliquam partem remitteret, cuius rei vt ſibi cura mādetur efficit. Et quoniam paucis antè diebus milites menſtruum ſtipendium acceperant, cum his agit vt qui domum redire cuperent, iis ſemiſſe ſtipendij reſtituto liceret: quam quidem pecuniam interuertit, ad quem certè redierit non poſſum affirmare. Hiſpani, qui bello ciuili (vt antea de-

Nauarræ regnum recipitur, ſimulq; de nuo amittitur

mon-

monſtratum eſt)inter ſe conflictabantur, vbi vident Gallos non ſatis habere quòd ſua recepiſſent, niſi aliena etiam tentarent, poſita ſeditione Aſperraltum exercitu iam diuiſo aggrediuntur: quem facilè ſuperatum capiunt, qui ictibus contuſus oculos amiſit. Ibi etiam Turnonius & multi fortes viri capiuntur, reliqui per montium iuga diffugiunt. Hiſpani victoriam perſequuntur, & Nauarram nondum vllis præſidiis firmatam offendunt: ita Pampalonam & reliquum regni non maiore negotio quàm amiſerant recipiunt.

Bellorum tam funeſtorum quæ ſequuta ſunt, origo.

Est autem operæpretium noſſe caput & originem belli grauiſſimi, quod inter ſe duo potentiſſimi principes Cæſar & Rex geſſerunt: vnde tot oppida ferro & flamma euerſa, tot gentes oppreſſæ, tot prouinciarum opes acciſæ, tot denique viri fortiſſimi & optimi interfecti ſunt. Quod dum commemoro, iudicabit fortaſſe lector initium è re leuiſſima ortum fuiſſe. Sed cæleſtis ille iudex, credo, ſic conſtituerat, ſiue vt populos plagis domitos ad ſui agnitionem adduceret, ſiue vt procerum ſcelera vlciſceretur, à quibus rarò vt decet colitur. Sæpenumero etiam tum noſtra tum maiorum memoria contigit vt ex modica ſcintilla ingens oriretur incendium, quòd nihil facilius eſt quàm principes inter ſe committere: ſed bellum ſemel ingreſſos placare poſtea & impetum ſiſtere longè difficilimum. Quamobrem quoniam Robertus Marcanus controuerſiæ omnis quæ inter illos extitit, initium & occaſionem dedit, non alienum fuerit cauſas commemorare quibus ille adductus à Cæſare defecerit, cuius partes paulo antè tanto ſtudio, vt nihil ſuprà, ſequutus fuerat: ita facilè erit iudicare vter ex illis pacis conditiones prior violarit. Vt autem res tota altius repetatur, Robertus iſte Sedanius Bullionenſem ducatum tenebat, quem epiſcopus Leodienſis pridem Gulielmo à Marca vendiderat, ſic tamen vt redhibitionis pactum addictum eſſet. Hunc ducatum olim venditerat epiſcopo cuidam Leodienſi nomine Euſiſprando Godefredus Euſtathij filius Boloniæ maritimæ comes, quum iter ad terram ſanctam pararet: ad quem ducatum pertinẽt Loniæ vrbs & arx Muſancuriæ. Non eſt etiam prætereundum Robertum Marcanũ paucis antè annis regias partes reliquiſſe, quòd ægrè ferret ſuos (præcrat autem centum cataphractis equitibus) quia plebem tum in Italia tum aliis locis expilabant, exautoratos eſſe: impulſum præterea a fratre epiſcopo Leodienſi (ſic enim vulgò narratur) qui tamen quæ tenebat, omnia à Ludouico duodecimo, in primis autem epiſcopatum Leodienſem & Carnotenſem, acceperat. Interceſſerat aliquot antè annis grauis controuerſia inter Emerium quendam nobilem & principem Simæum (is erat è familia Croyana) qui inter ſe de Hierga Arduennorum vrbe contendebant. Cuius diſceptatio quum ad pares ducatus Bullionenſis pertineret, quorum iuriſdictio ſumma eſt, vt prouocare nõ liceat: pronuntiant illi contra Emerium. Is tamen gratia & autoritate fretus qua apud Carolum Auſtrium & proceres aulicos valebat, inducit animum prouocare, tanquam res æqua eſſet, & ſperat ſe facultatem exercendæ appellationis impetraturum, licet non in tẽpore appellaſſet. Cauſas afferebat, quòd in bellis gerendis, quibus ipſe perpetuò ſe interfuiſſe prædicabat, occupatus res ſuas curare non potuerat: quæ omnia in ſpeciem ab illo magis prætexebantur quàm veri quicquam habebant. Aliam etiam artem adhibuit, vt quò intendebat peruenire. Quo tempore Carolus Auſtrius Germanorum ſuffragationem prẽſabat, vt ad imperatorium faſtigium eueheretur, pecunias cum à multis corrogabat, tum ingentem quendam numerum ab Emerio mutuò accepit, & marchione Aſcotio ſatisfedit. Hunc ergo adit Emerius, vt cogitata perficiat: ſe rei pecuniariæ magna penuria laborare dictitat, diem iam adueniſſe, nullum ſe alium quàm vadem appellare poſſe: clanculum tamen interpoſitos quoſdam adhibet, quibus hominem monet, ſe diem diſſoluendi nominis, quoad liberet, prorogaturum, modò ſibi adiumento eſſet ad ius ſuum obtinendum, vtque iudicium illud Hergianum contra ſe factum reſcinderetur. Facilè hoc impetratur: ea erat Aſcoti apud Carolum Auſtrium autoritas, cuius adoleſcentiæ moderator erat Caprarius Aſcotij patruus. Illius opera & ſolicitatione cauſa defertur ad ſummum Brabantiæ cancellarium, & ſimul principis Simæi hæredes in ius vadimonio denuntiato vocãtur, vt rationum Emerij firmamenta audirent, & quod ſecundum illos iudicatum fuerat, circunduci, ſi res ita ferret, viderent. Illi rem planè contra omne ius & æquum eſſe conqueruntur: nam & patrem & ſe diu oppidum illud ſine negotio poſſediſſe, ad hæc ſe cauſa ſuperiores diſceſſiſſe, & quidem eo iudicio à quo

Robertus Marcanus dux Bullionenſis.

prouocationis ius nullum esset, vt quod à paribus Bullionensis ducatus proficiscereretur, quorum nõ esset iurisdictio obnoxia, quique nullum quàm ducem Bullionensem agnoscerent. Ducem Robertum adeunt, huius fidem, in cuius clientela erant, implorant: vt iura sua & patrocinij priuilegia tueatur, obsecrant. Ille vt erat excelso vir animo & summo ingenio, non deesse statuit. Accedebat alia idonea causa, quæ ad rem susciendam hominem impellere poterat, quòd pupillorum Simæorum tutor erat, matertera illorũ principis Simæi filia in matrimonium ducta. His causis impulsus nihil diligentiæ reliquũ fecit, quin tum Carolo Austrio & aulicis, tum Emerio ipsi instaret, vt ab illis precibus & summa contentione obtineret, quod illi partim ob pupillorum Simæorum vtilitatem partim ob ducatus Bullionensis dignitatem seruandam vltro concedere debebant, neque obstare (quod faciebant) quominus rata & sacrosancta esset iudicij autoritas, quod à suprema iurisdictione iudicum profectum esset, tanquam à Deo ipso, qui omnis potestatis autor est. Quare quæ à magistratu pronuntiata sunt, non debere ad libidinem & gratiam hominum violari.

Robertus Marcaous ad regias partes transit.

HÆC quum Robertus summa contentione & diligentia doceret ac moneret, nihil tamen obtinere potuit. Vbi videt sibi ius omne denegari, omnique gratia & remunerationis spe excidere, Regẽ adit: quã ad rem maximè ab vxore, quæ ex domo Simæa erat, inducebatur, item à nuru Florengij vxore è familia Sallebrucana, comitis Brenni filia. Illæ enim antea rationem astuè inuenerant qua in Galliã aditum sibi conciliarent, rémque apud reginæ matrem veteribus controuersiis extinctis non parum promouerant, vt Sedanius amicè exciperetur, quum ad Regẽ Romorenti ex titionis vulnere (vt supra demõstratum est) saucium accessit. Tum se suaque oppida & arces in Regis manum tradit, illum obtestans vt sibi ad tam insignem iniuriam propulsandam & vindicandam auxilio esset. Quanquam Carolus Austrius eum ista conantem quum videret, conatus est demereri, conditionibusque & deprecatore eius fratre episcopo Leodiensi retinere: hęc se autore minimè esse facta, siquid esset admissum quo se lęsum conquereretur, se ita farciendũ curaturum, vt abundè sibi satisfactum diceret. Verum ista serò animo iam exulcerato tentabantur, quum iam constituisset, vtcunque res casura esset, id vi obtinere quod via & ratione petenti denegatum fuerat. Itaque rebus cum Rege transactis, quum sciret Cæsarem esse wormatiæ, quæ vrbs est imperialis (illic enim principum & liberarum Germanię ciuitatum conuentum habebat, propterea quòd M. Lutherus pontificium statum turbaret) bellum illi palam in ipsa comitiorum corona denuntiat. Id tum Cæsar tum principes indignissimè acceperunt, quòd ab humili quodam dynasta (qualis esset ille) tam potens monarcha, tótque gentium fortissimarum & virorum bellicis laudibus clarissimorum dominus lacesseretur. Bello indicto Florengius Roberti primogenitus nulites in Gallia & locis finitimis ad tria millia & equites ferè quingentos colligit, cõtra tamen Regis voluntatem, imò planè ipsius iniussu atque interdicto. His copiis Viretonem obsidet, quod exiguum est oppidum ditionis Lucemburgicæ in Lotaringiæ ora, & in iis regionibus quarum dominatus duci Lucemburgo cum Lotaringo cõmunis est.

Cæsari bellum publicè denuntiat.

PER id tempus quum Rex Sancerræ esset, accessit nobilis quidam ab Anglo missus, qui eum monet ne in bellum cum Cæsare ingrederetur: siquid contentionis exoriretur, illum sequestrum & arbitrum esse oportere, vt qui neutri esset addictus. Ea verò tum erat contentio, quòd Rex Nauarræ dum à Galliæ partibus staret, regno ab Arragono deturbatus fuerat: proinde iampridem in aula versabatur, opem ad regnũ recuperandum à Rege magno studio petens. Suprà demonstratum est coiisse Nouioduni delectos à Cęsare & Rege, deinde Agathopoli, sed Bosij præfecti prætorio mortẽ tum obstitisse quominus res omnino componeretur. Hoc quidem colloquio Nouiodunensi conuenisse, vti Arragonus intra semestre spatium regnũ Nauarre restitueret, aut certè illius arbitratu & commodo quanti regnum æstimaretur, satisfaceret: vtique Cæsar Carolus Regi certam summam quotannis penderet nomine regni Neapolitani, in quod sibi ius esse contendereret: quæ omnia nullo pacto Cæsar præstiterat. Rex pactis cum Nauarreno initis se ad auxilium præbendum obstrinxerat, vt regnum illud bello recuperaretur, siquidem Cæsar promissis non staret. Rex posteaquam sæpius nequicquam appellasset, auxilium Nauarreno (quemadmodum suprà dictum est) vt illum restitueret, miserat. Hæc in summa (quod ad hanc rem attinet) causa fuit cur ab Anglo nobilis ille ad hæc prouidenda

da veniſſet. Altera erat bellum illud à Roberto Marcano denuntiatum, qui ſtatim cum exercitu progreſſus obſederat Viretonem oppidum Lucemburgicæ ditionis, quod ſitum in regionibus communibus Lucemburgiæ & Lotaringię Cæſari parebat. Ad hæc poſtulata Rex miſſo in Angliam Montipeſtato reſpondet, de Roberto Marcano iuſſurum ſe, ſiquid controuerſiæ cum Emerio illi intercederet, cum eo decideret, bello Cæſarem ne laceſſeret: quinetiam dimiſſis nuntiis vetiturum ſuis ne hac in re ipſi Roberto auxilium ferrent: quibus cauſis adductus Robertus die XXII Martij, anno 1521 bello finem putans eſſe impoſitum, ſuos obſidione ſoluta dimiſit. Quod autem nobilis ille Anglus poſtularat vt nouam ſocietatem & fœdus cum Cæſare iniret, monendum ſibi priuſ eſſe Romanum pontificem: eam enim eſſe illorum fœderis conditionem, nequid noui eo inconſulto ſtatueret: proinde ſe Romam ſcripturum, & reſponſo accepto, ſe quicquid æquum eſſet, libentiſſimè facturum. 1521.

INTERCEDEBAT ſanè nonnulla Regi cum papa pactio de recuperando regno Neapolitano, ſiquidem Cæſar pactis illis Nouiodunenſibus non ſtaret, vt penſionem annuã nomine ipſius regni perſolueret. Iam Cæſar nèque de Neapolitanis neq; Nauarrenis conditionibus quicquam præſtiterat, neque impetrare quicquam ab eo Rex niſi per vim & bellum poterat: quocirca ſiquid cũ illo tranſegiſſet, omnino id contra fœdus fieri videbatur. Accedebat quòd papa & Rex fœdus de tuenda Italia percuſſerant, in quod etiam Veneti coire parati erant. Quæ quum ita eſſent, miſſis Rex ad papam literis ſciſcitatur quando cenſeret de re Neapolitana ſcriò cogitandum eſſe. Papa nuntium humaniſſimè excipit, numerum oſtendit tum equitatus & peditatus tum machinarum, qui ad rem ſuſcipiendam requirebatur, denique vtrecx intra viginti duorum dierum ſpatium reſponderet poſtulat. Quo tempore, & præterea toto menſe exacto, ſuſpicari cœpit papa, neque vnquam eximi illius animo potuit hæc ſuſpicio, Regem aliquid ſe inſcio & ſibi detrimentoſum pactum eſſe, quinetiam illum non ſatis diligenter curaſſe vt Veneti in illud fœdus aſciſcerentur. Paulo antè aliquot Hiſpani in ditionem pontificiam ingreſſi erant, aduerſus eos coactus fuerat Heluetiorum exercitum accerſere: quam ad rem quum ſumptus dimidia ex parte Rex ſuppeditare deberet, primo menſe præſtiterat, cæteris deſierat. Hæc tantam ſolicitudinem animo papæ iniecerunt, vt exules Mediolanenſes Rhegiũ reciperet, nempe Viſcõtium, Hieronymũ Moronum, & alios: quum tamen per fœderis conditiones illi non liceret, vti nec Regi exules pontificiæ ditionis in ſuos fines excipere fas erat. Eodem fœdere promiſerat papa ſe Carolo Cæſari regnum Neapolitanum (quod illi morte aui materni obtigerat) non traditurum, quod fraudi Regi eſſet, qui in eo ſibi aliquod ius arrogabat. Sed non multo pòſt à Carolo equum gradarium candidum dono accepit, (tale enim munus illi ſolet dari, quum huic regno aliquem inaugurat) & cum eo ſtatim ſocietatem facit. Ob eas res Regi ſatis cauſæ erat cur ſe læſum grauiter conquereretur, eo magis quòd papa confirmarat ſe illi ſuffragaturum eſſe in petenda imperatoria dignitate, qui tamen contrà occultis artibus illi pro viribus impedimento fuerat.

Papæ & regis de regno Neapolitano fœdus.

Papa à Rege citra pactum alienatur.

CÆSAR interea maximas copias tum equitatus tum peditatus cogit opera comitis Naſſauuij, Fœlicis, Franciſci Scalengij & Emerij: his Naſſauuium præfecit, ad quem ſumma imperij rediret, datis mandatis vt in Roberti fines exercitum ducat. Epiſcopus Leodienſis, qui Roberti fratris gratia hunc epiſcopatum & alia ſumma ornamenta con ſequutus fuerat, Naſſauuio ſe coniungit, & ſe fratri hoſtem præbet: Leodiẽſes quoſdam ciues, quos fratri ſtudere cognouerat, in flumen præcipitari iubet. Cur autem is epiſcopus Regis partes deſeruiſſet, hæc adferebatur cauſa, quòd quum cuperet in cardinalitiã dignitatem euchi, eique Rex ſe vt id obtineret, adfuturum confirmaſſet, quinetiam ea de re ad papam ſcripſiſſet: (nam papa quẽ ex ſuis Rex vellet galero ſe donare velle oſtenderat) quum promiſſa præſtari oporteret, archiepiſcopus Bituricenſis generalis Boërij frater prælatus illi fuerat. Addebant nonnulli quoſdam è Leodienſis clientibus & domeſticis Romæ in manibus miniſtrorum papæ literas vidiſſe à rectrice Galliæ ſcriptas, quibus à papa petebat, vt quicquid tandem Rex ſcriberet, Bituricenſis tamen anteponeretur: quinetiam Boërius (vt quidem ferebatur, nam verum eſſe non affirmo) à papa galerum hunc quadraginta coronatorum millibus emerat. Leodienſis ergo offenſionis materiem hãc nactus (iſtam enim cauſam arripuit) ad Cæſaris partes trãſiit: qui illi mox

Cæſar Marcano oppida adimit.

1521. cardinalatum impetrauit,eiúsque opera summis rebus,maximè in petitione imperatoriæ dignitatis vsus est.Hoc ego me animaduertisse memini, qui aliqua re offensi à rege desciuerunt,eos maxima damna intulisse: quorum è numero fuit iste episcopus, princeps Aurangius,marchio Mantuanus,dux Borbonius,& Andreas Auria.

VT ad rem redeamus,comes Nassauuius collecto exercitu Lonias obsidet, quod oppidum è ditione est ducatus Bullionensis, sedecim passuum millibus Leodio: simul etiam Fœlicem mittit qui Musancurium eiusdem ditionis obsidione cingat. Lonias Nassauuius acerrimè oppugnat,vt Nisellus,qui oppido præerat, quum suos exanimatos cerneret, quòd necopinantes oppressi erant, vt sexaginta tantùm illic essent milites, neque vlla spes auxilij daretur,se & suos hostis fidei & potestati commisit: quæ res infœliciter illi cessit,hunc enim cum duodecim delectis suspendi iussit. Oppido exciso Musan curium exercitum ducit,vbi Fœlix iam aliquot dies nequicquam consederat: verùm simulatque accessit Nassauuius,præfectus oppidi proditione nonnullorum ex suis in illius venit potestatem.Qui viginti è militibus in crucem sublatis, quum idem de ipso duce statueret,plurimi ex præcipuis totius exercitus necem illius deprecantur, & periculo eximunt. Nassauuius etiam Musancurium delet, & Iamesium ire contendit. Qua re cognita Florengius Roberti primogenitus & Sausius minimus natu ea diligentia vtuntur, vt noctu in oppidum ingrederentur, parati vel fortiter mori vel arcem tueri. Militibus commemorant quàm crudeliter Cæsariani Lonienses & Musancurianos interfecerint: itaque præstare vt fortiter pugnando occumbant, quàm turpem mortem oppetât, dum vitam ignominioso pacto conarentur redimere, vt illis accidisset. Florengius intellecta & collaudata militum voluntate castrum summa diligentia vallo munire,& quæ necessaria essent importare cœpit. Nassauuius quatriduum commoratus vt arcem specularetur,vbi obfirmatos videt oppidanos, abducto exercitu iter Florengiam instituit: quod oppidum etiam Roberti erat,octo passuum millibus Metis. Huc se receperat Iamesius secundus Roberti filius,certus illic mori,aut ab oppido hostium vim defendere. Verùm triduo pòst à militibus Germanis quos intus habebat, proditus in Nassauuij manus venit,quem captiuum firma custodia Namurcum abduci iubet: Germani in Cæsaris partes transeunt.Hoc etiam oppidum vbi solo æquasset,Sausium progreditur,vbi idem facit:deinde magnis itineribus Bullionem,totius ducatus caput,ire contendit:quod oppidum,quia nonnullos intus suis partibus studentes habebat,statim illi traditur. Robertus quum videret totius Germaniæ vires in se ruere, rationem inuenit qua à Cæsare inducias sesquimenstruas obtineret: quas studio Francisci Serkingeni, cum quo fraternam necessitudinem habebat,impetrauit.

Cæsar in Regem bellum se parare dissimulat.

HIC multa cõcurrebant cur rex coniecturam faceret, Cæsarem in animo habere longè aliud bellum moliri,quàm quod hactenus gestum fuerat. Cur enim, si cum Marcanis tantùm res illi erat, eis tantumnon bello confectis inducias peteret? Cur victor,satis valida manu qua Robertum prorsus deleret, copias in dies augeret? Quamobrem Rex quum hominis conatus satis exploratos haberet,quibus bellum sibi denuntiari intelligebat,exercitum comparat:neque tamen prius quicquam aggredi statuit,quàm Anglum amicum & socium certiorem faciat. Legatos itaque mittit qui illum doceant, à Cæsare turbæ initium fieri,à quo magnas vires coactas esse,orent præterea vt à se qui lacessitus sit,stare velit,quod inter illos in colloquio Ardreano conuenerit. Anglus, qui ab ipso etiam Cæsare literas acceperat,ambos monet ne facilè graue hoc bellum ingrediãtur. Regi separatim suadere conatur, vt nisi apertius bellũ indiceretur, illud à se auertat: cuius rei vnã esse rationẽ,si postulata Cæsaris(quæ tamen ab omni æquitate aliena erant) non recusaret. Dum hæc fiunt, Rex Sancerra Diuionem proficiscitur quum interim Cęsarianus exercitus nouis in diem accessionibus crescęret. Cõpositis omnibus quæ opus esse videbantur in ora Burgundiana, magnis itineribus Trecas Campanorum venit, vbi ne tãtillus quidem exercitus erat. Nam Andream Foxium Asperraltum miserat ille quidem,qui Hispanis in Nauarra bellum inferret:cuius expeditionis exitum antea comme

Amiralii in Nauarram expeditio.

moraiimus: regnum enim illud totum quum recuperasset,per summam imprudẽtiam puncto temporis rursus amiserat. Quare Gulielmum Gosserium Boniuetum Galliæ amiralium cum exercitu in Nauarram misit, qui iniuriam quam Asperraltus acceperat, vlciscereturIpse tantũ virium duntaxat, quæ ad conatũ Cæsaris sustinẽdum satis essent,

parat,

parat. Ad quod sex è suo comitatu nobiles deligit, qui singuli millenos pedites conscribant: his Franciscum Borbonium comitem Sampauli præficit. Hi erant Frãciscus Mongomerius Lorgius, Carolus Moæus Malleræus, Carolus Refugus cognomento armiger Bocartus, Piraltus Malgetonus, Hercules Delphinas, baro Mommoræus. Sed Malgerono Diuione interfecto, mille illi quibus præpositus fuerat, Asinario attribuuntur: is autẽ signifer erat vnius ex turmis regiis, in quibus sunt duecenti quos nobiles domus regiæ appellant. Borbonio etiam conestablio mandat octingentos equites & peditum sex millia conscribat: idem etiam Carolo Vindocino præcipit. Equestres copias à Borbonio conscriptas ducebant procomes Laudanus, Philippus Bolinvillerius comes Dammartinus, vicecomes Thurennius, Rupebaronus Arvernus, Listenæus & Lalierius. Vindocinianis præerant comes Briennius è familia Lucemburgica, comes Brennus è gente Sallebrucana, Humerius, Vidamius Ambianus, Haplincurius, Bergerianus & Rentius. Pedites ducebant, nẽpe singuli quadringenos, Sercutius, Stratæus, Ruffimanilius, Burnonvillanus, Hellius, Laleuuius, Burfius, Bellogardius, Pretouallius, & alij. Amiralio autem sex millia Germanorum peditum attribuuntur, quorum delectum habuerant Brandhecus & comes Wolfgangus Germani, Villerius & Franciscus Tauanius Galli: apud quos etiam summam imperij tenebat Claudius Lotaringus comes Guisius. Equites porro ad hanc expeditionem erant, turma amiralij centum grauis armaturæ, turma ducis Albaniæ (is autem in Scotia erat, regnique gubernacula ob regis ætatẽ tenebat) turma Sandræi cui ipsemet præerat, Sammemmius cum suis equitibus & nonnulli ex turma Senescalli Armeniaci rei machinariæ præfecti. Denique amiralio negotium datur vt ex Vasconibus & Celtiberis peditatum quantum opus esse videretur, cogeret.

Anglus controuersias componere conatur.

REBVS taliter compositis monasterium Ramosum (id cœnobio propinquo nomen est) proficiscitur: inde Oliuerium Vernadum Bastiæ dominum cum mandatis ad Anglum mittit, ne sibi vitio detur quòd inuitus & prouocatus bellum cum Cæsare gerat. Anglus se arbitrum recipit inter illos fore: quòd si legatos vterque mittent Caletum, se iusturum vt illic præsto sit Thomas cardinalis Yorcanus, ad firmam pacem conciliandam. Conditionem Rex accipit, modò papæ Leoni quicum fœdere coniunctus erat, probetur. Ad hanc rem dictus est dies quartus mensis Augusti insequentis: rex etiam ad papam scribit. Dum crebrę illæ vltro citróque itiones fiunt, Sampaulius iam imperatum exercitum conscripserat, dux Alenconius vnà cum equitatu ad Attinium erat, qui paucis diebus Remos accessit. Rex interim dum ad Argiliacum ducatum cõmoratur, alias præterea copias cogit tum Gallorum tum Heluetiorum, quas in Italiam mittit auxilio Thomæ Foxio Scutato, qui prorex in ducatu Mediolanensi loco fratris Lautreci relictus erat: audiebat enim Hectorem Viscontium & Hieronymum Moronum cum aliis aliquid illic machinari, vt postea exponetur. Eodem tempore Rex vt negotiorum administrationem distribueret, in prouincias quatuor regnum diuidit. Alenconium Campaniæ præficit, Vindocinum Picardiæ, Odetum Foxium Lautrecum Mediolani, cui etiam præerat, Gulielmum Gofferium Boniuetum Aquitaniæ. Boniueto & Lautreco copiarum suarum partem quam vult attribuit: reliquas apud se retinet, quas Cæsari opponeret: quibus confectis Lautrecus Mediolanum, Boniuetus in Aquitaniam proficiscitur.

Lautrecus Mediolanum mittitur.

Comparantur tota Picardia & Campania machinæ & pecuniæ ad sumptus bellicos. Alẽconius interea cum militibus à Sampaulio collectis & equitatu ad Musonem accessit, quòd suspicaretur Cæsarianos debellatis Marcanis illuc vires suas primùm conuersuros: vbi nouemdecim dies commoratus, Remos se recipit. Vindocinus quoque in Picardia erat, & vnà cum eo marescallus Chabannius, Palisiæus, Telinnius senescallus Ruthenus. Per id tempus nuntiatur Liquæum nobilem quendam Hannonium cum nonnullis ad flumen Scaldim non longè Valenceneis confediſse: vnde prima belli denuntiatio extitit. Erant iampridem graues inimicitiæ & contentiones inter Ludouicum cardinalem Borbonium & ipsum Liquæum ob abbatiã Amandi, quæ cardinali obtigerat. Hanc Liquæus occasionem captans oppugnare cœpit, vbi tum erant Campiruffus Regis apud Neruios legatus, & Logesius Tornaci præfectus. Qui quum locum infirmum tenere non possent, simul quòd imparati essent, vt qui nihil minus quàm bellum geri suspicabantur, ea conditione deditionem faciunt, vt cum impedimentis abire liceret. Erat præterea arx & oppidum Mortania, quibus Anglus non aliter quàm Tornaco & Torna-

Liquæus Cæsarianos bellum primus mouet.

censi agro Regi cesserat, vt planè Regis essent, atque adeo nulla erat causa cur incursioni pateret: sed Liquæus dictitans se quondam hoc oppidum possedisse, obsidere cœpit. Tandem Pranzius Tornacensis prætor quum intus esset, desperato auxilio pactione oppidum dedit non Liquæo, sed Portiano, ea lege vt ille cum suis, armis & impedimentis incolumibus egrederetur. Dum discedunt, ab insequentibus hostibus contra ius belli spoliatur, vix vt salui euaderent. Eodem tempore Fiennius vrbium Flandricarum præfectus è gente Lucemburgica, equites mille, pedites ad octo millia colligit, sex item machinas: cum his copiis duobus passuum millibus Tornaco castra ponit, sibi in animo esse ostendens oppidum ipsum obsidere. Id quod fecit, & quinque mensium spatio obsessum tenuit.

1521.

Rex ad bellū Cæsarianū ita armatus defendit.

INTERIM Nassauuius inducias cum Marcanis fecerat, neque bellum adhuc indictum erat inter Regem & Cæsarem. Verùm cœnobio illo & Mortania captis, quanuis Cæsar negaret ista suo iussu vel consensu fieri, potius priuatas esse rixas cardinalis Borbonij cum Liquæo: Rex sibi verba dari non diutius ferens, statuit non cunctandum esse quin ad bellum, quod satis apertè inferebatur, propulsandum se pararet. Instabat autem tempus quum legati conuenire deberent Caleti: quò Regis nomine venit Antonius Pratensis Galliæ cancellarius & Ioannes Selva togati, ex militaribus viris Iacobus Chabannius Galliæ marescallus. Interea Ardrea à Burgundis obsidetur, & quum nequaquam munita esset, deditur: hanc solo adæquant, idemque de Morinis facere cogitant, propterea quod nonnullos ex oppidanis sibi studentes habebant. Sed proditio patefacta est interceptis literis quas anus quædam ad hostes perferebat: itaque coniurati debitas pœnas dederunt. Commissa sunt etiam aliquot prælia casu & occursu: in primis Telinnius sexcentos Burgundiones adortus, qui regnum vt prædam agerent, ingressi erant, plurimos eorum cecidit, reliquos captiuos abduxit. Rex ad se principes confangu-

Delecti de pace Caleti conueniunt.

ineos cum aliis belli ducibus Remos, vt de summa belli cum illis ageret, accersit. Marescallus Chabannius cum collegis Caletum venit, vt de controuersiis regiis disceptaretur: verùm Cæsariani legati se moderatos minimè præbuerunt, sed iniquis suis postulatis mordicus hærebant, vt qui ducatum Burgundianum restituendum censerent, & Cæsari onus remitti clientelæ quam erga Regem Belgij causa agnoscebat: iniquum enim esse vt Imperator apud Regem fidem & obsequium profiteretur. His causis colloquium dirimitur, & omnes re infecta domum redeunt.

DVM habetur hoc colloquium, Cæsariani Musoni appropinquant. Rex illius oppidi rationem habere statuit, eóque mittit Mommorencium, qui præter Mommortium (is cum quinquaginta grauis armaturæ equitibus oppido præerat) Lassinium ducit, qui æquam cum illo imperij autoritatem teneret, cum mille peditibus, Pedefolium cum totidem: Grangio datur negotium vt primo quoque tempore quingentos milites conscribat. Præterea vt firmior esset equitatus, denuo grauis armaturæ equites ex turmis Alenconij, marescalli Castillionæi & ipsius Mommorencij accipiuntur. Monticlauius cum vna ex Pedefolij cohortibus & triginta cataphractis collocatur ad custodiam portæ Remensis, Radimontius cum altera cohorte præsidio constituitur Iuæsum versus, quà itur Lucemburgum, cum turma Mommortij, Grangio committitur seruandum propugnaculum ad flumen Mosam. Hæc quum sic fierent, Nassauuius Duzij castra habebat: est autem magnus pagus infra quod flumen Cherus in Mosam influit, estque partim regiæ ditionis, idque ratione Musonis oppidi, partim Bullionensis. Inde Cæsariani traiecto flumine ditionis regiæ agrum Musoni propinquum incursionibus & populationibus vexabant. Mommortius missis nuntiis quum apud Nassauuium cõquereretur, respondet ille se neque iubente neque sciente ista designari, si ex suis nonnulli deprehenderentur, se iam supplicium non deprecari quod ipse vellet sumere: neque enim Regi bellum inferre velle, sed solùm illic tantisper commorari, dum inducias cum Marcanis pactarum tempus præteriret. Mommortius cum suis huiusmodi responsum æquum iudicat: verùm mox longè alia nuntiantur, Cæsarianos Mosam transijsse, & signis infestis fines regios ingredi. His vt in ipso transitu obsisteret, Philippum legatum suũ cum triginta cataphractis & peditibus trecentis illuc mittit: at hostis iam exercitum Mosam traiecerat, & oppidum ex improuiso opprimere tentabat. Quod feciſſet, nisi Lassinij virtute impeditus fuisset, qui ad portam accedens hostis impetum tandiu & fortiter susti-

Cæsariani Galliam cum exercitu ingrediuntur.

sustinuit, velut alter Cocles, vt porta à tergo clausa, & ponte versatili sublato, hostis aditu prohiberetur: ipse postea fossam trabe iniecta transit, & saluus in oppidū cuadit, multis tamen machinarum & sclopetorum ictibus appetitus. Philippus, qui egressus (vti dictū est) fuerat vt hosti occurreret, vbi audit tumultum & pugnam ad oppidum, illuc se cum suis saluis omnibus alio itinere recipit.

POSTRIDIE Nassauuius suos omnes instructa acie in planitie mille passuum ab oppido interuallo collocat. Dum ibi moratur, Franciscus per literas Mommortio suadere conatur, de dat oppidum antequam bombarda murum percutiat: respondet ille se à Rege potentissimo ad oppidum defendendum collocatum esse, idque se facturū. Accepto hoc responso, hostis propius oppidum copias promouet, machinas locis com modissimis ad oppidanos vexandos collocat, duobus simul locis murum concutit, tum ex prato quod ad portam Remensem vergit, tum ex colle qui Iuæsum respicit. Duæ illæ oppugnationes sic erant constitutæ, vt glandes ex illa patensi emissæ, supra totum oppidum delatæ eos à tergo & in ipso solo peterent qui ad muri ruinam altera oppugnatione factam concurrerent, & ita quidem vt flumē interesset. Nostri pedites statim perterrentur, tyrones nimirum, ne dum bello assueti, & rem insolitam videntes Mommortium cum hoste agere de compositione cogunt. Misso ille tubicine petit vt hostis catapultas inhibeat, dum aliqua ineatur pactio: quod quum negaret se facturum, Mommortius & Lassinius ipsi se in castra conferunt, hisque conditionibus paciscuntur vt grauis armaturæ equites singulis equis minoribus inermes, arcitenentes quos vetusto vocabulo appellant, absque equo inermes, pedites itidem scipionem album manu gestantes egrederentur. Hoc vehementer Regi displicuit, quum se oppidum seruaturos tanta iactantia confirmassent, in primis verò damnabat quòd ambo Regis legati in hostis castra ad colloquium veniissent: quod nullo exemplo eorum qui arma vnquam tractarunt factum fuerat. Ex ista Musoniana compositione tantos sibi spiritus hostis sumpsit, vt idem se reliquis locis facturum confideret: verùm temeraria spes illum longè fefellit. Etenim quum relicto Notho Nassauuio, qui Musoni præesset, ad obsidēdam Masseriam exercitum duxisset, offendit illic capitaneum Badium virum intrepidum, & rei belliceæ vsu præstantissimum, quem illuc Rex principem legatum miserat. Paucis post diebus eōdem venit Anna Mommorencius, excelsi vir animi, & summi erga Regem studij, qui cùm multos secū iuuenes aulicos rei fortiter gerendæ cupidissimos, tum verò Claudium Annobaldū, Lucæum, Villaclarū ducebat: quorū aduentu milites valde sunt confirmati. Cum Badio erat turma Antonij ducis Lotaringi centum cataphractis constans, cui ipse Badius præerat, turma item Orvalij in qua totidem erant: pedites mille habebat Bocartus cognomento Refugus, & baro Mommoræus totidem. Huius verò milites machinis ad oppugnationē collocatis tanto metu corripiuntur (quippe qui nullum huius rei vsum habebant) vt inuitis ducibus alij portis dilaberētur, alij muros transilirent. Badius reliquis palam affirmat se de illorum fuga lætari, neque enim magnæ laudi & existimationi sibi futurum fuisse, si quum tam magno essent numero, vrbem defendissent, deinde illam etiam tot ignauis viris liberatam esse. Nassauuius vbi ad oppidū accessit, tubicine misso duci & præfectis imperat vt oppidum Cæsari dedant. Badius respondet sperare se antequam illum de relinquenda vrbe suæ fidei cōmissa verba faciē tem audiat, tantam ex hostibus cadauerum stragem editurū, qua tanquā ponte egressurus vteretur. Tanta Badij cōstantia & firmitudo magnum militibus animum affe rebat.

Galli Musone obsesso, tumpcon ditionem facium.

Badius Masseriam aduersus Cæsarianos defendit.

OPERÆPRETIVM facturus videor si Masseriæ situm describam. Flumen Mosa Musone & Sedano fluens illius mœnia alluit, deinde ambitu circiter duo millia passuum facto, subito reflexu Varcam exiguum valde oppidum petit, alterum Masseriæ latus attingit: vt insula sit flumine tanquam circino cincta, ad quam vnicus sit terrestri itinere aditus, instar Peloponnesi. In eo aditu porta est Burgundiana Arduennos versus: & quicquid inter duas fluminis ripas quæ murum vtrinque alluunt interiacet, id totum mœnibus vrbis occupatur, quæ mille ducentos circiter pedes in longitudinem patent. Ita cincto oppido Mosa Castellorinaldum, Dinandum, Namurcum & Leodium præteriabitur & in Rhenum deuoluitur. Nassauuius accepto per tubicinem responso, castra ad portam quæ Arduennos respicit (cæteris enim omnibus locis flumē oppositum habuisset) collocat, deinde machinis dispositis bipertitam oppugnationem instruit.

1521. Principio totius tridui spacio cõtinenter muros labefactauit: deinde remissius agere cœpit, postquam sibi rem cum viris esse intellexit qui non facilè terrerentur, sed longè alio essent animo quàm Musoniani. Nam eruptiones isti crebras in hostium castra faciebant, quibus laudem & prædam subinde referebant, siquæ circiter mensem se gesserũt. Rex interim Diuione sui exercitus supplemẽtum expectabat: quod quidem vbi à Bor-
Rex copias ad Masseriam liberandam ducit. bonio & Vindocino (nam illis hoc fuerat mandatum) audiit esse paratum, Trecas Campanorum proficisci cœpit, & eis quo loco conuenire vellet ostendit. Hoc eo faciebat, quòd certò sciebat, etiamsi Masseriæ fortissimi tum duces tum milites essent, tamen cibariorum copiam, quæ illuc primo belli nuntio inuecta fuerat, non diu tantę hominum multitudini satis esse futuram. His causis adductus iubet quamprimum cogi exercitum: interim aliquot equitum turmas in oppida ad flumen Axonam dimittit, qui terrori hostibus, auxilio obsessis, toti denique agro illi præsidio ab incursionibus essent. Ibi egregia aliquot facinora gesta sunt: ex quibus vnum libet commemorare, quo primùm nostri cum hostibus à bello incepto conflixerunt. Pagus quidam est inter Attiniũ & Masseriam, quem comes Rifurketus Germanus populari decreuit, quòd putaret omnem Gallorum virtutem extinctam esse: ad eam rem equites circiter centum & pedites ducẽtos ex toto exercitu delectos educit. Hoc pago direpto quum neminem haberet obsistentem, totum Retelium comitatum, qui duobus fluminibus Mosa & Axona comprehenditur, percurrit, & totam illius tractus prædam colligit. Dum receptum parat, Franciscus Sillius prętor Candomensis Alenconij legatus & alij casu Retelum veniunt, Qui postquam ex rusticis metu hostium fugientibus rem intellexerunt, statim suis vt equos denuo conscendant præcipiunt, & rusticis itineris ducibus per syluas Retelanas vsi, hostes præda onustos anteuertere conantur: cursores aliquot ad illos retinẽdos præmittunt, ipsi lentiore gradu subsequuntur. Rifurketus qui minimè sperabat se vllos obuios habiturum, vbi clamorem audit, suos statim dispersos signo tuba dato colligit, qui quum nostros cursores exiguo numero vident, neminem ponè esse rati, vt illos ad pugnam elicerent & delerent, tardius progredi cœperunt. Postea animaduerso agmine octoginta circiter cataphractorum, aciem equitatus & peditatus, quantus tum aderat, instruunt, & impetum fortiter sustinent, vt victoria aliquandiu anceps esset. Tandem equitatus ille Gallicus (cui gens nulla parem habet) tanta vi in eos ferri cœpit, vt turbatis ordinibus comes aduersum videns prælium, in fugam per syluas se coniiceret. Hunc ex nostris quidam conspicati insequuntur, & vbi latebat deprehensum capiunt: reliquos per syluas palantes rustici quorum opes diripuerant, consequuti interficiunt, præter quinque aut sex, quos equites rusticis ereptos Remos cum comite captiuos abducunt.

Masseria obsidio grauissima. MASSERIANI qui postquam obsidionem menstruã toleraslent, cùm aliarum rerum penuria laborabant, tum etiã virorum numerus cœpit imminui. Alui enim profluuium ita grassabatur, vt vix satis multi ad stationes & custodias obeundas suppeterẽt: quoniam totum illud muri spatium ab hostibus quatiebatur, quod à turri quę angulum tenet Attinium versus ad turrim venustam (quę ita vocatur) pertinet, & inde ad portam Burgundianam. Quanquam ex quo Alenconius Remos venerat, & pedites Sampaulij Pontifauergium, equitatus item Retelum & castrum Portianum, non tam acriter premebantur: propterea quòd Franciscus, qui castra cis flumen habebat, quique eos tormentariis ictibus grauiter vexabat, veritus inopinatum nocturno tempore aduentum, flumine transmisso se cum Nassauuio coniunxerat. His rebus animaduersis Badius & Mommorencius communicato cum reliquis ducibus de summa rerum cõsilio, omnibus accuratè discceptatis, statuunt, vt quoniam exeundi potestas dabatur quã fuerant castra Franciscana, mitterentur qui Regẽ certiorem facerẽt, quo loco res oppidi essent, quibus rebus præcipuè egerent, quæ denique facultas submittendi auxilii esset. Deliguntur ad hanc rem Malbussio nobilis quidam domesticus Mommorencij, & Briniacius, ambo cataphracti ex turma Badij. Qui noctu custodias hostium prætergressi, sum ma diligentia confecto itinere Trecas ad regem veniunt, cui sigillatim omnia quæ ad obsessos pertinebãt exponunt, & quantopere ipsis viris egerent. Rex omnibus intellectis, eos statim remittit, vt nuntiẽt propediem adfuturum auxilium: simul ipse, vt promissa præstaret, Remos magnis itineribus contendit. Ibi belli ducum maxima pars præsto fuit, vt de belli gerendi ratione statueretur: in primis Alenconius, Orvalius, Marcs-

mareſchallus Chabannius:is enim Caleto redibat,vbi adfuerat cum cancellario Praten ſi & delegatis à Cæſare & Anglo, quum conarentur(vt ſuprà demonſtratum eſt)'incendium illud inter duos potentiſſimos principes exortum reſtinguere. Adfuit etiam mareſchallus Caſtillionæus,cuius conſilio res magna ex parte adminiſtrabantur: Telinnius item ſeneſchallus Ruerguiæ rei machinariæ præfectus. Poſtridie adfuit Sampaulius,qui ſex millibus peditum præerat:hi autem ad Pontifauergium conſederant, octo paſſuum millibus Remis. Huic Rex iubet vt ſuos poſtridie medio itinere inter Remos & Pontifauergium ſiſtat. Qua re perfecta Sampaulius in caſtra rediit, vbi ſuis ad quietem circiter horis quinque conceſſis Attinium contendit, quod oppidum eſt ad Axonam, millibus paſſuum octo Maſſeria. Illuc prima luce quum veniſſet,ſuos ad noctem vſque continet: quo tempore Lorgium iubet proficiſci cum mille peditibus quorum tribunus erat,cum aliquot etiam plauſtris vini & reliqui commeatus: his quadringentos equites cataphractos præſidio attribuit,ductoribus Telinnio(quem Rex præfectum caſtrorũ creauerat) & prætore Candomenſi Alenconij legato:ipſe cum reliquo tum equeſtri tum pedeſtri exercitu,ad quatuor paſſuum millia Maſſeria,vt illos tueretur,acceſſit. Equites poſtquã Lorgium cum omni commeatu Maſſeriam tutò introduxiſſent,ad Sampaulium reuertuntur,qui cum ſuis omnibus Retelium ad flumen Axonam redeunt. Interim accedunt Heluetij ad Regem,quibus obuiam proceſſit Trimollius,Sedanius & nonnulli alij.

Subſidij Maſſeriam mittitur.

MASSERIANI (vt ad eos redeamus)cal. oct. læti ob ſubſidium acceptum, crebrius quàm antea tormenta diſplodere, contrà Cæſariani omnia remiſſius agere, & de expugnando oppido deſperare cœperunt. Verùm ne deficere animo viderentur, miſſo tubicine ab oppidanis petunt numquis illic eſſet qui congredi equeſtri certamine auderet, comitem quidem Egmundum ex ſuis paratum in inſula Maſſeriana fore. Mommorentius ſe ad hoc certamen offert, ſeque præſto fore loco & tempore cõfirmat. Lorgius ignominioſum eſſe arbitratus, equitem Gallum à Germano prouocari, peditem negligi velut Germano imparem, petit sitne qui in ſingulare certamen longa haſta velit deſcendere,ſe ad illum excipiendum paratum eſſe:tum ex caſtris Cæſarianis Valdræus cognomento Pulcher conditionem accipit. Mommorencius equo inſidens, lanceam in procinctu habens locum deſignatum petit, Lorgius item cum haſta longa: vbi aduerſarios paratos inueniunt. Mommorencius & Egmundus infeſtis equis cõcurrunt. Mõmorencius loricam aduerſarij aſſecutus traiicit, ſed lancea fracta nihil amplius nocet. Egmundus ſiue equi vitio, ſiue alia de cauſa, aberrat, aut leuiter certè attigit. Lorgius & Valdræus ſeſe mutuò haſtarũ ictibus quot conuenerant, petunt, ſic tamen vt neuter altero ſuperior eſſet: poſtea ſe vtrique ad ſuos recipiũt. Poſtridie Ioannes quidam Magnus cognomento Picardus miles veteranus, qui Regi omnibus Italicis bellis ductore Molarto ſtipendia meruerat, (quum tamen genere eſſet Sequanus ex comitatu Burgundiano)ſed paulo antè ad Cæſarem tranſierat: vt intelligeret quæ cibariorum copia eſſet in vrbe, miſſo tympaniſta petit à Lorgio pro veteris contubernij neceſſitudine, vtrem vini mitteret. Lorgius duos mittit, vnum veteris, alterum noui:& tympaniſtam in cellam du ci iubet, in qua magna erat doliorum multitudo, quorum tamen plurima aqua plena erant: vt inde intelligeret illos vino abundare: quum reuera tria tantùm plauſtra illuc à Lorgio ipſo eſſent introducta. Naſſauuius vbi videt oppidanos fame non poſſe confici, multo minus vi expugnari, tum propter miſſum ſubſidium, tum propter regias copias ad ferendum obſeſſis auxilium paratas, præterea quum ſuos videret viribus exhauiri, quòd diu iam ſub pellibus degerent: abducere exercitum ſtatuit. Itaque maximam partem grauiorum machinarum nauibus impoſitam flumine Moſa Namurcum (quæ vrbs eſt Cæſarianæ ditionis) vt minus eſſet in receptu periculi, deuehi iubet. His confectis caſtra mouet:ac nequis illum inſequens moleſtus eſſet, iter per medias ſyluas inſtituit, verſus Monticornutum Arduennorum, Malberfontanum & Albentonum, vt rectà Vervinum & Guiſiam pergeret, & ſummam vbique incendiis vaſtitatem edit.

Lorgii ſtrenuè factum.

Cæſariani Maſſeria diſcedunt.

REX audito hoſtem diſceſſiſſe & illac iter facere, anteuertere illum ad Guiſiam ſtatuit: proinde omnes illuc copias iter cõuertere iubet, magnum equitum numerum præmittit, qui hoſtem adequitando latius ad populandam regionem vagari prohiberet. Hoſtis quum Guiſiam proficiſci ſtatuiſſet, certior fit Vindocinum, qui Fervaquij erat (eſt autem cœnobium vnde oritur flumen Somona) miſiſſe Nicolaum Moæum legatum cũ

Singulare certamen quitum & peditum certamen.

1521. centum cataphractis, simul Stratæum quingentorum peditum ductorem, Longo-uallanûm & Ruffimenilium, quibus parem hominum numerum attribuerat, qui Guiſiam defenderent, præterea mareſchallum Chabannium cum ducentis cataphractis Vervinum, vt illum cohiberet. His de cauſis mutato conſilio Albentonum exiguum oppidum diripit, ciues promiſcuè omnes nullo neque ætatis neque ſexus diſcrimine interneccione per ſummam crudelitatem interfecit. Hoc fuit initium tot immanitatũ quæ bellis poſterioribus per totos triginta annos deſignatæ ſunt. Excíſo & incenſo hoc oppidulo, iter Stratipontium ad flumen Oſiam, relicto ad læuam Vervino, conuertit. Rex poſteaquam cum Heluetiis veniſſet, exercitum iubet ad Feruaquium cogi: inde ad montem Sammartinũ, quod cœnobium eſt ſub Belloreuiſo, vnde flumen Scaldis oritur. Ibi Rex Badij virtutem remunerari volens, centum cataphractos illi attribuit, quibus cum imperio præeſſet, & in equitum torquatorum claſſem accenſet. Dum hoſtis pedem referret, antequam copiæ noſtrorum collectæ eſſent, Sampaulius cum ſuis peditibus & aliquot equitibus ad recipiendum Muſonem proficiſcitur. Quum ad ſex paſſuum millia appropinquaſſet, Nothus Naſſauuius quòd perſpiceret non ſatis firmum eſſe oppidum ad tolerandam obſidionem, porta Burgundiana Iværſum ad duo paſſuum millia ſe recipit, igne prius tectis & ædificiis immiſſo. Ibi Grangius, qui vnus ex ducibus eius oppidi fuerat quum hoſti dederetur, tam attentè temporis articulum obſeruauit, vt quum hoſtis vna porta egrederetur, ille alia intraret. Ita oppidum ab incendio ſeruauit, nonnullis incendiariis interfectis. Sampaulius hac re intellecta firmiſſimo præſidio impoſito in eaſtra ad Fervaquium ſe cum ſuis recepit.

Albentoni oppid. crudele excidium.

Noſtri Muſonem recipiunt.

Amiralius in Nauarram venit.

DVM hæc apud Picardos & Campanos fiunt, amiralius Boniuetus miſſus à rege in Nauarram cum quadringentis cataphractis & peditum numero quem ſuprà commemoraui mus, extremo Septembri San-janum Luzæum peruenit: vnde Santandræum bum bis mille quingentis peditibus Germanis mittit, quibus præerant Brandhecus & Villerius, ſic tamen vt ſumma autoritas penes Guiſium eſſet, attribuit ei præterea mille Vaſcones, Nauarros & Cantabros: hos mittit ad oppugnãdam vrbem Mayam. Ipſe qua triduum ad San-janum commoratus arcem Pungentiam in monte Ronceualli ſitam, ſibi dedi imperat. Recuſantibus oppidanis aliquot bombardas nothas quæ vocantur, ſubuehi iubet, & medio itinere cõfecto arcis mœnia percuti: quo ſignificat ſe, ſi in ipſum iugum aſcenderet, neminem in deditionem accepturum. Itaque territi illi deditionem faciunt, ſic tamen vt cum impedimentis abire liceat. Erant autem illic præſidio Hiſpani circiter quinquaginta, quibus Mondrago quidam Hiſpanus præerat. Arce capta amiralius ſimulat ſe Pampalonam proficiſci, ſed biduo pòſt conuerſo itinere exercitum montanis itineribus ducit, vbi coacti ſunt equites ſpatio vnius diei pedibus iter facere. Veſperi acceſſit ad quingentorũ paſſuum ſpatium Maya, ibi totam noctem machinas inſtruit, nonnullis ignem immittit, vt ſuſpicionem hoſtibus præberet ſe illic morari conſtituiſſe. Interim Germani pedites alio itinere progrediuntur, quos ille inſequutus ſub noctem in pagum quendam San-jano Luzæo proximum, quingentis paſſibus citra riuum nomine Stagnæum peruenit: vbi biduum commoratur. Die martis prima luce tota acies inſtructa per montium iuga iter facit ad pagum Biriattam. Ibi quum flumen tranſire cogitarent, reperiunt Hiſpanos non parua multitudine, quorum tamen numerus ob locorum difficultatem perſpici non poterat. His dolis & ſimulationibus vtebatur amiralius vt hoſti omnia incerta eſſent, ſicque Fontirabiam opprimeret. Erant hoſtes trans flumen Behalbiam, noſtri citra: quæ cauſa fuit (vt dixi) vt eorum numerus ſciri nequiret. Labitur hoc flumen ad radices montium qui à Nauarra incipiunt, & prope Fontirabiã in mare influit. Totam noctem exercitus noſter ordinibus inſtructis tranſegit, propterea quod plenilunium erat, æſtus verò maris tam altus, vt flumen neque ab illis neque à noſtris tranſiri poſſet. Poſtero die circiter octauam matutinam, poſt receſſum æſtus Guiſius ſuos Germanos pedites inſtruit, deinde cæteri pedites & equitatus totus acie diſpoſita ad fluminis ripam accedunt. Poſtquam Germani pedites terram deoſculati eſſent (qui illorum mos eſt quum prælium commiſſuri ſunt) Guiſius omnium primus haſtam manu tenens aquam ingreſſus ſuis comitatus in hoſtem vadit. Eum reliqui tanta alacritate inſequuntur, vt Hiſpani licet pares numero, & eo ſuperiores (quemadmodum facilè intelligi poteſt) quòd quieti in arido noſtros tranſiniſſo flumine madentes exciperẽt,

Amiralius ſtra tegema.

illorum

illorum tamen impetu & audacia perterriti fugæ se montibus superatis darent præcipites. Huic exercitui Hispanico præerat Diegus Veræus: ex quibus nonnulli Fontirabiam se recipiunt.

AMIRALIVS vesperi cum exercitu Sammarium magnum pagum aduenit, vbi nemo est repertus, quòd tum viri tum fœminæ montes petierant: illic nostri triduum commorati re frumentaria laborarunt. Hispani enim arcem Behalbiam tenebant, in ipso itinere sitam quo nostris commeatum conuehi necesse erat: quare amiralius iubet vt quacunque ratione transuehantur aliquot machinæ, & noctu muris admoueantur. Imperata nostri faciunt, & quatuor cannæ cum aliquot nothis prouehuntur. Huc postquam venit amiralius, videt machinas suo iudicio nimium procul à muro collocatas esse: itaque media luce trecentorum sexaginta pedum interuallo illas ad murum obuertit. Prima emissione machinarum glans quædam irrumpit in infimam fenestram tormentariam, quo ictu effracta est vna ex præstantissimis illorum machinis, simul tormentarius magister interfectus vnà cum duobus aut tribus quorum opera ad eam torquendam vtebatur. Ea res tantum terrorem vniuersis militibus iniecit, vt ducem cogerent se in fidem ac potestatem amiralij permittere. Ex his qui maximè insignes erãt, captiui Bayonam ducuntur, cæteri inermes dimittuntur. Amiralius huius arcis compos, quæ maximè omnium Fontirabiæ obsidionem ob rem frumentariam impediebat, ex suis relinquit qui tum eam custodirent, tum præsidio cibariis essent: ipse rectà Fontirabiam contendit, quam inexpugnabilem esse omnes iudicabant, & vnum est ex claustris regni Hispanici. Eam, quia exigua est, vndique cingit: est autem sita ad ipsum fluminis ostium, vbi mare ingreditur, hinc mari, illinc flumine, reliqua ex parte monte circundata. Eò postquam peruenit, ipsemet ad promouendas machinas operam nauat, Guisio locum in castris attribuit, singulis cataphractorum ducibus torquendam catapultam igniariam committit, ipse quoque vnam sibi sumit. Res tam celeriter geritur, vt paucis diebus muri pars deiiceretur. Quæ ruina etsi iusta non erat, tamen pedites nostri Vascones, Cantabri & Nauarri sibi potestatem succedendi muro fieri deposcunt: quod etiam conceditur. Vbi si illorum impetus in aggrediendo maximus fuit, non minor certè extitit in propugnando aduersariorum virtus: vt tandem signum receptui in aliud tempus daretur. Oppidani tamen quòd scirent amiralium aliquot torméta in editum locum subuehere decreuisse, quibus illi postridie latere aperto, dum nostri irrumperent peterentur, simul quòd nostrorum virtutem nossent, cuius pridie eius diei periculum fecerant, deditionem faciunt, sic tamen vt cum impedimentis abire liceret: quo tempore Rex Valencenas versus iter faciebat. Huic oppido Iacobum Dalionem Ludæum præponit: qui fidelem operam præstitit, vt postea constabit.

Behalbia deditio.

Fontirabia deditione capta.

NVNC ad Regem quem Fervaquij & ad montem Sammartinũ reliquimus, nostra redeat oratio. Illic quo ordine progressurus esset exercitus constituit: Alenconio primũ agmen committit, & mareschallo Castillionæo, qui secundum illum summam obtineret autoritatem. Borbonius sibi adimi primæ aciei curam, quæ illius propria erat, quippe connestablij, iniquiore animo accepit quàm præ se ferebat: tamen rem tolerauit, & in media acie vnà cum Rege ipso collocatur. Vindocino extremum agmen traditur. Regi nuntiatur hostes Bapalmia excurrentes (est autem oppidum in colle in planitie Artesiana situm) toti oræ regni quæ est ad Peronam, Corbiam & Durlenum moleststissimos esse. Quamobrem Sampaulium cum cohortibus quas ducebat mittit, qui illam ad deditionem compelleret: ei mareschallum Chabannium & Florengium cum suis quenque equestribus turmis adiungit, attributo etiam aliquo machinarum numero. Illi capto oppido & arce, quum non satis firmum locum esse viderent, cui imponeretur præsidium, portas deiiciunt & incendunt. Inde quum recederent, plurima castella euertunt, vnde aduersarij limites regni incursionibus vexabant: tandem ad regem primis a monte Sammartino castris redeunt. Est etiam exiguum oppidum Landrisium nomine ad flumen Sabim, inter stagnum Osæum (vnde flumen illud oritur) & cœnobium Marollanum, quod Hannoniam versus à sylua Mormaliana iactu bombardæ abest, Galliam versus est in ipso egressu syluarum Terassinarum. Illuc Vindocinum cum extremo agmine mittit. Qui quum eò sub occasum solis venisset, quatuor aut quinque ex cohortibus Picardicis sese à commilitonibus auellunt, & absque vllo imperio, absque bombardis aut scalis eo

Rex in Belgiũ exercitum ducit.

Bapalmia à Gallis vi capitur.

1521. impetu in muros & portam feruntur, vt duo signiferi in summum pontem versatilem euaderent: sed mox in fossas deturbantur, vbi alter ex iis moritur. Submouentur a muro opera Germanorum peditum, qui illic octingenti ferè præsidio erant. Ipsi tamen perspecta nostrorum virtute, simul veriti ne diluculo deiectis muris impetum oppugnan-

Landrisii oppida exadium tum sustinere non possent, se noctu tuto in syluam abdiderunt: quò scilicet nostris ob interiectum flumen, quod medium oppidum perlabitur, transitus non patebat. Vindocinus vbi mane oppidum ab defensoribus vacuù offendit, illud delet & incendit: postea ad suos se recepit, quos castra habentes ad Catellum Cameracorum offendit. Ad vicesimum secundum octobris Rex quum castra ad Happrum haberet, (est autem magnus vicus & prioratus monasticus medio inter Cameracum & Valencenas itinere) certior factus Cæsarem exercitum suum Valencenas reduxisse, pontem ad Scaldim infra Buchanium facere statuit, vt hostem ad prælium prouocaret, aut certè illius profectio similis fugæ esset. Assumpto satis firmo ad præsidium equitatu locum ipse ad eam rem idoneum speculatur, quæ Nouauilla: ad Scaldim esse iudicat, etiamsi vtrinque paludes extarent. Sampaulio dat negotium vt cum suis sex millibus tota nocte pontem faciendum curet, simul suos flumen traducat, & castra muniat dum reliquus exercitus transiret.

CÆSAR Valencenis vbi hæc fieri ex nuntiis audit, duodecim millia peditum Germanorum cum quatuor equitum millibus mittit, qui nostros transitu prohiberent. Sed non satis maturè profect:, quum ad flumen accederent, reperiunt Sampaulium traiectum exercitum iam acie instructa in loco palustri illis oppositum collocasse, Regem cũ reliquis copiis quamcelerrime transire: itaque Sampaulium adoriri non audent, qui loco munito & potiori conditione consistebat, & de recepto cogitare cœperunt. Id verò priusquam illis facere liceret, reperiunt primam & mediam nostrorum aciem transisse, vbi equites cataphracti fere mille sexcenti, peditum viginti sex millia erant, vna cum leuiori equitatu. Sed nebula subiata quum numerus hostium nosci non posset, nonnulli ex prima nostrorum acie non censebãt in hostem inferri signa oportere, alij quòd scirẽt ad octingentos hostium equites collocatos esse qui peditibus sui recipiendi facultatem præberent, cum equitibus mille sexcentis illos adoriri statuunt: eos enim, siue in fugam agerentur, siue in peditum agmen compellerentur, quid animi haberent satis ostensuros. Quinetiam Trimollius cum suis equitibus & primæ acici signiferis se rem aggressurum recipit, idem quoque facit Chabannius. Quod si feciss:rat, Cæsar eo die maximo damno & summa ignominia affectus fuisset. Sed plurimis res non probabatur. Quamobrem hostis, cui sexies mille passuũ iter conficiendum erat, idque patenti planitie, exigua admodum iactura se recepit, neque quisquam celebrior desideratus est, præter Nothum Emerium & aliquot equites captiuos. Quum Valencenas rediissent, ibi Cæsar re-

Cæsar Valencenas frustra nocturna dijecit. bus planè desperatis, noctu se cum centum equitibus in Flandriam relictis suis recepit. Eo die hostes nobis manus diuino nutu & consilio traditi fuerant, quod beneficium quum non accepissemus, magno nobis postea constitit. Qui enim præsentem Dei opẽ, quam tempestiue offert, aspernatur, hanc postea, etiamsi maximè optet, adipisci non potest. Extremum interim agmen flumen transierat, & Rex galea induta ante Helueticorum agmen consistebat. Hi summis precibus orabant prælium committi, sibi nihil optatius esse quam vt suum erga Regem studium declararent: propterea quod post pugnã Marinianam & fœdus illic conciliatum sub illo militasse non contigerat, nisi quum Cæsar Maximilianus ad Mediolanum esset: sed nondum erat confirmatum fœdus. Verùm nihil eo die amplius factum est, præterquam quòd ex nostris quidam Valencenas vsque procurrerunt. Rex vesperi ad flumen castra ponit eo ferè loco vbi transierat: postridie Borbonium ad oppidum Buchanium mittit, quod statim deditione accipit. Vindocinũ cum extremo agmine Suminaniũ mittit, quòd oppidum non procul est a flumine Carpo. Hoc flumen transire ad Marchiannas (abbatiæ nomen est) cogitabamus, vt auxilium Tornaco obsesso ferremus. Oritur autem Doaci, & ad cœnobium Viconium inter Valencenas & Santamandum in Scaldim fluit.

DVM hæc geruntur, adsunt regis Angliæ legati, Millortus Chamberlanus & summus San-jani prior, qui de pace agant. Quæ eorum diligentia & studio ea constituitur, vti Cæsar exercitum a Tornacensi obsidione abduceret, vrbem liberam relinqueret, copias item quas ad Mediolanum habebat dimitteret, vtique Rex idem faceret: vtique

Rex legatorũ Angli operã constituta nõ seruatur.

siqua

siqua de oppido controuersia vlla esset, Anglijudicio ambo starent. Rebus ita compositis Rex cœpta persequi desistit, quum omnibus pax esse confirmata videretur. Sed fama interim affertur Fontirabiam (quod oppidum est in Cantabria Cæsarianæ ditionis) ab amiralio Boniueto captam esse. Quare Cæsar in pacis conditiones non prius iurare voluit, quam redderetur: quod quum Rex negaret se facturum, irrita fuere pacta & bellum redintegratum. Dum quinque aut sex dierum spatio in illa regione moramur inter Scaldim & Carpum, tanta pluuiarum copia extitit, vt flumina nulla ratione transiri possent. Itaque explorari placet transitum ad Marchiannas, quà Rex transire decreuerat. Ad eam rem mittitur Mömorencius, qui nuntiat altiora esse flumina quam vt vado transiri queant: quamobrem statuūt in altiorem Arteſiæ partem reducere exercitum, flumenque quod Vico & stagnis Oſæis ortum in Arteſiam labitur, & in Scaldim ad Buchanum influit, transire Cluſæ, qui transitus Doaco quatuor passuum millibus abest. Is dies erat panagiorum vigilia.

Eo die vesperi prima & media acies transeunt cum nonnulla extremi agminis parte. Ad solis occasum pontibus qui ad aggerem cōstructi erant fractis nonnulla plaustra decidunt, quæ ægrè propter loci paluſtris naturam attolli poterant. Ita qui reliqui erant ex nostris, trans flumen Doacum versus & Valencenas pernoctare coguntur, & eo quidem loco vbi a suis auxilium ferri non posset. Prima luce erat autem dies panagiorum) Doaco prodeunt magno numero equites & pedites tum ex Belgicis Cæsarianis tum ex Cluienſibus auxiliaribus, qui nostri exercitus statum explorarent. Equites nostri quos ducebat comes Briennus, Moæus & reliqui duces, quum duo peditum millia ad cornua constituissent, eam speciem aciei præbuerunt, vt quantum turbæ esset ad transmittenda impedimenta hostis nunquam potuerit deprehendere. Quòd si rem nouissent, & vires suas tum Doaco tum Valencenis euocassent, actum plane erat de iis qui trans flumen subsiterant. Transmissis circa meridiem impedimentis, extremi tandem transeunt vt mediam aciem subsequerentur, relictis ad extremum aggerem aliquot peditibus cum sclopis & longis hastis, qui hostem cohiberent, si forte postremos adoriretur: quod tamen non accidit. Coniunctis ergo omnibus copiis in campo Arteſiano, nuntiatur nullum esse præsidium Hedini (is nuntius allatus est Vindocino) postridie magnam hominum multitudinem illic adfuturam ad celebrandas nuptias filiæ tribuni ærarij Arteſiani, propterea quod suspicarentur omnes exercitum nostrum adhuc trans flumen esse. Rex Borbonium illuc summa celeritate cum iis quos adduxerat, mittere statuit, Vindocinum cum extremo agmine, Sampaulium denique cum sex peditum millibus quibus præerat. Profecti Andinferro, quod sex passuum millibus Attrebatibus abest, tanta diligentia etiam iugi pluuia vtuntur, vt oppidani nostrum exercitum ad mœnia prius viderēt quam profectum esse audissent. Statim oppugnatur oppidum, & aliquot machinarijs glandibus muro impactis vi capitur: ibi ingens fit præda, quippe quum oppidum commercio abundaret, in quo ex omni vetustate duces Burgundiæ commeatum vt plurimum habebant. Roxii vxor & Bellanius cognomento Saccareus, quum in oppido essent, in arcem se recipiunt, vbi quum tormentariam oppugnationem instrui vident, ea lege paciscuntur vt Roxiæ & militibus qui præsidio illic esse consueuerant, cum impedimentis abire liceret, oppidani qui se illuc receperant captiui essent: deducitur illa tutò quò proficiſci libuit. Dum Borbonius & Vindocinus arcis oppugnationē expediunt, oppidum a quibusdam prædatoribus igni corripitur: qua in re maxima iactura facta est. Priusquam enim ad restinguendum concurri posset, nōnulla pars cum multis opibus absumpta est. Hedino capto multa per totam vicinia oppidula & arces, nempe Rentium, Balliomontium cum aliis in Regis potestatem veniunt. Quum Andiferri: Borbonius discederet, rex Durleno Ambianum exercitum reduxerat. Itaque Borbonius & Vindocinus arci Hedinensi præficiunt Dubetium, qui tum Pondormij legatus erat (is autem Italico bello interierat) cui ad arcem custodiendam attribuunt cataphractos triginta cum ducentis statuariis militibus. Vrbi præsidium mille peditum imponitur, tribuno militum Lorgio, & duobus legatis Hutino Manho & Barræo, quorum vterque quingentenis præerat. His confectis rebus Borbonius & Vindocinus Ambianum veniunt. Tum Rex exercitum seiungere statuit: maximæ parti nobilium qui in equitatu Borboniano ordines duxerant, vicenos quinos cataphractos attribuit, comiti

Hedinum à Gallis capta.

1521. nempe Dammartino, quem Bolinvillerium agnominabant, procomiti Tureno, procomiti Lauedano, Escario Valguioni, Liftenæo & Rupebaroni Arverno: nonnullos etiam ex Vindocinianis eadem dignitate auxit, comitem scilicet Briennium & Humerium. Duo Heluetiorum millia Abbauillæ reliquit: reliquum exercitum dimisit, sic tamen vt sua oppida præsidiis ad hûc modum firmaret. Bononiæ præficit Fayettum cum quinquaginta cataphractis, Rupebaronem etiam cum quinque & viginti: Teroanæ Nothum Morollum Fraxinæum præfectum cum cataphractis quinquaginta, comitem Dammartinum, Liftenæum, Valguionem, qui vicenis quinis singuli præerant, Bibracte ad Somonam procomitem Lauedanum cum viginti quinque cataphractis, Montrolij Telinnium senescallum Ruergiæ cum iis quibus præerat equitibus: Durleni collocat equites Vindocinianos, Corbiæ Sampaulianos, Peronæ Humerianos, Sanquintini Chabannianos, Guisiæ Guisianos & Briennanos, Veruini denique Brennianos: ipse vt reliquis rebus prospiceret, Compendium proficiscitur. Illic quum circa natalia ei nûtiaretur Tornacenses obsessos magna premi egestate, neque per hyemis inclementiam viam videret subsidij mittendi facultatem dari, Campiruffo mandat (quem principem legatum illic cõstituerat) vt quàm æquissimis possit rationibus cum hoste paciscereturr. Ille de deditione colloquutus cum suis armatis, impedimentis saluis, vexillis explicatis & tympanis strepentibus exit: quos hostes tutò Durlenum prosequuntur. Ciues qui domi manere voluerunt, liberè manserunt: qui Gallicanas partes sequi maluerunt, iis quoque integrum fuit.

Rex exercitu in hyberna dimittit.

Tornacenses deditionem facium.

DVM hæc in citeriori Gallia gerebantur, nihilo quietior erat Italia. Cæsar enim iam inde ab anno superiore 1520, omni ratione Regem obruere cogitans, licet pax inter illos tum constaret, fœdus inter Regem, Venetos & Heluetios initum elanculum labefactare & aliud nouum illi aduersum cum eis sancire conatur: id vbi se perficere non posse videt, Leonem papam ambire cœpit. Is contra sanctissimum fœdus quo antea (vt suprà demonstratum est) Regi coniunctissimus erat, per summam leuitatem cum Cæsare societatem inire cœpit, vt coniunctis viribus & sumptibus Gallos ex Italia eiicerent, Parma & Placentia papæ darentur, quæ patrimonij Ecclesiasticj censerentur. In hanc societatem asciscitur etiam Frãciscus Sforcia, qui apud Germanos exulabat, frater minor Maximiliani eius qui nuper quum dux Mediolanẽsis esset, iure suo Regi cesserat. Illum Sforciam papa & Cæsar communi sumptu Mediolanensis ducatus compotem facere armisque dominium asserere debebant. Per id tempus senator quidam Mediolanensis Hieronymus Moronus, quem rex valde amplificauerat, quum paulo antè libellorum supplicum in regia magistratum peteret, dolore repulsæ papam & Franciscũ Sforciam adit, status Mediolanẽsis rationes se turbaturum & nouarum rerum autorem futurum confirmat. Quod etiam præstitit: neque dubium est quin princeps in causa fuerit cur è ducatu Mediolanensi deturbaremur. Ego vt quæ antea incepi persequar, commemorare statui quæ res papę suspicionem prębuerit, vt Regi diffideret: cuius rei quum nullum initio dedisset indicium, vbi motus citeriores intellexit, suos dolos cœpit patefacere. Scutatus frater Lautreci, qui quum frater in Galliam venisset ductorus vxorem filiam Orvalij ex gente Albretana, relictus erat prorex, quum rescisset aliquot Mediolanenses exules sese Busletum recepisse, Christophoro Palvesino (nam in eius ditione erat Busletum) Regis nomine & autoritate interminatur ne illos exules admittat, & Cardinũ quendam Cremonensem mittit, qui hæc mandata perferat. Cardinus itinere suscepto domum suam quam illic habebat, proficiscitur, vt rei familiari prospiciat. Palvesino nuntiatur venisse Cardinum insidiandi causa: itaque hominem cõprehensum tormentis fateri iubet se huius rei gratia venisse. Hac confessione edita, iubet Palvesinus magistratui vt tanquam conuictum suspendat: quod quum recusaret, ipse hominem damnat, & strangulandũ curat. Palvesinus iste prædiues erat, vt annuus eius reditus esset ad viginti-quinque millia ducatorum in Placentino & Parmesano agro, vir annos natus septuagin-ta, amicitiis florentissimus, domum habens omnibus patentem. Is audiens quæ sibi Regis nomine imperabantur, exules apud se manere non patitur: hi Rhegium ditionis Ecclesiasticæ concedunt, licet inter papam & Regem conuenisset ne alterius exules alteri admittere fas esset. Ad hos exules se multi alij aggregare cœperunt, vt quos Lautrecus Mediolano in exilium egerat, non minori essent numero iis qui domi manserant: quin-

Papa cum Cæsare aduersus Regem fœdus, eiusq; causa.

Scutatus Lautrecti frater Mediolani prorex in cines acerbior.

etiam

etiam magnam partem leui de causa prædicabant patria ciectos esse, vt fortunæ eorum publicarentur. Quæ res multorum nobis inuidiam conflauit, quorum postea studio & opera, vt opes amissas recuperarent, Mediolano excidimus. Priusquã illuc prorex mare schallus Foxius, fratre Lautreco in Galliam profecto (vt dictum est) veniret, Telinnius Ruthenorum Seneschallus hunc magistratum gerebat, qui sua prudentia & humanitate ita sibi Mediolanensium animos conciliauerat, vt omnia summa quiete regerentur. Sed post Scutati aduentum & Telinnij decessum, commutata est administrationis ratio, atque adeo hominum voluntates auersæ.

VT ad rem redeamus, mareschallus Foxius Scutatus vbi audijt exules Rhegium abijsse, quorum præcipui erant Hieronymus Moronus, cuius supra meminimus, & Viscontius Bernabonis Viscontij frater (is autem Bernabo ex equestri cochleatorum ordine erat, & quinquaginta cataphractis præerat) Mediolano profectus Parmam venit: inde die 23 Iunij 1521 cum quadringentis cataphractis Rhegium ire contendit, à comite Guido Rangone (quem papa illic præfectum constituerat) petiturus vt exules sibi dederentur. Quum duobus passuum millibus Rhegio abesset, maximam equitatus partem relinquit, ipse comitatus Alexandro Triuulsio, equite torquato, & quinquaginta cataphractorum præfecto Rhegium pergit, præmisso equite Ambrensi suæ turmæ signifero, & vna Stratæo signifero turmæ cui præerat Michael Antonius marchio Salussius, cum leuioris armaturæ equitibus harum turmarum, qui portam qua itur Mutinam occuparẽt: idq; eo consilio ne dum colloquium cum Rangone haberet, exules ea porta elaberentur. Postquam Rhegium peruenit Scutatus, præfectum ad colloquium euocari postulat, qui postquam porta egressus repagulum præterijsset, Scutatus ex equo descendit. Dum colloquũtur, in oppido conclamatur ad arma, simul è muro quidam Rangonem monet oppugnari oppidũ ad portã Mutinẽsem. Tum ille, Clarissime Foxi, inquit, ingredere vrbem, vt tuos cohibeas, nequid per vim & iniuriam faciant. Dum ingrediuntur, ex muro nescioquis sclopum torquet, & medium Alexandrum Triuulsium traijcit, qui ex vulnere sexto pòst die Parmæ moritur. Statim rumor ad equites qui duobus ab oppido millibus passuum substiterãt, perfertur, mareschallum Foxium Rhegij captiuum detineri. Hic variæ sententiæ dicuntur, quum alij censerent effusis habenis illuc excurrendum, vt ducem liberarent, alij contrà conuersis itinere Parmam redeũdum, vt eam seruarent: idq; propterea quod putarent rem ex compositio geri, vt dum abessent, vrbs occuparetur. Dum inter se alter cãtur, aduenit mareschallus Foxius à comite Rangone dimissus, qui eo die decem millia Rhegio proficiscitur, in oppidum ditionis Ecclesiasticæ: illuc ad eum venit Federicus Bozzolus cum peditibus ferè mille sexcentis. Foxius apud se cogitans quæ sic gesta fuerant, ad maiora pertinere posse, & periculum esse ne papa, cui iampridem cum Cæsare nonnihil societatis intercedebat, hanc occasione vteretur, vt regio fœdere renuntiato Cæsari se adiungeret: Mottæum quendam Gruinum signiferum turmæ cui præerat Ludouicus Asteus, properè cum mandatis ad papam mittit, qui doceret, quæ gesta fuerant, non eo se consilio fecisse vt quicquam vel illi vel Ecclesiæ detrimentosum aggrederetur. Huic papa vehementer commotus respondet Foxium suos fines hostis instar ingressum esse, factum se vt intelligat quàm male negotijs Regijs consuluerit: eum postea diris deuouet, & ab Ecclesiæ communione submouet. Foxius eodem loco quo constiterat, duodecim ferè dies commoratur, à bello tamẽ & omni maleficio prorsus abstinens: deinde Parmam redit, vbi ei præsto fuit Pondormius oppidi ipsius præfectus, quem Rex Diuione ad Foxium misérat, vt illi quid vellet fieri ostenderet, in primis nempe cuperet ne papam alienaret: nolle enim se duos simul hostes habere. His mandatis Foxius auditis Pondormium Parmæ præfectum relinquit, ipse Mediolanum contendit, quòd certior fieret perereberuisse illic famam eum Rhegij captiuum teneri: quo nuntio regiarum partium homines non parum terrebantur. Foxius antea quum videret proscriptorum numerum, Mediolanum scripserat, ad se iubens mitti aliquot machinas æneas: ad quas vehendas quum deessent equi, capi ne cesse fuit iugales quibus matronæ Mediolanenses ad cisia vehenda vtebantur: quo siquidem liberalissimè commodarunt. His Foxij mandatis acceptis magister fabrum & antigraphus extremo Iunio mense Richoburgum adeunt arcis præfectum, vt ab eo machinas & tela machinaria acciperent. Id quum grauatè se faeere ostenderet præfectus, adcunt

Rhegij tumulti excitatus papam irritauit.

Papa belli cã Rege occasionem captat.

1521. cunt illi episcopum Conseranensem Mediolani relictum Regis legatum. Interea maxima turris arcis portæ imminens sexta fere vespertina de cœlo percutitur, in qua inerant bis centena quinquaginta millia pondo pulueris tormentarij, mille ducenti vrcei igniarij, sexcentę lanceæ igniariq,& salis copia in quinquenniũ congesta. Turris ab ipsis fundamẽtis conuulsa est, simul quadrageni ex muro vtrinq; porrecto pedes: cuius ruina oppressi sunt ad trecentos partim milites, qui illic spatiabantur, in his ipse Richoburgus: eodem modo alij perierunt, qui extra arcem in platea deambulabant. Tanta pulueris vis extitit, vt muri partes solidas ad ducentorum quinquaginta passuum spatium sublimes extulerit, quibus loco mouendis centum boum vires vix satis fuissent. Hinc tanta solitudo sequuta est, vt arx absque vlla custodia relinqueretur: vt Galli quidam senatores cum suis domesticis cogerentur ad eam custodiendam statim concurre re vsque dum centum cataphracti Nouaria venirent. Hoc casu audito papa Leo omen arripuit tanquam sibi secundum, Gallis infaustum esset, aduersum illis Deum dictitans: itaque opem diuinam sibi affuturam sperans, Regem in hostium numero palàm habere decreuit.

Arx Mediolanensis de cœlo tacta.

Garrouius Palvesinũ Mediolanensem, à quo obsidebatur, capit.

A p lacum Comensem erat nobilis quidam Mediolanensis Manfredus Palvesinus, cuius summa erat autoritas. Is cum non exigua militum manu, maximè Germanorum peditum, pridie eius dici qui natalis Ioannis celebratur (quo etiam die Scutatus Rhegij fuerat) rectà Comum contendit, cui præerat capitaneus Garrouius Cantaber rei militaris peritissimus. Tum ergo dum extra oppidum festum diem pro more celebrarent, Garrouius audito repente tumultu in vrbem redit, & qua erat in rebus gerendis solertia, custodijs murum tum pro hominũ numero quos habebat tum ad præsentem vsum firmare cœpit, ita tamen vt ciues & milites alternis locis disponeret: eo consilio vt siquid de hoste intromittendo cogitassent, id irritum esset. Palvesinus ad portas oppidi accedit: verùm vbi perspexit quanta industria nostri suis rationibus consuluissent, nihil amplius susc ipere ausus est. Benedictus quidam Vlmæus ciuis Comensis, caput & administer coniurationis, Palvesino confirmauerat Antonium Rusquium ciuem, qui intus consilij particeps erat, effecturum vt aditus illi in oppidum daretur: noctu enim per posticum domus murum effracturum, vbi expeditus esset homini armato transitus, Gallos porrò qui tam pauci essent, ingressum non impedituros. Verùm Benedictum illum spes fefellit: nam Garrouius (vt dictum est) permixtis ciuibus & militibus effecit vt neque Rusquius neque quisquam alius se aperire ausus fuerit. Palvesinus vbi videt irritum esse temerarium hunc conatum, locis circa oppidum qui videbantur commodissimi custodias disponit, ipse cubitum concedit: sed non diuturno somno illi frui contigit. Etenim Garrouius vbi perspexit eos negligentius excubias agere, eruptione summa dexteritate facta, octingentos pedites tum Germanos tum Italos somno oppressos inuenit: quos ita perterruit, vt ilico maxima confusione ausugerent: ipse cum ducentis amplius quadringentos ex hostibus interfecit. Quinetiam Palvesino ipsi tantum terrorem immisit, vt ambigere cœperit num lacu consenso nauigio, an verò terrestri itinere fugam arripere. Tandem autoribus Germanorum ductoribus terrestre iter sequutus est: sed tamen (vt hominibus attonitis vsuuenit) ex comitibus illius alij nauigio abierunt, alij montium ita ga petierunt. Garrouius animaduersa tanta hostium perturbatione, angustias occupare instituit quà illis transeundum esse nouerat: quamobrem cum ea hominum multitudine quam colligere potuit, naui consensa, celeritate nauigandi hostes anteuertit. Quum eò venit Palvesinus nihil tale suspicans, in nostrorum insidias incidit, tanto timore perculsus vt de resistendo non cogitaret: ita capitur ipse cum aliquot alijs ducibus Italis, reliqui interficiuntur, præter paucos qui montibus superatis euadunt. Garrouius Germanos pedites domum fide data redire voluit, Palvesinum cum firma custodia Mediolanum misit. Illic confessus coniurationes aduersus Regem initas & rerum nouarum consilia in ducatu Mediolanensi, maximè Hieronymo Morono autore hæc à se susceptа fuisse, causa cognita crudelissimo & inaudito genere mortis afficitur: obtruncantur etiam Bartholomæus Ferrerius & capitaneus Sotus. Cæteri Palvesini indicijs prodìti in montes se receperunt, qui nobis postea bello infestissimi fuerunt.

MARESCHALLVS Foxius quum Rhegio Mediolanũ reuertisset, vbi omnia ad defectionem spectare videt, ad Heluetios mittit ad octo millium hominum delectum habendum:

bendum: deinde collectas aliquot peditum cohortes Parmam mittit, quò iam peruenerat Federicus Bozzolus. Illis etiam adfuit Pondormius Parmæ præfectus cum suis quinquaginta cataphractis: qui quum sciret hostis primum impetum illuc factum, vallo celeriter oppidum munierat. Dum hæc in Italia geruntur, Rex certior fit colloquium habitum fuisse à Foxio cum Rhegij præfecto, & papæ in suspicionem venisse quasi oppidũ illud occupare conatus fuisset. Id quod molestissimè tulit, quòd timeret ne papa ob eam causam ad bellum inferendum adduceretur: nolebat autem sibi hunc hostem accedere, cui satis erat quòd cum Cæsare sibi res esset. His causis adductus Lautrecum mareschalli Foxij fratrem Mediolanum (vt demonstratum est) mittit. Is postquam eò peruenit, Palvesinum, cuius antè memini, crudelissimè necauit, hominem summæ inter suos autoritatis, qui annuo reditu habebat XXV M ducatorum in agro Placentino & Parmesano: idq; ob eam solam causam quam commemoraumus, quum nullius præterea sceleris conuictum esse omnes prædicarent. Bona eius publicata fratri Foxio dedit, quod in pessimam partem à plurimis est acceptum, quoque à nobis abalienati ad hostes transierunt. Erat enim ille potentissimus totius regionis in primis Leoni papæ necessitudine cõiunctus. Ex ijs qui in iudicio aderant plurimi non censebant necandum esse, quum illud hominis primum esset peccatum, sed potius in Galliam mittendum: sic enim obsidis cuiusdam instar futurum, ad retinendos multorum animos ne deficerent, & augendum erga Regem studium, vt in gratiam hac ratione redirent. Certè pauci senatores vt capitali iudicio subscriberent adducti sunt.

LIBRI PRIMI FINIS.

MARTINI BELLAII LANGAEI COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

1521. *Cæsar, papa & aliquot Italiæ populi fœdere iuncti.*

EO tempore inita est & iureiurando confirmata factio inter Leonem papam & Cæsarem, in quam ascisi sunt Federicus Gonzaga marchio Mantuanus & Florentinorum resp. Hi omnes vno consensu factionis principem Prosperum Columnam patricium Romanum creant, quem (vt superiore commentario demonstrauimus) necopinantem anno 1515 Villafrancæ nostri ceperant. Is Gonzaga marchio Mantuanus ab adolescentia educatus fuerat in aula Ludouici duodecimi, eúmque Franciscus quum regnum iniret, præfectura centum cataphractorum ornauerat, & legatum Bocartum cognomento Refugum attribuerat. Bocartus in ipsos equites imperium sibi arrogare cœpit, suum id ius esse, penes marchionem nomen tantum & ornamentum residere: atque adeo signiferum & vexillarium ipse constituit. Id marchioni acerbum valde accidit, sed dissimulandum tamẽ sibi esse censuit: deinde quum videret Regi cum papa amicitiam constare, à Rege petit vt sibi per eum liceat honorem sibi à papa habitum accipere, qui eum vexillarium Ecclesiæ creauerat. Hoc vbi à Rege obtinuit, occasionem postea nactus, quum papa se hostem Regis profiteretur, torquem equestris dignitatis insigne Regi remittit, & Ecclesiastici exercitus imperator creatur. Cæsar Ferrando Aualoso marchioni Piscario, vt se cum illis coniungat iubet cum quadringentis cataphractis, quos ex regno Neapolitano adduxerat. Eo tempore adfuit Hieronymus Adurnâ cum tribus millibus Hispanorum, qui nuper aduenerant. Hi omnes vires suas vniuersas Bononiæ congregant, & consilio communicato Parmam cõtendendum esse statuunt, relicto Piscario cum trecentis cataphractis & aliquot peditibus ad limites agri Mantuani, qui quatuor millibus Germanorum peditum & duobus millibus Rhetorum auxilio venientibus præsidio essent, ne à Venetis angustiarum transitu prohiberentur. Lautrecus certior factus Cæsarianos Parmam versus progredi, mareschallum Foxium fratrem illuc mittit cum suis centum cataphractis & aliis quos ex tempore colligere potuit. Illic præsto fuit Federicus Bozzolus cum bis mille peditibus Italis, Pondormius etiam cum suis quinquaginta cataphractis, centum item equites Scoti quibus præerat Albinius, ductore Luca legato, equites Philippi Chaboti Brionij, numero quadraginta cataphracti, ductore Paride legato Delphinate, viro celeberrimo, equites Ludouici Astæi numero sexaginta cataphracti, Sampaulij equites cataphracti triginta: denique Ioannes Hieronymus Castellioneus, & comes Ludouicus Bellijocus, qui peditibus Italis præerant.

HOSTES Rhegio vbi fere sesquimensem commorati fuissent, profecti omnibus copiis ad torrentem progrediuntur sexies mille passuum Parma interuallo (is limes est Mediolanensis & Rhegini agri, qui ditionis sacræ est) ita tamen vt incursionibus abstinerent. Ad hunc torrentem circiter dies quindecim commorati, tandem transeunt, & armati in fines Mediolanenses impressionem faciunt: quæ fuit aperta belli denuntiatio. Totus iste confœderatorum exercitus mille quingentorum passuum interuallo Parma

castra

castra ponit,ad vicum Sammartinum. Inter hunc vicum & Parmam Giara planities interest,in qua pluuioso cœlo magnæ existunt inundationes, sereno siccum est solum, vt pote arenosum: spectátque ea planities arcem Parmensem. Illic velitationes tum pedestres tum equestres quàm dici potest bellicosissimæ cõmittebantur: atque hoc fuit initiũ seloporum qui furca subiecta torquentur. Hostes vbi per aliquot dies in planitie consedissent, die mercurij qui Ioanni obtruncato sacer est, machinas ad portam crucianam Mediolanum versus promouẽt, vbi tum suburbanæ duntaxat ædes erant: hanc portam & reliqua lateralia munimenta postridie concutiunt. Postero deinceps die multas tum simplas tum duplas cannas ad oppugnationem collocant, tantáque diligentia vtuntur, vt meridie muri ruina quinquaginta passus lata facta sit, in quam quum tribus cuneis irrumpere conarentur, à nostris tum equitibus tum peditibus submouentur. Qua parte ruina huius muri facta est, nullæ erant fossæ, & murus planè infirmus, vt quum vtrinque noctu in excubiis essent, alteri vicissim aliorum hastas intus & extra conspicerent. Vnde tantus terror pedites nostros Italos inuasit, vt plurimi per muri deiecti patentem ruinam egressi ad hostes transirent, atque ex sex ferè millibus hominum non relinquerentur duo millia: sed illorum duces fidelem operam nauarunt. Marescallus Foxius quum quindecim dierum ferè spatio inferius oppidum seruassẽt, de sententia ducum exercitus noctu deserere decreuit, quòd diurno & nocturno labori ferendo pares non essent. Quare vbi tota nocte in vrbem superiorem deduxissent machinas & quæ vsui erant omnia, illuc horæ vnius spatio priusquam diluxisset se recipiunt, relicto quodam peditum duce ex cohortibus Federici, quoad omnes intus coacti essent. Is vbi videt tempus esse vt receptui prospiciat, egregio strategemate vtitur, ne hostes recedenti instatent. Sclopetarios omnes suos iubet extremum funem accensum præcidere, eúmque certis spatiis intermissis vallo imponere, quibus locis excubias agere consueuerant. Ita factum est vt hostes nostros in stationibus esse arbitrati nihil de discessu prius senserint, quàm horæ iam spatium dies promouisset, & nostris rebus suis prospiciẽdis facultas daretur. Postquam constitit nostros pedem retulisse, hostis machinas traiicit iis ipsis muri ruinis vnde repulsus fuerat, eáque media luce ad superiorem vrbem promouet, propterea quod ædificiis suburbanis tanquam vimineis pluteis vterentur, & machinas collocant pontem versus: quo die exiguam muri partem labefactarunt, sed capitaneus Lucas ictu bombardæ interiit. Tandem hostis videns obfirmatos oppidanos, certior etiam factus Lautrecum cum exercitu appropinquare, in quo erant viginti millia Heluetiorũ, die lunæ mane aliquo machinarum strepitu edito, abducunt machinas, & duobus passuum milibus Parma secundo Pado abscedunt.

Parmæ nostri obsidentur.

Hostes Parmæ infesta discedunt.

LAVTRECVS cum suis Heluetiis, equitibus grauis armaturæ ferè octingentis, & aliquot peditibus Gallis, quos hinc inde collegerat, adiunctis etiam Venetorum copiis, quingentis nempe cataphractis equitibus (vt illorum mos fert) & octo fere peditum millibus, hostem insequi cœpit. Verùm dum in arce quadam Rupeblanqua oppugnanda suos detinet, (ibi enim tridui fere spatium absumpsit) aduersarius sui colligẽdi facultatem præbuit, vt Padũ transirent: quod minimè profecto facere licuisset, si illis instare voluisset. Lautrecus fratrem Foxium accersit, quoscunque habeat ad se adducat: quamobrem quum Parmam nullo defensore deseruisset, ciues statim in papæ fidem se dedunt. Marescallus Foxius Padum è regione Cremonæ ad fratrem transit: itaque coniunctis ambo copiis Burdelenæ duobus ab hostium castris passuum millibus castra collocant, illi enim Rebecci ad castrum Pontiuium (quod ditionis est Venetorum) septem passuũ millibus Cremona confederant. Situm est autem Rebeccum ad riuum quendã qui Mediolanensem agrum à Veneto disterminat. Trans eum riuum loco edito est castrũ Pontiuium, despectus habens in eam planitiẽ vbi hostis castra habebat. Quem si tum adorti fuissemus (biduum enim ibi commoratus est, quum nos Burdelenæ essemus) non est dubium quin è loco superiori bombardis petitus & turbatus fuisset, vt ad instruendam aciem nulla illi facultas daretur. Tertio die aggredi illos decreueramus, sed tarditate nostrorum ducum effectum est vt elaberentur: itaque Lautrecus eo die Rebecci, vnde illi discesserant, castra locat. Postero die eos insequi cœpit, & mille passuum interuallo eorũ castris castra confert, quum quidem loco munito cui Ostiana nomẽ erat in marchionatu Mantuano se continerent. Postridie Lautrecus hostes è munitionibus elicere cupiẽs,

Parmenses ad papam desiciunt.

§ 21. aciem explicat: at illi quòd inferiores se nossent, castris se cõtinuerunt, neque sui potestatem, quantumuis lacessiti fecerunt. Quamobrem Lautrecus copias Rebeccum reduxit nescio qua causa adductus: nisi quòd aiunt illi satis fuisse quòd hostem ex agro Mediola-
Helueti ad hostes transeunt. nẽsi expulisset. Rebecci exercitus noster octo circiter dies commoratur, quum interim mensis Nouember appeteret noctes fierent productiores, pluuiosæ & frigidæ. Quare Heluetij tædio affecti venia non impetrata abierunt, stipendia non dari causati, vt ex viginti millibus circiter quatuor millia remanerent: hoc quidem constat, à cardinali Medicæo papæ consanguineo ad hanc rem fuisse solicitatos. Rebecco Pondormius cũ suis mittitur, attributo comite Hugone Pepolone, qui legatus præerat turmæ ducis Genuẽsis, & circiter MCC peditibus, duobus præterea falconellis, qui Heluetios transitu prohi- 10
berent, quos cardinalis Medicæus (qui postea papa Clemens fuit) & cardinalis Sedunen sis adducebant. Is transitus erat ad flumen in ditione Venetorum, vergit autẽ ad lacum Istium. Hunc nostri biduum aut triduũ occupant, postea hostes vi perrumpunt, quâ Hugo cum suis aditum obsidebat. Itaq; Pondormius oppidũ petit ditionis Venetorum, vbi biduum cõmoratus, ad Lautrecum se confert, quem etiamnum ad Rebeccum inuenit. Heluetij qui à nobis defecerãt, ad Prosperũ Columnã, qui (vti dictũ est) factionis imperator erat, transeunt. Lautrecus videns suorum numerũ minui, hostiles copias contra trãsfugis augeri, fluminis Addæ aditus munire constituit, simul Mediolanum missis nuntiis iubet castella & vallũ instaurari quæ antea à Borbonio facta fuisse demonstrauimus. Cæ-
fariani Addæ transitum quum tentarent, tandẽ Franciscus Moronus Mediolanẽsis Hie- 20
ronymi Moroni nepos, & alij nonnulli belli duces, qui regionis situm perspectum habebant, Bembram adierunt, quod exiguum flumen est ex Bergomatum finibus fluens, & Vauræ in Addam labitur. Vauræ aliquot nauigia in arundineto nacti flumen circiter quadringentos homines traiiciunt: hi comitem Hugonem qui ad hunc transitum à Lautreco constitutus fuerat, in fugam coniiciunt: vbi capitaneus Cardinus qui quingẽtis viris præerat interficitur, simul Gratianus Lucæus qui parem dignitatem obtinebat.

Lautrecus Mediolanum se recipit. LAVTRECVS vbi aditum vi patefactum esse audiuit, firmum præsidium Cremonę reliquit, ipse summa celeritate Mediolanum, veritus ne hostis anteuerteret, redit. Vrbem dispositis custodiis munit, auxilium quod è Gallia mittebatur, illic expectare statuit, mense Nouembri. Prosper flumine Adda traiecto, certior factus Lautrecum Me- 30
diolani esse operi accelerando & munienda: vrbi intentum, hominem insequi constituit, & Cheraualle m (cœnobium hoc Mediolano abest quatuor passuum millibus, Lauda Mediolanum iter facientibus) copias adducit. Ibi quum incertus esset, quidnam ageret, quòd magnam hominum multitudinem in oppido esse non dubitaret, adducitur rusticus quidam in excubiis marchionis Mantuani captus, qui Prospero & reliquis ducibus ait se à nonnullis ciuibus qui Cæsarianas partes sequebantur ad Hieronymum Moronum mitti, qui cõfirmaret eos, si rectà pergere vellent, sine vlla dubitatione oppidum occupaturos esse: sin cunctarentur, & Gallis sui colligendi & vires explorandi facultas daretur, frustra illos postea rationem qua eos expellerent quęsituros. His auditis cocunt duces, & vicesimotertio Nouembris die statuunt vt marchio Piscarius cum cohortibus 40
Hispanicis, quibus tum præerat, recta ad portam Romanam sub occasum solis accedat, cuius portæ & simul suburbiorum custodia cõmissa erat copiis Venetis, quibus Theodorus Triuulsius cum imperio præerat. Piscarius delectis MCC viris ad primum impetũ faciendum, rectà castellum petit, quod à Venetis inceptum nondum ad arcẽdum hostẽ satis firmum erat. Hi repentino metu perculsi hostibus non obsistunt, sed relicta muni-
Hostes Mediolani suburbia primo impetu capiunt. tione & statione fugantur. Theodorus Triuulsius, qui ægrotus decũbebat, è lectulo surgit, seq; hosti opponit cum paucis quibusdam quos ex suis reperit, & se ad hostium impetum infringendum parat, suos magno numero pone sequi arbitratus. At illis, quoniã nullus est in nocte pudor, dilapsis ipse impar victus capitur, & postea coronatorum XM redimitur: simul etiam Iulius Sanseuerinus & marchio Vigeuanus capiuntur. Lautre- 50
cus vbi suburbia à Venetis absque vllo prælio relicta esse animaduertit, se cum suis quos reliquos habebat in plateã recipit quæ est è regione arcis: deinde quum videret nulla ra-
Mediolanum captum diripitur. tione oppidũ suburbio amisso seruari posse, loco excedere cõstituit, & Comũ versus ad Heluetios, vt auxilium è Gallia expectaret, proficiscitur: prius tamẽ arci Mascaronẽ Vasconem præponit. Episcopus etiã Conseranensis quum alios sequi non posset, remansit,

quin-

quinquaginta item grauis armaturæ milites & sexcenti pedites Galli. Cardinalis Medicæus cum copijs papanis Piscarium subsequutus, Mediolanum prima luce ingreditur. Ibi inæstimabilis fit præda: nam totos decem dies direptio militum, tametsi duces pro imperio vetarent, cohiberi non potuit.

CÆSARIANI & papani vrbe potiti, de conficiendo bello consilia inire cœperunt, & multis in vtranque partem sermonibus habitis constituunt Heluetios à fœdere Gallico alienandos esse: itaque ad eos mittitur Veronensis episcopus papæ nomine & alij à ciuibus Mediolanensibus, qui de ea re cum illis agant. Vbi ad confœderatorum limites ventū est, Mediolanenses se vlterius nisi accepta fide publica progressuros negāt: Veronensis episcopus audacius institutum iter conficit, sed suo malo. Eum enim Heluetij quòd in suos fines, qui Gallorum socij erant, absque fide publica ingressus esset, vinctum in custodiam tradunt. Lautrecus interim Comum proficiscitur, secum habens nō amplius quingentos grauis armaturæ equites, Heluetiorum quatuor millia cum paucis peditibus. Venetis aderant quadringenti grauis armaturæ suo more, peditum sex millia cum impedimentorum nō ita magno numero. Sub diluculū Comum peruenit, ibique totum exercitum collocauit: postero die quatuor Heluetiorum millia qui remanserant, domum redierunt. Lautrecus cum omni equitatu Leccam versus contēdit, vbi flumine traiecto præsidia in Venetorum oppida deduxit, Vandenessum mareschalli Chabannij fratrem L cataphractorum præfectum Como præposuit, eique capitaneum Bouetum cum D peditibus Gallis attribuit. Hostes exercitum nostrum insequuti Comum obsident, & oppugnatione X aut XII dierum spatio facta, Vandenessius oppidū seruari non posse quum videret, cū Piscario Cæsaris in ea obsidione legato paciscitur vti milites impedimentis, equis & armis saluis abirent, & tutò in Venetorum fines deducerentur. Hac pactione inita & chirographo confirmata marchio pronuntiari iubet vti milites domū se recipiant, & sarcinas expediant, se quidem, nequid illis detrimenti inferretur, Hispanos capitaneos in parte muri deiecta collocaturum. Vix horæ spatium intercesserat, quū hostes passim domos ingressi tum milites tum ciues ipsos, de quibus etiam pactione cautum fuerat, diripiunt. Præda facta ingreditur marchio Piscarius, sibi dolere simulās hæc sic gesta esse, & militibus nonnihil ex præda restitui imperat: verùm ex iis plurimi spoliati pedestri itinere abire coacti sunt. Vandenessius inde profectus quum ad Lautrecum veniisset, illius permissu Piscario per caducetatorem prouocationem denuntiat, promissis illum & datæ fidei non stetisse: quod si inficietur, se singulari certamine instare factum paratum esse. Piscarius respondet, si se prudente aut iubente direptionem contigisse audet asserere, eum se falsi reum agere. Multæ vtrinque denuntiationes fiunt, quum Pondormius Vandenessi fideiussor esset: verùm antequam hæc cōtrouersia singulari certamine dirimeretur, Vandenessius ad Romanienum moritur, quum amiralius Boniuetus exercitum reduceret. Paucis post diebus Veneti molestè ferre cœperūt nostros diutius apud se commorātes gratis ali. Itaque placuit omnem exercitum discedere, & die dicto in duobus pagis decem millium interuallo Cremona conuenire: quod sine mora factū est. Cremonenses quòd nostrum exercitum funditus Mediolani deletū esse arbitrarentur, à nobis deficiunt, & suis portis Cæsariana insignia imponunt. Quod vbi Lautreco nuntiatum est, nihil ad celeritatem relinquere statuit quò vrbē reciperet, ope arcis quæ à nostris adhuc tenebatur, cui præerat Ianotus Herbouillæus Bunouius. In vrbe homines erant vndique collecti, pauci rei bellicæ periti, qui tamen vallum & fossam aduersus arcem ad impediendas eruptiones ducunt. Huc impetum faciunt ferè CL grauis armaturæ & CCC quos sagittarios siue arcitenentes vocant, quos oppidani fortiter repellunt. Quum secundò illos adoriri pararent, hostes perterriti de deditione colloqui cœperunt, modò saluis impedimentis abire liceat: id nostri cōcedunt ea lege vt post duas horas oppido excedant. Accepta ab his conditione, Lautrecus cum D grauis armaturæ vrbē galeatus ingreditur, illicq; cum suis moratur. Profuit illa celeritas qua vsus est Lautrecus, qui si vno die amplius cunctatus fuisset, hostes numero superiores illuc proculdubio venissent. Lautrecus Cremonæ triduum aut quatriduū cōmoratus marescalem Foxium fratrem in Galliā mittit, qui regē doceat quo loco res Mediolanenses esset, quem Cōpendij inuenit. Hoc facto Lautrecus Piscuetonem mittit, hoc enim oppidū à nostris adhuc tenebatur. Hoc quidē verum est, simulatque Mediolanum amisimus, qui

Lautrecus exit quo exercitu Comū venit.

Comi deditio & præda.

Cremona à Rege deficit, & à nostris capitur.

1521. nostri antea studioſi videbantur, eos ſtatim alienatos eſſe. Quare Lautrecus copias variis locis distribuere ſtatuit, vt eas dum è Gallia ſubſidium mitteretur recrearet. Cremonæ præſidium imponit quinquaginta cataphractos, eorúmque præfectum marchionem Saluſſium Michaelem Antonium oppido præponit, attributis centum Foxianis grauis armaturæ, & nonnullis peditibus Italis ex cohortibus Federici Bozzoli, aliquot etiam equites in oppida ipſius Federici dimittit: ipſum denique Federicum ad Parmam recipiendam mittit, quam defeciſſe à nobis meminimus. Id quod efficere non potuit; ita omnia erant à papanis prouiſa. Proſper Columna qui cum ſuis omnibus Mediolanum ingreſſus fuerat, id temporis certior factus Alexandriam à ciuibus teneri, ſtudio Gibellinorum fretus eò contendit. Quò quum veniſſet, ciues eruptione facta, Gibellinorum dolo repelluntur, ſicque Hiſpani permixti irrumpunt. Papienſes quum apud ſe præſidio haberent Sampaulianos equites, eos monent loco excedant, ſe enim illis ſeruandis idoneos non eſſe, quin ab hoſtibus deleantur. Hi vbi ſibi omnia infeſta vident, Aſtam ſe recipiunt.

Alexandria ab hoſtibus capta.

Papa rebus noſtrorum aduerſis ſupra modum exhilarat, mœſtitiam mentis moritur.

EODEM tempore papa Leo quum reſciuiſſet noſtros Mediolano expulſos eſſe, tantam ex eo nuntio lætitiam cepit, vt rheumate & febri continenti triduo abſumptus ſit. Bene ſanè cum illo actum, qui præ gaudio obierit. Statim Rex cardinales Borboniũ & Lotaringum curſoriis equis Romam mittit ad eligendum qui demortuo ſuccederet. Dum iter faciunt, audiunt deſignatum eſſe ſucceſſorem (cui nomen fuit Adriano) patria Louanienſem, Caroli Cæſaris olim præceptorem. Is tum Roma aberat in Hiſpania, quum papatum obtinuit: itaque cardinales conuerſo itinere in Galliam reuertuntur. Cardinalis porro Medicæus, qui legatũ agebat in exercitu papano, audita papę conſanguinei morte, exercitum dimiſit, & ipſe Romam ſe recipit. Lautrecus Cremona recepta & rebus in tuto collocatis, cum ducentis cataphractis in fines Venetorum reuertitur, vbi propter rem ex ſententia geſtam amicè excipitur. Verùm decem pòſt diebus accepto ſiniſtro nuntio de re Papienſi & Alexãdrina ad motum fortunæ ſe mouere cœperunt, & grauem ſibi eum eſſe apud ſe demonſtrarunt, cúmque monendum curarunt diutius illic hærere aut in ſuis regionibus ferri nõ poſſe, itaque illinc faceſſeret. Id facere coactus Cremonam redit. Mortuo Leone papa Franciſcus Maria, cuius res vehementer erant acciſæ, vt qui à Gallis in Leonis gratiã ducatu Vrbinenſi (vt ſuperiori libro demonſtratum eſt) ſpoliatus fuerat: tum pro optima voluntate, qua illum vt pote virtute bellica præſtantem proſequebantur milites, tum etiam in Leonis inuidiam (qui pro tantis Gallorum in ſe meritis hanc retulerat gratiam, vt regis hoſtem ſe apertè profiteretur) collegit ad ſexcentos voluntarios milites, quibus ducatum paucis diebus recepit, & ad hunc vſque diem retinuit. Proſper factionis imperator & Hieronymus Moronus, qui Franciſci Sfortiæ (cuius cauſa bellum iſtud motum fuerat) res curabat, vbi vident ſe ab exercitu papano deſtitutos, in quo præcipuæ illorum vires tum ob equitatum tum ob rẽ pecuniariã poſitæ erant, ſtatuunt inueniendã eſſe rationem qua res partas tuerentur: in primis autem re numaria laborabant. Et quoniã hyems aduenerat, quo tempore non ita magno exercitu opus erat, vt ſumptu leuarentur, Heluetios menſtruo ſtipendio numerato dimittũt, peditibus quoq; Rhetis & Italis idem faciũt: equitatum qui antea ſumptibus papæ alebatur, cum marchione Mantuano mittunt, vt in Placentino & Parmeſano agro arbitratu ſuo viuerent, pedites tum Hiſpanos tum Germanos in oppida & caſtra quæ ſubegerant eadẽ conditione dimittunt, paucos quoſdã Mediolani retinent, qui Gallos eruptionibus ex arce prohiberent. Moronus vt rem pecuniariã expediret, ſubornat monachum quendã Auguſtinianum Andreã Ferrarienſem, qui quum dicendo valeret, ſuis cõcionibus populum in hanc ſententiã pellexit, irã Dei in Gallos cecidiſſe: vt cui vel duo ſuppeterent coronati, is alterum liberaliter in belli vſum conferret. Huic monacho pollicebatur Moronus archiepiſcopatum Mediolanenſem: ſed promiſſam rem nõ præſtitit. Rex poſtquam Compendij ſigillatim è Foxio didicit quo loco res Italicæ eſſent, Nothum Sabaudum præfectum prætorio, mareſchallum Chabannium, Galeacium Sãſeuerinum præfectum hippocomiæ & Mommorencium ad Heluetios mittit, qui ſedecim hominum millia conſcriberent, vt Mediolanum ſubſidio ducerentur.

Monachi cuiuſdam concionibus bellũ exardeſcit.

DVM hæc in Italia geruntur, nihilo maior in Picardia quies extabat. Demonſtratum eſt qua ratione hanc regni oram Rex diſpoſitis vndique præſidiis Valencenis re-

uerſus

uersus muniisset. Tota hyeme bellum vtrinque acerrimè à præsidiariis gerebatur, vbi aliàs Galli aliàs Burgundi certamine superiores discedebant. Inter cætera vnum extat quod prætermittendum non videtur. Ad viceſimum quintum Martij annio 1525. ante Paſchalia mille ducenti pedites Germani è præſidio Attrebatenſi traiecto ad Durlenum flumine Othia, pagum Bernauillam cum aliis finitimis populati ſunt. Qua re intellecta Vindociniani equites qui Durleni erant præſidio, (his autem præerat Straræus) nocte intempeſta equos conſcendunt, vt eos redeuntes ad vadum fluminis præſtolarentur, tametſi duntaxat triginta eſſent cataphracti, cum arcitenentibus circiter quinquaginta: ſed tantam rem ſuſcipiebant peditum virtute freti, qui ſe dimicaturos confirmabant: hos enim fere trecentos voluntarios collegerant. Hoſtes iam vadum tranſiiſſe reperiunt, itaque illos adoriri ſtatuunt: quod etiam tanto impetu faciunt, vt turbatis ordinibus eos diſiiciant. Vbi ex noſtris cadunt Ricamæus & Nothus Dampontius, equus Straræi, qui autor rei ſuſcipiendæ fuerat, interficitur, equus item Martini Bellaij, Coqueleti & Lealij. Quũ autẽ pedites ſubſecuturos conſiderent, reperiunt illos, antequã ad teli iactum acceſſiſſent, fugę ſe mandaſſe: quare quum denuo hoſtes adoriri ſtatuerent, curſum inhibere coacti ſunt. Nihilominus tamen illos prædam relinquere cogunt: & ex Germanis peditibus tum in conflictu tum in receptu centum quinquaginta interficiuntur, in primis vnus ex præcipuis eorum ducibus. Illi poſtquam ſe Attrebatum recepiſſent, tam aduerſo prælio ſe pugnaſſe dolentes, tãtam iniuriam vindicare ſtatuunt, & Durlenum ex improuiſo opprimere, vbi magna ſolitudo præſidij erat: nullis enim peditibus tenebatur. Ad eam rem perficiendam comes Buranus princeps legatus Cæſaris in Belgio, coactis omnibus tam peditibus quàm equitibus qui in ora Belgica præſidio conſtituti erant, ſex etiam tormentis æneis, Durlenum die ſabbati XIX Martij paulo ſub diluculum venit, & ſupra oppidum ea parte quæ Ambianum vergit, vbi nunc arx eſt, caſtra locat, nihil minus cogitans quàm noſtros in tanta paucitate expectaturos dum machinæ murum percuterent. At illi tam audaci facinore deſignato, quum mille ducentos pedites Germanos aggrederentur, non dubitant etiam aliud longè maius tentare, quum vigintiquinque duntaxat equites cataphracti reliqui eſſent. Buranus vbi animo tam præſenti eos eſſe videt, machinis admotis murum concutit ad turrim Corneriam Auchianum caſtrum verſus: deinde ſuos vndique muro ſuccedere etiam ſcalis iubet. Sed obſeſſi ope diuina & ciuium diligentia tam ſtrenuè eos repellunt, vt non pauci in foſſis occiſi iacerent. Interea Vindocinus Ambiano Sampaulium fratrem Abbauillam mittit, qui duo millia Heluetiorum (illic enim præſidio conſtituti erant) adduceret: qui tamen nulla vnquam oratione adduci potuerunt vt progrederentur: itaque exautorati domum dimittuntur. Accerſit etiam Hedino mille quibus præerant Hutinus Manlius & Barræus, totum item equitatum Montrolio, Corbia, Perona & ex aliis locis: eo conſilio vt Burgundiones ab obſidione ſubmoueret, aut certè dimicaret. Hoc audito hoſtes, quum iam aduerſperaſceret, ſeque nihil perfeciſſe viderent, relictis in foſſis oppidi ſcalis ignominioſè domum ſe recipiunt. Pariſini videntes quàm propè ab extremo periculo abfuiſſet Durlenum, mille accenſos ſuis ſtipendiis illuc mittunt, ducibus Burbarræo & Saleuſio, Lorgij legatis. Cur autem Burgundiones denuo ad muri ruinam nõ acceſſerint, ea in primis cauſa fuit, quod hæc obſidio ſuſcepta maximè fuerat ad ſarciendum illud detrimentum ſuperiori martis die Germanis illatum: proinde cenſebant Vallones vt Germani ipſi ad murum accederent, vnde controuerſia inter illos extitit. Noſtri intus deſperato ſubſidio, niſi fortè ab Heluetiis, vt tempus extraherent, dum portas & aquæ ductum obſtruerent, fide publica accepta Mombrunium mittunt ad colloquium, non tamen vt quicquam ſtatueret, ſed vt illos detineret, & quid conſilij caperent circunſpiceret, maximè autem exploraret num ad longioris temporis moram cibaria illis ſuppeterent, vt ſcilicet è re nata ſuis rationibus proſpicerent. Dum ille reditum, quòd nihil in colloquio actum eſſet, parat, orta illa contentione hominem & collegas Attrebatum ſecum abducunt. Eò poſtquam perueniunt, ciues & Vallones ſuſpicati aliquod pactum de Durleno inter ceſſiſſe, eóſque à noſtris obſides datos eſſe, in ædes vbi erant ad eos capiendos per vim ingredi conantur: vt Germani ad eos eripiendos arma ſumere cogerentur.

Germani in Picardia à Gallis cæſi.

Hoſtes Durlenum oppidum opprimere conantur.

Pariſini ſubſidium ſuis ſum ptibus mittunt.

Vindocinus aliquot hoſtiũ oppida eximit.

SVB finem Aprilis inſequentis anno 1522 Vindocinus animaduertit inter Areã

& Betunam aliquot esse castella ex quibus hostes oram regni incursibus vexabant, vt
1522. ea deleret, copias præsidiarias ad Moschium Caæum non procul à Sampaulo cogit. Tolinnius senescallus Ruthenorum cum suis equitibus Montrolio profectus (vbi præsidio erat) vt ad Vindocinum veniret, casu dum ad Hedinum iter facit, in pedites Burgundiones numero fere trecentos incidit, è Gallia cum præda redeuntes, quos tanta vi adortus, vt omnes vel capti vel interfecti sint. In eo cõflictu Telinnius glade sclopo missa ad humerum ictus paucis diebus Hedini moritur: neque ex toto comitatu quispiã vel vulneratus vel interfectus est. Huius viri magna fuit iactura, vt qui fortitudine & vsu plurimum valeret. Vindocinus quod susceperat perficit, Dienallum, Diuionem, Bruellii cũ aliquot aliis castellis Betunæ vicinis Atrebatum versus capit: quibus solo æquatis Durlenum reuertitur. Quo loco postea certior fit Anglum exercitum Darverni comparare quem Caletum transportaret, quinetiam fecialem iam in itinere esse, qui bellum Regi denuntiaret. Quamobrem Martinum Bellaium statim Lugdunum veredaria celeritate ad regem commonefaciendum mittit: illic enim tum erat ob exercitum quem in Italiã
Anglus Regi bellum infert cogitat. miserat, ducibus Notho Sabaudo præfecto prætorij, mareschallo Chabannio & Momorencio. Belli inferendi causam hanc Anglus afferebat, quòd sibi arbitrium ex compromisso delatum fuerat, siquid controuersiæ inter Regem & Cæsarem incideret, vt pro hoste haberet qui suo iudicio stare recusaret: anno porro superiore quum rex ad Valeneenas cum exercitu esset, missos à se legatos de pace re infecta discessisse, idque vnius Regis culpa, qui Fontirabiam restituere noluisset, quam Carolus captam esse affirmabat ex quo de pace agi cœptum esset. Iisdem temporibus Solimanus videns copias Chri
Rhodus à Turcis capitur. stianorum mutuis bellis distineri, insulam Rhodum impetio Turcico adiungere statuit. Hanc octo mensium spatio obsessam cepit, quum principes Christiani obsessis non subuenissent.

DVM hæc apud Picardos fiunt, Lautrecus certior factus aduentare quàm maxima celeritate subsidium Gallicanum, copias variis locis dissipatas, vt rei frumentariæ facilius prospiceret, conuocare statuit: simul Venetos commonefaciendos putauit, auxilia quæ ex fœdere mittenda erant pararent, vt quumprimum Heluetij aduenissent, nulla mora interposita, nequa temporis opportunitas prætermitteretur, exercitum educerent. Iisdem mandat vt ditionis suæ limites attentè obseruarent, ne Hieronymus Adurna, qui sex millia peditum Germanorum subsidio Cæsarianis adducebat, per eorum angustias peruaderet. Qui tam segniter suis rebus prouiderunt, vt priusille cum suis Germanis Bergamo præteriret, quam isti ad occupandum aditum vires congregassent. Prosper vbi cum tantis copiis sibi pugnandum videt, vt locis apertis cedendum sibi putaret, Mediolanum munire, ipsam quoque arcem fossa ad arcendum nostrorum subsidium
Prosper nostros in arce Mediolanensi premit. cingere decreuit. Itaque ea parte quæ ad septum vergit geminam fossam valde latam ducit, propugnacula locis opportunis ædificat. His fossis tum eruptiones ex arce, tum nostrorum etiam aditus ad oppugnandam vrbem impediri poterant: intra has fossas suarum copiarum nonnullam partem collocat. Quibus perfectis rebus, comitem Philippum Turniellum Nouariam mittit, ipse cum reliquo exercitu inter flumina Addam & Ticinum castra facit. Hectorem etiam procomitem cum mille quingentis equitibus Alexandriam mittit, quos, quoniam res pecuniaria deficiebat, à ciuibus gratis ali iubet. Antonium denique Leuam Hispanum, qui primos ordines in equitatu Cæsariano ducebat, virum multo rerum vsu præditum cum mille Italis & duobus Germanorum peditum millibus mittit, qui Lautrecum transitu Addæ impedito distineret, ne cum auxilio Gallicano suas vires coniungeret. His perfectis reliquum exercitum, qui duodecim peditum millibus, equitibus grauis armaturæ fere septingentis & leuis armaturæ pari numero constabat, Mediolanum reducit, paratus illic impetum quamlibet acrem Gallorum sustinere. Nuntio deinde accepto quo certior fiebat Franciscum Sfortiam, qui se ducem Mediolanensem profitebatur, & Hieronymum Adurnam cum sex illis Germanorum millibus quos commemorauimus, Venetorum angustias prætergressos esse, his mandat vt quàm maxima fieri posset celeritate in Veronensem & Mantuanum agrum copias suas ducant: quod tamen illis haud facile factu erat, propterea quòd Veneti suas copias cum Lautreco iam in Mediolanensi ducatu coniunxerant.

CIRCITER hilaria Lautrecus certior factus mareschallum Chabannium & Nothum

& Nothum Subaudum esse Vicomercati, castra mouet, seque cum illis ad Monchætum coniungit. Inde cum omnibus his copijs recta Mediolanum proficiscitur, copias in septo collocat, sperans per arcem aditum sibi in oppidum fore: sed hunc aditum (vt demonstrauimus) Prosper ductis fossis intercluserat. Lautrecus quum ad septum venisset, domum quandam ingressus reliquos duces conuocat, vt de summa rerum cõsilium ca perent, & de auxilio ferendo suis in arce inclusis deliberarent. Dum illic sunt, hostes co hortem extremo aggeri versus portam Vercellensem impositam incendũt, vnde missa pila in domum ruens, M. Antonio Columnæ Prosperi nepoti alterum crus aufert, ex quo vulnere paucis interiectis diebus moritur: eodem etiam ictu interficitur Camillus Ioannis Iacobi F. Triuultius. Quæ non vulgaris fuit iactura: erat enim M. Antonius in re militari exercitatissimus, a Camillo adolescente omnia summa expectabantur. Quum viderent Lautrecus, Nothus Sabaudus & Chabannius nullam superesse rationem vt nostri subsidio leuarentur, Cassanum se recipere constituũt quinq; à Mediolano passuum millibus, inter Papiam & Mediolanum, quòd illic se occursuros Francisco Sfortiæ cõsiderent, quem audierant illac iter facere, vt se cum Mediolanensib. coniungeret. Dum nostri illic castra habent, Ioannes Medices papæ Leonis cõsanguineus, quo viuo semper aduersariam factionem tutabatur, ad nostros se aggregat cum tribus peditum millibus & equitibus ducentis, quibus vexilla atra propter luctum præferebantur.

Lautrecus subsidium suis ferre impedit.

NOSTRORVM exercitus ad Cassanum circiter sesquimensem consedit: quo tempore nuntiatur Lautreco ab altera parte Mediolani magnam cibariorum vim Cæsarianis conuehi. Quare Mommorencium & Bocartum (is marchionis Mantuani legatus antea fuerat, eiusq; quæstris turmę, postquam regias partes deseruisset, curam gerebat) eum centum cataphractis equitibus & ducentis sclopetarijs mittit. qui iter auerterent, pabulatoribus occurrerent, & pistrina, si fieri posset, effringerent. Bocartus, cui Mommorencius præcursores attribuerat, spatio fere octo millium à nostrorum castris, in hostes incidit, & re cum Mommorencio, qui agmen ducebat, non communicata, illos adoritur, sed infœliciter: eum enim hostes in Mommorencium subsequentem repellunt. Quem quum ille lata via Mediolanensi citatissimo cursu fugientem conspiceret, pedites in vtrunque latus concedere iubet, deinde explicat aciem & aperit, ne fugientium impetu turbarentur ordines: prætergressis illis rursus coire suos iubet. Ita hostes effuso cursu ruentes opera peditum aliariorum prosligantur. Legatus, signifer & vexillarius cum equitibus non paucis captiui in castra adducuntur. Erant autem ex turma equestri centum cataphractorum Remondi Cardonij qui ad Neapolim prorex substiterat. Per id tempus Lautrecus nuntium accipit Foxium fratrem appropinquare quà venitur Genua, cum peditatu quodam & equitatu, sed nõ satis illi esse ad transeundũ viriũ, vt se cum nostris coniũgeret, propterea quòd ab hostibus Omelina tenebatur. Qua causa ad ductus Mommorencium cum tribus Heluetiorum millibus, mille peditib. Italis, duobus centis cataphractis & quatuor machinis campestrib. ad trãsitum expediendũ mittit, cui etiam Bocartum attribuit. E castris profecti ad portum Falconium contendunt, vt illic Ticinum transirent. Ad locum vbi venerunt, reperiunt nisi pontone ordinario transiri non posse: quem Mommorencius cum Heluetijs primus conscendit, tũ Itali deinde manchinæ æneæ, relicto Bocarto cum equitibus: quum vellent cataphracti conferti se effundere, principio quinq; vel sex demerguntur. Qua re portitor animaduersa, qui Cæsarianis studebat, nostras nẽpe copias seiunctas esse, hinc equites illinc pedites, vt sibi auxilio esse nõ possent, secundo flumine Papiã nauigat, vt ducem Francisco Sfortiã de casu Gallorũ certiorem faciat: qui statim quatuor Germanorũ peditum & duo Italorũ millia cũ aliquot equitib. ad opprimendos nostros seiunctos mittit. Mommorencius casum tã incommodũ cernens, Bocarto mandat vt iter Gambolatũ versus capessat, quò ipse cõmeatus causa progredi cogebatur. Postridie Mommorẽcius hostes Papia egressos rectà ad se venire cõspicit: proinde veritus ne Gambolati circumcluderetur, loco scil. iniquiore, in apertũ campũ prodit. Hostes quũ ad bombardæ mediocris iactũ accessissent, nostri cõsertim coeunt, supercilio fossæ obiecto. Interim Bocartus nihil ad celeritatẽ reliquũ fecit, sed flumine traiecto nostris adest auxilio, equitatumq; tripartito agmine separat, quã ob causam hostibus multo maior reipsa videbatur: tãta enim attollebatur puluris copia, vt tria agmina vnius speciẽ prębercẽt. Quare Cæsariani, quib. equitatus Gallicus semper formi-

Mommorẽcius Cæsarianos profligat.

Nostri portitoru astu decepti, flumina vtrin que iungunt.

1522. dabilis fuit, Papiā se recipere contendunt. Nostri qu pugnandi nullam dari facultatem viderent, quòd locorum conditione Cæsariani essent superiores, quod sibi iniunctum fuerat perficere instituunt. Nouariam recta contendunt, vbi erat comes Philippus Turnicllus, qui multū negotij faceſſebat ijs qui è Gallia in nostra castra veniebant, & in Gallos comprehensos summa crudelitate sæuiebat. Quo libentius hanc rem Mommorencius suscipiebat, vt hoc iter patefaceret, præsertim quum arcem, quæ à nostris tenebatur, sibi ad id adiumento fore confideret. Ex hac arce, quum ad Nouariā esset, duas cannas educit ea porta quæ agrum versus spectat, vt illis vnà cum quatuor leuioribus quas secum adduxerat, murum collabefaceret. Bocartus rei machinariæ præficitur, quam di ligentissimè administrat: sed vna ex leuioribus machinis, siue quòd præter modum pul- uere impleta esset, siue rimam aliquam haberet, disrumpitur, ex qua fragmentum dissilijt quo crus Bocarto frangitur, paucisq; pòst diebus moritur, non mediocri sanè detrimento: erat enim vir ad res gerendas aptissimus. Nihilo tamen secius reliquis machinis murum quatere persuerant, vt iusta muri longitudo deijceretur. Heluetii Mommoren cio iubenti vt ad murū accederent, respondent se ad dimicandum loco patenti paratos esse, oppida expugnare non solere. Mommorencius Heluetiorum voluntate perspecta, ab eis petit vt acie instructa edito loco vrbi propinquo consisterent, quò oppugnantib. præsidio essent: quod se facturos recipiunt. Equites deinde ex equis descēdere iubet: qui loricis & ocreis positis ad oppugnationē se accingunt. Nostri qui arcem tenebant, erum pere in vrbem non poterant, ob latas fossas quibus hostes eos interclusérant: sed post- quam equites muro succeſſissent, illi machinis ex castro oppidanos à propugnatione arcebant. Quibus submotis & cedere coactis nostri equites quum vrbem captam esse putarent, fossam intus reperiunt à lateribus vndique probè munitam: huc se condiderunt oppidani, & primo impetu multos ex equitibus sclopis sauciarunt vel interfecerūt.

Mommorencius Nouaria vi capta hostium crudelitatem vlciscitur

Tandem sequuti fossæ crepidinem euadunt, & domibus quibusdam tectis atque effractis, hostibus à tergo imminent: qui statim se circunuentos vbi vident, fugæ se mandant. Heluetij vi capto oppido ingressi omnes trucidant, comes Philippus cum paucis quibusdam viuus seruatur, ijsq; fere omnes præter comitem, suspensi strangulantur, ob inauditi cruciatus exempla quæ in Gallos captos edidisse fatebantur, quòd nonnullorū cor comedissent, alijs viuis ventrem aperuissent, quibus exenteratis pabulum equis suis obieceerant, aliaq; summæ immanitatis scelera designassent. Hoc supplicio affectis sceleratis, aduenit è Gallia marescallus Foxius, Badius, comes Petreius Nauarrus. Concilio coacto totam regionem Omelinam hostibus adimendam esse statuunt, Vigeuam iter conuertunt, quæ primo aduentu in eorum venit potestatem: arx oppugnationem sustinuit, sed non diu, quippe postridie farcinis incolumibus deditionem faciunt.

LAVTRECO nūtiatur hostibus esse in animo copias coniungere, tum quas Prosper Mediolani habebat, tum quæ ad Papiam cum duce Sforcia erant: has Lautrecus vt distineret, suas ipse congregare properat: quam ad rem perficiendam marescallum Foxium & Mommorencium Cassānum ad se accersit. Nulla tamen celeritate effici potuit, quin hostes ad Landrianium se cōiungerent: vnde factum est vt Cassanum occupatum fuisse nihil profuerit. Papiæ solus marchio Mantuanus cum exiguo admodum hominū numero subsistiterat: itaque nostris exercitum illuc conuertere placuit. Eo simulatq; ventum est, tāta machinarum vi tum à nostris tum à Venetis murus impetitur, vt iusto labefactato spacio inuadendus videretur. Dum hostes in propugnando vallo occupantur, clam submittitur Sancolumbus turmæ Lautrecanæ legatus, qui alia parte oppugnet: huic duo peditum millia attribuuntur, & eiusdem turmæ sagittarij, ductore Riberaco signifero, sagittarij item turmæ Nothi Sabaudi ductore Rupepositæo signifero, vt numero essent quadringenti equites. Erat portula in vrbe ad Ticinum qua egrediebantur aquatores: hanc partem ciues flumine freti segnius custodiebant. Sancolumbus duces habebat itineris, quorum opera flumen vado transire debebat, deinde equites oportebat admissis equis secundum murum, qui omnibus propugnaculis nudatus erat, portulam occupare, ibiq; peditum aduentum qui subsidio essent, præstolari. Sancolumbus equites cum suis peditibus ad fluminis ripam adducit, Rupepositus & Riberacus quod cōuenerat faciunt, & oppidum ingrediuntur, quos tamen Sancolumbus nec subsequitur nec flumen transit: qua ipsius tarditate ciuibus facultas datur ad auxilium concurrē-

Papia à Gallis frustra oppugnatur.

di.

di. Ibi prælio commisso Riberacius interficitur, Rupepossæo crus tormenti minoris campestris glande effractum, postea sanatum est, ita tamen vt semper deinceps claudicaret. Quòd si pedites subsequuti fuissent, oppidum profecto propter hominum paucitatem in nostrorum manus venisset. Prosper lectos Hispanos ad duo millia oppidanis quos vrgeri intelligebat, subsidio mittit, qui nocte proximè castra nostris imprudētibus prætergrediuntur, nisi quòd qui in statione adhuc equis insidebant, postremos adorti nonnullos conficiunt, sed perpaucos, quòd nimium serò eos animaduertissent: horum aduentus oppugnationem remoratus est. Quinetiam Prosper se auctum videns sex millib. Germanorum peditum & aliorum accessione quos Franciscus Sfortia adduxerat, sibi satis
10 virium esse putauit vt in apertum prodiret. Mediolano profectus Carthusiam venit triū à nostris castris millium spatio, vt nostros ad murū accedere prohiberet: satis enim sciebat eos suo exercitu tam propinquo hoc non conaturos. Hoc statu fuerunt res nostræ sex aut septem dies, quotidianis velitationibus & mutuis incursibus: tandem pluuijs continentibus obortis, commeatus ex Omelina ad nostros importari, exundante Ticino & riuis fluminum instar auctis, iam non poterant. Quæ res nos coegit die Iouis qui Pascha lia proximè antecedit, copias Marinianum reducere, vt tum ex Laudensi & Cremonensi agro, tum ex Venetorum regionib. cibaria nobis suppeditarentur. In ipsa pfectione hostes è suis castris nouissimos nostri exercitus acriter adoriri cœperunt: verùm totis copijs è suis munitionibus egredi, ne prælium committeremus, ausi non sunt.

20 HOSTES vbi nostros vident Monzam versus iter facere, veriti ne illinc Mediolanum occupare conarentur, die Iouis feriarū Paschalium Bicoccā veniunt, qua iter est Lauda Mediolanū. Erat domus cuiusdam nobilis latissimis fossis cincta, quarū ambitus tam latè patebat, vt homines ad numerum viginti millium acie instructa capere posset. Illuc post quam aduenerunt, fossas detergunt, & propugnaculis vndiq; firmāt, quib. magnam machinarum copiam imponunt. Nonnullis interiectis dieb. Lautrecum duces Heluetiorū Monzæ adeunt, milites suos diutinæ castrametationis tædere ostendunt, ex tribus sibi vnum concedi postulare, vt vel stipendium numeretur, vel domū redire liceat, vel certè nulla interposita mora in prælium producātur. Ibi tum Lautrecus, Nothus Sabaudus & mareschallus Chabannius orare vt paucos dies expectent, sperare se hostib. absq; pugna
30 superiores fore, aut certè potiori conditione prælio cōmissuros, quòd eis tandē fame coactis è munitionib. egrediēdum esset: cæterùm illos adoriri, quandiu se castris cōtinerēt, hoc verò nullam belli rationem ferre. Sed nullis verbis aut rationib. ex sententia deduci se passi sunt, quin semper pugnę signum dari flagitarent, sin minus, postridie se discessuros. Nostrorum duces quum illos tam obfirmato esse animo vident, maximā exercitus partem ex illa gente esse, ab ijs relictos se hostib. prædæ patere, deniq; vbi vi quicquam agitur, nullum esse rationi locum, in certamen potius descendere statuunt, quàm fugæ simi lem profectionem facere. Vel hinc perspicere licet quàm incommodum sit potissimas exercitus vires in externo milite sitas esse, à quo legem impositam, quum libet, pati cogaris. Heluetij consentiunt vt hostium castra explorentur: quam ad rem Pondormius cum
40 quadringentis cataphractis & Heluetiorum sex millibus constituitur, vt diligenter quaparte commodius inuadi possent. Omnibus circunspectis nulla extat ad inuadendum opportunitas: sed ne sic quidem consilium mutare voluerunt. Lautrecus quum videt sibi eorum imperium ferendum esse, quibus præesse debebat, pugnam in posterum diem (qui octauus erat à die Paschatis) confert, & omnibus vt parati essent edicit. Prima luce omnes adire Bicoccam instituunt. Mareschallus Foxius primæ aciei præponitur, dato ei negotio vt commodissimo loco, quemq; pridie explorauerat, locum inuadat: Mommorencius cum octo Heluetiorum millib. ad alteram partem mittitur. Lautrecus, Chabannius, Nothus Sabaudus, Galeacius Sanseuerinus mediam aciem ducebant, quæ reliquo
50 exercitu constabat tam equitatus quàm Heluetiorum & aliorum peditum: Franciscus Maria Dux Vrbinēsis cum exercitu Veneto extremum agmen claudebat. Petreius Nauarrus ad iter explanandum præibat. Pondormius in mādatis habebat vt cum suis quinquaginta cataphractis & equitibus tyronibus Foxium præiret, videretq; nequa ab hoste eruptio fieret, quā nostram aciem ponè turbarent: simul vt si cubi laborantes nostros conspiceret, fessis integros submitteret. Rebus taliter instructis, se quisque ad officium faciendum expedit.

Galli ad Bicoc cam infeliciter pugnant.

MOMMO-

1522. MOMMORENCIVS cum octo Heluetiorum millibus, quibus præerat, pedib. in primo ordine incedens recta vallum hostium petit. Habebat etiam secum multos ex nobilitate Gallica qui sponte illuc ad gloriam rebus gestis comparandam venerant: in quib. erant comes Monfortius comitis Lauallij primogenitus, Miolanus Sabaudus, Grauillanus prodomini Carnotensis frater, Auchius cognomento Mallius Picardus, Launæus ex cubicularijs regijs alijq; multi quos commemorare lõgum esset. Quum ad vallem vallo proximam venissent (ea porro valle tegebantur, ne hostium machinis essent obnoxij) Mommorencius Heluetios tantisper subsistere iubet dum Foxius alia parte prælium iniret, vt sic hostium vires distinerentur. Addebat etiam machinas Gallicas sibi magno præsidio fore: quod sanè sic euenisset si tandiu differre in animum induxissent. Id quum ab illis obtinere nequiret, præceps in hostium vallum fertur: quò priusquam peruenirẽt, bombardarum ictibus amplius mille Heluetij sternuntur. Huc quum tandem venissent, fossam cum aggere tanta altitudine reperiunt, vt longis hastis vix fastigium aggeris pertingere possent: itaque conatu irrito in ima fossa subsistunt. Interim tormentarij & sclopetarij, quibus refertum erat vallum, illos continenter petunt, vt plurimi ex ducibus & fortissimis militibus illic interierint, in his comes Monfortius, Miolanus, Grauillanus, Launæus, & alij plærique. Mommorencius humi sternitur, sed à proximis nobilibus extra fossam effertur. Illic etiam moritur Albertus Petræus qui summum inter Heluetios locum tenebat, quique princeps illos tanta immaturitate ad prælium impulerat. Interea marescallus Foxius, Vandenessius, Paris cum equestri turma Brionij, quam ducebat, & reliqui equitum duces, circumequitando tandem lapideum pontem nacti in hostium munitiones irrumpunt, & hostes adorti adeo turbant, vt propè in manibus esset victoria. Et sanè vicissent, si quidem Heluetij tam strenuos se tum gessissent quàm initio: sed aliter prorsus accidit. Postquam enim primo aduentu loco pulsi fuissent, quemadmodum effreni quodam & cæco impetu ad vallum accesserant, sic nullis vnquam præcibus aut imperio ad prælium redintegrandum adduci potuerunt, sed languefacta omni virtute se subduxerunt. Quòd si quo loco constiterant, pugnare voluissent, hostes à suis munimentis nunquam discessissent: si denique nostros milites munitiones ipsas ingressos alij ad auxilium ferendum subsequuti fuissent, verisimile est nos prælio superaturos fuisse. Cæsariani Heluetijs exonerati vniuersas vires suas in Foxium & Vandenessium conuertunt, qui non plures quadringentis equitibus erant. Itaque ad pontem redire coguntur, & cedendo præliari, pontemque ægrè transeunt, quum nonnisi bini aut ad summum terni incedere possent. Marescallus Foxius vt ruentes hostes remoraretur, in extremo agmine substitit, dum suis transeundi facultatem præbet. Quod profecto absque iactura suorum perficere non potuit: quanquam non multi admodum desiderati sunt. In eo prælio illius equus interficitur: verùm tanta celeritate alius ei equus adducitur, vt non ita magna facta iactura se reciperet. Dum in tanto discrimine versatur marescallus, Hispani alia ex parte in Heluetios abeuntes sese effundunt. Verùm Pondormius, qui cum sua turma & tyronibus equitibus ad huiusmodi casus collocatus erat, tam acriter eos aggreditur, vt in vallum repulerit. Quod ni fuisset, Heluetijs, qui sese recipiebant, plus æquo maturandus gradus & fuga turpissima profligatis arripienda fuisset.

DVM tanta virtute dimicatur, Veneta acies instructa ad vallum stabat, extra tamen teli iactum: hi se tanquam sequestros quosdam, apud quos res controuersa deposita esset, præbuerunt. Qui si à sua parte, quemadmodum equitatus & Heluetij, hostes inuasissent, nõ leuis est coniectura, quippe hostibus vires suas diuersis locis separare coactis, nos victoriam consequuturos fuisse. Lautrecus & cæteri duces res adeo perturbatas quum viderent, persuadere Heluetijs conantur vt eo loci noctem transigerent, confirmant plurimos ex equitibus postero die equis remotis, æquato cum peditibus periculo primos in certamen prodituros. Verùm surdis fabulam narrabant, qui nullo ordine palantes & dispersi Monzam se recipere cœperunt: vt nisi subsequentes ponè equites subsidio fuissent, proculdubio ad vnum omnes interijssent. Lautrecus illos cum reliquo exercitu Monzam vsq; deducit: vnde postridie profectus circiter millia passuum sex procedit. Die Martis Heluetij nobis relictis domum redeunt, & cum ijs Nothus Sabaudus, marescallus Chabannius, & Galeacius Sasseuerinus. Lautrecus se ita destitutum videns, postero die equitum & peditum satis magnam multitudinem, in iis Ioannem Medicem

dicẽ & Federicum Bozzolum cum peditum ducibus ad muniendam Laudam mittit, vt sic Cremonensem agrum seruaret. Laudam quum venissent, reperiunt Bonouallanum præfectum cum suis quinquaginta cataphractis locum munijsse, quem etiam tueri cogitabat: ita coniunctis copijs illic vniuersi ad quadringentos equites grauis armaturæ, & peditum tria fere millia erant. Hi nocturno itinere defessi, quum mane illuc venissent, se atque equos quieti dant, quòd confiderent Bonouallanum cum suis, quos integros habebat, custodijs disponendis prospecturum, vt illis interim defatigatis quiescendi facultas daretur. Hostes eadem nocte Mariniano discedunt, & passuum tribus à Lauda millibus castra ponunt. Quorum prima acies quum propius oppidum accessisset, acerrimum committitur certamen, tanta vtrinque virtute, vt nostris in vrbem asperius compulsis hostes permixti intrarent, & plurimos è nostris militibus in lecto iacentes meridiano ferè iam tempore offenderent. Quinetiam illud incommodè euenit, quòd pons quem nostri nauibus iunctis ad flumen Addam Cremonam versus fecerant, fractus sit: vnde complures capti sunt. Indigna profecto & pudenda offensio, quòd trecenti equites & ter mille pedites in vrbe nulla oppugnatione, nulla muri parte labefactata, nullis denique scalis mœnibus admotis caperentur. Ioannes Medices & Federicus Bozzolus Cremonam profugiunt.

Lauda à Cesariana vi capta.

EODEM die Lautrecus cum reliquo exercitu Ripaltum venerat: ei sub vesperam clade illa nuntiata, nostri non mediocriter commouentur: potissimam enim spem in Lauda propter ipsius fluminis traiectum ponebant, præterea Lautreco supererant omnino quadringenti equites & exiguus peditatus. In tanta trepidatione Pondormius se vltro periculo offert, & si modò res Lautreco probetur, Cremonam, antequam ab hoste occuparetur, cum suis & alijs qui sponte sequi vellent, ingressurũ, & cum hoste, etiam si multis partib. superior occurreret, dimicaturũ spondet: malle se ab hoste interfici quàm rusticorũ libidini exponi, aut inermem in Galliam reuerti. Vbi suã sententiam omnibus probauit, nulla interposita mora se cum suis itineri committit: hunc aliæ turmæ, & milites aliquot venia à ducibus accepta comitantur. His quid sui consilij sit ostendit, decreuisse se, quoscunque in itinere offenderet, vel si totus esset hostium exercitus, cum ijs manum conserere, proinde vniuersi ad id se compararent. Postquam summam omnium voluntatem perspexit, galea induta, & omnibus idem facere iussis, iter capessit. Posteaquã passuum millia quatuor processisset, Mareschallus vt se expectaret mãdat. Quam consilij tam repentinam mutationem miratus, Mareschallo respondet hanc moram tum ijs quos secum habebat, tum Cremonæ ipsi detrimentosam fore: se, quum portam consequutus esset, illic præstolaturum.

Pondormius ad Cremonã seruandam vltro profiscitur.

LAVTRECVS videns expeditionem Laudensem irritam esse, exercitum profligatum, Venetos grauatim reliquas copias in suis finibus tolerare, quòd stipendia deessent, in Galliam se recipit. Mommorencius animaduertens Venetos alieniori iã esse animo, Venetias proficiscitur, vt senatum in fide & voluntate erga Regem contineret. Lautrecum in Galliam reuersum à Rege acerbo vultu conspectum esse nihil mirum est, vtpote cuius culpa Mediolano se deturbatum esse existimabat: itaque ne alloquio quidem eum dignatur. Ille quum purgare se studeret, efficit tandem vt admitteretur, & de tanta iniquioris in se volũtatis significatione conqueritur. Ad ea Rex respondet eius rei sibi causam grauissimam dari ob amplissimam illam ditionem Mediolanẽsem amissam. Excipit Lautrecus ipsius non autem suam culpam esse, sæpenumero se significasse, nisi res pecuniaria expediretur, non posse diutius equites retineri, qui sesquiannum nullo stipendio accepto militauerant, & ad extremam egestatem deuenerant: Heluetios etiam tam diuturnæ militiæ pertæsos, à quibus iniquissima se coactum conditione cum hoste pugnasse: id verò, nisi stipendia defuissent, facturos illos non fuisse. Rex quadringenta coronatorum millia se misisse affirmat, quum per literas petisset. Lautrecus hanc summam negare se vnquam habuisse, literas quidem certè accepisse, quibus scripserat se aliquando eam missurum. Ad hęc verba Regis iussu accersitur Sanblancæus: penes illum enim erat summa rei quæstoriæ Gallicanæ. Scisciatur Rex annõ verũ esset à se imperatũ aliquando fuisse vt hæc summa ad belli sumptus & militũ stipendium in Italiam ad Lautrecũ mitteretur. Fatetur ille quod res est, & quanuis non medio criter ex suis verbis Regis animum commotum iri cerneret, agnoscit tamen hoc sibi iniun-

Lautrecus in à Rege vt sa pud eũ admittitur.

1522. iniunctum fuisse, verùm à rectrice Regis matre hanc summam, quum iam mittenda esset, fuisse acceptam: huius rei se fidem quamprimum facturum. Rex in cubiculum matris vultu irato se confert, de tanto damno accepto grauissimè cum ea expostulat, quòd eius culpa tam opulentum ducatum amisisset, quam ab illa iniuriam orituram nùquam putasset, quæ pecuniam subsidio exercitus destinatam interuertisset. Quum illa culpam à se demoliri in stitueret, accersitur rursus Samblăcæus, qui sibi in dicendo cõstat. Tum illa affirmare cœpit hanc sibi pecuniam pridem à Samblăcæo asseruatam esse, quam ex suo prouentu parsimonia congesserat. Cui quũ ille vehementer reclamaret, cõstituuntur disceptatores qui tantam controuersiam dirimant. Cancellarius Pratensis, qui malo in Samblancæum animo iampridem erat, eiq; tanta ornamenta, amplitudinem & gratiam inuidebat, quum animaduerteret hanc in illum reliquatricem esse, priusquam hęc lis decideretur, Regem illi aduersarium & accusatorem apponit, iudicesq; suo arbitratu dat, apud quos causam dicere cogeretur. Pondormius Cremonæ porta potitus, illic reperit Federicum Bozzolum, & Ioannem Medicem, qui se illuc post Laudensem cladem receperant. Equitatum vrbem ingredi iubet, ipse equo insidens mareschallum præstolatur, qui duabus pòst horis adest. Postero die vrbis partes describuntur, sua cuique custodia attribuitur, quòd non dubitabant quin paucis interiectis diebus obsidione cingerentur. Medices tanta diligentia vtitur, vt quatridui spatio circiter mille sexcentos homines haberet: Federicus domum ad conscribendos milites se confert. Sexto pòst die hostes ad vrbem castrametantur. Ad quorum aduentum Medices tumultuari cœpit, stipendium persolui flagitans, portam occupat quæ castra respiciebat, hac se hostes intromissurum, ni detur stipendium, minitatur: ægerrimè pecunia vndique corrogata est. Interea marchio Piscarius Pisquetonem mittitur, quod est è munitissimis Italiæ oppidis, ad flumen Addam: quod statim deditione accepit, tanta erat nostrorum qui intus erant trepidatio. Nostri Cremonæ aliquot iam dies obsessi, quum iniquam Medicis voluntatem & subsidij spem perexiguam viderent, ad conditiones descendunt, si à Rege tantus exercitus trium mensium spatio mitteretur vt flumen Ticinum transiret, tum rem integram sibi fore: sinautem eo tempore regius exercitus flumen non transiret, tũ abituros se cum impedimentis, armis & machinis tum maioribus tum minoribus, quæquidem insignia Gallica gestarent: boum iuga quæ vehendis machinis satis essent, Proinde superum suppeditaturum, eósque turò Susas vsque ducendos curaturum: huic denique marescallum Foxium in manum Leuquam & Domodoscellam traditurum. Ad tam æquas pactionis conditiones Prosper vt deueniret, hac ratione impulsus est (nam alioqui, si nullum mitteretur subsidium, nõ dubitabat quin vel ad turpissimam deditionem eos adacturus esset) quòd Genua à nostris tenebatur, non tamen valde firmo præsidio: quam nunquam occupaturus esset, si tempus Regi ad rem prospiciẽdam daretur. Quòd si ad Cremonam moraretur, Genuam adire non licebat: pactione verò inita, quandiu trimestres illæ inducię constarent, Genuam tentãdi, vt decreuerat, facultas illi dabatur: id quod etiam perfecit. Hac denique pactione cibaria quibuslibet conuehere Cremonam licebat. Quibus confectis rebus marescallus Foxius fide publica accepta nuntium maxima celeritate in Galliam ad Regem mittit, qui de pactione facta certiorem eum faciat, & de subsidio mittendo agat. His perfectis, obsidibusq; acceptis & datis, Prosper cũ exercitu Genuam ire contendit, inductus ab Hieronymo & Antonio Adurnis fratribus Genuensibus, qui se illi in manus vrbem tradituros confirmabant. Genuæ præerat iussu Regis Octauius Fregoza, vir prudens & populo gratiosus ille quidem, sed corpore inualido & ad belli administrationem non ita idoneus: is nuntio accepto de discessu Cæsarianorum, qui Genuam properè iter faciebant, duo hominum millia in vrbem intromittit. Quem numerum non satis firmum esse quum videret, à Rege subsidium petit: Adurnam quippe factionem se cum Cæsarianis coniunxisse. Non defuerunt qui illam mareschalli Foxij in pacisceendo festinationem de Cremona dedenda reprehenderent. Mommorencius enim, qui Venetijs erat, pene rem eò deduxerat, vt fœdus cum illis renouaretur: qui quum de Cremonæ pactione nuntium accepissent, quæ confœderationis potissimum fundamentum erat (vtpote quum regionis illorum propugnaculum esset Cremona) sententiam mutarunt, & à fœdere desciuerunt.

Tanta iactura culpa in Regem matrem cõferur.

Samblancæus iniquo odio opprimitur.

Cæsariani Cremonam obsident.

Cõditiones de Cremona dedẽdæ.

REX de rebus in Italia gestis certior factus tum de clade Bicoccana, Laudensi iactura, &c

ta, & pactione Cremonensi, tum de Cæsarianorum expeditione Genuam susceptа, quanta fieri potuit celeritate delectum haberi iubet quatuordecim millium Vasconum, quos cum quingentis cataphractis in Italiam mitteret. Sed has vires quum videret in tempore paratas non fore vt Genuæ subsidio venirent, Petreio Nauarro, qui Massiliæ erat mandat, det operam vt Genuam nonnulli protinus ad primum hostis impetum sustinendum mittantur, dum auxilium in Gallia comparatur. Petreius Massiliæ duas tantùm triremes paratas reperit, quas ipse cum ducentis circiter hominibus conscendit, tantaque vtitur celeritate vt Genuæ portam ingrederetur, quum marchio Piscarius peditatus Hispanici & Italici ductor ad aliam vrbis partem appropinquaret. Piscarius tubicine misso, Genuensibus vt se in Cæsaris fidem ac clientelam dedant, denuntiat: eius verbis pollicetur se vetera eorum iura & priuilegia integra seruaturum. Ciues, vtpote natura lubricæ fidei, quique mobilitate & leuitate animi nouis imperijs studebant, ilico apertis portis Cæsarianos recipere parati erant, nisi Petreius & pauci Galli quos secum habebat, obstitissent: qui tamen coacti tandem sunt ciuibus concedere vt Vitalem ad Piscarium colloquendi gratia mitterent, quò eius mentem penitus perspiceret. Dum Vitalis in Piscarij tabernaculo moratur, ciues colloquij inducijs confisi & Piscarij promissis, nihil se, quandiu colloquium haberetur, noui tentaturum, segnius vigilias & custodias obibant. Hispani conspecta ruina in muri latere defensoribus nudato, vrbem ingressi obuios omnes interficiunt. Ciues se proditos & oppressos conspicati, de repugnando nihil cogitant, sed quâ licet, sibi quisque consulit. Episcopus Salernitanus Octauij Fregozæ frater & aliquot nobiles liburnicam nacti Massiliam nauigant. Octauius frater ægrotus decumbens captiuus in Piscarij manus venit. Comes Petreius pauculis quos temere potuit reperire collectis, plateam vrbis occupauit: ibi postquam quandiu per humanas vires licet, dimicasset, tădem multitudine potius quàm virtute superatur, & à circunfusis vndique aduersarijs capitur. Ibi aliquot equestris turmæ Sampaulianæ equites in arcem profugiunt, eamque quandiu res frumentaria suppeteret, tenuerunt. Hostes nemini parcunt, sed vrbem totam diripiunt ac populantur: id quod Prosper iniquo animo tulit. Sperabat enim, se, si direpta non fuisset, satis pecuniæ ad stipendia suis militibus suppeditanda in ea reperturum fuisse. Non abest tamen suspicio hoc illum cõsultò permisisse, quò sibi militum animos demereretur, & quandam quasi viscerationem illis faceret. Quanta vis diuitiarum illic repertа fuerit, non est quòd pluribus demonstrare conemur: satis enim constat quàm omnis generis opibus & diuitijs referta sit. Genua capta & direpta Prospero nuntiatur nouum Gallorum exercitum alpes transire: quare in Astam festinat vt Gallos impediret, ne traiecto Ticino Cremonæ auxilium ferrent. Hunc exercitum ducebat Claudius dux Longouillanus, quadringentos nempe equites cataphractos, & peditum sex millia. Postquam Villanouam Astanorum venit, & Genuam captam esse audit, cuius gratia nonnulla ex parte venerat, vlterius progredi non decreuit quin à Rege mandata acciperet: neque enim satis magnas copias habebat vt cum Cæsarianis manum consereret. Rex nihil spei reliquum videns vt vel Genuæ vel Cremonæ succurreret, Lõgouillanum in Galliam reuerti iubet. Trimestri spatio elapso, quo Cremonæ subsidium mitti oportebat, mareschallus Foxius, quemadmodum conuenerat, in manus Prosperi oppidum tradit, relicto in arce Bunouio, rebus necessarijs omnibus abundè prouisis. Prosper Foxium deduci tutò cum tormentis iubet eis Susam, neque defuit quicquam quod promisisset.

Cæsarieni Genuani fraudo colloquij specie occupãt & diripiunt.

Cremona deditio prætor arcẽ

DICTVM est supra Fontirabiam Cantabriæ vrbem, quatuor passuum millia trans Bayonnam, ab amiralio Bonueto captam fuisse, cui Iacobum Dallionem Ludæ um præposuit. Hanc vrbem Hispani, quum in Galliam exercitus amiralij reuertisset, vndique obsederunt: post annuam fere obsidionem, tanta rei frumentariæ inopia nostri laborarunt, vt multi inedia perierint, neque diutius vlla ratione obsidionem tolerare, nisi subsidium mitteretur, poterant. Hac causa adductus Rex illuc mareschallum Castillionæum cum exercitu miserat: qui vbi Daxã venit millia passuum duodecim citra Bayonnam, in morbum incidit, quo acriter iactatus obijt, magno nostrõ damno, vtqui summæ autoritatis & vsus vir esset. Mommorencius qui tum Venetijs erat, mareschallus in eius locum creatur. Chabannium, qui paulo ante Bicoccã sedierat, Rex

Fontirabia Hispani obsident

Mommorencius Gallia mareschallus creatur.

1522. mittit vt Castillionæo in ducendo exercitu succederet. Is imperio susceptо Bayonnam contendit, inde San-janum Luzæum, vbi vniuersum exercitum colligit, quò coacto Eadæam proficiscitur: illicque quia inter se & Hispanicas copias flumen intererat, castris positis expectat classem qua commeatus è Britonia importabatur, ductore Lartiguio proamirali Britoniæ. Verùm siue socordia siue infœlicitate Lartiguij, qui nimium diu cunctabatur, nostri tempus terere coacti sunt. Marescallus videns classem tam necessario tempore officio deesse, nihilo secius flumen illud exercitum traducit, hostes vi & & catapultarum impetu castris exuit, qui eius aduentum non sustinuerunt, sed tandem, multis commissis velitationibus per montes diffugerunt, quamuis numero plures essent: in quibus erat Comes Gulielmus Fustembergus cum sex millibus peditum Germanorum. Marescallus obsidione oppidum liberat, commeatum & necessaria quæ erant reliqua inuehenda curat, huic in locum Ludæi proregem præponit Fraugetum: is legatus erat Marescalli Castillionæi, quum moreretur. Hic Ludæus in seruando illo oppido singularis virtutis testimonium edidit, tantamque omnium rerum penuriam pertulit quantam ætas nostra non vidit. Vnde eam fibi gloriam comparauit, vt cum omnib. obsidionibus quæ vel nostra vel patrũ memoria acciderunt, conferri ista meritò possit.

Fontirabia ob sidione liberatur.

Cæsar & Anglius varijs aduersus Gallũ consumunt.

Q V O tempore hæc tum in Italia tum ad Fontirabiam fiebant, Anglus denuntiato Regi bello, vt dictum à nobis est, nihil cunctandum sibi esse statuit quin statim exercitum Caletum transportaret. Huic præficit ducem Sothfolcum, qui Mariam regis Ludouici duodecimi viduam vxorem duxerat. Cæsar quoque suum exercitum conscribit, quem cum Sothfolcano coniungeret: huic præesse iubet comitem Buranum, qui ipsius per totum Belgium princeps legatus erat. Vindocinus qui Picardiam prouinciam prorex obtinebat, Regem certiorem facit exercitus ab vtroque hoste parari, ad quas res milite & pecunijs sibi opus esset. Rex Ludouicum Trimollium Burgundiæ proregem cum satis magna militum manu ad eum mittit. Hi inter se de summa rerum deliberant, maximè oppidorum eorum rationem habent, quæ prima bello ab hoste appeti verisimile erat: nam Vindocino vt copias in aperto haberet, non satis virium suppetebat. His causis permotus, Bolonіæ, siquidem hostis illuc exercitum adduceret, Fayet tum ipsius loci præfectum, quique quinquaginta cataphractos ducebat, esse voluit: huic attribuit turmam Alenconianam centum cataphractorum, duce Iacobo Sillio Candomi prætore, Rupebaronem Arvernum cum vigintiquinque equitibus, mille item pedites, quibus Burbarræus & alij præerant. Teroanæ collocat Brionium (qui postea amiralitiam dignitatem gessit) cum parte turmæ ipsius: nam reliqui ex Italia nondum reuerterant: Fraxinæum, nothum Morollum ipsius oppidi præfectum, qui quinquaginta equites ducebat: comitem Dammartinum, Listenæum, procomitem Turennium, & Valguionem, qui vicenis quinis equitibus præerant: capitaneum Salseusium Normannum cum mille pedibus, & cum pari numero Mombrunium. Hedini Dubetium, præerat autem ipse oppido cum ducentis statuarijs militibus & equitibus triginta: cui Sercutum cum mille peditibus attribuit, & capitaneum Landam cum quingentis, quibus præerat Longouallanus, qui ægrotus Abbauillæ subsitterat. Montrolij comitem Sampaulium fratrem iubet esse cum quadringentis equitibus cataphractis, & ducem Guisium sororium cum sex peditum millibus, quibus præpositus fuerat Lorgius: hi duo pari inter se erant imperio. Ipsi Vindocinus & Trimollius cum bis mille Heluetijs, aliquot tum equitibus tum peditibus Gallis Abbauillam contendunt, vt sicubi opus esset, auxilium submitterent.

Bapalma à Gallis capta & diruta.

REBVS ita constitutis Vindocinus certior factus hostium classem ante dies quindecim non posse appellere, suas copias tandiu desidere non patitur, sed eas educere statuit. Lorgio mandat (is cum sex peditum millibus subsidio Genuensibus missus fuerat, sed postea audita ipsius arcis præ cæteris penuria deditione, conuerso itinere iam reuertebatur) vt fratri Sampaulio & Guisio Peronæ præsto sit: propterea quòd hunc locum constituerat, vbi exercitus cogeretur, quò impetus in hostium fines fieret. Paret ille imperio. Sampaulius & Guisius collectis Peronæ viribus, quatuor cannas educunt, Bapalmam oppugnant, oppidum & castrum capiunt, vtrunque incendunt, diruunt & solo æquant. Deinde iter ad Clusæ angustias quum conuerterent, vt inter flumina Scaldim & Carpum in Austrauentorum fines copias suas introducerent, illic reperiunt hostes

hostes collecto exercitu transitu eos prohibere conari: quos tanta virtute adoriuntur, vt pulsos & fugatos ad ipsas Doaci portas persequerētur. In eo prælio Franciscus Lotaringus ducis Lotaringi & ducis Guisij frater primum belli tyrocinium edidit, quum quidem annum ætatis decimum septimum nondum attigisset. Is in illa hostium fuga conspicatus septem aut octo Burgundiones pedites in syluam se abdidisse, inscientibus omnibus suis illos insequi cœpit. Illuc casu aduenit Martinus Bellaius cum duodecim fere equitibus, qui opportunè admodum principi adolescenti adfuit: is enim ex equo desilirat vt solus illos adoriretur, qui quidem illic interierunt. Nostri per totum agrum ad Valencenarum & Doaci portas procurrunt, ingentem prædam agunt, ad ipsius Cluſæ angustias reuersi noctem illic transigunt. Est autem hic locus ad flumen quod iuxta Vicum Artesiorum ortum in Scaldim non longè à Buchanio influit. Postridie eius diei nostri quum non satis sibi virium esse iudicarent, vt vel Valencenas vel Doacum tentare possent, Ancoram se recipiunt, vbi ad suum quisq; locum dimittuntur.

Angli interim naues Caletum applicant, & quoniam cibaria & impedimenta nondum aduecta erant, castra in regione Oyana faciunt. Qua re intellecta Vindocinus Sampaulium & Guisium cum equitibus quadringētis in Fossam Bolonensiam proficisci iubet, qui hostem agros populari prohiberent: nam Ardrea tum diruta & deserta erat. Antequā verò discederent, factus certior amissum esse castrum Contium quod inter Montroliū & Hedinum situ est, ab eo qui iussu Regis præfectus impositus fuerat, ipse illuc proficiscitur. Quod bombardis oppugnatum, Lorgius tandem vi capit, & hostes omnes excepto duce concidunt. His perfectis rebus Sampaulius & Guisius Duræ primùm, deinde Salmerij ad syluas, hinc Bordis & alijs pagis finitimis consederunt. Ita diebus duodecim aut quatuordecim, quibus hostes in terra Oyana castra habuerunt, multos ex illis profligarunt qui ad Fossam progredi audebant: quoad vniuersō hostium exercitu collecto, Montrolium se, cuius cura illorum fidei commissa erat, recipere coguntur. Angli & Burgundiones coniunctis ad Santaudomarum & Ardream copijs, quam in partem iter facierdum videretur, inter sese deliberant. Tandem Angli à Belloranio Roxij filio impulsi Hedinum obsidere constituunt, quòd oppidum hoc totius oræ regni minimè firmum esse iudicarent, Boloniam, Teroanam & Montrolium quibus dictum est præsidijs teneri intelligerent. Postquam Hedinum ventum est, hostes Sampaulium versus castrametati machinas instruunt, vt murum qui inter turres Robinam & Sanfranciscam est concuterent. Quod quum quindecim dierum spatio fecissent, murum spatio amplius ducentorum pedum deijciunt: neque tamen ad oppugnandum, iusta licet ruina facta, oppidum accedere ausi sunt. Turrim etiam Christophorianam, qua parte est arboretum, concutere cœperunt: cuius suprema tantùm munimenta labefactarunt. Dum obsidetur oppidum, hostibus per nostros non licebat desidiæ & quieti indulgere, quin subinde in eorum castris conclamationes ad arma ederentur. Ne longè abeam, Guisius & Pondormius certiores facti quadringentos Anglos ad vastandum agrum Betianum & Osianam commendaturam venisse, Montrolio cum suis turmis & parte quadam equitum Vindocinianorum proficiscuntur. Eos consequuti, licet non amplius mille passus à castris, vi aggrediuntur, vt cunctos vel interficerent vel caperent. Superfuerunt duntaxat ad quadraginta, qui se in hortum magnis sepibus cinctum receperunt: vbi tanta pertinacia dimicarunt, vt Guisius contra omnium sententiam (quòd nimium vicina essent hostium castra) ad illos oppugnandos ex equo descenderet. Tandem quum eorum ne vnus quidem ad deditionem faciendam adduci posset, ad vnum omnes interficiuntur. Pondormio aliàs nuntiatum est illos ad incendendum Fressinum fratris maioris natu domum venisse: eis ille occurrit, & tanto impetu adoritur, vt omnes deleret. Hoc pacto crebrę in eos, quandiu ad Hedinum consederunt, à Morinis, Montrolianis & Durlenienſibus incursiones suscipiebantur, vt vix à castris pedem efferre auderent. Accesserunt iuges pluuiæ, quæ alui profluuium Anglis inuexerunt. His rebus factum est, vt post bimestrem fere obsidionem non sine dedecore discedere cogerentur.

Hedinū à Castrianis & Anglis obsidetur.

Hostes Hedinensi re infecta discedunt.

Vindocinvs, quum illi nuntiatum esset hostes iam vasa conclamare, Sampaulium cum trecentis equitibus & peditum sex millibus quibus præerat Lorgius, Durlenum mittit: ipse cum Guisio, Trimollio & reliquo exercitu flumine Somona iter fa-

1522. cit, vt hoſtibus ſe recipientibus à latere inſtet. Illi Hedino profecti ad Auchianum caſtrum caſtra ponunt, ad Othiam flumen, medio itinere quod Hedino Durlenum contendentibus faeiendum eſt. Sampaulius Durlenum infirmius eſſe quàm vt defendi poſſet intelligebat, propterea quòd nullam arcem haberet. Nam vbi hodie arx viſitur, tum temporis mons erat, vnde quoquouerſum deſpectus erant in ſubiectum oppidum, vt omnia nuda & aperta conſpicerentur. Quibus ille cauſis adductus, quicquid cibariorum in oppido repertum eſt corrumpi iubet, ne hoſtibus vſui eſſet, portas deijcit, ſeque Corbiam confeſtim, vt ſe hoſti aduenienti opponat, recipit. Huc venit mareſchallus Mommorencius, nuper ex Italia reuerſus, ſecum ducentos regiæ turmæ nobiles habēs: cui à Rege mandatum fuerat vt Corbiæ cum imperio præeſſet, ſi quidem hoſtis illuc accederet. Vnde nonnihil cōtrouerſiæ illic cum Sampaulio interceſſit: hic enim ſibi à Vindocino qui prouinciam Picardiam prorex obtinebat, hunc locum traditum eſſe dicebat vt princeps legatus eſſet. Verùm lis iſta amicè tandem dirempta eſt. Dux Northfolcus & comes Buranus Belloquercum vſque progreſſi vt Corbiæ oppugnationem tentarent, vbi eam egregiè munitam vident, præterea continentes imbres, magnam in caſtris ægrotorum multitudinem, denique autumnum præcipitem atque adeo hyemem imminentem (erat enim circiter cal. Nouemb. anno 1522) Durlenum eircunie ctosque pagos incendunt, & in Arteſiorum fines reuerſi exercitum dimittunt, Angli domum nauigant, Burgundiones in præſidia deducuntur. Sampaulius & Guiſius per exploratores interim certiores facti Anglos magno numero Paſſum Arteſiorum cōceſſiſſe vt ſe ex labore caſtrenſi recrearent, eos inopinantes aggrediuntur, ſexcentos fere ex eis occidūt.

Angli redituri partes à Gallis eduntur.

NON multo poſt Paſchalia Nicolaus Boſſuuius Longouallanus fictæ coniurationis ſpeciem ſtruendam ſuſcipit, qua ipſo ſciente quiſpiam ex eius manipularibus Guiſiam hoſtibus prodebat: quod factum Regi quoque probabatur. Proditor iſte miles erat ex præſidio caſtro Guiſiæ impoſito Liuetus nomine, faber ferrarius. Is dicebat (& res ita habebat) Longouallanum, qui tum eo loco cum quingentis peditibus præſidio erat, huius conſilij participem eſſe: quinetiam aliquot ex decurionibus & neceſſarijs Longouallani Auennas Hannonum ad colloquium cum duce Aſcotio adduxerat. Hoc profecto ab illo veriſſimè affirmabatur, Longouallanum huius proditionis conſcium eſſe, ſed longè alio ſenſu quàm putabat Aſcotius. Vbi ea dies quā ad tradendum oppidum cōſtituerat venit, ſic res erant comparatæ, vt Florengius cum peditibus ad numerum quinque millium, equitibus trecentis, ab Arduennis locum inter Auēnas & Guiſiam occuparet, quò hoſtis receptum intercluderet: Vindocinus cum quatuor millibus Germanorum quos adduxerat dux Sothfolcus Albaroſanus, tribus Gallorum millibus, & quingentis equitibus è regione, Perona nimirum, veniret, atq; inter abbatiam Bohuriā & Guiſiam iter illis intercīperet: vt minimè dubius eſſet huius conſilij euentus. Siue enim hoſtis ſe recipere conaretur, à fronte Florengium, Vindocinum à tergo habiturus erat: ſiue pugnare vellet, Vindocinus à fronte, Florengius à tergo illum vrgeret. Huic tam præclaræ rei intereſſe debebant præcipui quique ex hoſtium ducibus, quòd nemo erat qui non huius gloriæ & prædæ cupiditate duceretur. Præterea ad auertendos noſtrorum animos, ne ſcilicet in vllam rei ſuſpicionem venirent, delectus habitus erat quindecim millium Flandrorum, duce Fiennio, præfecto Flandriæ, cum ferè ſexcentis Anglis & magna equitum manu, qui Teroanam obſidione deſultoria cingerent. Rex qui tum Campiburgi erat, ipſe adeſſe conſtituit, & veredarijs equis profectus media fere nocte Genlium ad Calnidum eo die peruenit, quum nocte inſequenti res gerenda erat. Fieri vix poteſt vt tam remoto loco, quàm eſt Blæſis Feram, centum ſexaginta paſſuum millium itinere, quiſpiam celeberrimus (qualis eſt Rex) iter faciat, quin multa exoriatur ſuſpicio: propterea quòd omnes eum ſequi cupiunt. Hoſtes iā iter erant ingreſſi vt Guiſiam veni rent, quum per exploratores fiunt certiores, Regem eſſe Genlij. Itaque hominem à quò ſibi prodendum oppidum confidebant, quemque vnà ſecum huius rei cauſa habebant, comprehendunt, tormentis rem quærere inſtituunt: verùm nihil vnquam ab eo extorquere illa ratione poſſunt: Longouallanus idem facit obſidibus quos ab hoſtibus acceperat. Tandem quum multis autoribus & nuntijs Regem illuc aduenīſſe certò comperiſſent, domum re infecta redierunt.

Guiſiæ ſimulata proditio, Regi tamen aduentu irrita.

REX vbi ſe ab inſtituto aberraſſe perſpexit, ea tamen facultate quæ dabatur

vti

vti decreuit, vt collecto exercitu aliquid gereret. Quare Florengium ad Sedaniam regni oram reuerti iussit: ipse Peronam ire cõtendit, quò vniuersas copias quas in Picardia Vindocinus habebat conuenire præcipit: datoq; illi negotio vt Morinos obsidione leuaret, atque in oppidum cibaria importaret, Lutetiam reuertitur. Vindocinus exercitum accipit, quatuor millia nempe Germanorum (vti dictum est) duce Suthfolco Albarosano, Picardos pari fere numero, ducibus Sercuto, Burnonvillano, Hergerio, Fontanio Hellij filio, & alijs nonnullis, quingentos insuper equites cataphractos, Brionium cum quadringentis regijs custodibus, Fayettum denique rei machinariæ in ea expeditione magistrum. Hac collecta manu vt rectà Morinos contenderet, iter per hostium fines facere decreuit, vt sic illos læderet, nostros subleuaret: simul vt aliquot castella quæ in illo tractu sunt, ex itinere capta deleret, quæ regni oræ multum molestiæ exhibebant. Has ob causas Balliomontium contendit, quod oppidum est satis firmum medio itinere inter Attrebates & Durlenum. Intus trecenti erant milites Hispani genere, qui receperant se vel illud defensuros, vel morituros: verùm neutrum præstiterunt. Vbi enim accerrimè à nostris oppugnari & aliquot ex suis interfectos viderunt, metu exanimati deditionem ea lege fecerunt, vt vita incolumis seruaretur. Hoc oppidum plurimi ex ducibus non censebant oppugnandum esse, quippe hominibus bellicosis munitum. Sed Vindocinus in sententia permansit, non commissurum se vt huiusmodi oppidum aduersum se ferociret. Aut quonam pacto hostes aggredi ad Teroanam auderet, qui altero tanto plures erant, qui oppidulum intactum præteriret? Ipse media luce machinis admouendis incumbit, vbi iuxta eum brachium Piennio sclopi glandę traijcitur, & tres fossores ad ipsius pedes interficiuntur. Quæ res magnum hostibus timorem incussit, quòd machinas plena luce nullis ductis fossis admoueri cernerent. Castrum solo æquatur, & turres succutiuntur. Inde Rupeuillam & Gincuriam contendit. Hostis Adinctone & Delettæ mille Teroana passus castra habebat. Quamobrem quum illum Andinctone oppugnare nefas esset, quem locum difficilem reddebat Lilium flumen, Ludzeũ metatorẽ iubet locum castris faciendis ad Foccobergã caperè: quòd hac ratione futurum erat vt commeatus facilè nostris, egrè hostibus adueheretur, quippe quum iter Santaudomari à Vindocino intercluderetur, qui sãũt Teroanę præsidio erãt, (erãt autem capitaneus Petripontius cum turma ducis Lotaringi, & Aculius) iter Areæ obsiderent. Hostes vbi nostros adeo appropinquare vident, noctu Andinctone profecti Huppenum contendunt (domus est quæstoris Bononiensis, loco edito Santaudomarum versus) & Teroanam ad dextram relinquunt: inde quum nostros instructa acie recta contendere conspiciunt, locum mutant, & castra Elfalti locant. Vindocinus eos vt prælium committat insequitur: interim Brionius plaustra commeatu onusta, qui nocte superiore Montrolio aduectus fuerat, Teroanã introducit. Hostes vbi vident Vindocinum Elfaltum versus exercitum ducere, iamque comitem Dammartinum & Aculium velitationibus lacessere, tanto terrore, Gandaui in primis & Flandri, perturbantur, vt statim absque ducibus, signis militaribus & tympanis in fugam maximo cursu se conijcerent, rectà Cordam flumen petẽtes, ingenti clamore vociferantes patria lingua Gau, qua dictione se mutuò ad fugam cohortabantur. Ibi multi etiam nemine insequẽte sub merguntur: neque vlla imperia exaudiebantur quibus fuga cohiberi posset. Quòd ni si Dinæus Fiennij legatus ope quingentorum ferè equitum fugientes illos texisset, plurimi illic cõcisi fuissent. Illud certò possum affirmare Dineĩ in Cæsarẽ singularẽ operam extitisse. Si enim exercitus iste plenè fuisset profligatus, totus Flandriæ status vehementer titubabat. Sed verum est vetus illud Gallicum, si exercitus nosset quid in exercitu gereretur, facilè exercitum ab exercitu deletum iri. Accedit quòd Brionius introductis in oppidum plaustris, Vindocinum monuit sibi à Rege diserte mandatum esse, ne res prælio committeretur. Absque hoc fuisset, Vindocinus, credo, iustum certamen inijsset: verùm Regis imperium noluit præterire. Pulsis hostibus Andinctonem castra mouet, quòd is locus ad importandum commeatum accommodatus videretur: quo loco ad duodecim dies commoratur, dum cibaria quantum satis esset illuc introducerentur.

Balliomontium à Vindocino captum diruitur.

Mira Flandrorũ trepidatio & fuga.

MENSE Aprili insequenti anno 1523 Rex quum videret aliquot iam exercitibus in Italiam missis ad recipiendum Mediolanum, nihil tamen profectum esse, sed magnas

Rex versus in Italiam proficisci cogitat.

1522 3. calamitates acceptas esse, ipse expeditionem suscipere decreuit. Verùm ne dum abesset, impetus fieret in Galliam citeriorem, simul vt secum abducere copias posset quæ in Picardia hyemauerant, antè statuit istis prospicere, quàm discederet: maximè Morinorum rationem sibi habendam esse iudicauit: quò antea quum cibaria conuecta essent, vti demonstrauimus, voluit tamen de integro omnibus quæ necessaria essent abunde illud oppidum instruere. Ad has res perficiendas Vindocino mandat omnes copias cogat, ipse omnibus oppidis finitimis iumenta & carros imponit, Mommorencium mittit qui Vindocino præsto sit, & primum agmen ducat. Hi rebus omnibus comparatis, Montrolio proficiscuntur, & Andinctonem millia passuum octo Teroana peruenium. Lilij fluminis quod hunc pagum alluit, illic adhuc minima est altitudo, ortum enim habet Isleburgi, quatuor ab eo loco passuum millia, quâ itur Hedinum: estque Andincto pagus ad extremam syluam Foccobergam, quâ Frugas & Hedinum iter est. Huc vbi ventum est, castra sic locant vt primum agmen duce Mommorencio trans flumen, ipsa acies ad alteram fluminis partem esset. Quod postquam hostibus aliquot interiectis diebus nuntiatum est, vtraque castra eodem tempore noctu aggredi statuunt. Qua in parte acies castrametabatur, Villabonus equitatus leuis armaturæ ductor paulo ante castra ad hostium aditum confederat. Burgundionum equites qui in nostrorum aciem impetum facturi erant, in excubitores leuioris equitatus irruunt tanto impetu, vt in ipsorum castra iam peruenirent quum ad arma conclamari cœptum esset. Quibus etiam tanta celeritate instant, vt nullo ad instruendas turmas concesso spatio, in ipsius acieci custodes regredi illos coegerint: inde tota prælij moles in ipsa maiora acies castra recumbit, quam nonnulli forte è nostris iam parati sustinuerunt: hostes ad impedimenta leuioris equitatus diripienda se conuertunt. Quod ni feciſſent, credo equidem maximam in nostro exercitu perturbationem exoriturarum tum fuisse. Hæc res saluti fuit, quippe quæ & magna vi irruentem hostem retardauit, & nostris facultatem vt arma expedirent, attulit.

Gallorum castra separata Burgundiones aggrediuntur.

DVM isti ad aciem præliantur, alij primum agmen inuadunt, cui (vti dixi) præerat mareschallus Mommorencius. Is firmam valde custodiam constituerat, cui Tigorettam vnum ex suis cataphractis præfecerat: qui quum ad vigilum stationem tumultum quendam exaudiret, solus illuc ad explorandam rem se confert. Dum vlterius, quò certius rem cognoscereat, progreditur, in hostes incidit, à quibus circunuentus capitur. Vbi se captum videt, veritus ne tota multitudo improuiso opprimeretur, ad arma conclamat: quamobrem paulum abfuit quin ab hostibus interimeretur: sed maluit scilicet capitis periculum adire, quàm committere vt totus exercitus in discrimen veniret. Statim totum agmen primum in armis fuit: quo factum est vt hostes conatus suos parefactos videntes pedem referrent. Omnes armati quoad sol oriretur, & tota vndique regio conspicua esset, manserunt. Postea vniuersus exercitus quo loco confederat Mommorencius, collocatur: neque tam desipuimus vt seperatis copijs castra haberemus. Ita in oppidum omnem commeatum quemadmodum constitueramus, inueximus, vt hostes deinceps nobis molesti nõ fuerint. Qua in re hunc seruabamus ordinem, vt Montrolienses ad syluam Foccobergam præsidio procederent, inde equitatus noster Morinos vsque deduceret.

Expeditionis in Italiam apparatus.

REX vbi quæ necessaria erant Teroanæ omnia diligenter esse prouisa intellexit, Mommorencium ad se accersit, Vindocino mandat vt Sothfolcum cum peditibus Germanis quibus præerat, Picardos ad numerum trium millium & equitatus partem ad se mittat: reliquis etiam suis edicit Lugduni vt incunte Augusto præsto sint. Amiraliũ Boniuetum ad occupandas angustias Susias, dum ipse cum reliquo exercitu subsequeretur, præmittit. Mommorencium ad Heluetios mittit, qui duodecim millium delectum habeat. Sex Gallorum millibus Lorgium præficit, & vnà cum Boniueto proficisci iubet. Mommorencius quod sibi iniunctum erat, tanta diligentia gerit, vt quum amiralius Susis esset, ille iam cum duodecim Heluetiorum millibus quos collegerat, Ivream peruenirent. Copias ergo illi suas vniuersas ad Taurinum coniungunt, ibique Regem præstolantur.

Italicorum populorum contra Gallos fauor.

PROSPERO Columnæ & prorogi Neapolitano nuntiatur maximam hominum multitudinem Mediolanum aduẽtare. Quibus rebus permoti societatem cum Venetis

(qui

(qui à Gallico fœdere deſciuerãt) & cum omnibus Italiæ dynaſtis, papa, populo Florentino, Genuenſibus, Senenſibus, Lucanis faciunt. Hi omnes contra Gallos coniurant, ſi Italiæ pacem turbatum venirent, non paſſuros: impenſas in militum ſtipendia pro rata parte omnes conferunt: huius factionis caput Proſper deligitur. Qui tãte rei adminiſtratione ſuſcepta rebus Mediolanenſibus omni ſtudio proſpicit, in primis Ticini tranſitu munitionibus factis noſtros prohibere conſtituit. Cæſar & Anglus etiam ſocietate inita ſtatuerant vt ſi Regius exercitus alpes tranſiret, Anglicana claſſis, duce Northfolco in Picardiæ fines nauigaret, comes Buranus ex Germanis peditibus & Belgicis copiis alium exercitum colligeret, quem cum Anglis coniungeret. Eodem porro tempore maximi momenti coniuratio quædam contra Regem ſtruebatur: eam bona fide, vt quidem competire licuit, exponam. *Cæſar & Anglus Regis hoſtes.*

DEMONSTRAVIMVS antea quemadmodum Rex quum Valencenas anno 1521 exercitum duxiſſet, duci Alenconio & mare ſchallo Caſtillionæo primũ agmen ducendum commiſerat. Quam rem Carolus Borbonius, cuius erat hæc prouincia, vt qui conneſtablius eſſet, iniquiore animo quàm præ ſe ferebat, paſſus eſt. Paruo poſt hãc expeditionem tempore moritur Suſanna Borbonia ducis Petri Borbonij filia, quam ille ex Anna Francica, Ludouici vndecimi filia, Caroli octaui ſorore ſuſceperat. Hanc Suſannam conneſtablius Carolus Borbonius comes Mompẽſerius in matrimonium duxerat. Ducendi cauſa fuerat, quòd mortuo Petro Borbonio ipſe Mompenſerius, qui patre erat Borboniæ gentis minore natu, matre Mantuana, contẽdere cœperat, poſſeſſiones illius hæreditatis, quæ perpetua fiducia eſſent & ad nepotes tranſirent, ſuas eſſe, qui hæres eſſet maſculus, Suſannæ addici non debere. Quamobrem vt hęc controuerſia ſepeliretur, Suſanna illi nuptum collocatur, licet antè Carolo Valeſio duci Alenconio deſponſa fuiſſet: qua vxore accepta ducem ſe Borboniũ profiteri cœpit. Alenconio poſtea nupſit Margarita ſoror Franciſci comitis Angoliſmenſis, hodie Regis. Suſanna mortua rectrix Regis mater inſtigata (vt fama erat) à cancellario Antonio Pratenſi, contendit, ex tota illa Petri Borbonij hæreditate bona quæ creuerat conneſtablius, Regij fiſci eſſe, ſibi autem reliqua potius quàm illi deberi: ſe enim conſanguinitate propiorem eſſe, vtpote quum ducis Petri ex ſorore, quæ duci Sabaudo nupſerat, neptis eſſet: à quo Mompẽſerium iſtum tres gradus diſtare: quamobrem res in iudicium curiæ Pariſienſis deducitur. Borbonius ſiue cauſæ diffiſus, ſiue partis diuerſæ potentiam veritus, ne ſi cauſa caderet, res illi ad reſtim rediret, Cæſaris gratiam opera Adriani Croxi comitis Roxij captare cœpit, quòd præoptaret patria excedere quàm fortunis exutus apud ſuos inglorius viuere. Cum Cæſare ita paciſcitur, vt Leonoram eius ſororem, quæ tum Luſitaniæ regis vidua erat, poſtea Galliæ regina, vxorem duceret. Rex Lutetia profectus vt Lugdunum & porro in Italiam contenderet, vbi Sampetrum Monaſterianum perueniſſet, certior fit de illa Borbonij cum Cæſare coitione. Hanc rem illi nuntiant duo nobiles Normani ex ipſius Borbonij cliẽtela & domo, Argugius vnus, alter Matinio. Quo nũtio accepto Rex illic commoratur, dum Germanos duce Sothfolco è Picardia venientes expectat, quòd nonniſi magno comitatu Molendinum ingrediendum ſibi intelligebat. Biduo demum pòſt, quum adueniſſent Germani, eis ad portas collocatis ipſe oppidum intrat. *Borbonii defectio.* *Regis mater Borbonio fortunas adimere conatur.*

BORBONII conſilium & pactio erat vt morbum ſimularet, ne Regem in Italiam comitaretur: quo alpes prætergreſſo, & Anglis in Picardia expoſitis ipſe comitẽ Guliel-mum Fuſtembergum & comitem Felicem cum XII fere Germanorum millibus accerſiturus erat, qui Coſſio & Caldomonte Baſſiniorum facto itinere ad eum in ſuos fines accederent, vbi per clientes & eos quos ſibi fauere & cupere ſciebat, collecturum ſe equites trecentos cataphractos & ſex fere peditum millia ſperabat: quinetiam ad hunc Germanorum numerum conſcribendum mandata cuidam Mottæ Nucetano nobili Borboneſio dederat. Ita de bello in ipſis regni viſceribus mouendo cogitabat. Eodem tempore Hiſpani magna manũ Fontirabiam obſeſuri erant: quod etiam ab eis factum eſt. Quæ quum ita eſſent, præſertim quum Rex regno cum omnibus fere copiis abeſſet, non eſt dubium quin Gallicana res in peſſimum locum, antequam opis quicquam ferri poſſet, deducta fuiſſet. Si enim copias huc conuertere cogitaſſet, Italos a tergo inſtantes habiturus erat. Verùm Deus huius regni perpetuus veruſque Stator ac cu-

1523. stos, huic malo occurrit, quòd Regi negotium iam erat indicatum. Etenim si minus totum hominis consilium (quale modò commemorauimus) illi patefactum erat, illud certè satis sciebat ab illo coniurationem cum Cæsare iam esse initam, & conferri consilia, vt ad illius partes transiret. His rebus adductus rationibus regni quanta potuit maxima diligentia prospicit: & quoniam nouerat Vindocinum esse ex gente Borbonia, nequid inde suspicionis oriretur, se in Italiam comitari voluit. Eum itaque è Picardia, cui præerat, accersit: Trimollium in eius locum mittit, Orvalium minorem natu è domo Albretica in Campania, cui eum præfecerat, relinquit: Burgundiæ Ducem Guisium in Trimollij præfecti locum præponit: Aquitaniæ & Ocitanæ Odetum Foxium Lautrecum: Ludouicam matrem regni rectricem gubernaculatenere voluit.

Regis cũ Borbonio colloquium.

VBI Molendinum venit, offendit Rex Borbonium morbum assimulantem. At ille candidi animi Princeps, quique clementia quàm iusta vltione agere malebat, quòd hominem ad sanitatem reduci, & à suscepto scelere deduci posse speraret, eum in cubiculum inuisit. Principio illum tanquam morbo licet simulato decumbentem consolatur, & bono esse animo iubet: deinde se certis nuntiis comperisse indicat Cæsarem opera Roxij in suas partes eum pertrahere & à summa illa voluntate & fide mouere conari, qua adhuc in Gallicanum regnum fuerat. Se quidem ita arbitrari, eum non vllo vel in Regem vel in regnum ipsum odio permotum aures ad huiusmodi verba accomodasse: cuius rei suspicio in hominem consanguinitate tam coniunctum cadere nõ posset. Sed desperatione nescio qua & metu ne ornamentis & fortunis spoliaretur, tanquam nubecula, obscuratum fortasse nonnulla ex parte fuisse singulare illud studium quod nunquam honori sui regis & principis defuerat. At deponeret ista ex animo omnia, quibus angebatur: se enim hoc illi confirmare, etiamsi in causa qua secum & cum matre contendebat, inferior discederet, omnes illi facultates & opes restituturum. Proinde id ageret vt ad iter hoc in Italiam comitem se præberet.

Borbonius morbum simulat.

BORBONIVS qua erat prudentia & constantia, quod in animo habebat callidè dissimulat. Hoc quidem fatetur, Cæsarem per Adrianum Roxium egisse vt ad suas partes transiret: se tamen nunquam animum ad hanc rem aduertisse, imò hæc omnia constituisse illi indicare, quo primùm tempore conueniendi facultas daretur, neminem quidem interruntium ad tantam rem adhibere voluisse. A medicis summâ spem ostendi fore vt propediem confirmata aliquantulum valetudine rheda vehi possit, tum se primo quoque tempore Lugduni præsto fore. Nõnullis placebat hominem in custodiam tradi: sed noluit humanissimus princeps hoc cõsilium sequi, maximè quum crimen nõdum esset patefactum: iniquum ratus nisi rebus antea planè compertis grauius quicquam in tantum virum decerni. Rex Borbonij promissis fidem habet, eúmque sibi omnino placasse confidit. His rebus comparatis Molendino profectus Lugdunum cõtendit, vt exercitum ad iter capessendum promoueat, Borbonio comitem relinquit Perottum Britonnerium Oartium. Paucis interiectis diebus ex eodem loco Borbonius specie itineris Lugdunum faciendi proficiscitur. Vbi Palissam peruenit, morbum recru duisse fingit: inde Oartium cum literis mittit quibus Regem de profectione sua facit certiorem. Post illius discessum secum expẽdit bona ex senatus iudicio apud sequestros deposita esse, vix tandem se iis potiturum, sibi rem esse cum rectrice, cuius gratia & auctoritas nimia sit. Statuit antequam vlterius progrediatur, Regis consilium penitus perspicere: interim Cantellas se recipit, quam domum satis firmam habebat, & in ea erat quicquid mobilium bonorum possidebat. Eò simulatque peruenit, episcopum Augustodunensem ex familia Huraltorum ad Regem cum literis & mandatis chirographo notatis mittit. Has literas totidem verbis subiecit.

Borbonius Cãtellas fecedit, quod ei imperandi malè cessit.

PLVRIBVS ad te scripsi antea Domine iis literis quas Oartio dedi. Nunc rursus Augustodunensem hunc episcopum mittere visum est, vt etiam certius iudicare possis quantopere cupiam meam in te fidem obsequiis testatam relinquere. Quicquid tibi meo nomine nuntiabit, fidem habeas oro atque obsecro, & de me sic statuas velim, meum tibi studium & laborem nunquam defuturum. Ita mihi semper integra maneat existimatio & dignitas. Vale, Cantellis domi tuæ VII Sept. Postulata autem huiusmodi erant. Dummodo Rex iubeat illi omnia ducis Petri Borbonij bona restitui, pollicetur & confirmat se summa fide, voluntate & diligentia quocunque loco, tempore & negotio

tio iubebit, dicto audientem fore, neque ad extremum vitę ſpiritum officio defuturum. Petit inſuper iis omnibus ignoſci in quos huius rei cauſa Regem iniquiori animo eſſe conſtat. Hæc poſtulata propria manu ſubſignarat.

POSTQVAM Oartius Lugdunum aduenisſet, Regi nuntiatur Borbonium relicto recto itinere Cantellas ſeceſſiſſe. Quo nuntio accepto, ſtatim Nothum Sabaudum præfectum prætorio & mareſchallum Chabannium iubet cum centenis vtrunque equitibus cataphractis Borbonium vel in itinere conſequi & ſiſtere, vel etiam Cantellis obſidere: Aleconianos itę equites centum & Vindocinianos pari numero, ſatellitum item regiorum duces & ipſum prætorianum iudicem illis attribuit. Nothus Sabaudus rectà Molendinum procedens, quum Pacalderiam veniſſet, incidit in iumenta ſarcinaria & muliones epiſcopi Auguſtodunenſis, qui Lugdunum iter faciebant cum mandatis Borbonij. Eos ſiſtit, & ciſtis apertis perſcrutatur nunquid illic quod ad Regis perniciem vel regni interitum pertineret, reperiretur. Exiguo interpoſito ſpatio aduenit ipſe epiſcopus, qui etiam ſiſtitur. Idem fit Sanvalerio qui Lugduni erat, item Emario Priæo, & Valguioni qui Teroanæ erat, & pleriſque aliis. *Mittitur qui Borbonium capiant.*

BORBONIVS per nuntios certior factus manum epiſcopo Auguſtodunēſi iectam eſſe, de reconciliatione planè deſperare atque adeo de ſalute cogitare cœpit. Quū que ex ſuis nonnullos in ea eſſe ſententia videret, expectandum eſſe dum Cantellis obſideretur, minimè aſſentus eſt: imò pro ea qua valebat multarum rerum notitia, ſummæ dementiæ eſſe iudicauit vlla arce ſe incluſum continere, quæ tum in media Gallia eſſet, tum vbi nihil auxilij ſperandum videretur. Quibus occaſionibus permotus, ſibi, ſi ſaluus eſſe vellet, regno excedendum eſſe intellexit. Itaque vno Pomperantio comitatus, abſque vllo famulitio, commutato ornatu Cantellis profectus itineri ſe committit. Primo die veſperi veniunt ad ædes Lallerij ſenis cuiuſdam nobilis qui in domo Borboniana educatus fuerat, cuius etiam nepos ipſi Borbonio ſtudebat. Ibi dum ſubſiſtit, consilium repudiat quod de itinere capiendo prius intenderat, iter ad dextram reflectit, & poſtero die apud ipſum Pomperantium pernoctat: inde Anicium ſiue Puteum Arvernorum contendit. Poſtea iter aggrediens, relicto ad lævam Lugduno Sambovetum frigidum venit, diuerſorium à pago ſeiunctum ingreditur. Vbi quoniam Borbonius iunus erat, ſubſiſtere coguntur, & curare cibo corpora ita ſe poſſe putant, vt à nemine conſpicerentur vel agnoſcerentur, quum præſertim anus quædam ſola ibi eſſet. Multa tandem nocte angarius qui veredarios equos Regis nomine Turnone habebat, Lugduno veniens illuc diuerſatur, vt equo pabulum præberet. Hęc cauſa fuit cur ilico diſcederent, & nocturno itinere ad cibum capiendum in pagum Vauquellas ſe cōferunt. Ibi hoſpita Pomperantium agnoſcit, nuntiatque equos eius bellicos pridie illac iter feciſſe: quinetiam eius notitiæ cauſa equam integram de fatigato equo commutat eique filium itineris ducem præbet. *Borbonii à Gallia profectio.*

BORBONIVS Vauquellis proficiſcitur media ferè nocte, quum ſe Pomperantij famulum aſſimularet: prima luce Daucam peruenit. Inter hunc pagum & Viēnam, quę proxima eſt, quum Rhodanum flumen intereſſe animaduerteret, metuerētque nequis in fluminis tranſitu ſpeculator à Rege conſtitutus eſſet, pone certas ædes ſe occultat, interim Pomperantius omnia exploraturus præit. Qui ad pontem Viennæ progreſſus, lanioni cuidam quem obuium habet, ait ſe ex ſatellitio regio eſſe: rogat num commilitones Viennam venerint, miſſi ad pontem tenendum, vt Borbonium tranſitu intercludant: ſibi enim eos per literas ſignificaſſe totam turmam eò venturam. Negat Lanio vllos ad pontem cuſtodes eſſe, ſe quidem fama quæ tum ferebatur, audiſſe magnam equitatus multitudinem Delphinatum verſus iter facere. Pomperantius vbi intellexit nullam in pontis tranſitu cuſtodiam eſſe, ad Borbonium redit: ſtatuunt tamen pontē non ingredi, ne fortè agnoſcantur: verū tutius eſſe iudicant, pontone flumen tranſire paſſuum fere mille illinc ſpatio. Pontonem quum ingredi vellēt, milites circiter duodecim ſimul conſcendunt, vt flumen tranſmitterent: quæ res non paruum Borbonio metum incuſſit, eo magis quòd medio fluminis traiectu, Pomperantius à quibuſdam eorum agnitus eſt. Sed perterritum confirmat Pomperantius, monens, ſiquid periculi impendere animaduerteret, præcidendum eſſe rudentem ductorium, atque ita verſus Viuarenſium fines pontonem conuertendum: ibi ſe mōtes petituros,

1523. & extra omnem periculi aleam futuros. Verùm hoc incommodum subire nihil fuit necesse. Flumine traiecto, quandiu se locis patentibus esse sentiebant, via regia qua Gratianopolim itur insistebant, postea obliqua via transuersis syluis recta ad Santantonium Viennorum progressi, Nantij apud anum quandam viduam stabulantur. Quæquum Pomperantium inter cœnam agnouissent, rogat num ex eorum numero esset qui cum Borbonio insanierant. Negat Pomperantius, se quidem affirmat libenter omnibus suis fortunis redemptum cupere, vt in illius comitatu esset. Sub cœnæ finem rumor ad illos perfertur prætorianum iudicem ad duo passuum millia esse vel certè fuisse, frequenti comitatu, vt Borbonium assequeretur. Quo nuntio perculsus ille è conuiuio se subducere ad fugam parat: sed cohibetur à Pomperantio, nequam conuiuis suspicionem daret. Dimisso conuiuio equos cõscendunt, & duodecim passuum millia progressi locum quendam deuenerunt, inter montium anfractus occultum: vbi ad leuandos ex itineris defatigatione eqüos diem vnum morantur.

Die Martis insequenti summo diluculo pontem Bellouicinium petunt, vt Camerinum Sabaudorum rectà cõtenderent. Dum iter faciunt, in plurimos incidunt qui exercitum sequebantur quem in Italiam amiralius Boniuetus ducebat, à quibus ne agnoscerentur vehementer timebant. Tandem quum die Mercurij sub vesperum Camerinum venissent, statuunt veredariis equis Susas vsque proficisci, vnde per fines ducis Sabaudi venirent Sauonam aut Genuam, quo ex loco in Hispaniam ad Cæsarem nauigarent. Quo die discessum mane parabant, comes Sampaulius illac veredis transit, Susas proficiscens, vt in Italiam ad amiralium contenderet. Quamobrem mutato consilio montem Cattum versus pergũt, Rhodanum sedecim passuum millia supra Lugdunum iterato transeunt, iter Sanclaudium faciunt. Vbi quum cardinalem Balmium non reperirent, nocte vna tantùm intermissa ad Turrim Mayam (quę domus est ex cœnobij Sanclaudiani prædiis, ibique plurimùm degebat) illum conueniunt, cui quoniam Cæsarianarũ partium erat, Borbonius se cognoscendum præbet. Postero die cum satis numeroso equitatu quem illi præsidio dedit cardinalis, Collinium peruenit, inde Passeranum, quo loco dies fere duodecim cõmmoratus est. Passerano Vesontionem, inde Leriam Ferretorum profectus est. Ibi præsto illi fuit maxima pars nobilium Gallorum, qui vt eũ comitarentur, Regem & domos suas patriámque ipsam & possessiones reliquerant. Ex iis erant Lurcius, Lallerius, Mombardo, Peluisius Spinax, Beschinus, Tensanius & multi præterea alij. Illic etiam eum conueniunt capitaneus Imbaldus & Paruodeius, & cum eo de reditu in patriam agunt, certò cõfirmantes Regem omnium quæ accidissent memoriam depositurum esse, eúmque apud se esse ea conditione iussurum quam Molendini tulerat. Hæc quum illi minimè probarent, in Galliam re infecta reuerterunt. Bor-
Borbonius in Italiã venit. bonius cum octoginta fere equitibus Germania peragrata post sesquimensem Tridentum venit: deinde bidui aut tridui mora interiecta Mantuam quum venisset, cum summa amoris testificatione à marchione excipitur: erant enim consobrini, quum Borbonij mater fratrem haberet marchionis patrem. Hunc itaque & eius comites rebus omnibus vt postulabat tanti principis dignitas, equis, armis, iumentis sarcinariis liberaliter instruit. Quarto die quàm illuc venerat, Mantua Cremonam proficiscitur, & à præfecto honorificè excipitur. Postridie cum magno equitatus numero Placentiam deducitur, vbi Carolus Lannosius prorex Neapolitanus illi præsto fuit. Is Neapoli venerat, vt Cæsaris princeps legatus Mediolani esset, propterea quòd Prosper Columna extremo morbo grauissimè afflictabatur.

Consiliis de summa belli inter se communicatis Borbonius Genuam ire cõtendit: vbi dum ventum secundum expectat, dies quinque & triginta commoratur: simul etiam quòd reditum Lurcij præstolabatur, quẽ quũ in Germania esset ad Cæsarem miserat, vt quid à se fieri vellet cognosceret. Tandem quum eius reditu desperato nauem conscendere pararet, ad portum appellunt Adrianus Croæus & Lurcius cum mãdatis à Cæsare, qui Borbonio optionem dabat, num vellet in Hispaniam nauigare, an in Italia cum exercitu subsistere. Maluit ille manere Mediolani, vt videret quò euaderent duo illi potentissimi exercitus, maximè quum nostræ copiæ totius hyemis ad Mediolanum labore pessimè essent acceptæ. Quibus cõstitutis rebus Binasquam ad proregem Neapolitanum & Cæsarianum exercitum profectus est.

MA-

MARESCHALLVS Chabannius & Nothus Sabaudus quum Borbonium nacti non essent, (qui quidem euaserat, quemadmodum à nobis demonstratum est) Cantellas proficiscuntur. Huius castri præfectus deditionem facit, simulatque nomine Regis supremi principis denuntiatio facta est. Illic totam Borbonij supellectilem (cuius ille elegantia & pretio nulli Christianorum principum cedebat) reperiunt, & possessum publicè in vniuersa eius bona mittunt, Carlatum etiam ipsius castrum & omnes possessiones publicant. Paucis interiectis diebus Rex Emarium Priæum quinquaginta cataphractorum præfectum comprehendi ex suspicione iubet, Sanualerium præfectum centum nobilium turmæ regiæ, Valguionem cataphractorum præfectum, qui tum Morinis præsidio erat, & alios non paucos ex Borbonij clientela. Ex iis tametsi cognitum est aliquos coniurationis non ignaros fuisse, quam pro suo in Regem officio indicare debuissent, hanc tamen illis culpam condonauit. Episcopus Augustodunensis Generalis Huraldi filius, tametsi quicquid bonorum cum suis habebat, id omne Regis & illius maiorum benignitate adeptus erat, in suspicionem tamen venit quasi consilij de fuga capiendæ conscius esset. Itaque comprehenditur, deinde dimissus Borbonium in Italiam postea consequutus est: qui post Hieronymi Moroni obitum cancellarium Mediolanensem eum constituit. Rex tamen illi tandem veniam dedit, & bona adempta omnia restitui iussit. Quę sanè omnia testimonio sunt Regem incomparabili fuisse clementia, qui ab iis offensus quos bonis & ornamentis amplissimis auxerat, neminem tamen vlciscì, quum iure summo posset, voluit: imo vniuersis pepercit & ignouit, quiquidem ad eius misericordiam confugerunt.

Borbonii bona publicantur

REX Borbonij fuga cognita, alpes sibi non censuit esse transeundas, quòd veretur ne coniurati plures essent. Gulielmum Gofferium ad amiralium Boniuetum mittit (is autem iam ad Vercellas cum exercitu processerat) qui eum moneat, vt quæ ambo inter se fieri oportere iudicauerant, perficeret. Apud se Alenconium, Vindocinum, Nothum Sabaudum, Chabannium eum suis quenque centenorum equitum turmis tenet. Nuntiatur ei Mottam Nucetanum (quem antea demonstrauimus à Borbonio cum mandatis in Germaniam missum fuisse) cum comite Gulielmo Fustembergo & comite Felice, qui circiter duodecim Germanorum peditum millia ducebant, progressum inter Sequanorum & Campanorum fines iter instituere. Qua re intellecta Guisio Burgundiæ & Orualio Campaniæ præfecto mandat, dent operam nequid detrimenti ab his regni oris accipiatur, quámque in partem hostem iter habere intelligerent, huc vires coniunctas cõuertant. Alenconianorum & Vindocinianorum centenorum equitum supplementum illis mittit, ipsum verò Alenconium & Vindocinum etiam apud se retinet. Mareschallum quoque Chabannium & Nothum Sabaudum præfectum prætorio apud se esse iussit, quorum opera & virtute vteretur, vbi opus esse & rem ipsam ita postulare intelligeret.

Rex in Gallia manere constituit.

SEPTEMBRI incunte anno 1523 amiralius tum certior factus de Borbonij fuga, tum mandatis à Rege acceptis vt Mediolanensem expeditionem persequeretur, primum agmen, quod Rex si ipse adfuisset, ducturus erat, mareschallo Mommorencio tradit, ipse mediæ aciei curam suscipit, & rebus ita comparatis rectà Mediolanum ire contendit. Prosper Columna (quemadmodum dictum à nobis est) aditus Ticini munierat, quòd confideret se nostros transitu prohibere: atque adeo munire Mediolanum quod inchoauerat, destiterat. Paucis antè diebus dux Sforcia Moncha, vbi domum fere habebat, profectus Mediolanum veniebat. Nobilis quidam Mediolanensis ex eius clientela, nomine Benedictus Viscontius, ei subiratus, quòd peditum quandam cohortem cui præerat, exautorasset, quam in ea re iniuriam accepisse videbatur, eam tum vindicare constituit. In eo itinere quum Sfortia humiliori equo insidens, paucos secum ob pulueris copiam comites haberet, Viscontius cum equa Turcica specie colloquij proximè eum accedit, pugionéque districto iugulum petere conatur. Dux capite demisso, & corporis quadam declinatione petitionem ita coniectam effugit, vt ferrum brachio tantùm acceperit: quòd si latus ipsum petiisset, actum de illo proculdubio erat. Ille multis licet insequentibus, equæ quam conscenderat celeritate euasit. Sfortia tanto periculo se ereptum videns, Moncham se recipit, quòd metueret ne aliæ porro essent in vlteriori itinere aduersus se insidiæ. Statim

Sfortia per dolum vulneratur.

1523. rumor increbrescit hoc ictu illum interiisse. Quo audito capitaneus quidam Mediolanensis Galeacius Biraguius, qui Taurini tum nostrorum copias expectabat vt se cum illis coniungeret, vt quod ex vsu Regis esse iudicabat faceret, quum verum de ducis morte nuntium arbitraretur, nostrósque iam montium angustias ingressos sciret, Valentiam per proditionem occupat (est autem oppidum ad Padum flumen infra Cazalum Sanuasium) spe adductus se eam ad nostrorum aduentum seruare posse: verùm longè aliter accidit. Etenim Antonius Leua iussu Prosperi Columnæ cum peditatu Hispanico & leuis armaturæ equitatu, Asta profectus illum Valentia expulit nullo adhuc ad munien dum opere facto, ipsúmque cepit. Interim amiralius Boniuetus iter sic instituit vt recta Prosperum peteret, collatisque signis dimicaret. Hos autem secum duces habebat, marescha llum Mommorencium, Badium, Vandenessum, Masserium, Valerium, prodominum Carnotensem cum fere MD cataphractis, Lorgium cum VIM peditum Gallorum, ducem Sothfolcum cum Germanorum VIM & Heluetiorum ferè XV M. Aderát præterea animi causa absque vlla præfectura comes Sampaulius & Valdomontius. Sed antequam hæc narro, res ad Bayonnam & Fontirabiam gestas commemorare est operæpretium.

DICTVM est à nobis antea quemadmodum anno 1522 marescha llus Chabannius Fontirabiæ auxilium tulerat, & Ludæum eduxerat, cuius singularis opera in toleranda inedia & rerum omnium egestate extitit: in eius locum Fraugetum iussu Regis oppido præfecerat, qui marescha lli Castillionæi quum moreretur, legatus erat, prouectæ ætatis nobilem, præclaræ in re militari existimationis, quem Rex quinquaginta equis cataphractis ad defendendum oppidum præposuerat. Illi præterea adiunxerat Petreium marescha lli Nauarreni filium, cuius patrem Hispani non multo antè in vinculis necauerant: eum autem mille peditum tribunum constituerat. Consilium hostis erat (vt antè à nobis dictum est) vt eodem tempore Campania spe auxilij quod Borbonius laturus erat, inuaderetur, Angli & Burgundiones Picardorum fines ingrederentur, & Hispani Fontirabiam obsidione cingerent: id etiam ab illis perfectú est. Eodem quippe anno 1523 ad sextum Septembris Hispani copias suas iunxerunt. Quod vbi Lautreco Aquitaniæ præfecto nuntiatum est, Bayonnam proficiscitur, vt tum ipsi tum Fontirabiæ prospiceret. Principio Fauceto ipsi tantam virorum, cibariorum & telorum reique totius bellicæ copiam suppeditat, quanta ad diuturnam obsidionem ferendam & acerrimum hostium impetum sustinendum satis erat. Bayonnam introducit omnem commeatum & pecorum quicquid ex agris colligi potuit, partim vt oppido prouideret, partim ne illa hosti vsui essent. Propter paucitatem verò hominum, quòd exercitus regij in Italia, Picardia & Campania erant, Bayonnam eo militum numero quo opus erat, munire non licebat. Accedebat quòd verebatur ne hostis dum obsidere Fontirabiam velle præ se ferret, Bayonnam tentaret. His causis adductus ipse tueri oppidum decreuit.

Hispani Bayonnam impetu occupare conantur.

HISPANI coniunctis copiis ad decimum sextum Septembris San-janum Luæum veniunt, quod oppidum medio itinere situm est Fontirabia Bayonnam. Postero die Bayonnam terra & mari eo impetu oppugnare cœperunt, vt nisi ipse Lautrecus adfuisset, verisimile sit, quum tanta esset defensorum paucitas, eos vi irrupturos fuisse. Sed virtus hominis fortissimi tanta extitit, vt totum triduum noctu & interdiu ad mœnia continenter staret, rebus omnibus summa diligentia, maximè ostiis fluminum prospiciens. Sic enim habendum est, duo illic esse altissima flumina nauigabilia. Vnum ex Daxæ parte fluens oppidum quà parte Galliam spectat, cingit. Alterum San-jano Pedeporcio & è montibus Nauarricis fluens medium oppidum perluit: extra oppidum in vnum coeunt: quo loco æstus maris quotidie bis tanta altitudine accedit, vt naues plenis velis illuc deducantur. Quæ res ciuibus maximum terrorem incutiebat, ob multitudinem nauium quas habebant Hispani & Cantabri. Tamen Lautreci præsentia sic confirmabantur, vt viri, fœminæ & impuberes manum omnes operi admouerent, & ignauissimus quisque se fortem & industrium præstaret. Quarto demum die Hispani quum se tempus nequicquam absumere cernerent, pedem referunt, & ad obsidendam Fontirabiam iter conuertunt. Illic non eam defensorum virtutem comperiunt, tametsi abunde esset virorum & omnium quæ opus sunt. Fraugetus enim post paucorum dierum obsidionem, firmissimo licet munitus præsidio, oppidum magnum, & quò vi nullus accessus

cessus patebat, per ignauiam hosti tradit, vt sarcinis saluis abire liceret. Quanquam hanc causam afferebat, se ad tam turpem deditionem inuitum deuenisse, quòd Petreio mareschalli Nauarreni filio cum hoste commercium clandestinum intercederet. Nihilo secius Fraugetus Lugduni in edito theatro sacramento militari & nobilitatis insignibus solutus, & ad plebeiam conditionem cum sua posteritate reiectus est, quòd per negligentiam & animi deiectionem Petreij coniurationi non occurrisset, si modò veram esse constaret.

AMIRALIVS Boniuetus (vt nunc ad eum reuertar oratio) rectà Prosperum petere cœpit, vt cum eo prælium committeret. Antonius Leua Astæ certior factus nostros transire, summa qua potuit celeritate trans Ticinum se recipit. Hac re factum est vt amiralius Nouariam & cætera Omelinæ oppida caperet. Prosper grauissimo morbo decumbens se pensili vehiculo deferendum ad Ticini ripam curauerat, tanquam prælium inire vellet: verùm vbi per nuntios intellexit nostrorum præcursores ad ripam ipsam progressos fuisse, de transitu impediendo propter minimam vadi multis locis altitudinem, desperare cœpit: grauiora tormenta ænea Mediolanum remittit. Postridie audit reliquas nostrorum copias ad Vigevam esse, iámque machinarum vi Germanos pedites Cæsarianos qui transitum obsidebant, summotos esse, nostros etiam tum equites tum pedites transire cœpisse. Tum non parum à se erratum esse licet serò, agnouit, qui fluminis transitu exercitum Gallicum recentem, cuius vis in impetu est, prohibendum suscepisset. Igitur Mediolanum se recipit: quò quum venisset, tanto metu perterritos reperit tum milites tum ciues, vt relicto oppido Laudam se recipere cogitaret. Sed res adeo infœliciter casu nescio quo amiralio cessit, vt consilio aliquot Mediolanensium, in primis Galeacij Viscontij, se adduci pateretur, qui docebant, si rectà illuc duceret exercitum, milites non posse contineri quin spe prædæ in vrbem irrum perèt, quo efficeretur vt vrbs nulli vsui Regi esset. Sinautem Galeacium ipsum cum ciuibus colloquutum mitteret, perfecturum illum, vt Cæsariani vrbe pellerentur, pecuniæque ingens quædam summa ad belli impensas conficeretur. Ista Galeacij oratione adductus amiralius secundi illius auspicij cursum non tenuit, sed biduum illic aut triduum commoratur, dum Galeacius cum Normaniæ quæstore generali Boërio Mediolanum proficiscitur. Colloquia diuturniora, & ad extremum verba mera reperta sunt: inde nostri exercitus pernicies cõsequuta est. Dum enim tempus ducitur, Prosper suorum animos ex tanta trepidatione confirmat, sarcinæ ad profectionem iam collectæ & expeditæ deponuntur, summa celeritate & incredibili fossorum numero vallum locis maximè labefactatis instauratur. Deinde quum sibi non satis esse virium animadueriteret ad plures vrbes defendendas, Mediolanum tantùm, Cremonam & Papiam tueri decreuit, reliqua ducatus oppida deserit, dum nostri exercitus impetus defferuesceret, & hyeme iam propinqua infringeretur. Ad quas res perficiendas Antonium Leuam Papiam mittit, mille homines Alexandria cò deducit, præter duo millia quos secum Leua ducebat, pedites alios pari numero Cremonam mittit. Amiralius Alexandriam, quam desertam videt, Bussium Ambosium cum duobus equitum leuis armaturæ millibus mittit.

Gallicæ copiæ in Italiam ve niunt.

Amiralius bel li fortuna vti nescit.

AMIRALIVS errore in quem vana spe lusus inciderat animaduerso, rectà Mediolanum ire contendit, sed serò. Prosper enim decem militum millia illuc collegerat, præter ciues ipsos qui iam armis assueuerant. Non tamen incepto destitit, sed castra ad oppidum inter duo itinera Laudæ & Papiæ locat. Monzam exercitu misso occupat, eique firmum præsidium imponit, vt commeatum Mediolanum importari prohiberet. Præterea certior factus ducem Mantuanum Laudam venisse cum quingentis equitibus & ducentis peditibus, quos papa auxilio fœderatis mittebat, Badium cum octo peditum millibus, quadringentis cataphractis & octo machinis igniariis illuc mittit, Mantuanum ibi oppressum iri sperans: at ille nuntio accepto & viribus suis diffisus, oppido deserto se propiuit. Badius ingressus, impositóque præsidio Cremonam contendit, periculum facturus num ope nostrorum, qui etiamnum arcem tenebant, illam occuparet. Ad quem quum eò venisset, accessit Rentius Ceres patricius Romanus, cum quatuor peditum Italorum millibus, quos ex agro Ferrariensi & locis finitimis collegerat. Illi communicato consilio quum viderẽt ab arce nullam irruptionem aut impetum

Mediolanum à Gallis obsidetur.

1523. in vrbem fieri posse, quòd latissimis & altissimis fossis aditus omnes hostis intercluisset, oppugnare alio loco instituunt, & periclitari num vi irrumperent, licet Venetorum exercitus qui fœdere erant coniuncti, Pontiuij ab eo loco non procul abesset. Nam Venetorum illum exercitum (qui, vt dixi, in numero fœderatorum erant) non magnopere sibi timendum esse ducebant, propterea quòd Senatus vetuisset ne suo iniussu finibus excederent.

PROSPER certior factus Regium exercitum Cremonam proficisci, Papiam mittit, vt milites ad numerum trium millium quingentorum Cremonam præsidio ducerentur. A duce Vrbinensi Venetorũ legato & marchione Mantuano papæ legato summopere contendit vt suas copias ad nostrorum castra adducant, vt ab oppugnando oppido auertant. Sed ne hæc quidem res Badium, Rentium & Lorgium peditatus Gallici præfectum remorata est, quin admotis machinis ea diligentia murum concuterent, vt triduo satis magna pars deiiceretur. Verùm tanta repente imbris copia extitit, vt nostri loco lubrico quantum progredi ad murum conabantur, tantundem retro pedem cogerentur referre. Qui imber quum quatriduum totum nulla temporis parte intermissa duraret, Badius oppugnationem in alium diem differre cogitur: qua temporis mora hostibus ad ruinam obstruendam spatium datum est. Denique iuges illi imbres tantam itinerum difficultatem attulerunt, vt nulla omnino ex parte cibaria in nostrorum castra importari possent, atque adeo fame illic laboraretur: ad quæ incommoda hoc etiam accessit, quòd hinc ab exercitu Veneto illinc à papano commeatus intercludebantur. Quibus rebus coactus Badius Mediolanum se recipit, quum tamen prius arcem Cremonensem viris & cibariis recentibus munisset. Quam ingressus reperit Bunouium præfectum mortuum, simul vniuersos milites quos Foxius reliquerat: ex quibus octo tantùm supererant, animo obfirmato se potius idem genus mortis cum reliquis perpessuros, quàm vr deditionem facerent, quamuis diutina biennij conclusione ad summam rerum omnium inopiam adducti fuissent. Non ea virtus fuit eorum qui Mediolanensem arcem tenebant. Qui simulatque Lautrecus quo cupiebant temporis articulo auxilium non tulisset (vbi Marcus Antonius interiit) deditionem fecerunt, quum rei frumentariæ satis magna suppeteret copia, vt auxilium amiralij Boniu eti expectare possent. Quinetiam Prosper ipse quum post Ticini transitum è nostrorum conspectu pedem referret, nunquam de defendenda vrbe consilium iniisset, si arcem nostri tenuissent. Qua de causa capitaneus Mascaro qui (vt antea diximus) ei præpositus fuerat, malè audiit, paulùmque ab eo abfuit vt ignominiæ maculam ex disciplina militari susciperet.

Cremonã Galli obsident, nõ capiunt tamẽ.

Germanorum in Galliam exercitus à Borbonio accersitus.

IAM rebus amiralij ad Mediolanum in suum locum reiectis, ad Picardiæ & Campaniæ statum reuertendum est. Simulatque Borbonius Gallia excessit, Motta Nucetanus, quem diximus in Germaniam ab illo ad milites conscribendos missum fuisse, tanta vsus est celeritate, vt paucis diebus Campanorum fines cum comite Gulielmo Fustembergo & comite Felice ingressus, ad Coffium obsidendum veniret. Oppidum hoc est qua parte Gallia comitatum Burgundiæ contingit, millia passuum à Lingonum vrbe duodecim. Eorum aduentu perterrefactus is qui præerat, prima statim denuntiatione, nulla oppugnatione deditionem facit. Quo facto Montinium regium ad læuam relinquunt,, & transmisso Mosa flumine supra Neocomum, Monticlarum versus progrediuntur, quod castrum est in monte situm non procul à Matrona flumine, medio fere itinere Caldimontis Bassiniorum & Ianvillæ. Hoc castrum etiam in eorum potestatem venit. Dux Guisius qui Regis legatus in Burgundia prouincia relictus erat, quòd Trimollius Picardiæ præfectus abesset, amissa hæc oppida vbi intellexit, non putauit committẽdum esse vt Germanicus iste peditatus lõgius progrederetur, sed cũ suis equitibus cataphractis centum, totidem Alenconianis, & Vindocinianis itidem pari numero & aliis aliunde accitis, Caldimontem venit, vbi suos cum equitatu Orvalij Campaniæ præfecti coniungit, vt numerum fere sexcentorum cataphractorum equitum conficerent: quibus accessit equitatus ex nobilitate prouinciæ promulgatione facta coactus: cuius præsidio Caldimontem & reliqua oppida firmarunt. Nam cataphractos illos oppidis nolebant concludere, sed locis patentibus paratos habere volebant, quorum opora vbicunque rem ita postulare intelligerent, vterentur. Hostes quòd confiderent

siderent Borbonium equites suppeditaturum, equitatu carebant. Quamobrem equites nostri continenter in armis erant, illi nullos qui frumentatoribus præsidio esset habebant. His rebus effectum est vt paucis diebus fame coacti, itinere Neocomum Lotaringorum conuerso, vt illic Mosam transirent, domum redire cœperint.

GVISIVS postquam eos discedere, & quodnam iter instituerent, per nuntios comperit, cataphractos circiter trecentos mittit, qui traiecto Mosa flumine antegressi hostes à fronte adorirentur, ipse cum reliquo equitatu, parte illorum flumen traducta, nouissimis à tergo instaret: quum enim ingentem prædam agerent, facile erat illorum ordines sub farcinis perturbare. Ad hanc rem perficiendam deligitur Coruillanus, qui Guisianos equites & alios ducturus erat: sed accidit vt pridie quàm proficiscerentur, rixa quædam coorta sit inter Coruillanum & Castelletum Lotaringum: qui quum ad arma venissent, Castelletus districto gladio Coruillanum punctim in os petit, & iugulum traiicit: quæ res profectionem eorum retardauit. Guisius quum illos Mosam, quemadmodum iussi erant, transisse existimaret, nouissimos illorum suis equitibus insequi cœpit: quos ad Neocomum assequutus, eos qui citra flumen reliqui erant (nam dimidia ferè pars transierat) concidit, & prædam recuperauit. Quòd si quibus negotium datum fuerat, vt trans flumen essent, quod imperatum erat fecissent, paucissimi ex hostibus superfuissent: tantus eos metus incesserat. Lotaringa & Guisia nobiles matronæ ex arcis fenestris hoc spectaculo se oblectabant.

Anglorum & Belgarum exercitus Picardiâ ingressus.

DVM hæc in Italia & Campania geruntur, nihilo minus turbarum erat in Picardia. Dux Northfolcus quatuordecim ferè aut quindecim Anglorum millia ad Caletum expoſuit, & iunctis cum Burano comite Cæsaris legato copiis, reperiunt in exercitu esse sex ferè millia equitum, peditum ad vigintiquinque aut triginta millia, & tormentorum non paruam multitudinem. Iter insistunt inter Montrolium & Teroanam, vt Hedinum vel Durlenum aggressuri viderentur. Trimollius tantam belli molem sibi sustinendam videns, iis iam vrbibus prospexerat ad quas hostes primùm accessuros verisimile erat. Teroanæ Fraxinæum Nothum Morollum ipsius oppidi præfectum cum quinquaginta cataphractis reliquerat, & capitaneum Petripontium cum turma ducis Lotaringi (erat autem centum cataphractorum) cuius ipse legatus erat, & duobus peditum millibus. Hoc oppidum hostes tam egregiè munitum conspicati, sibi non tentandum esse rati, prætereunt. Hedinum vsque progressi, itinere Durlenum conuerso, idem faciunt: Durlenum tandem obsidendi consilio perueniunt. Castrum reperiunt cespititium viris & rebus ad bellum necessariis abundè munitum: quod Pondormius iussu Vindocini anno superiori in colle Ambianum versus extruendum curauerat. Quod quum diligenter explorassent, ab eo etiam sibi abstinendum esse duxerunt. Ibi quatriduum morati, vt se ex itineris defatigatione recrearent, Corbiam iter faciunt: sed ne eam quidem aggredi in animum induxerunt, quòd illic ipsum Trimollium adesse intelligerent.

HOC dignum scitu est, tantam fuisse Trimollio hominum paucitatem, vt quum aliquod oppidum hostis præteriisset, illinc cogebatur præsidium abducere quod statim in aliud introductum hosti opponeret. Pondormius vbi hostes Corbiam prætergressos esse, & aduerso flumine Somona procedere sensit, Bibracte ingreditur, vbi fluminis transitus est inter Corbiam & Peronam, eo consilio vt hostem transitu prohiberet, quumquidem secum circiter centum quinquaginta cataphractos & pedites ferè mille quingentos haberet. Neque verò eum latebat oppidum infirmius esse quàm vt defendi posset, vt pote quod mœnibus inualidis cinctum, nec muniri etiam potest, ob tres circunciectos montes adeo propinquos, vt vel lapidibus abigi queant siqui propugnare conentur. Sed sperabat, si maiori hostium vi impar esset, sibi per aggerem receptus facultatem datum iri, seque pontes effracturum esse. Verùm aliter omnino se res habuit. Adeo enim vrgentibus aduersariis premi se sentit, vt nonnisi perturbatis ordinibus se recipere potuerit, promiscuè per tumultum illis transeuntibus. In ea turba Pondormius circiter centum homines amisit, ex quibus fuit capitaneus Adrianus mille peditum tribunus. Nec dubium est quin reliqui ad vnum omnes deleti fuissent, nisi Pondormius cum equitibus aduersum se ad sustinendam irruentium hostium molem op-

Pondormius infeliciter pugnat.

1523. posuisset, dum pedites Corbiam, vbi erat Trimollius, se reciperent.

TRIMOLLIVS certior factus hostes traducto exercitu Roiam & Mondiderium contendere, Mondiderium mittere auxilium constituit. Quod quum nemo suscipere auderet, quòd itinera hostium exercitu referta erant, Pondormius, (cui omnia quantumuis periculosa, leuia videbantur) rem tantam aggredi nō dubitauit. Postquam adueserasset, itineri se committit, assumptis ducibus itinerum peritissimis: quúmque neminem obuium habuisset, illuc Rupebaronem Arvernum cum quinquaginta cataphractis, Floracum pari numero (is autem erat in turma comitis Dammartini legatus) & capitaneum Renatum Palleterium cum mille leuioris armaturæ equitibus collocauit. Re quam suscepterat ex sententia confecta, de reditu cogitare cœpit. Tametsi autem minimè dubitabat quin hostes, qui eum Corbia profectum Mondiderium venisse sciebant, operam daturi essent vt redeunti occurrerent, tamen quòd metuebat ne Trimollius suam operam desideraret, non iudicauit sibi expectandum esse dum nox appeteret. Ita plena luce iter ingreditur, quoscunque obuios haberet certò constituit aggredi, quum tamen suam tantùm turmam, quæ nonaginta cataphractis constabat, & procomitis Lauedani turmam duceret. Dum iter facit, incidit in quingentos equites, quos tanta virtute adoritur, vt in fugam statim coniiceret. Duo postea equitum millia reperit qui subsidio primis veniebant, quorum occursu se recipere coactus, cum triginta equitibus nouissimum agmen claudit, dum reliqui itinere quo Ambianum itur cuaderent. Vrgentibus supra modum aduersariis equo interfecto ipse in terram deiicitur: prostrato succurrit Barniolius frater & legatus cum Canaplio nepote, qui idem etiam signifer erat: hi & equum illi suppeditant, & nouissimi omnium subsistunt, dum ille vnà cum suis Ambianum se recipit: nam Corbiam redire integrum non erat, propterea quòd hoc iter ab hostium exercitu intercludebatur. Tandem crebris præliis Barniolius & Canaplius cum viginti cataphractis conflictati humi sternuntur, & cum septem equitibus viui in hostium potestatem veniunt. Roia ab hostibus capitur & incenditur: qui postea Mondiderium veniunt, & machinis muros deiiciunt. Nostri quos illic Pondormius collocauerat, suis viribus diffisi, deditionem saluis impedimentis faciunt, seque ad Trimollium tradito hostis oppido recipiunt. Ob quam deditionem sanè vulgò damnabantur, quam nimia festinatione feciſſe videbantur, quòd hostes præ commeatus penuria diutius illic commorari neque longiore eos obsidione premere potuissent. Affirmarunt nonnulli Renatum Palleterium hanc pactionem nunquam approbasse.

Roia & Mondiderium capta atque incensa.

REX quum Lugduni audiret quo loco essent res Picardicæ, hostésque ad Osiam flumen progressos Lutetiæ duorum & viginti millium spatio appropinquasse, Vindocinum quam maxima posset celeritate eò mittit, summo imperio tradito, vt quicquid intelligeret in citeriori Gallia opus facto esse faceret. Simul quadringentis equitibus grauis armaturæ partim ex Burgundia, partim ex Campania collectis, vt statim illum sequantur, eique per omnia dicto sint audientes, imperat. Præmittit Brionium qui Parisinorum animos perterritos confirmaret. Huic mandatis quæ habebat in comitiis populi expositis, neque vlla mentione aduentus Vindocini & equitatus quem secum adducebat, facta, Balletius secundus curiæ præses totius multitudinis nomine in hæc verba respondit, Periucundū sanè toti populo esse eius aduentum, quem à Rege supremo suo principe missum esse intelligerent. Tamen Regem Ludouicum vndecimum, quū Lutetiæ vrbis fidelissimæ ciues ob expeditionem Caroli ducis Burgundiæ, qui ad Bellouacum erat, metu perculsos consolari conaretur, misisse non vnum quempiam veredarium equis, sed maresc hallum Ioachimum Rualtum cum quadringentis cataphractis, quam rem illis solatio fuisse. Tametsi enim illis in dubium minimè veniret Brionij fides, virtus & gratia qua apud Regem valeret, non esse tamen eum qui solus tantam vrbem metu liberare posset. Nuntiatum nihilominus illis erat Vindocinum aduentare cum pari hominum numero quem Rualtus tum habuisset. Id quod magnum illis animum addebat tum ob singularem principis virtutem & dignitatem, tum ob comitum multitudinem.

Parisinorum ob hostes propinquos trepidatio.

ROIA & Mondiderio captis & incensis nuntiatur Anglis Vindocinum appropinquare. Quamobrē veteri cœperūt ne Trimollius ex vna parte & Vindocinus ex altera

accederent, qua ratione fieret vt commeatus omnis intercipereturᵉ. Itaque reducere copias Feruaquio ſtatuerunt, ad caput fluminis Somonæ octo paſſuum millia ſupra Sanquintinum. Nellam oppidum in itinere deſertum, quòd infirmius eſſet, reperiunt, quod etiam incendunt. Poſtridie Hanum iter conuertunt, quod defenſoribus deſtitutum reperire ſe ſperabant: verùm ſuperiori proxima nocte comes Brennus cognomento Sallebrucus illuc cum ſuis quinquaginta cataphractis & peditibus fere octingentis venerat, qui oppidum ſeruare ſtatuerant: arx enim ea erat quæ ab exercitu ab expeditione reuertenti capi vix poſſet. Id oppidum quum præſidio firmatum hoſtes viderēt, abſque oppugnatione prætereunt. Secundo pòſt die relicto ad læuam Sanquintino ad Feruaquium caſtra locant: poſtridie Premontē, Bohanium, quod caſtrum eſt duobus Premonte paſſuum millibus, oppugnare velle præ ſe ferentes. Quanquam Premontiana illa caſtra metatio ſatis oſtendebat illis non eſſe in animo Bohanium tentare: quippe quę in itinere Bohanio Cameracum facta fuerat: vt veriſimilius eſſet eos ſe illuc recipere, quàm caſtrum aggredi cogitare. Quod quum non animaduerteret qui caſtro illi præerat, quum hoſtes tam propinquo loco eſſe intellexiſſet, non expectauit dum de facienda deditione mitteretur nuntius: verùm ipſe Premontem profectus caſtrum Sothfolco & Burano in manum dat, modò ſibi & ſuis abire ſaluis impedimentis liceat. Anglus relicto quod ſatis eſſe videbatur præſidio, in Arteſiorum fines reuerſus exercitum dimittit. Id factum eſt paulo poſt Diualia anno 1523, decem nempe aut duodecim poſt Martinea diebus: quo quidem Martincorū die tritica fata per vniuerſum Galliæ regnum gelu correpta ſunt. Decimo aut duodecimo ab hoc grauiſſimo caſu die quum videret Trimollius hoſtes prius exceſſiſſe quàm Vindocinus adueniſſet, recta Bohanium cum ſex cannis muralibus pergit, murum tanto impetu concutit, vt hoſtes deſperato auxilio, quòd dimiſſus erat exercitus, deditionem facerent: quo facto Stratæus caſtro præficitur. Trimollius è Picardia decedit, quum aduerſus maximi exercitus impetum pauciſſimorum hominum ope tanta virtute defendit, vt hoſti ne pedis quidem ſpatium occupatum tanta expeditione in Gallia ſuperfuerit.

Nella incenſa.

Bohanium hoſtis ne petenti quidem dedit.

Geluſatis triticis per vniuerſam Galliā exitioſum.

AMIRALIVS id temporis quum ad Mediolanum caſtra haberet, oppidani ad eam cibariorum penuriam redacti ſunt, quòd piſtrina noſtri vndique fregiſſent, & aqueductum ab oppido auertiſſent, vt niſi magnam piſtrinorum verſatilium multitudinem in vrbe habuiſſent, quæ fieri Proſper imperauerat, dubium non ſit quin tum ciues tum milites fame periſſent. Morbus etiam ingraueſcere cœpit, vt ſummam imperij Alarconi Hiſpano tradere cogeretur. Is paulo antè iuſſu Cæſaris è Calabria venerat, vt peditatui Hiſpanico præeſſet, propterea quod Piſcarius aberat, qui ob rixam aduerſus Proſperum coortam diſceſſerat. Alarco hac cura totius adminiſtrationis ſuſcepta, vt initio aliquid memorabile faceret, editum valde aggeris molem in vrbe excitauit, vnde in noſtrorum caſtra glandes coniicerentur: illuc ſeptem aut octo maiora tormenta ſubuehi iuſſit. Proſper operis inutilitatem, & munitionis bellicæ iacturam quum videret, deſiſtere ab ea ſubſtructione ſuos iubet: marchioni Mantuano imperat, vt cum quingentis equitibus papanis quos habebat, Papiam occupet, commeatum qui noſtris ex parte Laudæ deportabatur, intercludat. Florentini, Lucenſes, Senenſes & ex ſociis alij impenſam detrectare cœperunt, quòd trimeſtrem penſionem, quemadmodum conuenerant, perſoluiſſent. His rebus fiebat vt Proſper ad rem numariam expediendam, Mutinam (quæ à Guido Rangone nomine eccleſiaſticæ ditionis tenebatur) duci Ferrariæ certo pretio reſtituere ſtatueret: & hanc ad rem perficiendā legatos ad eum mitteret. Rebus iam cōpoſitis, Carolus Lānoſius prorex Neapolitanus miſſo nuntio pactionem perturbat, ſeque ad belli ſumptus pecuniam ſuppeditaturum cōfirmat. Quinetiam ipſe Neapoli profectus Mediolanum venit, vt quandiu Proſper ægrotaret, rebus gerendis iuſſu Cæſaris præeſſet, ſecum quadringentos cataphractos ex Neapolitano regno habens: & in iis marchionem etiam Piſcarium, qui ob contentionem quandam, quæ illi (vti dictum eſt) cum Proſpero intercedebat, ab exercitu diſceſſerat. Amiralius quòd verebatur ne Mantuanus & Antonius Leua, qui Papiæ erant, ponte quem ad Vigeuam faciendum curarat occupato, commeatum qui illinc in caſtra cōuehebatur interciperent, Badium & Rentium Moncha Vigeuam venire iuſſit. Quæ quidem migratio noſtris perniciem attulit: tum enim aditu patefacto commea-

Amiralius Mediolanum premit.

1523. tus liberè & ingenti copia Mediolanum importari cœpit.

Galli Mediolanum obsidere desinunt.

AMIRALIVS hac de causa quum Mediolanenses fame se premere posse despe-
raret, simul quòd consilia eorum quos in vrbe sibi studentes habebat patefacta esse di-
cebatur, obsidione desistere constituit, eóque magis quòd suos locis apertis continere
diutius non poterat, qui niuosam & sæuam hyemem semestri spatio antea pertulerant:
quibus vt tecta subeùdi facultatem daret, Biagrasum & loca finitima se recipit. Eò post-
quam peruenit, Rentium, Sampaulium & Lorgium peditatus Gallici præfectum, Aron-
nam quod oppidum est ad lacum Maiorem, obsessum mittit. Verùm Prosper animad-
uerso nostrorum discessu, mille ducentos milites illuc subsidio misérat: quæ res nostris
incommodè profecto cecidit. Rentius ad oppidum adducto exercitu aggeres ad machi
nas admouendas extruit, machinas instruit, viginti & eo amplius dies concussis muris
bis aut ter oppugnare vrbem cœpit. Nostris fortiter ab oppidanis repulsis, alia aggredi
via instituit, vt cuniculos ageret. Suffosso latissimo muri spatio & igne cuniculis subiecto
murus in sublime elatus in fossas non delabitur, sed ad libellam desedit, & in fundamen-
ta tanquam adactus constitit. Quibus rebus factum est vt ille sua spe deiectus, tam lon-
go tempore nequicquam absumpto se in nostrorum castra reciperet. In ea obsidione ex
nostris viri fortes non pauci perierunt, & ex hostibus quoque nonnulli. E nostris interiit
Pomerellus rei machinariæ in Italia magister, & iuuenis quidam nobilis Normanus cog-
nomento Roncerollius, Hugouillani F. quorum morte non mediocre damnum acce-
ptum est. Ille enim exercitatissimus omnium Gallorum in machinis collimandis e-
rat: hic summam sui apud omnes expectationem concitarat. Plurimi etiam alij inter-
ierunt, à quorum nominibus recensendis, ne æquo longiores simus, supersedere vi-
sum nobis est.

PER id tempus Cæsarianus exercitus Mediolano non discesserat, quum expecta-
retur Carolus Lannoius prorex Neapolitanus, quem Cæsar mittebat vt summam au-
toritatem acciperet. Sed cunctabatur ille, expectans quorsum Prosperi morbus euade-
ret, tum quòd in eum locum venire nolebat, quo loco ille esset, ne eius imperium velut
inferior ferre videretur: tum quòd hominem virtute militari & belli gloria clarum loco

Prosperi Columnæ mors.

quem adhuc tenuerat, mouere non studebat. Tandem nuntio accepto cum ex morbo
delirare, Papia profectus Mediolanum venit, eo ipso credo die quo Prosper obiit. Me-
diolanum vbi venit, lustrato exercitu ex oratoris Venetorum consensu statuit, vti Ger-
mani pedites numero ad sex millia, quos è Germania accersiuerant, cum exercitu Ve-
neto se coniungerent, & simul flumine Adda transmisso ad se accederent. Id eo consilio
faciebat, vt coniunctis copiis regium exercitum quem longa hyeme quam pertulerat,
conflictatum putabat, vt erat, & semestri labore defatigatum, priusquam è Gallia supple
mentum mitteretur, inuaderet.

MENSIS erat Martius quum exercitus Venetorum, auxilia Germanorum & pa-
pæ Clementis copiæ flumen Addam transierunt. Coniuncti in apertum prodeunt, &
ad iter Mediolano Papiam castra faciunt: ibi proregi nuntiatur Badium cum suis cen-
tum cataphractis, Masserium & Samemmium cum suis vtrunque quinquagenis, Lor-
gium denique cum Gallis peditibus quibus præerat, ad Rebeccum consedisse loco à ca
stris dissito, & ad auxilium ferendum incommodo. Hac de causa nocturno impetu eos
inopinantes opprimere cõstituit, & ad hanc rem Piscarium cum peditatu Hispanico &
Ioannem Medicem Clementis papæ nepotem cum magna equitatus multitudine de-
ligit. Et quoniam noctu rem fieri oportebat, indusium candidum singulos, vt se agnosce

Galli ab hostibus nocturno aduentu oppressi.

rent, capere iubet: hinc etiam talem adoriendi hostis rationem à camisia camisadam
appellant. Tanta celeritate iter faciunt, vt ad vigilum stationem duabus ante lucem ho-
ris peruenirent. Hos infirmiores ad sustinendum impetum adorti, in ipsa castra com-
pellunt, vt non prius ad arma conclamaretur, quàm Badius & cæteri duces suos repul-
sos cernerent. Badius etsi ægrotabat, tamen sumpta medicina equum statim conscen-
dit: Lorgius illi præsto fuit, collecto repente quantum potuit peditum numero. Hi im-
petum hostium sustinent, dum reliqui conuenirent, & ad castra confugerent: in itine-
re amiralio occurrunt, qui cum exercitu ad auxilium ferendum properabat. In eo con-
flictu paucos homines amisimus, impedimenta omnia hostis ademit. Postridie ami-
ralius quum videret nostras copias in dies singulos minui, ad Heluetios mittit vt sup-

plemen-

plementum sex millium acciperet: interim nihilominus ipse & mareschallus Mommorencius primæ acici ductor, exercitu licet valde acciso quotidie præliandi potestatem quærebant. Sed hostis congredi nolebat, quòd sperare t absque pugna & nullo periculo nostros ex Italia cijcere, & eam ferè consuetudinem esse sciret, vt serò auxilia è Gallia mittantur.

CÆSARIANI amiralium Biagrasi loco valde commodo castra habere quum perspicerent, duobus hominum millibus Mediolani præsidio relictis Ticinum transcūt, & Gambolati castra locant, vt commeatum qui Omelina conuehebatur impedirent. Præterea quum nostri qui Garlasum præsidio tenebant, commeatum qui Papia in castra Cæsarianorum importabatur, intercluderent, dux Vrbinensis cum exercitu Venetorum nostros inde expellere aggreditur. Itaque admotis machinis & muro deiecto, bis oppugnauit: sed nostrorum virtute repulsus, plurimos & fortissimos ex suis amisit. Tertia oppugnatione quum nostri tot laboribus defatigati, impetum hostium sustinere nō possent, succumbunt: dux Vrbinensis imposito firmo præsidio ad Cæsarianorum castra se recipit. Hæc Garlasi occupatio magno vsui fuit hostibus: nam deinceps Papia ad eorum castra commeatus nulla molestia & periculo vehebatur. Hostibus Ticinum traductis & Garlaso occupato amiralius vereri cœpit ne Omelinæ omnibus itineribus occlusis ea ratione fieret vt nostri ad famem compellerentur: illinc enim petebatur quicquid commeatus habebat. His causis permotus Biagrasi mille relictis peditibus & centum equitibus leuis armaturæ, Vigeuam venit. *Gambolatum vi ab hostibus captum.*

QVVM Cæsariani Garlasi & Binasci essent, Ioannes Medices iter cum suis faciens, incidit in ducentos Heluetios ex nostris qui pabulatū ierant. Hi quum impares se viderēt, loco munito occupato se continent: deinde quū ea conditione, vt viui seruarentur, dedi tionem fecissent, fidem violauit, & omnes per summam crudelitatem interfecit. Hac tā scelerata perfidia irritati Heluetij ab amiralio petūt vt eius voluntate sibi bello sęuo vti liceat: quod vt illis satisfaceret, concedit. Ita totos viginti dies ex hostibus nemo in illorum manus incidit quem non mactarent, & quicunque captiui in castra adducebantur, ab ijs statim interficiebātur. Qua ratione nostri si vti perseuerassent, verisimile est bel li exitum nobis commodo fuisse. Nam Hispanus prēter cęteros populos mortem reformidat, magisque quæstus cupiditate quàm alia causa adductus bellum gerit, & quotiesnon tam sperat or lucrum quàm timetur detrimentum, rarissimè periculo se obijcit. Quod de maxima parte, non de omnibus dictum accipi velim. Hoc ita esse argumento est, quòd toto sæui illius belli tempore pauci Hispani selocis patentibus committebant, & maiori quiete quàm antea potiebamur. Neque destiterunt illi cum nostris agere, donec iustum bellum rursus concederetur. *Ioannis Med. ex perfidiam Heluetij acri ter vindicat.*

CÆSARIANVS exercitus Gambolati, noster Vigeuæ erat, locis admodum propinquis. Ibi amiralius dies continuos tres pro castris suas copias produxit, & aciem instructam habuit, vt si vellet hostis prælio contendere (velle autem debebat, cui duplo plures viri suppetebant) ei potestas non deesset. Tamen prorex & Vrbinensis certamen sibi experiundum non esse ducebant, quòd sine periculo se superiores fore confiderent. Qui vt nostros Vigeua elicerent, Sartiranam exercitum ducunt, quam comes Hugo Pepolius Bononiensis & Ioannes Biraguius præsidio tenebant. Quo simultaque peruenerunt, machinas summa celeritate expediunt. Amiralius hoc hostium cognito itinere, quia oppido quod infirmum esse intelligebat, metuebat, seruare homines voluit, & auxilium eis ferre constituit. Morterram vsque progresso nuntiatur capto per vim oppido maximam militum partem interfectam esse, Hugonem Pepolium & Biraguium in manus hostium venisse: qua re intellecta ille susceptoitinere destitit, & eo loco castra posuit.

CAPTA Sartirana Cæsariani rationem quærere cœperunt, vt Vercellas à Gallis alienarent, opera Hieronymi cuiusdam Parui Vercellensis. Id facile illis factu fuit, quòd illic Gibelini Guelfana factione longè essent superiores. Hæc Vercellarum defectio magno nostris detrimento fuit, quòd commeatus maxima ex parte illis ex agro Vercellensi & locis Taurino vicinis comportabatur: vnde contrà, postquam desciuisset, plurimùm intercipiebatur. Quibus de causis hostes in magnā spē veniebat fore vt arbitratu suo de nostris propter rei frumētariæ inopiā statuerēt, imò vt eos (si liberet) reditu in Gal *Sartirana capitur, & Vercella à Gallis deficiunt.*

1523. liam prohiberent: qua spe adducti Camelianum veniunt. Eodem tempore grauissimus quidam casus nostris interuenit. Montiianus & Buterius Badij legatus rem periculosam satis inconsultò aggrediuntur. Ex nostro equitatu quibus vident optimos equos esse (sic autem habendum est, minores tantùm equos superfuisse: nam bellatores vniuersi inopia confecti perierant) eos ad centum viginti deligunt. Duce itineris aberrante hostibus occurrunt, ab eisq; tandem fortiter prælientes cæduntur & profligantur, capiuntur Mõtijanus & Buterius cum tota multitudine. Quæ res nostras copias, quippe inclinatis iam rebus, vehementer afflixit.

Gallorum infœlix cædes.

AMIRALIVS tempus producere conabatur, dum auxilium ab Heluetijs quod acerserat, acciperet: supplementum etiam quadringentorum equitum grauis armaturæ à Rege expectabat, sex denique Rhetorum millia, qui Bergomensi agro iter faciebãt vt se cum Federico Bozzolo Laudæ coniungerent, ducatumque Mediolanensem & Venetorum fines illinc inuaderent, & vires hostium auocarent. Itaque Nouariam exercitum ducit. Ioannes Medices cum quatuor peditum millib. & equitibus trecentis à prorege mittitur, qui Rhetos transire prohiberet. Qui postquam ad Bergomatum limites peruenit, cum Venetorum auxilijs tantum negotij illis exhibuit, vt quoniam equitatu carebant, domum redire cogerentur. Cęsariani metu Rhetorum liberati Biagrasum nostris eripere conantur, propterea quòd inde commeatu iuuabantur: ad hanc rem deligitur Ioannes Medices. Qui primo impetu pontem qui à nostris tenebatur, occupat, deinde quum ad oppidum machinas admotas ad oppugnationem instruxisset, Mediolano egressi ciues ad sex milli a egregiè armati, auxilio illi accedunt. Concussis muris quatuor aut quinque dierum spatio, oppugnare aggressi à nostris repelluntur: secunda aggressione vi capitur oppidum. Fit ingens præda, quæ tamen Mediolanensibus magno constitit. Omnes enim ædes in quas illata est præda, infecit pestis, & tota deinde ciuitas lue correpta est: vt certum habeatur perijsse illic circiter quinquaginta hominũ millia. Prorex vt omnes aditus nostro exercitui præcluderet, simul vt Heluetios qui Ivręam de scenderant, & amiralium distineret, Marianum copias duxit. Eo tempore pestilẽtia per nostrum exercitum grassata est, maximè Heluetios inuasit & alios promiscuè. Quinetiã marescha llus Mommorencius primi agminis ductor tam graui morbo correptus est, vt salutis spes exigua esset. Tot rebus aduersis conflictatus amiralius honestius esse iudicauit reliquis copijs discrimen fortiter adire, quàm si miserè contabescere & perire fineret. Itaque Nouaria profectus Romanianum versus contendere cœpit, ea spe vt se cum Heluetijs coniungeret, sicque conuerso itinere prælium cum hoste committeret. Illinc quum proficiscendum esset, Mommorencius qui prę morbo equum consc endere non poterat, gestatorio vectus est.

Biagrasum vrbs à Cęsarianis captum & direptum.

Gallorũ exercitus peste laborat.

PROREX & Vrbinẽsis de nostrorum profectione moniti, celeritmè illos subsequuntur. Quumque sex millia passuum progressi castra facere decreuissent, Borbonius qui (ita vti dictum est) nuper in eorum castra aduenerat, vlterius vt procedant admonet, ad primam lucem nostros castris appropinquaturos, vt antequam auxilia coniungerẽtur, nostros vel inuitos ad certamen cogerent. Dum inter illos dicuntur sententiæ, media fere nocte amiralius discedit, ad flumen Sesiam iter facit. Eò quum diluculo venisset, auxiliares Helucti ad alteram fluminis ripam accedunt. Quos amiralius per nuntios monet & rogat vt flumen transeant, sperans coniunctis copijs sibi satis virium fore vt cum Cæsarianis congrederetur. Nuntijs respondent sibi satis esse si ciues suos & commilitones periculo ereptos secum domum reducant, præsertim quum Regis promissa non apparerent. Conuenisse enim vt dux Claudius Longouillanus cum quadringẽtis cataphractis sibi, quum Ivræam venirent, præsto esset: hoc minimè factum fuisse. Accesit deniq; illud infœliciter nostris, quòd ex Heluetijs qui semper in castris fuerant, quum suos ad ripam fluminis consistere sensissent, plurimi nullo ordine vt ad eos transirent festinare cœperunt. Amiralius tanta perturbatione animaduersa, ne res aduersarijs innotesceret, cum aliquot equitibus quos ex tempore collegit, nouissimos claudit, & impetum sustinet. Illo primo congressu brachium sclopo traijcitur, saucius præ cruciatus magnitudine pugna excedere cogitur, relicta exercitus cura Sampaulio & Badio, qui receptui prouiderent. Prorex interim equites leuis armaturæ circiter mille ducentos cum peditibus ferè octingẽtis præmittit qui nostros prælio lacessèrent, & dum ipse cum totis co-

pijs accederet, occuparent. Badius & Vandenessius in extremo agmine totum pondus & molem huius conflictus sustinent, sed ibi vterque cadit. Vandenessius in ipso prælio moritur, Badio medium corpus plumbea glande traijcitur: qui suis monentibus vt se ex pugna reciperet, negauit se auersum vnquam tergum hosti dedisse. Hostib. repulsis ab œconomo suo, qui eum nunquam deseruit, iubet se ex equo deponi, & ad truncum arboris vultu ad hostes conuerso applicari. Ibi Borbonius qui cum hostibus nostros vrgentibus aderat, illum intuitus, se illius vicem dolere & fatum miserari ait, quem virum strenuum & bello fortem fuisse sciret. Cui ille, Enimuero Borboni, inquit, nihil est cur me misericordia prosequaris, qui vt virum probum decet morior. Me quidem contrà tui misereret, quem contra principē, contra patriam, contra fidem & iurisiurādi religionem arma ferre video. Paulo post hæc verba animam efflauit. Oeconomo publica fide accepta permissum est vt hominis cadauer in Delphinatum, quæ patria eius erat, referret. Mortuo Badio comes Sampaulius de receptu faciēdo curā suscipit: vbi multa à nostris quàm fortissimè fieri potest gesta sunt, quum tam pauci essent, ijq; minoribus maxima ex parte equis (vti demonstratum est) vecti. Inter cætera in quadam hostium impressione legatus Samemmij interfectus est, cui nomen erat Bellouaco cognomento Eleganti. Is alter ex duob. illis erat, qui anno 1515 Villafrancæ portā claudi prohibuerant, vbi Prosper Columna improuiso captus fuit. Prodomini Carnotensis & Annobaldi legati equi interficiuntur: quibus laborantibus Lorgius cum paucis peditib. qui ex tanta clade supererāt, ita in tempore subsidio venit, vt hostes ad suorum agmen se recipere cogerentur. Quibus rebus perfectis Sampaulius paucis desideratis reliquum exercitum flumen traduc-it, tormenta igniaria Heluetijs tradit, hi se cum illis valle Austana recipiunt: ipse Taurino Susanam vsque regreditur. Inter Susam & Brianconem obuium habet Claudium Longouillanum cum quadringentis cataphractis auxilio ipsis venientem, sed post festū, quod dici solet. Qui si ante quindecim dies aduenissent, Heluetij illi, quos integros & recentes secum coniunxissent, pugnare non recusassent, qui eam tantùm causam cur non pugnarent attulerunt, quòd sibi quum Ivræam descēderent, promissum fuisse cau sarentur equitatum illum præsto futurum. Idem vsuenit anno 1522 quum auxilium Genuam mitteretur. Illud denique verum est, morem nostrum esse vt serò, quum data facultas præterijt, auxilium mittamus, idque immodico & inutili sumptu. Mea quidem certè memoria hoc non semel accidisse comperi.

Gallorū exercitus profligatur.

PRorex Neapolitanus vbi Mediolanensem ducatum vacuum esse Gallicis armis vidit, censuit vti dux Vrbinensis cum Veneto exercitu domum se reciperet, in itinere Laudam, quam Federicus Bozzolus adhuc iussu Regis tenebat, duci Sforti æ receptā traderet, Piscarius cum exercitus parte Alexandriam proficisceretur, quam eidem duci recuperaret: illic enim Regis nomine aderat Bussius Ambosius. Bozzolus & Ambosius copijs nostris Italia egressis, neque vlla auxilij spe relicta, suo munere, quoad eius fieri potuit, functi, pacti sunt vti sibi ad Regem mittere concederetur: à quo si intra dies quindecim nihil acciperent, deditionem se facturos. Die constituta nuntium à Rege accipiunt, sibi nullam esse auxilij copiam: proinde quàm honestissimis possent conditionibus cum hoste deciderent. Itaque hostium voluntate in Galliam redeunt, saluis impedimentis, vexillis explicatis, Susam sine periculo deducti, traditis prius oppidis in eorum manus qui à Cæsare constituti essent.

Borbonius cū exercitu in Gallia venit, & Massiliam obsidet.

IISDEM temporibus proregi mandata à Cæsare & Anglo afferuntur, vt nostris Italia pulsis victoriam vrgeret, & in Galliam exercitum duceret: sibi enim summa omnia pollicebantur, eorum opera quos Borbonius sibi cupientes & studentes esse in Gallia prædicabat. Ad quas res conficiendas Cæsar ducenta coronatorum millia Genuam miserat: Anglus singulis mensibus ingentem quandam pecuniæ summam supperaturus erat. Huic exercitui præponitur dux & caput Borbonius, cui attribuitur marchio Piscarius cum peditib. ad numerū quindecim millium, equitū duobus millib. & catapultis igniuomis octodecim. Borbonius vt animo apud se cogitauerat, confidebat, simulatque Galliam ingrederetur, plurimos ex nobilibus se ad eum aggregaturos esse. Quæ spes hominem fefellit, quum Gallus eo ingenio sit vt à principe suo nunquam deficiat. Susceptо exercitu, oppugnandam Massiliam suscepit: etenim quoniam nec vallo nec fossa nec lateralibus propugnaculis munitam esse satis intelligebat, paucis

1524. paucis insuper defensoribus & rebus quæ ad propugnandum vsui sunt firmatam, facilè hanc sibi deditum iri confidebat.

REGI nuntiatur Borbonium Massiliam versus iter habere: eò Rencium Ceretem, virum rei militaris peritissimum & Brionium, cum ducentis cataphractis & peditum tribus millibus mittit. Qui Massiliam vbi aduenerunt, tanta celeritate operi faciendo incumbere cœperūt, vt paucis diebus tum militum tum ciuium industria vallo & propugnaculis cincta eo loco esset, vt hostibus obsidio dedecori & ignòminiæ futura videretur: quod etiam tū accidit. Borbonius enim & Piscarius castris collocatis ita crebris eruptionibus & machinarum è muro strepitu excepti sunt, vt facilè intelligerent vrbem fortibus viris non carere. Rex quum videret quantis copijs Massilia obsideretur, exercitum restituēdum eodem anno quo labefactatus fuerat suscipit. Iam ad Heluetios miserat vt millia hominum quatuordecim cogerētur, Germanorum peditum sex millia accersit, tribus millibus Francisçus Lotaringus, totidem numero Dux Sothfolcus Albarosanus, cuius iam sæpe in his Commētarijs meminimus, præerat: decem præterea millia tum Gallorum tum Italorum. Has copias adiunctis cataphractis equitibus fere mille quingentis, Massiliam ducere decreuit, vt illic cum hoste, qui quadraginta iam dies castra ad oppidum habuerat, congrederetur. Hæc vt conficeret, marescballum Chabannium, quem primo agmini præfecerat, præmittit, qui Auenionem occuparet, ne hostis prior eius compos fieret. Chabannius eo quod imperatum fuerat perfecto, vbi Regem appropinquare sensit, Salonem Craxiorum progreditur: quod oppidum millia passuum sedecim Auenione abest, Massilia totidem. Borbonius simulatque tantum exercitum, vtpote Regium, ad se accedere perspexit, maturè vt se reciperet, dandam esse operam intelligit. Maiora tormenta nauibus Genuam remittit, mi nora rotis exempta frustatim iumentis dorsuarijs imponit, quòd iter illi in receptu per ea loca faciendum erat, quibus ægerrimè carri ducuntur. Marescballus egredientes insequens equites circiter quingentos mittit, qui nouissimos adorti multos ex hostibus confecerunt, & maximam prædam faciunt: propterea quòd omnes vt fuga salutem quærerent, sarcinas relinquebant, milites arma quæ ferre non poterant, itineribus abiecta negligebant. Mommorencius etiam non exiguo equitatu eos trans Tauroentam insequutus, sui colligendi aut requiescendi facultatem adimebat.

Borbonius in Italiam se recipit.

Rex cum exercitu in Italiā venit.

REX pulso hoste expeditionem Mediolanensem suscipere decreuit multis licet eū de sententia deducere conantibus, propinqua iam hyeme, medio nempe Octobri anno 1524. Nihilominus paratas videns copias, & Borbonium reuersum, iter illi anteuertere, aut certè prior in Italiam venire constituit. Quapropter nulla interposita mora exercitus frontem Italiam versus conuertit, secum habens regem Nauarræ, ducem Alenconium, comitem Sampaulium, ducem Albaniæ, ducem Claudium Longouillanū, marescballos Chabannium, Mommorencium, Foxium, Nothum Sabaudum præfectum prætorio, amiralium Boniuetum, cuius præcipuè consilio vtebatur, Ludouicū Trimollium, Michaelem Antonium Salussium, comitem Valdomontium, Francisçum Lotaringum eius fratrem, qui tribus peditum Germanorum millibus præerat, Sothfol cum Anglum cum pari numero, Rentium Ceretem Romanum, Philippum Chabotū Brionium, Galeacium Sanseuerinum Galliæ summum armigerum, Ludouicum Astæum & multos alios amplissimos viros, quorum nomina commemorare nimium longum esset. Ludouicam Sabaudam marrē reliquit, quæ regni gubernacula haberet. In Picardia & Insula Franciæ Vindocinum, in Campania & Burgundiæ ducatu Guisium, in Normania Ludouicum Brezæum magnum Normaniæ Senescballum, in Aquitania & Ocitana Lautrecum, in Britonia denique comitem Laualium, hos singulis prouincijs cum imperio præesse iubet. Per hoc tempus illi nuntiatur reginam Claudiam vxorem charissimam diem suum in arce Blæsiana obijsse, relictis liberis quos ex eo pepererat, tribus maribus, duabus fœminis. Primogenitus fuit Francisçus papę Leonis filius lustricus, secundus Henricus dux Aurelius nunc Rex, Henrici octaui Angliæ regis filio lus, tertius Carolus dux Angolismensis Heluetiorum sociorum filiolus. Filia maior natu Magdalena, quæ postea regi Scotiæ nupsit, minor Margarita adhuc superstes, & quum hæc scriberentur, nondum nupta. Rebus omnibus compositis Rex nihil sibi ad celeritatem reliqui fecit, vt alpibus superatis ducatum Mediolanensem ante exercitum Cæsarianum

Regina Claudia mori.

rianum ingrederetur. Borbonius & Piſcarius contrà antecedere omni diligentia conabantur. Prorex Neapolitanus dum Cæſariani in Prouincię finibus caſtra habuerant, Aſtæ ſe continuerat. Vbi mareſchallum Chabannium cum primo agmine appropinquantem ſenſit, Alexandriam ſe recipit, vbi relicto ad duo millia hominum peditatu (quòd putaret Regem illic ſubſiſtere velle) Papiam proficiſcitur. Rex nullam viſquā moram facit, ſed omnibus ponè relictis recta Mediolanum exercitum mouet. Qua re intellecta prorex Borbonium & Piſcarium properè ad ſe Papiam venire iubet: Adſunt illi vt imperatum erat, cum equitatu & peditatu Hiſpanico: nam Germanicus illorum celeritatem non potuit aſſequi. Itaque Leuam Papiæ ſubſiſtere iubet, cui Hiſpanos circiter mille ducentos attribuit & ſex millia Germanorum peditum ex ijs qui Maſſilia redierant: ipſe cum reliquis copijs quammaximis poteſt itineribus Mediolanum ire contendit, metuens ne Rex illuc prior accederet. Vallum & propugnacula reperit diruta: quare ciues omnes conuenire & arma capere iubet. Illi ad oppidi portas tanti Regis exercitum videntes parere recuſant.

REX interim Vigeuæ erat, vnde marchionem Saluſſium Michaelem Antonium cū ducentis cataphractis & peditum quatuor millibus præmittit, quòd cum ſperaret priorem Cæſarianis illuc venturum. Is quum in itinere audiſſet Mediolanum à prorege iam occupatum eſſe, non deſiſtit tamen, ſed rectà portam Vercellanam inuadit, Hiſpanos qui in ſuburbio erant, in oppidum compellit, ſuburbium occupatum cuſtodit, quamuis Hiſpani crebris eruptionibus illum expellere conarentur. Rex non multo pòſt Trimollium cum ſatis magno equitatu & peditatu ſubſidio marchioni mittit. Prorex certior de his factus, veritus ne illic includeretur, ſimul quòd alienos à ſe ciuium animos videret, antequam aduenirent Trimollius, porta Romana egrediturꝝ & vnà cum eo Borbonius & Piſcarius cum reliquo exercitu, qui omnes Laudam abeunt. Mediolanenſes ſe liberos à Cęſarianis videntes, porta aperta marchionem intromittunt, quem ſumma lætitia excipiunt, Trimollium itidem, qui paulo pòſt acceſſit. Rex accepto nuntio de Mediolani de ditione, conuocato concilio de ſumma rerum deliberare cœpit. Multi cenſebant hoſtem Laudam vſque inſequendum, relicta ad cuſtodiam Mediolani aliqua militū multitudine: quinetiam Trimollium & Saluſſium monendos eſſe vt porro procederent, dum Rex ſubſequeretur, ſicque vrgendum hoſtem ne vſquam ſubſiſtendi daretur facultas. Alijs placebat Papiam obſideri, quòd inde expulſis qui oppidum tenebant, Rex paruo negotio reliquum Mediolanenſem ducatum ſubigere poſſet. Tandem hæc ſententia potior viſa eſt Trimollius iubetur Mediolani manere, Saluſſius accerſitur vt ſe cū Rege coniungat: qui Vigeua profectus Biagraſum, inde ad Papiam venit. Ita ſentiunt multi, neque ſanè à vero abhorret (ſiquis ex ijs quæ poſtea euenerunt, rem velit æſtimare) ſi prior ſententia viciſſet, vt Cæſariani acriter premerentur, noſtros victoriam & porro ducatum Mediolanenſem conſequuturos fuiſſe. Nam ea iam perturbatione & confuſione labor are cœperant, vt præ labore itinerum ab ipſa vſq; Prouincia, miles paſſim viribus debilitatus arma in lacunas conijceret, quæ ferre nequiret. Quare Laudam quidem hoſtis ſeruare non potuiſſet, de Cremona res erat in dubio. Etenim Trimollius & Saluſſius occupato Addæ fluminis tranſitu, quadam celeritate vſi eos remorari nō ægrè poterant, dum reliquæ copiæ accederent. Hac ratione Papiani & Alexandrini ad quaſdam conditiones adducti neceſſariò fuiſſent, quippe nulla ſpe auxilij relicta. Sed melior ſententia Deo ita ſtatuente neglecta eſt.

Mediolani deditio.

Rex Papiam exercitum ad ducit.

REX ad Papiam adductis copijs die viceſimoſeptimo aut octauo Octobris, regiones ſuis deſcribere cœpit: mareſchallum Chabannium cum primo agmine arcem verſus & Ticinum collocat, ipſe cum media acie in abbatia Lansfrancana non longè ab oppido mareſchallum Mommorenciū cum tribus Germanorum peditum millibus, Italorum duobus, Corſis mille & ducentis cataphractis equitibus tranſire Ticinum iubet, & in ſuburbio Antoniano, vbi erat inſula, ſuos collocare. Vt hunc locum occuparet Mommorēcius, turrim ad pontem ſitam oppugnare cogitur: captam munire & cuſtodire iubet, quos intus reperit omnib. ſuſpenſis, quòd ea fuiſſet illorū temeritas vt aduerſus exercitum Regium infirmā turriculā defendere auſi eſſent. Rex ad hūc modū collocatis caſtris, oppidū vi aggredi cōſtituit, aggerē extruit, machinas inſtruit, murū aliquot dies cōcutit, ruinam facit, ſed nō ſatis latā: nihilominus vt exploraretur quo animo eſſent oppidani,

1524. dani, constituturn est vt accederetur. Tum nostri vbi ad summum vallum euasissent, captum iam esse oppidum arbitrabantur: sed longè aliter accidit. Intus enim fossas magnæ latitudinis & altitudinis reperiunt, quaquauersum munitas, ædes proximas locis commodis pertusas, multis sclopetarijs refertas. His rebus effectum est vt nostri diu in supremo vallo præliati, se recipere cogerentur, quòd longius procedi non posset. In eo conflictu multi egregij perierũt, inter cæteros Hutinus Manlius, & frater minor Alchij, ambo Picardi, San-julianus iuuenis Cantaber, multiq; quorum nõ memini. Postea Rex equitibus imperat vt equis remotis bipertitò oppidum aggrederẽtur, quorum alterum agmen ducturus erat mareschallus Foxius. Quum iam acie instructa pedibus oppugnationem pararent (quam ad rem expeditissimos quosque delegerant) Rex monitus ab ijs qui muri ruinã exploraverant, rem in aliud tempus differri iussit, & equitatũ reuocauit. Paucis antè diebus dux Claudius Longouillanus, magni animi princeps, quum ad aggeres esset, ex fossa egressus est, vt aliquid in mœnibus specularetur: simulatq; conspectus est, campestri tormento in aduersum humerum ex muro ictus ipso in loco obijt. Multi qui gratum Regi facere studebant, rationem sibi videbantur inuenisse, qua in oppidum irrumpi posset. Operis ratio erat huiusmodi: Ticinus oppidi mœnia alluit. Ea ex parte hostes fluminis præsidio freti, quòd vado trãsiri nequiret, oppidum vallo munire neglexerant. Quibus animaduersis rebus, isti cursum fluminis auertere telarum adminiculo tentarunt, facile esse dictitantes, deflexo cursu, exiccato alueo, & acri repentinaque oppugnatione facta, oppidum vi prius capere, quàm hosti ad succurendum tempus daretur. Hoc opus princeps aggrediebatur Iacobus Sillius prætor Candomensis Alenconiæ turmæ legatus. Homines nõ paucos ad hanc rẽ adhibuit, sed post multos sumptus & longi temporis iacturam, subito imbre flumen auctum vnius horę spatio multorum die rum opus rapuit, & nostrorum laborem inutilem reddidit.

Papia nequicquam à Gallis oppugnatur.

DVM Papiam Rex obsidet, vti dictum est, papa Clemens Italiæ quieti studens, Laudam ad proregem Neapolitanum de pace conciliandalegatos mittit. Prorex quia nec de Germanico auxilio quod Borbonius pollicebatur, neque de re pecuniaria expedienda compertum aliquid habebat (repererat autem ille pecuniam pignori datis monili bus pretiosis quæ à duce Sabaudo mutuo acceperat) quinquẽnales inducias pacifcitur, vti interim Rex præter Laudam quicquid est cis Addam teneret. Has conditiones Rex accipere recusauit, impulsus (vt fama erat) ab Amiralio Boniueto, penes quem summa negotiorum regiorum erat administratio, & à Sammarsalto, cui Rex confidebat maxima, & summo apud se loco esse volebat, quòd aulicarum rerum peritissimus erat, etiamsi nulla esset in re militari illius existimatio. Papa Clemens vbi irritum videt quod de inducijs efficere studuerat, à comite Carpẽsi regio oratore adductus veterem simultatem deponit, quam Leo ipsius cõsanguineus cum Rege exercuerat, fœdusque cum eo facit. Matthæum datarium mittit qui fœdus illud confirmet, & Regi persuadeat vt Neapolitanum regnum tentet: quod facile factu esset, quum exercitus Cæsarianus ad Mediolanũ occuparetur, Regius papæ auxilio & ope leuaretur. Rex expeditionem probat, ad eam suscipiendam ducem Albaniæ principem legatum constituit. Huic Rentium Ceretem attribuit, & equites cataphractos sexcentos, in quibus erat Nothus Claietanus, Aculius cum sua turma cataphractorum, præterea trecentos leuis armaturæ equites, centum ipsius Albanij, turmã Longouillani ducis, cui Logesus legatus præerat, peditum deniq; decem millia, cum decem aut duodecim tormentis æneis. Plurimis tamen regiũm exercitum separari non placebat. Prorex & Pisc arius tum Laudę erant, Borbonius in Germaniam abierat, ad conscribenda peditum millia duodecim, pecunijs ad eam rem à duce Sabaudo (vti dictum est) mutuò acceptis. Illi nuntio de Albanij profectione accepto, putarunt eum ad Ferrariæ ducem abijsse, à quo pulluerem, pilas tormentarias, fossoria instrumenta & reliqua huius generis commodatò acciperet. Qua causa adducti Lauda egressi suas copias Padum traducunt, vt iter illi anteuerterent, & Monticellum passum quinque millibus Cremona Placentiam versus peruenium t, Floranfollas progredi parati. Illic duo ex leui equitatu qui pabulatum ierãt, ad eos adducuntur: ex ijs quærunt quò iter haberet Albanius, reperiunt Neapolim proficisci. His auditis Monticelli se con tinent, nostrosque, quòd se illis impares sentirent, progredi sinunt.

Papa Regis partes amplectitur.

Rex copiarum partem Neapolim mittit.

PROREX Neapolitanus quum iter susceptum ab Albanio videret, cui cum papa fœdus

fœdus intercedebat, regnum Neapolitanum in discrimen venire intelligit, eoque sibi festinandum esse iudicat. Sed Piscarius eum à sententia deduxit, docetque, si Mediolanense negotium deserat, Regem nullo negotio conata perfecturum, deinde à tergo subsequuturum, quo facilè effici posse vt Albanio à fronte, Rege ponè vrgente deleretur. His rationibus permotus à proposito desistit. Postea Cæsariano exercitu auxilij accessione aucto, & Regijs copijs diuturnitate hyemis, quam sub pellibus transegerant, cõflictatis, ijsque seiunctis (nam præter illam Albanij expeditionem aberant quinque fere hominum millia, quibus marchio Salussius Regis legatus Sauonæ præerat, alijque non paruo numero tum Mediolani tum reliquis locis ad commeatus præsidium constituti) copias ex præsidijs producere statuunt, dum Germani pedites duce Borbonio aduenirent. Hac re constituta Piscarius assumpta exercitus parte Cassanum ad flumen Addam contendit, quod oppidum à nostris parum firmum tenebatur. Quare primo aduentu simulatque machinæ ad murum impetendum compositæ essent, impedimentis saluis deditionem faciunt.

Germani Papiam Regi tradere volunt.

PROREX ab Antonio Leua fit postridie per nuntios certior quemadmodum Germani qui Papiæ præsidio erant, se Regi oppidum tradituros, ni daretur stipendium, minitabantur. Cui malo occurrendum omni conatu studebat: quumque nec pecunias quærere, nec si suppeterent, in vrbem intromittere turò posset, tandem huiusmodi stratagema reperit. Duo quidam homines, quorum fidem exploratam habebat, ad nostrorum castra duos equos agunt binis vini vtribus onustos, in quorum alteris tria coronatorum millia erant: quàm possunt proximè vrbem specie vendendi vini accedunt, Antonium de suis rebus per exploratorem faciunt certiorem. Qui eo nuntio accepto, eruptionem altera ex parte fieri iubet: dumque certamen committitur, alter ex rusticis vtribus effractis & pecunijs demptis oppidum ingreditur. Antonius vt Germanis fidem faceret, quòd stipendia eis non persolueretur, id nec pecuniæ inopia nec voluntatis alienatione fieri, sed quia intromittendi nulla dabatur facultas, concilium conuocat, quantum periculi subijsset rusticus, vt tantillum pecuniæ afferret, demonstrat: reliquam pecuniam in castris Cæsarianis esse. Germani quum vera esse quæ ab illo affirmabantur crederent, manus testificandæ optimæ voluntatis causa tollunt, se, quandiu duraret obsidio, Cæsari militaturos, dum modo soluta illa stipendia numerarentur. Quod quum se facturum esse Antonius reciperet, hac ratione illorum animos sibi reconciliat, tumultumque sedet.

Moncadeus Siciliæ prorex à Gallis capitur.

EODEM anno 1524 mensis Martij initio Michael Antonius marchio Salussius, quem (vti dictum est) legatum Rex Sauonam miserat, lustrato pedestri exercitu, duo ex ijs millia Varasum mittit: quod oppidum est maritimum, parum munitum medio Sauona Genuam itinere. Hugo Moncadeus prorex Siciliæ, qui tum Cæsaris iussu Genuæ præerat, his rebus auditis, Varasum ad eos conficiendos ire contendit. Cæsarianas omnes triremes in statione collocat, vt è mari glandibus emissis portam oppidi perfringant, sperans fore vt milites oppugnatione, quòd infirmum esset oppidum, perterriti, se relicto Varaso Sauonam secundum litus reciperent. Ipse cum quatuor hominum millibus insidijs inter duo illa oppida collocatis, dum illac iter facerent expectat. Triremibus instructis, & quemadmodum præceptum erat, portas percutientibus, Salussius Sauonæ audito fragore duas triremes quas paratas reperit, cum ijs quos apud se eo tempore habebat, conscendit: reliquis, quibus præerat Andreas Auria, longis etiam nauibus, & ipsi deniq; Fayetto classis tum præfecto vt se subsequantur imperat. Milites quũ Varaso cum appropinquantem vident, animo sese confirmant, portam iam pene dirutam vallo obstruere incipiunt. Reliqui nostræ classis classem Genuensem propius accedunt, quam bombardis petunt. Genuenses suis viribus diffisi in altum prouehuntur, quos nostri statim subsequuntur. Moncadeus vbi se nauali præsidio destitutum, atque adeo spem potiundi oppidi ademptam videt, Genuam secus litus iter faciens se recipit. Id conspicatus Salussius Mallerœum ex turma Regia (quem Rex paulo antè ad eum miserat) ad littus appellere & milites Varaso educere quibus Moncadeum fugientem persequatur, iubet: se cum triremibus oram legentem adnauigando illos turbaturum, qui propter montes propinquos litus sequi cogebantur.

MALLERÆVS vt ei fuerat præceptum, tanta diligentia vsus est, vt triremium o-

1524. pe Cæsarianos illos qui ad quatuor millia erant, in fugam coniecerit. Moncadeus hac re animaduersa, ad nouissimum agmen cum delectis quib. confidebat maximè ad susti nẽdam vim subsititit. Sed tanta fuit nostrorum virtus, vt cum suis omnibus viuus in illorum veniret potestatem. Quibus firma custodia Sauonam missis, nostri quam obtinuerant victoriam vrgentes tria millia passuum Genuæ appropinquant, obuios quosq; sternentes & interneçcione delentes.

SALVSSIVS classe triremes hostium Genuam vsque persequitur. Ibi nauim Prętoriam Genuensem in anchoris nactus bombardis adoritur. Post diuturnum conflictum deditione facta capitur. Multum illic machinarum, bellicæ munitionis & opum repertum est: nostri etiam hostium triremes insequuti, duas capiunt. His confectis rebus Salussius cum captiuis & præda Sauonam reuertitur. Si satis fuisset magnus exercitus ad Genuam mari & terra obsidendam, tanta erat in vrbe trepidatio amissꝰ nempe præfecto cum multis belli ducibus & militibus, vt in maximum discrimen ventura fuisse videatur ne in manus Regis veniret. 10

DVM Rex ad Papiam esset, Vindocinus Regis legatus Picardiam administraret, bellum summa contentione alternis victorijs & offensionibus gerebatur. Vt ex multis vnum proferam, Antonius Crequius Pondormius Regis, vbi Vindocinus aberat, legatus, commeatum Morinos submittere aggreditur, simulq́ue periclitari instituit num Nouam fossam per vim occupare posset. Est autem lata fossa aquis plena, quæ vallem Cassellam Santaudomaro Aream claudit, singulis autem locis quib. aditus est in vallẽ, extructa sunt castella terrea, quibus milites qui ad vallis aditus custodiendos constituti sunt (quòd in illa valle omnes regionis opes atque armẽta seruentur) cum multis omnis generis machinis sese tutò continent. Pondormius vt rem perficeret, præfecto Salmerij Boscani nobili viro Bolonienſi, cuius magna erat apud milites autoritas, mandat vti ex illis locis mille circiter & ducentos pedites cogat, cum quibus postridie ad vesperum Foccobergæ sibi præsto sit. Eò die dicta Pondormius ipse Montrolio profectus duabus ferme ante solis occasum horis peruenit cum suis equitibus centum cataphractis, Vindocinianis pari numero duce Torsio legato, & comite Dammartino, qui quinqua ginta cataphractos ducebat. Dum pastus equis datur, commeatum Montrolio aduectum Teroanam introducendum curat, vt hosti suspicionem inijceret sibi eam tantùm veniendi causam fuisse. Prima noctis vigilia Foccoberga discedit ad rem susceptam perficiendam, cui iter facienti occurrit quinquaginta cataphractorum turma cuius dux erat Fraxinæus Morinorum præfectus, cum ducentis fere peditibus ex eodem præsidio: hi duas pręgrandes colubrinas secum ad vi faciendam viam ducebant. Nouam fossam ante diluculum veniunt, aditum, licet multis defensoribus & machinis abunde munitum per vim occupant: in valle ipsa sit incredibilis tum pecorum tum aliarum opum præda. Consilium fuerat vt receptus Foccobergam fieret. Verùm quum periculum esset ne Pondormio cum potiori virium parte digresso, hostes qui Aręæ, Betunæ & Lillerij præsidio erant, nostris Teroanam reuertentibus iter præcluderent, satius visum est vt eò deducerentur vbi in tuto essent, ne machinæ Morinis aduectę perirent: itaque pedites cum præda rectà Foccobergam mittuntur. Dum ad Arquas mille passus Santaudomaro iter faciunt, equites Santaudomarani prodeunt, peditibus collocatis ad lapidicinas non longè ab æde sacra, qui equitatum fulcirent. Equitatus pars nostros lacessere cœpit, eos retinere conantes, dum Arcani & Betunij cum illis se coniungerent. Adeo incaluit certamen, vt Burgundiones in suos pedites repellerentur. In hoc certamine Liquæus Ascotij legatus, qui eo die sororem Focorollij in matrimonium duxerat, dum suis subsidio esse conatur, in nouissimo agmine subsistit. In eum fit impetus à Stratæo (qui eius sponsam aliquando ambierat) & Rumo, ibiq́ue capitur. Ita eo die optatis nuptijs non est potitus.

Pondormius vocatus Cassel Li populatur.

Hostes à Pondormio ussigni clade afficiuntur.

QVOD hostes cupiebant, id Pondormius verebatur, ne Arcani, Betunij & Lilleriani cum illis coniuncti receptũ prohiberent: ipse igitur ad suos ex certamine explicandos venit. Quum proximè Teroanam venissent, strepitus Aream versus exaudiri, cò dimittuntur aliquot equites qui rem explorent. Iuuenes illuc certatim tanquam animi causa lanceas fracturi procurrunt, vt solent nobiles Galli imperia ducum non valde morari. Quæ tota multitudo ductore carens quum ad vicum Rudium peruenisset, medio

medio itinere Teroana Aream in Areanos & Betunios incidunt, qui eo consilio venerant vt cum Santaudomaranis nostros reditu prohiberent. Hostes circiter nongenti erant pedites Hispani genere, Belgæ fere sexcenti & trecenti equites cataphracti. Illorũ equitatum tyrones nostri lacessunt: ita qui inter eos veterani & peritiores erant, eos sequi vt subsidio essent laborantibus, coguntur. Ea re nuntiata Pondormius comitẽ Dãmartinum mittit, qui nostros è prælio extraheret: quòd intelligebat, si illic subsisterẽt, non fore postea integrum Foccobergam reuerti, sed omnino illis apud Morinos manendum esse, vt commeatum introductum consumerent. Huc quum venisset Dammartinus, reperit ita inter se mixtos, vt illinc euelli absque manifestissimo periculo non possent. Quum enim Pondormius cum præcipua copiarum parte tria fere passuum milia abesset, si receptũ ita tentassent vt nemo esset qui hostes vrgentes inhiberet, nullo negotio deleti fuissent. Dammartinus postquam animaduertisset quo pacto se tum hostes tum nostri gererent, in edito loco constitit, & ex ijs qui ad eum se continenter aggregabant cuneum aliquem efficit, quo certaminis onus excipere tur, si forte nostri auersi compellerentur: simul Pondormio nuntiatum mittit vt celeriter progrederetur, alioqui perituros omnes qui prælio decertabant. Pedites enim hostium ordinibus instructis celeriter procedebant, vt equitatum fulcirent.

Hoc nuntio Pondormius accepto noluit eos qui in certamen descenderant perire: itaque in cum locum vbi erat Dammartinus, signa inferri ad opem ferendam iubet, ipse ducentos cataphractos secum ducit. Dammartinus ad ducentos equites vndequa que collegerat, seque eo loco vbi substiterat, continebat. At vbi Pondormium adeo appropinquasse conspexit, vt ab eo iam posset sustineri, equis concitatis in hostes fertur, equitesque in Hispanorum peditum cuneum compellit, & impressione facta eorum ordines perturbat. Quam ad rem faciendam maior illa pars equitatus subsequens illum iuuit, quæ in ipso prælij committendi articulo irruit. In hoc conflictu Hispani amplius ducenti intereunt, sexcentis fere captis: equites peditibus suis pugna implicatis fuga salutem petunt. Hos nonnulli ex nostris tanto studio insequuntur, vt aliquot permixti repagula ad portas Areæ intrarent: quibus ad tergum occlusis inter cæteros capitur Stanaius qui postea signifer fuit turmæ Vindocinianæ. Pondormius hac clade hostibus iliata, cum captiuis numero fere nongentis Teroanam se recipit. Et quoniam tot captiuorum custodia nimium molesta futura erat, postero die menstruo stipendio (quod est centum solidorum) redempti dimittuntur, retentis ducibus fideiussoribus. Strataeus Liquæum roganti sponsæ, quam ille aliquando amauerat, remittit.

Non multis postea diebus, nempe circiter quindecim ante Papiensem pugnam, quum milites qui præsidio erant Hedini incursionem in hostium fines feciſſent, ex his vnus cognomento Nothus capitur, & Betunam abducitur. Hunc Fiennius Flandriæ præfectus solicitare cœpit vt Hedinum proderet. Respondet Nothus sibi rem factu esse facilem: sed necesse esse vt fide & iureiurando dato specie pretij quærendi dimittatur, vt commilitonem quendam sibi fidum ad eam rem asciscat, penes quem arcis claues essent: id quod statim conceditur. Hedinum reuersus Pondormio rem totam aperit, sibi esse in animo illi Fiennium, Ascotium & præcipuos ex hostium ducibus cum Areanis & Betunijs præsidiarijs in manum tradere. Rationem rei perficiendæ talem affert: daretur illi à Pondormio quispiam cui fides haberi tutò posset, cuique claues arcis committantur. Hunc se consilij sui participem factum & ad suscepte rei communicationem à se adductum hostibus persuasurum: quinetiam se ex illis quempiam ad septum arci propinquum adducturum, vt cum personato isto ianitore ambo colloqui possent, quò res probabilior redderetur. Die autem constituta quum adducenda hostium multitudo esset, se cum eodem illo rursus venturum vt ianitorem conuenirent, cum quo etiam certum quoddam signum illis intercederet, ad quod ianitor responsurus esset: omnia denique inter illos peraguntur. Die constituta Pondormius sub noctem cum ducentis cataphractis venit, qui suam quisque lanceam & in capite cassidem ipsi habebant, nullo armigero aut famulo subsequente, idque ne ob impedimentorum multitudinem res proderetur. Pondormius negotium Sercuto Hedini præfecto dederat, vt ad septi portam sub magna fornice in ipso aditu, quo hostis ingressurus erat, duas aut tres cataractas faciendas curaret. Id eo consilio faciebat vt si hostis maiori multitu-

Hedini fraus. Lata proditio, & Simonis Galli astus.

1524. dine irrumperet, esſetq; periculum ne arcis compos fieret, tum cataractę demitterẽtur, quo omnia in tuto eſſent. Quum Põdormius illuc veniret, res nondũ peracta erat: vnde conſequutũ eſt ingẽs damnum, vt poſtea audietur. Ante hanc portam erat exiguum vestibulum lapideum, quâ arcẽ hoſtis ſubiturus erat. Huius veſtibuli ſolum naphthæis & picatis operib. ad ignẽ cõcipiendum palea ſuperiecta ſtratum erat. Huc ſigno dato ignis immitti debebat ab ijs qui in ſuperiore portæ parte ſtarẽt. Ipſe Pondormius, quum perterritos hoſtes videret, equum cõſcenſurus erat, vt illis ſe recipientibus iter præcluderet.

REBVS ita comparatis hoſtes Notho præcunte, media nocte duo millia paſſuum Hedino veniunt: quo loco Fiennius per duos exploratores ſit certior Põdormium cum magno equitatu prima face Hedinum ingreſſum eſſe. Fiennius ſe proditum eſſe arbitratus, quum Nothum necari iuberet, ille intrepidus exploratores quod non vidiſſent proviſo renũciare affirmat. Id vt verum eſſe intelligeret, ſe loris vinctum iuberet aliquot ex ſuis tradi, à quibus pugionem diſtrictũ manu tenentib. duceretur ad foſſæ labrum, adhi beretur etiam is quem antea ſecũ duxerat quo tempore cũ ianitore loquutus fuiſſet: intellecturum illum num ianitor ad ſignum pactum reſpõſurus eſſet. Placet conſiliũ: itaq; hominem vinciunt, conſtrictum tribus aut quatuor ex ſuis, qui maximè idonei videbantur, tradunt, qui nudato pugione diligenter obſeruarẽt, iugulaturi ſiquid mentitus videretur. Hos ducit ad foſſæ ſupercilium, ianitorem ad ſe ſibilo euocat, quẽ vbi reſpondiſſet rogat num tempus ſit rem aggredi. Ille maturandum eſſe reſpondet, omnia eſſe parata. His auditis hominẽ ad ſuos reducunt, & Burgundionib. maior etiã quàm antea ſpes rei perficiendę accedit. Itaq; progrediuntur Notho duce, ſed ſemper vincto, vti dictum eſt. Septũ ingreſſis occurrunt alij exploratores, qui proditionẽ factã eſſe aſſeuerant. Nothus oratione ſua illorũ verbis fidẽ detrahit, efficitq; vt rem meditatã & ſuſceptã exequi pergant. Ad veſtibulũ peruẽniunt, eorumq; iam non paucis portã ingreſſis, Põdormius qui in ſuperiore loco cõſiſtebat, videt cataractas, vt pote non rectè abſolutas, laxatis funibus nõ delabi. Quare veritus ne plures ingrederẽtur, qui multitudine ſupiores eſſent, ijs qui inferio re loco erant clara voce vt ignem injiciant edicit. Caſus tum valde infauſtus accidit: qui ignem injiciebat, id tam incommodè fecit, vt ei loqui conanti ignis in os aduerſum inuolaret, quo inteſtina exuſta ſunt: ſubitò tamen Canaplium nepotẽ iubet equum conſcendere, vt quod facere conſtituerant, aggrederetur. At ille repertus eſt facie vſtulata, vt nulla oris ſpecies reliqua eſſet. Ita res infecta manſit: & hunc exitũ iſte conatus habuit. Pondormius biduo pòſt moritur: quo caſu Rex hominẽ ſumma fide ſingulariq; ergà ſe ſtudio & bello clariſſimũ amiſit. Burgũdiones veſtibulum ingreſſi centum ferè numero, incendio perierunt. Nothus primus arcẽ ingreſſus, eos ſeruauit à quib. vinctus tenebatur, & ſibi captiuos habuit. Hoſtes perterriti fugiunt, noſtros ſubſequẽtes ſibi inſtare exiſtimantes, quòd infortunium Pondormij planè ignorarent: vt plurimi dum ſe recipiunt, per ſyluas aberrarẽt. Veriſimile eſt, niſi mirificus ille caſus interueniſſet, hoſtes vniuerſos perituros fuiſſe (nox enim nõ erubeſcit) atq; adeo rẽ fortaſſe eò ventũrã, vt hoſtib. adeò attonitis noſtri illos inſequuti vel Areã vel Betunã permixti ingrederentur. Hoc ſanè ipſi poſtea mihi ingenuè confeſſi ſunt. Eo tẽpore moritur is qui in Germanos ſummã imperij habebat, neq; abeſt ſuſpicio quin veneno ſublatus ſit, quòd Antonio Leuæ comercium cum Rege habere videretur. Sed res nũquã patefacta eſt. Cæſariano exercitu aucto & copijs cõiunctis prorex Neapolitanus Papiẽſib. auxiliũ ferre cõſtituit: ſed quum deficeret eum res pecuniaria, valde vereri cœpit ne milites certamen detrectarent. Itaque ducum belli omnium cõſenſu & iuſſu Piſcarius Hiſpanos, quorum ſummus ductor erat, in concionẽ conuocat, illos prælio decertare ne recuſent hortatur: multas eos & illuſtres victorias ſe duce conſequutos fuiſſe, hanc demũ eis omnium laborũ, quos adhuc pertulerãt, mercedem ampliſſimã fore: capto enim Rege cum regij ſanguinis principib. atq; adeo maxima Gallicæ nobilitatis parte, nihil eis neq; ad decus neque ad opes deeſſe poſſe. Docet præterea victoriã tãtumnon in manib. eſſe, Gallicano exercitu iã diuturna caſtrametatione debilitato, inſuper etiam multis locis, Neapoli, Sauonę, Mediolani ſeparato: deniq; nihil deeſſe, quã vt rẽ alacriter aggrediantur. Hiſpani tum quòd maximam ei fidem habebant, tum ipſius prædę ſpe, quam pollicebatur, erecti, ſe eandem cum illo mortis aut vitæ conditionem habituros reſpõdent, in omnia loca & pericula etiam nulla pſenti pecunia ſequuturos, modò ſuppeteret victus quo ſe interea tolerarent. Germanihoe

Inaudita Pondormij mors.

Hiſpanorum imperator ſuos ad prælium cohortatur.

ni hoc intellecto responso, idem se facturos cõfirmant, se non minus quàm Hispanicam gentem ad bellum gerendum aptos esse. Prorex, Borbonius & Piscariùs hac re intellecta cunctandum non esse, sed nauiter, dum alacri animo essent milites, rem suscipere statuunt. Rex hostium consilio nuntiato, quum sciret in itinere Lauda Papiam esse castrum nomine Castellum Santangelicum, cui Petreium Gonzagam Federici Bozzoli fratrem præesse iusserat, magni sua interesse existimauit illud à suis teneri, vt commeatus hostib. impediretur, siquidem Papiam venire contenderent. Quamobrem ne ab hoste occuparetur, mareschallum Chabannium & Bozzolum mittit, qui locum explorent & reb. necessarijs muniant. Illi vt iussi erant, octingentos pedites Italos præsidio relinquunt cum ducentis equitibus, quibus Petreium ipsum præficiunt. Hostes (vti dictum est) coniũctis vnum in locum viribus, Lauda profecti Marinianum perueniunt, vt explorarent nũ qui Mediolani erant ex nostris, relicto oppido ad exercitum Regium venire cogitarent. Vbi Trimollij non esse hoc consilium perspiciunt, mutant sententiam, Castellum Santãgelicum ire contendunt, vt iter tritum Lauda Papiam ad rem frumentariam sine periculo subuehendam liberarent. Eò quum venissent, machinas expediunt, & ad subruendum murum collocant, ruina edita vallo succedunt: sed à nostris submouentur. Tandem nostri illorum diligentia perspecta, metu perculsi se in fidem proregis Neapolitani tradũt. Is belli duces retinet, milites armis exutos dimittit, sic tamen vt iureiurando eos astringat, intra mensem aduersus Cæsarem se arma non sumpturos.

Castellũ Santangelicũ hostes occupant.

Rex postquam Castellum Santangelicum captum resciuit, non dubitauit quin sibi dimicandum esset. Qua ratione adductus Trimollio mandat vt ad se cum ijs quos habebat veniret, relicto Theodoro Triuulsio & Chandæo qui ad ius dicendum constitutus erat, cum exigua quadam manu ad arcis fossas custodiendas. Reliquas copias vbicunq; habebat, ad se accersit, præter marchionem Salussium (quem ad Genuam esse antea demonstrauimus) & aliquot alios qui arces tenerent, vt tutiora essent itinera. Non multo ante hoc tempus Rex Ioannem Medicem, qui tria peditum millia & trecentos leuis armaturæ equites ducebat, sibi asciuerat. Is quum se ad Regem conferret, illi etiam complures Italos duces conciliauerat, in primis comitem Guidum Rangonem, qui inter homines bellicosos magnum locum obtinebat, cum eius fratre comite Francisco Rangone. Quinetiam Palvesini, quem suprà demonstratum est Mediolani fuisse obtruncatum anno 1521, fratrem Ioannem Ludouicum Palvesinum Regi tamen placauit. Rex hostes ne commeatum Papiam introducerent, vt impediret, in valle ad exiguum riuum Vermiculum castra ponit, quòd illac hosti iter esset faciẽdum, si obsessis auxilium ferre conaretur. Præterea mille Italos qui Massilia Sauonam veniebãt, accersit: qui itinere desessi quum ad Alexandriam iter facerent, à præfidiarijs militibus oppressi delentur. Eodem fere tempore Ioannes Iacobus Medices, quem Mediquinum appellabant, Muzo præfectus (castrum hoc est ad lacum Comensem finitimum Rhetis) qui Sfortianis partibus studebat, quum sciret Rhetos ad sex millia paulo antè in castra regia ad Papiam venisse, rationem inuenire statuit, qua illos à pugna auerteret, domumq; redire compelleret. In ditione Rhetorum animaduertit situm esse castrum Clauennam ad alteram lacus ripam: huius præfectus quòd sibi nihil summa pace metuebat, quotidie procul satis domo spatiari solebat. Quem locum obseruat Mediquinus, atque in eo insidias collocat. Res tam appositè cecidit, vt præfectus ille pro more egressus, in istius manus incideret: captus ante ipsam castri portam adducitur. Mediquinus districtum tenens gladium vxorem accersit, confirmat, nisi fores aperiat, se mox caput marito ablaturum. Vxor mariti saluti consulere cupiens, hominem intromittit: statim homines ad numerum trium millium, quos loco propinquo in insidijs locauerat, ad eum accedunt, & castro potiuntur. Præsidio quod satis esse videbatur impositio Muzum redit. Rheti de hac iactura certiores facti, tanto metu correpti sunt, quòd suspicarentur de tota ditione occupanda consilia à quibusdam esse capta, vt suos, quos ad sex millia in Regis castris habebant, statim ad patriam defendendam reuocarent. Hoc mandato accepto nulla ratione potuerunt retineri, ne pudore quidem, quòd sacramento militari obstricti, quòd stipendio accepto principem turpiter qui iam in eo erat vt pugna decertaret, deserrent, quin domum quinto ante prælium die discederent. Quantum hoc damni Regi attulerit iudicari facile potest, præsertim quum hostis passibus non amplius quingentis abesset: nihi-

Mediquinus Clauennã arcem occupat.

Rheti sub pacem diem Regem deserunt.

1524. lo magis tamen à consilio vnquam desistere voluit. Nonnulli cessebant vt Mediolanum copias reduceret, dum Cæsariani ob stipendium non persolutum dilaberentur: nam vbi stipendium nõ numeratur, rem frumentariam statim deficere. Verùm siue quòd prin ceps animo esset excelso, siue quòd ita diuino nutu & consilio res gubernaretur, adduci non potuit vt aliò quàm ad hostem exercitum conuerteret.

Rex præterea Palvesinum (cuius nuper mentio facta est) cum pecunijs miserat, quf equitatus & peditatus magnam multitudinem cogeret, ijsque Cremonam (quam nõ am plius sexcenti pedites tenebant) occuparet. Is collecta peditum bis mille & quadringentorum equitum manu, Casalo Maiore ad Padum castra facit, dum supplementum fere quater mille peditum expectat. Sortia qui Cremonæ erat, quòd metueret ne Guidus Rango se cum Palvesino coniungeret, priusquam in vnum vires colligerentur, hominé opprimere constituit. Cremonę ad duo peditũ millia & aliquot equites cogit, quib. Alexandrum Bentiuollium præficit. Qui cum his copijs quum Casalum contenderet, Palvesinus se non inferiorem, vt prælium committeret, arbitratus, imprudenter munitionibus egrediꝰtur, suo magno malo: qui si intus suos continuisset, comes Franciscus Rango Guidi frater postridie subsidio venturus erat. Egressus in apertum recta in hostes vadit, primo impetu equitatum ducis Mediolanensis fundit fugatque: sed Alexãdri Bentiuollij adductu ita vtrinque vrgetur, vt sterneretur & caperetur, exercitus profligaretur. Qua ex re etiam Rex non mediocri detrimento affectus est. Papienses vident ad Medicis castra excubias negligentius fieri. Eruptione facta incidunt in custodes qui exiguo numero erant: his pullis multos ex militibus concidunt antequam spatium ad arma sumenda daretur. Medices hac offensione indignatus, vt par pari referret, oppidanos elicere aggreditur. Qui se etiam tum certamine superaturos sperantes, exeunt: sed spes eos fefellit. Medices enim geminas insidias vnas in ipsis fossis, alteras longius ab oppido collocauerat. Hispani quum eos inse querentur à quibus primùm lacessiti fuerant, longius progredi nolunt, quòd scirent vlterius alios in insidijs delitescere. Dum se recipere conantur, qui proximè oppidum erant illis occurrunt: ita vtrinque circunuenti omnes ad vnum interficiuntur. In quo conflictu Medices ad calcancum glande tormentaria vulneratur, saucius se extra castra efferri iubet: quæ res etiam nostris magno damno fuit, propterea quòd vir rei bellicæ peritissimus erat. Eius milites duce orbati dispersi abeunt, & nullo tandem numero fiunt: denique istis & Rhetis dilapsis octo hominum millia è nostris castris detracta sunt. Eodem tempore Albertus comes Carpius Regis apud papam orator, eum iussu papæ non semel monuit, ante omnia cauere ne prælio cum hoste decertaret: non esse dubium quin, si ad quindecim dies tempus extraheret, Cæsariani eò inopiæ venirent, quòd stipendium non persolueretur, vt totus ille exercitus tandem euanesceret: nullam illis iam pecuniæ colligendæ rationem superesse, quum & Mediolano pulsi essent, & copiæ ducis Albaniæ apud Neapolim superiores viderentur: quæ duo hactenus rei pecuniariæ subsidia Cæsari suppetebant. Verùm Rex tanquam diuino fato ad cladem illam comparatus in ea sententia permansit, ne ab hostis conspectu se videretur subduxisse.

Regis copiæ sine immunitã tur & disparãtur.

Pugna Papiensis occasio.

Proregis Neapolitani & Borbonij consiliũ non erat cũ Rege prælio cõgredi, nisi fortè facultas quædam insperata, qua potiori essent conditione, daretur. Id tantùm conabantur, vt Mirabellum peruenirent, quò suis quos illic habebant fessis recentes alios integrosque submitterent: quod fieri, nisi propter Regia castra iter haberent, non poterat. Et quoniam Rex munito loco castra habebat, è duobus alterum sibi faciendum intelligebant: vt si Rex è castris copias ad prohibendum transitum educeret, prælio dimicarent: sin minus, vlterius progrederentur. Cæsariani extra septum Cartusiam versus, non longius à nostrorum castris quàm fert bombardæ iactus, iam castra collocauerant. Ibi paucis post diebus noctu murum septi suffodere cœperunt, & duabus ante lucem horis die Matthiæ sacro, anno 1524 muri pars latitudine fere trecentorum pedum collabitur. Hac scloperatios Hispanos ad numerum fere trium millium cum aliquot equitibus leuis armaturæ emittunt, qui albis indusijs induti progrediebantur, vt quoniam nondum diluxerat, se mutuò agnoscere possent. Hos subsequuntur acie instructa veterani milites tam Germani quàm Hispani inter se mixti, quibus postea succedũt tres peditum cunei, Hispanorum vnus, Germanorum duo vnà cum grauis armaturę alaricticrum

rum equitum duabus confertissimis turmis. Qui omnes exercitum Regium ad lævam relinquunt, quòd eum nollent propter loci iniquitatem (vti dictum est) adoriri.

HOSTIBVS necesse erat (quemadmodum demonstrauimus) ad nostri exercitus caput iter facere. Qua re cognita Iacobus Galliotus Assius Armeniacorum seneschallus rei machinariæ præfectus tormenta loco adeo hostibus iniquo, nostris commodo collocauerat, vt illi, quum præterea undum esset, contentissimo cursu vallem quandam, qua à machinarum iactu tuti essent, petere cogerentur. Glandes enim subinde eorum cuneos emissæ ita aperiebant, vt brachia modò & capita laceris corporibus auulsa in sublime attolli conspiceres. Quibus rebus animaduersis Rex illorum ordines metu perturbatos fugere existimauit, simul quòd ei nuntiaretur ab Alèconianis & Brionianis equitibus aliquot Hispanos deletos esse, qui ad nostrorum latus dextrum iter facere conarentur, & leuiores machinas quatuor aut quinque captas. Hæc omnia simul in causa fuerunt, vt Rex loco sibi commodissimo relicto hostem petere contenderet, machinisque facultatem quibus hostes vehementer lædebantur, adimeret. *Rex commodissimum locum, vbi confederat, relinquit.*

CÆSARIANI quum nihil iam sibi à nostrorum machinis metuendum esse, & Regem infestis signis ad se venire conspicerent, ad eum primos aciei ordines qui Mirabellum spectabant, conuertunt, suóque equitatui duo aut tria scloperatiorum millia permiscent. Rex Heluetiorum cuneo (in quo præcipuæ illius vires erant) ad dextrũ cornu collocato, rectà marchionem Santangelicum primi agminis equitum ductorem petit, hostes illic fusi & marchio ipse interfectus est. Verùm Heluetij, quorum erat in Germanorum peditum Cæsariani exercitus cuneum impetum facere, quum prælium inire deberent, iter Mediolani ad fugam capiendam insistere cœperunt. Germani nostri pedites qui non plures quinque millibus erant, ducibus Francisco Lotaringi ducis fratre & Sothfolco Albarosano, aduersũ in confertissimam hostium aciem, quæ Regem petebat, vadunt. Illic pauci (vti dictum est) quum essent, duobus magnis Germanorum cuneis circunuenti fortiter præliantes cadunt. Quòd si idem fecissent Heluetij, dubia sanè fuisset victoria. In eo conflictu Franciscus Lotaringus & dux Sothfolcus intereunt, cum militibus ipsis non melius actum est. Rex equitibus quos primos obuios habuerat, pulsis, Germanis tamen deletis & Heluetiis pugnam detrectantibus, totam certaminis molem subit, equus quo inuehens pugnabat, tandem interficitur, ipse altero crure vulnus accipit. Interficiuntur ex iis quos apud se habebat amiralius Boniuetus, Ludouicus Trimollius annos natus septuagintaquinque, Galeacius Sanseuerinus summus Galliæ armiger, Sanseuerinus alius primus regius œconomus, Maraphinus primus hippocomiæ præfectus: capiuntur mareschallus Foxius, Nothus Sabaudus præfectus prætorio qui postea ex vulneribus obierunt. Sampaulius tum facie tum aliis partibus saucius, vt exigua esset salutis spes, apud Regẽ capitur: qui tamen Papiæ postea, quò abductus est, conualuit. Mareschallus Chabannius qui primam aciem ducebat, ad alterum cornu, sed nihilo meliore conditione dimicabat: etenim nostro exercitu adeo labefactato ille toti impetui sustinendo par nullo modo esse poterat. Quare oneri tandem succumbit, eo ipso in loco cum maxima suorum parte interficitur. Mareschallus Mommorencius cum centum cataphractis, mille peditibus Gallis, quibus (nisi fallor) Bussius Ambosius præerat, & duobus Heluetiorum millibus pridie Sallazarium ad obsidendas transitus angustias missus fuerat. Quo loco quum in armis ad diluculum vsque constitisset, audito bombardarum strepitu se cum rege coniungere conatur. Sed & auxilij facultas inclinata nostra acie iam præterierat, & receptu impeditus est: nam circunuentus vincitur & capitur, antequam se cum eis coniungere posset. *Gallicus exercitus vincitur.*

REX (vt ad eum redieamus) equo interfecto vbi in pedes sese erexit, vndique cinctus oppugnatur, & à plurimis vt fidem det vrgetur. Quod facere recusat, & quandiu spiritum ducere potuit, acriter dimicat, tametsi norat se diuino iudicio obsistere non posse: sed quoniam magnas inter Cæsarianos contentiones prædæ causa oriri videbat, verebatur ne deditione etiam facta ab eis per rixam & altercationem interficeretur. Ibi tum adfuit Pomperantius, quem demonstrauimus Borboniʃ comitem, qum Gallia excederet, fuisse, idque propter cædem à se Ambosiæ factam, vbi Chissæum occiderat. Is statim ex equo desilit, & proximè Regem euaginato gladio omnes submouet, quoad *Rex ab hostibus circunsistentibus fortiter præliantes capitur.*

1524. prorex Neapolitanus acceſſit, in cuius fidem ſe rex & poteſtatem permiſit. Alenconius, qui extremum agmen ducebat, exercitu profligato, & ipſo Rege capto, nullam omnino ſpem reſtituendæ acici ſupereſſe intelligit: quamobrem ex eorum quos ſecum habebat ſententia ponte quem ad Ticinum noſtri antea fecerant, ſe recipit. Theodorus Triuulſius & Chandæus qui Mediolanum tenebant, tantæ cladis nuntio accepto cum ſuis in Galliam reuertuntur.

In eo prælio interfecti & capti ſunt plurimi præcipuæ virtutis & nobilitatis viri. Interierunt mareſchallus Chabannius, Ludouicus Trimollius, Gulielmus Gofferius, Boniuetus Galliæ amiralius, Nothus Sabaudus præfectus prætorio captus obiit: mareſchallus Foxius, Galeacius Sanſeuerinus ſummus armiger, Franciſcus Lotaringus, dux Sotfolcus, comes Tonerranus, Caldomontius, cuius pater Carolus Amboſius fuerat præfectus prætorio, Buſſius Amboſius, Baro Buzancæus, Bellopratenſis, & alij præterea multi quorum commemoratione lectori tædium afferrem. Capti ſunt Henricus rex Nauarræ, comes Sampaulius, Ludouicus Niuernenſis, Florengius Roberti Marcani F. mareſchallus Mommorencius, Brionius, Lorgiius, Rupepotæus, Montiianus, Annobaldus, Rupemenius, Malleræus, Mompeſatus, Boſius, Curtonius, Langæus & alij, quorum nomina ſi coner recenſere, volumen magnum conficiendum ſit. Ex hoſtibus quinam interierint, quum victoriam obtinuerint, dicere ſuperſedebo: qui enim vicit, victoriam ſibi nihili conſtare ducit. Iſta lectorum iudicio relinquo.

Qui prælio Papienſi interierunt.

LIBRI SECVNDI FINIS.

HAC

MARTINI BELLAII LANGAEI COMMENTARIORVM LIBER TERTIVS.

HAc clade in Galliam perlata, quantum ex nuntio dolorem & ægritudinem ceperit Ludouica Sabauda Andegauensis & Angoliſmenſis duciſſa, quam demonſtratuimus rectricem in Gallia à Rege relictam fuiſſe, quum filium captum & deletas Gallicas copias intelligeret, facilè iudicari poteſt. Tamen qua erat animi virtute & conſtantia, rebus tam acciſis remedium quod poterat, afferre decreuit. Principes & præcipuos totius nobilitatis qui in Gallia reliqui erant, ad ſe accerſit, præſertim Vindocinum qui Picardiam & inſulam Francicam prorex obtinebat, Guiſium qui Cãpaniæ & Burgundię præerat, & Lautrecũ Aquitaniæ & Ocitaniæ præfectum: qui extremis regni limitibus præſidio firmatis Lugdunum ad eam veniunt. Vindocinum illuc proficiſcentem quum Lutetia iter faceret, nonnulli ciues & in iis aliquot ex curiæ præcipuis ſenatoribus conueniunt, docent vnũ eum eſſe ad quẽ ſumma adminiſtrationis totius regni ſpectaret, qui Rege capto, impuberibus eius filiis, Borbonio per defectionem alienato, Alenconio nondum Lugdunum reuerſo, primus ac præcipuus ipſius diadematis regij hæres eſſet. Quam rem ſi ſuſcipere in animum induceret, Pariſios & aliarum regni vrbium ciues illi fide & potentia opem laturos. Illius orationis hæc eis, credo, cauſa erat, quòd cãcellarium Antonium Pratenſem infenſum haberent, neque vellent eius conſilio regi. Hac ex re Vindocinus intelligebat non ſolũ Regis ſed etiam ipſius regni perniciem conſequuturam eſſe, rectricẽ, quæ à Regis profectione rebus adminiſtrandis præfuerat, ſe hac regni procuratione abdicari ægrè laturam, denique factiones inde exorituras, quę imperij Gallicani interitum adferrent. His cauſis permotus reſpondet ſe Lugdunũ proficiſci, illuc omnes principes conuenire debere, quorum conſilio quæ tum Regis tum reip. ex vſu eſſent ſtatui oporteret. Hæc fuit Vindocini in populum & regnum ipſum ſingularis fides & voluntas, quum plurimi rerum nouarum ſtudio tenerentur, quibus dux modò & autor opus erat, cuius ſcilicet nomine & autoritate ad ſpeciem abuterentur. Vindocinus vbi Lugdunum peruenit, principes & caput conſilij Gallicani deligitur.

Regis matris conſtantia & animi magnitudo.

RECTRIX, vti diximus, ſumma diligentia omnibus proſpexit quæ ad regni ſtatum tuendum pertinere iudicauit. In primis Andreæ Auriæ triremium regiarum præfecto & Fayetto proamiralio (qui ambo tum erant Maſſiliæ) mandat, vt quoniam rebus Gallicis in Italia nimium attritis terra iter facere minimè tutum erat, in regni Neapolitani fines nauigarent, vnde Albaniæ ducem cum exercitu in Galliam tranſportarent. Quod illi vt iuſſi erant, perfecerunt, rediitque integer exercitus, paucis quibuſdam exceptis, qui cum Aculio Velitras præiuerant. Hos enim Columnæi Romam compulerunt, vbi ab Vrſinæ factionis hominibus excipiuntur. Poſtea imperat vti tum belli ducibus tum militibus qui ex prælio reduces venerant, ſtipendium quantum debebatur,

1525. perfolueretur: quin maximę illorum parti redemptionis pretium numerari iubet. Deinde quũ Michael Antonius marchio Saluſſius Sauona reuertiſſet (vbi Regis iuſſu præfuerat) cũmque eo comes Ludouicus Bellijoæſus, qui duo peditum Italorum millia ducebat: hunc Ludouicum cum ſuis in Burgundiam mittit, qui hoſtes, ſi fortè per Burgundiæ comitatum impreſſionem tentarent, cohiberet. Poſtremò quum ſciret Anglum, vt cum Cæſare pactus erat, cum exercitu Darverni eſſe debere, quò Caletum inde ſtatim nauigaret, legatum ad eum mittit Ioannem Ioachimum Genuenſem, qui doceret quãta calamitas Regi filio accidiſſet, rogaret ne principi captiuo moleſtus eſſet, potius amicæ cuiuſdam & beneuolæ pactionis cum conſilio Gallicano rationem iniret. Anglus quòd verebatur ne Cæſarem viribus & potentia auctum tandem hoſtem haberet, ex inimico Regi amicus redditur, cum rectrice & conſilio paciſcitur, auxilium tum viris armatis tum re pecuniaria ſe laturum oſtendit, quò Rex è captiuitate emittatur: deniq; exercitum multis licet ſumptibus collectum dimittit, neque ſibi quicquam pro impenſis dari poſtulat.

Angli erga Regem captiuum beneuolentia.

Ruſticorum Germanorum ſeditio ex internecio ad Saternam.

Iisdem temporibus apud Germaniam vulgus quoddam perditorum emerſit, qui bona eſſe communia contendebant. Hi collecta quatuordecim aut quindecim milium hominum manu, iter faciunt in Lotaringiam, eo conſilio vt in Galliam porro venirent. Hac enim ſe facilè potituros confidebant, quòd omnem Gallicanam nobilitatem in pugna interiiſſe arbitrarentur. Quacunque iter illis erat, nobilium domos diripiebant, fœminas & impuberes inaudita ſæuitia interficiebant. Ad iſtorum furorem cohibendum dux Guiſius & comes Valdomontius frater præſidia ex Burgundię & Campaniæ vrbibus tam peditum quàm equitũ educunt, & adiuncto comite Ludouico Bellijoęſo cum bis mille Italis peditibus quos habebat, progredientibus iſtis ruſticis occurrunt, & in eos ad Saternam ad montis radices, quà Argèntinam itur, incidunt. Tametſi autem ſex millibus hominum aduerſus quindecim millia pugnandum ſibi eſſe intellige bant, tamen equitum virtute freti adoriuntur, cædunt, & penitus delent, iis exceptis qui mõtes fuga ſubierunt. Ex hac ruſticorũ turba decem fere millia occubuerũt, ex noſtris pauci, inter quos capitaneus Sammalotus, & Betunius qui ducis Guiſij ſatellitio pręerat. Poſt hanc internecionem, nũquam auditum eſt ſceleratos illos coaluiſſe. Iſta ducis Guiſij expeditio neque Rectrici neque conſilio Gallicano probabatur, quòd in diſcrimen coniecciſſet quicquid in Gallia virium coactum fuerat, quæ hoſti, ſi victor ex Italia mouiſſet, opponerentur. Verùm res fœliciter ceſſit.

Carolvs Lannoſius prorex Neapolitanus, Cæſaris princeps in Italia legatus, victoria parta de continendis militum animis valde ſolicitus eſſe cœpit. Quum enim nõ ſuppeterent pecuniæ quibus ſtipendia trium aut quatuor menſium perſolueret, metuebat ne milites tumultu excitato Regem tanquam pecuniæ repræſentandæ obſidem per vim raperent. Cui malo vt occurreret, Regem inſcio exercitu Piſcetonem ducit, quod oppidum eſt firmiſſimum ad flumen Addam, & Alarconi Hiſpano, cui Cæſar maximã fidem habebat, cuſtodiendum tradit: deinde ad corrogandam pecuniam, vt militibus ſatisfaceret, animũ appellit. A Clemente papa CLM francorum, à duce Ferrarienſi XLM accipit. Veneti non mediocrẽ ſummam polliciti, quum ad maiorem eos compellere vellet, diem ex die ita duxerunt, vt tandem nihil præſtarent. Rex Piſcetone quum vltra Paſchalia cõmoraretur, quum annus cenſeretur 1525. Cęſar ad eum Roxium præfectum prætorium cum mandatis miſit, quibus poſtulabat vt Borbonio Delphinatum & Prouinciam traderet, quibus eas regiones quas antea obtinebat iungeret, idque totum in regni formam redactũ ſummo imperio ex nullius clientela teneret: ſimul vt Cæſari Rex Burgundiæ ducatu cederet. Multa etiam erant alia in iſtis iniquiſſimis poſtulatis capita, quæ conſultò prætereo. Ad iſta Rex reſpondit dolere ſe quòd Cæſar illi tam longum & moleſtum iter tanta celeritate conficiendum iniunxerit, ad tam iniquas conditiones perferendas: cui ſuis verbis renuntiaret, malle ſe exulem & captiuum mori quàm iſtis aſſentiri. Regni mei ſtatum (inquit) integrum adhuc eſſe confido, quem mei redimendi cauſa nolim labefactare aut lædere. Itaque ſi rem ad quandam concordiam deduci cupit, aliis longè verbis illi vtendum eſt.

Iniquiſſima Cæſaris poſtulata Rex captiuus repudiat.

Interim comes Sampaulius, qui cuſtodum opera (quos ſibi conciliauerat) euaſerat, comes Valdomontius & marchio Saluſſius Michael Antonius cum nonnullis Italiæ

liæ principibus & capitaneis aliquid commercij instituebant, quò efficerent ne rex extra ducatus Mediolanensis fines duceretur, sperãtes temporum rationem eam tandem fore, vt Italiæ dynastis potentia Cæsaris formidabilis redderetur, ne monarchiam affectaret, atq; adeo omnes opprimere conaretur: quod malum vt à se auerterent, exercitũ adregem liberandum compararent. Horum consiliorũ comes Franciscus Pontremius administrator erat. Cuius rei leuissimo statim rumusculo audito prorex Neapolitanus regi narrat sibi per literas (quas etiam ostendebat) Cęsarem confirmasse, si in Hispaniam nauigaret, fore vt colloquio coràm habito pace semel facta omnibus controuersiis finẽ imponerent, ipse deniq; liberaretur. Rex quòd intellexerat Borbonium in Hispaniam nauigasse, quodq; de Aleonora Cæsaris sorore ab illo in matrimonium ducenda agi cœptum fuerat, non intermitti, imò spem esse propediem perfectum iri: non grauatè assentitur, licet à multis suorum reclamari videret. Assentiendi causa fuit, quòd sperabat fore, vbi in Hispaniam venisset, vt Aleonora potentissimo Regi quàm principi omnibus fortunis spoliato nubere mallet, ac proinde fratrem quoq; Cæsarem de hac sententia de duceret. Quòd si contrà illæ nuptiæ conficerentur, nõ dubitabat quin ex ea re Gallia in ipsis visceribus bello flagraret. Id satis intelligi posse ex Cęsaris postulatis quę Roxius per tulerat, ex quibus constaret Cæsarem opes & potentiam Borbonio sorore ducta nõ denegaturum. Ad hãc nauigationem oportebat sex ex regiis triremibus quæ ad Massiliam erant præberi, Hispanis militibus compleri, reliquas omnes exarmari. Hoc quoque Rex concessit, & hac de re mareschallum Mommorencium ad rectricem matrem misit. Is vbi Lugduni consilium & voluntatem Regis expossuit, res tum rectrici tum vniuersò cõcilio placuit: hac enim ratione illum citius liberatum iri sperabant. Simulatq; Mommorencius Pisquetone discessit, Rex inde prorege Neapolitano comitatus Genuam contendit. Ibi quum suas triremes præstolaretur, ad eum redit Mommorencius absque triremibus tamen, quòd eas nisi denuo iussus Cæsarianis tradere tutum non existimauerat. Itaque Tauroentæ eas reliquerat, sic tamen vt quum res flagitaret, satis maturè adduci possent. Prorex Neapolitanus regias nauales copias suis firmiores esse videbat, verebatq; ne nauigatione suscepta tum suum exercitum tum captiuum ipsum amitteret: sinautem in continenti diutius commoraretur, sibi à rebus nouis periculum esse intelligebat. His causis adductus sibi non cunctandum censuit, sed cursum Neapolim tenere instituit, vt captiuum in tuto collocaret. Quæ res summum dolorem Regi attulit, quum se tam procul abduci ab iis à quibus iuuari posset, vidit. Nauibus ad portum Veneris appulsis, biduum illic cõmoratur. Quò quum venisset Mõmorencius cũ triremibus quas Rex promiserat, prorex consilium & cursum mutauit, ad insulas Hieras profectus, sinu Legionensi Barcinonem peruenit. Paucis pòst diebus quum Tarracone essent, Hispani Regis custodes de stipendio non numerato aduersus proregem tumultuari cœperunt. Quorum furori ille cedens, superatis ædium fastigiis per colliquias ex alia in aliam domum transilire, vt euaderet, coactus est: qua ex re non modiocri in periculo Rex versabatur, quum circumuolantes sclopetarias glandes sentiret. Inde Valentiam proficiscitur. Hinc Mommorencium denuo ad rectricem matrem mittit, qui ex ea & cõsilio sciscitaretur quibus pactionis conditionibus cum Cæsare agere deberet, simul quidnam rei cum Anglo transactum esset. Reuersus narrat fœdus Anglo cum rectrice intercessisse, rectrici visum esse vt Alenconiam ducissam ipsius sororem, quæ mortuo Lugduni Alenconio nuper vidua erat, ad ipsum mitteret, quæ de eo liberando ageret: itaque daret ille operam vt sorori tutus commeatus fide publica concederetur. Anglum ægrè fert quòd à Cæsare post insignem illam victoriam se contemni animaduerteret, qui tamen stipendia Cæsarianis suppeditasset. Paulo antè ad eum venerat Brionius cum pecuniis & vestibus pellitis, qui mandata à rectrice habebat, vt communem cum archiepiscopo Ambrodunensi (qui postea cardinalis Turnonius dictus est) & Ioanne Selva pri mò curiæ Parisiensis præside autoritatem haberet. Hi enim iampridem de redimendo Rege ad Cæsarem missi fuerant.

Consilia de rege liberando ineuntur.

Rex in Hispania abducitur.

Eo tempore Rex quum in castro Madrilio moraretur, in tantam febrim incidit, vt paucis de valetudine spes esset. Iámque aditus Hispaniæ clausi seruabãtur, vt nihil certi inde afferretur: qua ex re rectrix summum mœrorem cepit, quòd de salute aut morte filij nihil compertum per nuntios habere poterat. Langæus illuc transiturum se, multis

Rex in Hispania ægrotat.

1525. licet difficultatibus obiectis, recipit. Quod etiam perfecit, quæsitis aditibus quos non obseruari comperit: & certa veraque de Regis morbo renuntiauit. Margarita eius soror, Alenconij vidua iam itineri se commiserat vt fratrem inuiseret, quum fidei publicæ tabellæ à Cæsare, vt tuò iter faceret, illi afferuntur. Menſe Septembri Aquis mortuis nauim ingreſſa Barcinonem appulit, inde Cæsaraugustam, deinde Madrilium venit. Valde opportunus fuit illius aduentus: quum enim Regem extremo morbo laborantem, vt dictum est, offendisset, plus illum quàm medici omnes ad valetudinem restituēdam iuuit. Quum illuc venit, Cæsarem apud fratrem reperit, qui eum inviserat, non amore (vt mihi quidem videtur) quo illum prosequeretur, sed potius quòd ne moreretur perimeſcebat, atque ita captiuum ſuum amitteret, quem fructum amplissimum ſuæ victoriæ ducebat. Nam antea ex quo in Hiſpaniam venerat, tametſi id ſubinde pollicereturprorex Neapolitanus, nunquam ad eum accesserat. Vbi fratrem illa non iam de vita periclitari, Cæsarem verò nihil de conditionum iniquitate remittere ſenſit, (niſi quòd de Borbonio rege creando iam agere deſierat) in Galliā redire conſtituit, relictis apud Cæsarem archiepiſcopo Ambrunenſi, Selva, Mommorēcio & Brionio. Accepit præterea à fratre mandata de rebus adminiſtrandis quàm poterant à captiuo rege dari ampliſſima: quibus ille regni gubernacula Delphino primogenito committebat, quem; regno etiā inaugurari ſumpto diademate nō recuſabat: quòd mallet captiuus mori quàm vt quicquam committeret, quo in publica regni commoda peccaret. Ad hanc rem perficiendam Mommorencium & Brionium in Galliam dimiſit, qui in Delphini ſatellitium & aulam aſciſcerentur. Qui tamen non adeo maturè diſceſſerunt, propterea quòd Cæsar quum Alenconiam vidiſſet ſubitratam abiiſſe, Regem verò perpetuam potius captiuitatem ferre decreuiſſe, quàm vt regno, quemadmodum poſtulabat, incommodaret, ſpem dare cœpit ſe ad æquiores conditiones deſcenſurum eſſe. Iter hoc Alenconiæ trimeſtre fuit. Dum ſe recipit, fit certior Cæsarem de ſe retinenda mandata dediſſe, quòd tempus fidei publicæ elapſum eſſet: nam prorogare petenti nolucrat. Quæ res illam mouit vt quantum itineris quatriduo conficere ſtatuerat, vno abſolueret. Claromontio Lodeuenſi per literas mandat (is autem Narboni iuſſu Regis præerat) vt quoniam poſtremus erat dies ad iter conceſſus, Sauſſas ad ſe excipiendam veniret: quod ille tanto comitatu perfecit, vt quibus de ea retinenda mandatum fuerat, rem non auderent aggredi. Dum illic eſſet, nuntium accepit Henricum Nauarræ regem perſummam induſtriam & ſolertiam è manibus Hiſpanorum erupiſſe, vbi à pugna Papienſi ad hunc diem detentus fuerat.

Alenconia ſaror ad Regem venit.

Cæsar Alenconiam reditu prohiberi iubet.

Pacis conditiones.

INTER eos quibus de pace agenda iniunctum munus fuerat, hoc tandem conuenit, vti Rex ſimulatque in Galliam rediiſſet, Cæsari ducatum Burgundiæ traderet, ſeque pro ſua autoritate anniſurum vt regionis ordines ratum hoc haberent: Flandriæ & Arteſiæ clientelare imperium remitteret, ducatum Mediolanenſem & regnum Neapolitanum, in quæ ſibi ius eſſe antea contenderat, renuntiaret: Aleonoram itē Cæsaris ſororem, antea Luſitaniæ Reginam, in matrimonium duceret. Quibus aliæ etiam permultæ cōditiones additæ erant. Hęc vt promiſſa certa eſſent, quū Fontirabia diſcederet, in ipſo Gallici regni ingreſſu filios ſuos Franciſcum Delphinum primogenitum, & Henricum Aurelium ducem iis qui à Cæsare huius rei cauſa miſſi eſſent, in manus traderet. Quę Rex eò facilius promiſit, quòd ſatis intelligeret, quicquid à ſe captiuo, quum in cuſtodia aſſeruaretur, fide neque accepta neque data promitteretur, id nullum pondus habiturum: filios ſuos poſtea pecunia redimi poſſe confideret. His omnibus ita conſtitutis & tranſactis, mittitur ad rectricem Mommorencius, qui eam moneret, vt quàm fieri poſſet celerrimè Bayonam contenderet, ſecūmque filios regios obſides duceret. Cæsar Madrilium ad Regem venit: ibi multa inter ſe colloquuti eodem penſili vehiculo regi-

Rex duobus ſuis obſidibus datis dominum redit.

nam Alconoram regis Luſitaniæ viduam adeunt. Eadem pactione cautum erat vt illa Regi antequam Hiſpania diſcederet, deſponderetur: quod etiam præſtitit. Fontirabiam poſtea venit, vbi filij pro eo obſides dati ſunt. Cæsar ſuos legatos Bayonam vnà cum Rege abire iuſſit, vt pactionis conditiones regnum ingreſſus ſtatim confirmaret: quibus quum eò peruenisset, reſpondit prius explorandum eſſe animum & ſententiam ſuorum ſubditorum Burgundiæ, quos nonniſi ipſorum voluntate alienare à ſe poſſet: ſe breui ordinum totius ducatus panegyrin haberi curaturum, vt eorū mentē intelligere poſſet.

D o-

DOMVM reuersus in eorum locum qui in pugna Papiensi occubuerant, alios sufficere cœpit. Pro Notho Sabaudo maresc hallum Mommorencium præfectum prætorio cum superiori dignitate constituit, Bonnivetо Brionium subst ituit amiraliū, maresc hallo Chabannio succ essit Theodorus Triuulsius: eius turma equestris bifariam distribuitur, quinquaginta accepit Carolus Moæus Malleræus, Antonius Prætæus Mompensatus reliquos quinquaginta. Florengio Roberti Marcani primogenito Foxij maresc halatus tribuitur: is Florengius in pugna captus Cluſæ Flandrorū arctiſſima cuſtodia clauſus fuerat, inuidia credo qua domus illa apud Cæſarem flagrabat. Et quoniam in ipſa pugna Rex equo interfecto quum pedes ab hoſtibus circundaretur, opera Pōperantij (qui cum Borbonio è Gallia profugerat) ſeruatus fuerat, quem meminerat ex equo ad auxilium ferendum repentè deſcendiſſe: vt ni hoc feciſſet, ſummum ſalutis diſcrimen ſubitu rum ſe, priuſquam adueniret prorex Neapolitanus, fuiſſe arbitraretur: Pomperantium ipſum rurſum in ſuorum numero habuit, cúmque turmæ equeſtri quinquaginta cataphractorum quam antea duxerat Samemmius, præfecit: is enim captiuus obierat. Quin ipſum equeſtre autoramentum iam inde ipſi Pomperantio commiſerat, quum Piſquetone eſſet, eúmque ad rectricem miſerat. Rupemenio dimidiam turmam Alenconij dedit, quæ centum cataphractis conſtabat, cuiuſque antea ipſe legatus fuerat: nam Alencionius Lugdunum à pugna reuerſus, obierat. Trimollij nepoti quinquaginta cataphractos attribuit ex iis quos ille duxerat, reliquos quinquaginta Ioanni Stampæo Fertæ Nabertanæ domino. Ducatui Burgundiæ, cui præfuerat Trimollius, Brionium præpoſuit: Delphinatui Sampaulium loco Boniueti: Galliæ Ocitanæ maresc hallum Mommorencium, qua in prouincia antea Delphini legatus erat: nam Delphinum illi poſt Borbonij diſceſſum præeſſe iuſſerat. Magnum denique Normanię ſeneſchallum Ludouicum Bretzæum eidem prouinciæ Normaniæ præpoſuit, vbi antea legatus Regis fuerat: ita Alenconio in ea prouincia ſucceſſit.

Rex in demonstrorum locū aliosq; ſubiect.

CÆSAR vbi Regis reſponſum quod legatis Bayonnæ dederat, reſciuit, proregem Neapolitanum Carolum Lannoſium, Mingouallium ducē Traiettanū & Alarconē ad eum mittit, ſperans à ducatus Burgundiæ ordinibus quod cupiebat decretum iri: quod omnino aliter accidit. Coniacum ad illum veniunt, excipiuntur & tractantur magnificentiſſimè, ſed paucis interpoſitis diebus rem parum gratam conſpiciunt: fœdus enim coràm vident & audiunt præconio publico recitari initum inter papam Clementem, Regem, Anglum, Venetos, Heluetios & Florentinos, quod ſacrum fœdus appellatum eſt: cuius hæ conditiones erant, vt Italia in libertatem exteris omnibus expulſis vindicaretur, Sfortia ducatum Mediolanenſem certis quibuſdam conditionibus reciperet: ſic tamen vt Cæſari, ſi libēret, ingrediendi illuc poteſtas fieret. Qua re illi vehementer perculſi ſunt, nec mirum: quum enim ducatus Burgundiæ poſſeſſionem ilico ſe adituros ſperarent (nam princeps Aurangius iam ad ius illud vſurpandum profectus erat, velut præfectus futurus eſſet) vident ſibi fœdus ſuo Cæſari planè inimicum exhiberi. Quæ quum ita eſſe animaduerterent, venia petita in Hiſpaniam reuertuntur, Cæſari renuntiant, ſi redemptionis pretium pecunia numerata velit accipere, & liberos regios redde re, à Rege perſolutum iri, alias conditiones non accepturum. Inter conſœderatos porro illos conuenerat vti pro rata parte copias ſinguli conferrent. Regij exercitus ductor cōſtituitur Michael Antonius marchio Saluſſius: is conſtabat quadringentis cataphractis equitibus, Heluetiorum decem millibus quos Rex conſcribi iuſſerat, tribuno comite Tandæo, & peditatu Gallicano.

Ducatus Burgundiæ nō traditur ex pacto

Fœdus ſacrum in gratiam Sfortiæ.

DVM hoc fœdus initur & confirmatur, dux Franciſcus Sfortia in arce Mediolanenſi obſeſſus cò venit omnium rerum inopiæ, vt nihil planè illi ſuperesſet. Marchio Piſcarius id temporis mortuus erat, in cuius locum marchio Vaſtius illius conſanguineus & Antonius Leua tum ipſius exercitus tum vniuerſi ducatus Mediolanenſis adminiſtrationem ſuſceperant, atque adeo arcem ipſam premere obſidione perſeuerabant, operámque ſedulò dederant nequo commeatu Sfortia iuuaretur: quoniam verò militibus ſtipendium debebatur, ciuibus tributum intolerabile imperant. Cæſar nuntiata Piſcarij morte ducem Borbonium principem legatum in Italiam mittit. Is Gēnuæ naui applicata, Mediolanum poſtea venit: vbi res deſperatas quum offendiſſet, quòd ciues quererentur, tum tributis immodicis tum militum ſæuitia duriſſimè ſe tractari,

Sfortia in arce Mediolanenſi obſeſſus penuria premitur.

1526. concione aduocata docet sibi dolere quòd iniurias illas accepisset, in animo se habere eos deinceps molestiis leuare. Vnum tamen etiam præstandum esse, triginta coronato rũ millibus, vt militibus satisfiat, omnino opus esse: quæ summa si ab eis suppeditaretur, optare se & à Deo immortali precari, si fortè vlla illis præterea fieret iniuria, vt vbi primùm inter hostes versaretur, siue in prælio siue in oppidi oppugnatione, plumbea pila necaretur. Nec irritum fuit votum: hoc enim illi ad Romam acciderit.

Dvm hæc Mediolani fiunt, papa & Veneti nihil diligentiæ reliquum faciebant, vt copias ad subsidium Sfortiæ ferendum compararent, quem sciebant extrema inopia premi: has copias Laudam contendere iubent. Quos id conari quum Vastius & Leua perspexissent, veriti ne Lauda occupata rem frumentariam Mediolanum importari prohiberent, properè tres Hispanorum cohortes illuc mittunt. Quum huc peruenissent, fama inter eos percrebrescit Mediolanum direptum iri: quo nuntiato, vt præ dæ participes essent, non exaudito imperio Mediolanum reuertuntur, relicto Laudæ Fabricio Maramo cũ septingentis peditibus Italis: qui suos milites omni genere crudelitatis in ciues fœuire impune passus est. Hãc rerũ perturbationẽ videns Lud. Vistarinus ciuis Laudensis clarissimus, patriæ indignis modis afflictæ succurrere statuit. Francisco Mariæ duci Vrbinensi Veneti exercitus præfecto nuntiari iubet, maturaret Laudam venire, se milites intromissurum, tantùm fidem daret, qua occupato oppido nullam ciues iniuriam accepturos esse intelligeret. Res quemadmodum pollicitus fuerat, perficitur, intromissóque Vrbinensi Fabricius in arcem profugit. Vastius de Lauda capta certior factus, summa festinatione Mediolano proficiscitur, vt eam ante Veneti & papani exercitus aduentum reciperet: id enim ope & auxilio eorum qui arcem tenebant, se perfecturum confidebat. Verùm Vrbinensis ducis hominis impigri & in re militari exercitatissimi diligentia illius laborem irritum reddidit, qui fossis ductis aditum hostibus in arcem præclusérat. Vastio abunde fuit quòd milites ex arce eduxit, quos vnà secum rediens Mediolanum reduxit. Interim reliquus tum papæ tum Venetorum exercitus celerrimè Placentino agro progrediebatur. Idem faciebat Michael Antonius marchio Salussius cum copiis Gallicanis, iamque Sufianas angustias trãsierat, Pedemontanorum fines ingressus. Helueti jj quoque quos Rex cõscripserat ad decem millia in Rhetorum finibus erant, quorum Galli aduentum præstolabantur, ac sine illis prælio decertare minimè decreuerant. Quaquidem ratione effectum est, vt quum illi tardius progrederentur, Sfortia interim fame coactus arcem Mediolanensem Borbonio in manus traderet: quod tamen iis conditionibus fecit, vt saluis impedimentis abeundi potestas militibus fieret, Comum à Cæsarianis qui illud tenebãt, ipsi Sfortiæ redderetur, vbi tãtisper commorari ei liceret, donec se Cæsari purgaret: se enim per iniuriam & vim eo ducatu à Piscario fuisse spoliatum docere volebat. His inter illos transactis & chirographo confirmatis, arx Borbonio traditur, cui Tẽsanium nobilem Borbonesium proiectæ ætatis præfecit: Sfortia Comũ ire contendit. Huic in itinere nuntiatur Cęsarianos non modò Comum non tradere, quemadmodum pacti fuerant, sed eum etiam captiuum habere constituisse: quinetiam sarcinas quas Mediolani, quia ad eas conuehendas deerant plaustra, reliquerat, militibus diripiendas traditas fuisse. Hoc nuntio accepto se in confœderatorum castra recepit, & cum his ob tam insignem iniuriam à Cæsarianis acceptam coniunxit. Interim marchio Salussius ad eadem castra cum exercitu Regio quem ducebat, peruenit, quadringentis nempe cataphractis, quatuor peditum Vasconum millibus, & quingentis leuis armaturæ equitibus. Quorum aduentu Malatestam Ballionem cum octo millibus peditum & aliquot equitibus ad capiendam Cremonã mitti placet: quod quidem facile factu illis videbatur, propterea quòd arcẽ ducis milites adhuc tenebant: quum alioqui in vrbe esset Cæsarianorum præsidium mille peditum Germanorum, quingentorum Hispanorum cum ducentis leuis armaturæ equitibus. Hanc quum Malatesta complures dies nequicquam oppugnasset, ad extremum Vrbinẽsis ipse Venetarum copiarũ præfectus ex omnium sententia ad illam expugnandam mittitur. Qui postquam illuc peruenit, paucis diebus cò Cæsarianos adegit, vt in eam pactionem descẽderent, nisi intra sex dies subsidium mitteretur, deditionem facturos: itaque non misso subsidio oppidum ex pacto hostibus tradunt.

Laudæ Cęsarianorum adeptio.

Arcis Mediolanensis deditio.

Cremonã Cæsarianis dedit.

Dvm hæc ad Mediolanum geruntur, papa Clemens Romæ ingentes sumptus si-

bi faciendos vidēs,dum exercitum in ducatu Mediolanensi, alterum etiam in Romania alit,quòd sibi à Columnæa factione timeret:cum Vespasiano Prosperi F.Colūna totius gentis nomine in gratiam redit,pace cum omnibus facta, condonatisque iniuriis quæ vtrinque acceptæ & illatæ fuerant.Pace composita & iureiurando cōfirmata,Romanienſem exercitum dimittit:qua in re ſibi malè conſuluit. Paucis enim pòſt diebus cardinalis & Aſcanius Columnæ magnum militum numerum in ſuis ditionibus quæ ſunt ad Neapolim,improuiſo cogunt,Romam cōtendunt,& prius San-janum Laterananenſem occupant, quam papæ quicquam nuntiatum eſſet. Qui re inopinata & repentina perterritus,nullum aliud remedium habuit, quàm vt in arcem Angelicam ſe reciperet:eōdem vniuerſi cardinales profugiunt,cúmque his tanta ciuium multitudo, qui ſui ſeruandi gratia hunc locum occupabant,vt cibariorū omnis copia illis ad tridui ſpatium alendis non ſatis eſſet.Quæ cauſa papam famis metu coegit cum hoſtibus paciſci, exercitum ſe quem ad Mediolanum habebat,educturum, confederatorūmque copiis nihil auxilij intra quatuor menſes laturum. Cæſarianis qui Mediolanum tenebant, hoc nuntio perlato, ſtudium propugnandi acceſſit.Præterea Georgius Fronſpergus quum filium Gaſparum cum Germanis peditibus quibus præerat, Mediolani ſumma premi inopia ſenſiſſet,tum vt Cæſarem iuuaret,tum vt filio ſalutem afferret, propriis ſumptibus peditatum XIIII millium Germanorum comparauerat:quos cum magno equitatu & bombardis à rege Vngariæ Ferdinando Cęſaris fratre datis,ſumma celeritate ſubſidio Mediolanenſibus ducebat,iamque anguſtias Tridenti tranſierat, & Venetorum fines à duce Mantuano adiutus peruaſerat.

Papa à Columnis obſidetur.

MARCHIO Saluſſius & dux Vrbinenſis alter Regij alter Veneti exercitus imperator(nam papani milites iam abierant)poſtquam hæc auxilia aduēctare audiiſſent, obſidione ſublata hoſtibus in ipſo trāſitu occurrere & cum illis congredi conantur:ſed ſerius profecti Georgium iam in planitiem euaſiſſe comperiunt,vt leuibus duntaxat quibuſdam velitationibus decertatum ſit.Quarum in vna quę ad tranſitum exigui cuiuſdā fluminis commiſſa eſt,Ioannes Medices ſclopetaria pila ad tibiam ictus,Mātuam ſe deferri iuſſit,vbi intra paucos dies ex vulnere obiit. Cuius morte grauiſſimum dānum acceperit confœderatorum factio,quem omnes bello gerendo totius Italiæ præſtantiſſimū habebant.Mediolano obſidione liberato(vti dictum eſt)Hiſpani Borbonio inſtare cœperunt,vt ſibi ſemeſtre ſtipendium debitum penderetur,quod ni faceret,ſe oppido direpto abituros.Cui malo vt obuiā iret,militibúſque ſatisfaceret, Borbonius ditiſſimos & præcipuos ciuitatis noctu comprehendi iubet,ab iis tormentorum exquiſitis cruciatibus pecunias exprimit,quibus ſuis bimeſtre ſtipendium perſoluit.Poſtea quum ducatum Mediolanenſem tanto exercitui ſuſtinendo imparem eſſe animaduerteret, maximè quum Cremona & Lauda in confœderatorum poteſtate eſſent,aliam ſibi inſiſtendam viam & aliam quærendam artem ſtatuit.Antonium Leuam Mediolani relinquit, quem etiam totus ducatus adminiſtrandi ſummam habere iubet:ipſe in eccleſiaſticę ditionis fines impreſſionē facere decreuit:quos inuadere minimo negotio poterat, quòd papa cum Columnis pace facta nullas habebat copias.Georgium Fronſpergum ſibi ad Placentiam præſto eſſe iubet.Hoc Borbonij cōſilio Saluſſius intellecto,Vrbinēſem cum Veneto exercitu illic manere iubet,ipſe cū Gallica manu tāta celeritate iter facit vt Placentiam prior veniret. Borbonius oppidum tam multis & tam fortibus viris teneri, & Venetas copias altera ex parte relictas animaduertens,ab eius oppugnatione ſuſcipiēda deſiſtit. Vnum hoc demonſtrare mihi excidit, quòd papa grauiſſimæ iniuriæ memor quam à Columnis ſubditis acceperat,pacta item omnia quæ quiuis princeps cum ſubditis aduerſus ſe armatis coactus init,nullum omnino pondus habere,pacta cōuenta omnia violauit:& comitem Valdomontium ducis Lotaringi fratrem ad ſe accerſit, qui ex gente Andegauenſi erat,quāquidem Neapolitani maximè acceptā habent & ſummopere expetunt.Is ergo Maſſilia cū regiis trire mibus profectus Romā venit,cumq; eo Rentius Ceres Romanus.Ibi coacta manu ad numerum fere X.M peditatus & equitatus aliqua multitudine,regni Neapolitani fines ingreditur, primo impetu maximam partem oppidorum quæ Columnæ in ſua ditione habebant,& ipſum Salernum cœpit, ad ipſas Neapoleos portas progreditur,Hugonem Mōcadeum proregem Neapolitanum fugat, Frezelonem à Cæſarianis obſeſſum liberat. Carolus Lannoſius vbi omnia ſibi parum

Principes pacta cum armatis ſubditis inita non ſeruanda eſſe credut.

1527. prosperè euenire videt, inducias cum papa nomine Cæsaris in quatuor menses facit: quamobrem noster exercitus dimittitur. Quod sanè nobis perincommodè accidit: res enim in eum locum deductę erant, vt facile esset Cæsarem Neapolitana ditione exuere, quum incolæ omnes tributorum grauitate offensi quæ prorex exigebat, arma per seditionem contra Hispanos sumerent, Cæsari nullæ copiæ Neapoli suppeterent, omnes cũ Borbonio essent. His rebus ita administratis Valdomontius Massiliam cum tritemibus redit, istis induciis non leuiter offensus: illum enim Neapolitani, quòd (vti dictum est) ex Andegauensi familia erat, vehementer optabant.

BORBONIVS de capienda Placentia desperans, aliam sibi fortunam tentandam ob rei frumentariæ & pecuniariæ inopiam iudicauit. Florentiam, quam à papa & Medicæa domo desciuisse sentiebat, inopinato opprimere (quòd rebus turbatis huiusmodi conatus faciles videntur) & suis militibus diripiendam dare constituit. Langęus qui tum iussu Regis ad tuendum sacrum fœdus Florentiæ erat, huius rei nuntio accepto, marchionem Salussium quo itinere Cæsariani progressuri essent, certiorem facit, aliud iter demonstrat, quo Borbonium antecedere & populatione ciuitatem eripere posset. Salussius homo acer & impiger & Vrbinensis. Venetorum imperator eam cum exercitu celeritatem adhibent, vt Florentiam vesperi venirent: quo audito Borbonius iter Romam conuertit. Langæus Florentiæ statum in tuto videns, quum exploratum haberet hanc esse Borbonij mentem, vt si a Florentia aberraret, Romã aggrederetur, (nam quas fecerat inducias papa cum prorege Neapolitano, atque adeo omnem datam fidem desperatis rebus nihili pendebat) veredarũs equis vsus papam maturè monet, vt satis spatij ad occurrendum daretur: etenim cohortes nigræ, quas Horatius Ballio ducebat, vnius tantùm diei aut ad summum bidui itinere Roma aberant. Verùm papa inducijs confisus quæ cum Neapolitano prorege ictæ fuerant, animum noluit aduertere. Quinetiam Rentius Ceres illi confirmabat intra triduum homines Vrsinarum partium ad quinque aut sex millia se collecturum. Papa tamen siue à quibusdam deceptus, siue rei magnitudine perculsus, suis rebus non antè prospicere voluit quàm hostem ad portas vrbis conspiceret. His rebus effectum est vt pugnæ genus non aliud inierit quàm quòd in Castrũ Angelicum cum aliquot cardinalibus & principum oratoribus relicta absque custodibus vrbe, se recipetet. Hac rerum perturbatione Rentius & Langæus conspecta, repente ad duo hominum millia cogunt, quibus vtcunque hostem arcerent, dum Salussius cum exercitu adueniret. Ibi mirificus casus inter euenit. Signifer quidam cui ruina muri ad compitũ Petrinum cõmissa erat, quũ Borbonium aliquot militibus comitatum vinetum perrumpentem ad explorandum locum vidisset, tanto metu perterritus est, vt quum in vrbem profugere cogitaret, ipsa ruina signo elato egressus ad hostes contenderet. Borbonius hominem ad se venire conspicatus, alios subsequi & eruptionem in se fieri arbitratus, gradum subitò sistit, eo consilio vt suis collectis impetum sustineret, dum reliquus exercitus appropinquaret, qui confestim omnis in armis est. Signifer extra vrbem ad passus fere trecentos progressus, audito ad arma capiendain castris Borbonianis clamore, ad se rediit, & instar eius qui è somno excitatus animum colligit, euestigio vrbem versus se proripit, eadémque ruina qua exierat, ingreditur. Borbonius hominis gestum admiratur, locóque animaduerso, signum oppugnationis statim dari iubet, ipse primus scalis arreptis ad murum accedit. Simulatque illuc venit, ex vrbe glans emittitur: qua coxa traiecta ilico moritur: quod plurimi diuina vltione accidisse putant, quia fidem Mediolanensibus datam soluisset. Princeps Aurangius, qui ei proximus erat quum decideret, pallio iniecto statim contegi iubet, ne milites cognita ducis morte animum desponderent: rem inceptam eodem animi ardore prosequitur, vt simul cum propugnatoribus permixti in vrbem irrumperent. Rentius & Langæus cum suis quos tumultuariè collegerant, pedem ad arcem Angelicam referunt, diu ad pontem præliati, donec vi irruentibus hostibus cedere cogerentur. Hæc Maij die sexto anno 1527 acciderunt.

Borbonius Romam exercitu ducit.

Borbonius Roma oppugnata interficitur.

Roma capta diripitur.

QVAM crudeliter sese expugnata vrbe hostes gesserint, nihil est quod instituam commemorare, quum satis notũ sit quid soleat in his rebus fieri. Huc accedit quòd maxima ex parte Germani erant, qui & alios feritate excedunt, & fere vniuersi protestantium partes sequebantur, atq; adeo papæ infestissimi erant. Hæc vrbis populatio duos menses

menses durauit. Non desunt qui Borbonium existimant, si tum non interiisset, Romæ & Neapoleos dominatum in regiam formam sibi redacturum fuisse: id adeo quoniam verba sibi à Cæsare data fuisse indignabatur, qui sororem in matrimoniũ pollicitus non dedisset, præterea missum ad bellum Mediolani gerendum pecunia non iuuisset, tanquam illum prædæ exponeret. Sed Deo aliter visum est.

MORTVO Borbonio summa imperij Philiberto Catalauno principi Aurangio omnium voluntate defertur. Itaque castrum Angelicum obsidet, vbi papa cum omnibus fere cardinalibus & principum Christianorum oratoribus sese continebat. Dum rẽ machinariam ad subruendum murum expedit, glãde plumbea in capite ictus de salute periclitatur: neq; tamẽ ob eam causam obsidio intermissa est. Quamobrem papa desperato auxilio, veritus ne in Germanorũ manus incideret, quibus se inuisum sciebat, quũ denique cibaria deficerent, cum principe Aurangio paciscitur, vti ipse & cardinales in eius fidem & potestatem venirent. Langæus & Rentius aliique regiarum partium hanc pactionis conditionem non acceperunt, qui Salustium subsidio venientem expectare decreuerant. Itaque seperatim paciscuntur vti armis & impedimentis integris abire liceret: papa cum suis in arce firma custodia captiuus retentus est.

Papa captiuus in arce Angelica.

REX & Anglus frater coniunctissimus nuntio accepto quantas indignitates papa pertulisset, quantoque offendiculo toti ecclesiæ Christianæ esset quòd illius caput captiuitate premeretur, rem non negligendam sibi esse duxerunt. Quam ad rem Anglus cardinalem Yorcanum, cui præcipuam negotiorum regiorum administrationem commiserat, ad Regem mittit: quem Ambiani quũ offendisset, multis colloquiis habitis constituunt exercitum in Italiam communibus impensis mittere, quo papa in libertatẽ vindicaretur, & sacri patrimonij regiones illi restituerentur. Huic exercitui præficitur Odetus Foxius Lautrecus cum hominum numero quem postea recensebimus. Cardinalis Yorcanus domum nauigat, Lautrecus à Rege discedit, vt exercitum conscribat. Ad huius expeditionis sumptus Anglus sexagena angelicorum millia menstrua pendebat. Rex his rebus perfectis Annam Mommorencium præfectum prætorio & mareschallũ ad Angliæ regem charissimum & perpetuo fœdere coniunctum mittit, qui pacta confirmaret, & cochleatum torquem aureum equestris Gallicanæ dignitatis insigne perferret. Discessit circiter decimum Octobris diem anno 1527, comitatus Ioanne Bellaio Bayonnensi episcopo, postea cardinali, Humerio equite torquato, Brinone primo Rotomagensis curiæ præside & Alenconiæ domus cancellario, duodecim item ex primariis nobilitatis Gallicanæ viris, qui vel ex Regia cohorte essent vel equestrium turmarũ ductores: quales erant Rupebaro, Buterius, Rupemenius, Guichæus, Allegrius Ioachimus Chaltrensis satellitij Regij præfectus, permultique alij ad numerum ferè sexcentorum equitum. Mommorencius quum Darvernum peruenisset, plurimos episcopos, nobiles & alios ab Anglo missos reperit, à quibus summo honore exceptus Londinum deducitur. Qua ex ciuitate obuiam illi prodeunt mille ducenti fere equites, qui exceptum ad ædes illi paratas prosequuntur, quæ sunt in episcopali palatio Londinensi. Post biduum secundo flumine Tamisa lenũculis Grenuichum deportatur, qui locus est sex passuum millia infra Londinum, vbi rex crebrò domum habet. Illic à rege & cardinali Yorcano maximo apparatu excipitur. Yorcanus enim (vt hoc obiter moneamus) honore ipsi regi omnibus in rebus exæquabatur, dexter illi semper assidebat, quibus in locis erant Regia arma & insignia, eodem etiam ordine Yorcana visebantur, omni denique honore pares erant. Expositis apud regem mandatis Mommorencius dies plurimos tũ Londini tum Grenuichi prolixè acceptus, ab Yorcano cardinali in domum quam paucis antè diebus ædificarat, octodecim passuum millia supra Londinum ad Tamisam flumen, cui nomen indiderat Hamtoncuria, ducitur. Ibi eum cum toto comitatu per dies quatuor aut quinque quibuscunque rationibus fieri potuit splendidissimè & lautissimè tractat, aulæis ingentis pretij, & aureis argenteisque vasis pene innumerabilibus. Londinum reuersis rex Martinaliorum die in sua Grenuichana domo epulum præbet omniũ quæ vnquam vidi sumptuosissimum, siue fercula siue personatorum hominum ludicra spectacula & comœdias spectes: in ipsis comœdiis Matia regis filia aderat, quę & ipsa personam agebat. Denique vbi muneribus amplissimè singulos donauit, Mommorenciũ à se dimittit, qui Bayonnensem episcopum apud eum Regis oratorem ad tuendam so-

Mommorencius ad Anglũ mittitur.

1527. cietatem & amicitiam initam relinquit. In Galliam reuersus Regi quæ gesserat omnia exponit, cuius ille fidem & diligentiam magnopere collaudauit.

DEMONSTRATVM est à nobis antea quemadmodum Lautrecus à Rege dimissus fuerit vt in Italiam expeditionem susciperet, idque extremo mense Iunio. Cæsar qui tum in Hispania erat, his rebus nuntiatis Tarbellensem episcopum (is postea cardinalis Grammontius dictus est) quem apud se Regis oratorem habebat, captiuum teneri iubet, & alios præterea principum confœderatorum oratores. Quod vbi ad regē & Anglum fratrem optimum perlatum est, oratores etiam Cæsaris quos apud se habebant, captiuos tenent, Guiennam Gallum & Clarentium Anglum feciales mittunt, qui illi bellum amborum nomine indicerent. Prius tamen suis oratoribus libertati restitutis mandant ad se vt venia ab eo accepta redirent.

Cæsar orator à Rege venia abeundi petit.

REX missis fecialibus sit certior suos legatos liberatos esse, iamque vt in Galliam reuerterentur in viam se dedisse. Quare Cæsaris oratorem accersi iubet, ostendit quibus causis adductus eum detinerit iussisset, conqueritur de multis iniuriis sibi à Cæsare illatis. Itaque octauo & vicesimo Martij die, anno 1527 ante paschalia Rex in vrbe Lutetia quum principes consanguineos secum haberet, alios item principes, antistites & nobiles partim indigenas partim exteros qui tum tēporis in aula versabantur, oratores insuper principum, dynastarum ac populorum quos apud se habebat, adesse coram Cæsaris oratorem Nicolaum Perronotum Granvellanum iubet. Qui illis astantibus Regē venerabundus submisse salutat, docet se per præfectum prætorio ornatissimum Mōmorencium à Cæsare vero & supremo domino literas abhinc XIII dies accepisse, quibus literis dies ascripta esset VII Feb. Per eas sibi significatum esse quēadmodum Regij oratores ab eo XXI die Ian. dimissi essent, & postero deinceps die bellum ei Regis nomine per fecialem indictum: qua de causa sibi mādatum esse vt venia à Rege quamprimū accepta in aulam Cæsarianam rediret. Dolere se vehementer rem eò tandem deductā esse, vt à pace & amicitia constabilienda longissimè abesse videatur: quā à Cæsare omni studio expetitam fuisse documento esset Madrilianū pactum, quo effectū fuerat vt Rex liberaretur. Se quidē omni officio & opera studuisse vt pax tam vtilis coalesceret & constaret: verùm quando ad extrema ventū esset, orare se vt sibi per regē domino suo morē gerere liceat, veniam cum fidei publicæ firmo & idoneo præsidio concedat, quò liberè & absq; vllo periculo domū se recipiat. Id enim æquitati & humanæ societatis honestati consentaneū esse, hunc morem inter principes virtutis & integritatis studiosos vsurpatum semper fuisse: neq; verò sibi cōsciū esse quicquā à se cōmissum cur aliter de se statuatur. Quòd si tamen priuatim se molestiorem alicubi aut acerbiorē ac minus vrbanū prętitisset, hoc in se tolerari & condonari postulare. Magnā se illi habere gratiā, quòd tantum sibi honorem ab eo, à clarissimis aulæ comitibus, ab omnibus deniq; populi ordinibus habitum esse recordaretur. Hanc hominis orationē Rex ipse his verbis subsequutus est.

Regis ad Cæsaris oratorem responsum.

Graviter sanè & iniquo animo, clarissime orator, tuli ac fero me inuitū eò adductū fuisse, vt te non ea humanitate prosequerer qua te dignum officiis tuis, quę summa omnia & egregia quandiu apud me versatus es extiterunt, ostendisti. Hoc enim non dubitans confirmare possum, te vt debuisti & honori principis tui studuisse, vt per te non stetisse certò sciam quin res alium longè exitū & finem ac videmus expectandum esse ceperint. Ita te summa cupiditate & studio teneri animaduerti, vt omnia ad pacē tuēdam referrentur: qua in re te diligentissimè officio functum fuisse minimè dubito. Verūtamē quū certior factus essem quàm multa iniqua contraq; ius diuinū & humanū Cæsar aduersus tum meos tum sociorum oratores, quos apud se pacis alendæ gratia habebat, fieri mandasset (à quo principes omnes etiam infideles ipsi & pagani non solùm Christiani abhorrent) mihi pro eo ac charos habere debebā, quos per summā iniuriā captos teneri intelligebā, faciendū esse existimaui, vt idē de te statuerē, quāuis grauius in te consulere ob causas iam dictas minimè decreuissem. Quasquidē ob causas & ob fidelē abs te hac in re nauatam operam sic habeas velim, præterquam q; à Cęsare tuo amplissimam mercedē te accepturū esse facilè credo, vbi meæ opes tibi ornamento esse poterunt, nō minorem meam in bene merēdo alacritatem te sensurum, quàm tuū in rogando studiū fuerit. Quod Cæsar ipse Guiennæ & Clarentio fecialibus tum à rege fratre optimo & societate mecum in perpetuum sancita coniunctissimo tum à me missis ad bellum nostro

ſtro nomine denũtiatum dixit, cuius rei octo ſunt capita, omnibus conſtare & planum eſſe opto. Principiò quòd mirari ſe ait cur à ſe bello captus & fide data bello poſtea illũ laceſſo, quod nec decere nec licere contendit, tibi, vt ei renunties, reſpondeo verè iſta dicturum eum eſſe, ſiquidem hîc in eius manibus captiuus teneret, aut ſi me data fide obſtrictum teneret. Sed meam illi datam eſſe vnquam fidem, quæ pondus vllum habere queat, non memini. Etenim bello captus quî potui id facere, quẽ tot bellis quæ geſſi, quibuſque & interfui & præfui, nunquam obuium habui aut conſpexi? Quum captiuus in lectulo periculoſiſſimo morbo decumbens c c c ferè ſcloperatiorum cuſtodiæ traditus eſſem, nõ difficile credo ad hanc rẽ me adigere fuiſſet, ſed non admodum magnæ laudi illi futurum erat. Ex quo in Galliam meam redij, neque illius neque alterius cuiuſpiam eam eſſe potentiam puto, vt fidem à me per vim exigat. Nam vt ſponte id facere velim, res mihi quidem maioris momenti videtur, quàm vt ad eam rationem leuiter mihi deueniendum eſſe putem. Iam verò quoniam meæ exiſtimationi & nomini labem inuri nullo pacto paſſurus ſum, etſi ſcio omnibus qui rei militaris ſcientiam habent in confeſſo eſſe, qui captiuus in cuſtodia tenetur, eum neq; fidem dare, quam poſtea præſtare iure cogatur, neque ad vllam rem ſe obligare poſſe: tamen Cæſari tuo principi hoc ſcriptum manu propria obſignatum mitto, quod & in præſentia legas, & te poſtea illi ipſi nec alteri vlli reddituram promittas velim.

His dictis ſcriptum illi tradere Ioannem Robertetum, qui illi à ſecretis & in publicis negotijs & intimis erat, iubet. Orator ſcriptum in manibus acceptum ne legere compelleretur deprecari cœpit: ſe literis à principe ſuo miſſis (quas quia reſignatas acceperat, à Rege & ijs qui Regi in conſilio adſunt, lectas fuiſſe arbitraretur) legationis munere abdicatum & reuocatum, vt nihil iam in mandatis habere videatur, nulli deinceps negotio gerendo ſe immiſcere decreuiſſe. Petit à Rege, tametſi in eius manu & poteſtate eſſet, rationem ex æquo ac bono haberet cùm ſeparatim quantum putet quæ iam ſibi facultas & ius agendi relictum videretur, tum quid in vniuerſum deceat & in legati conditionem ac perſonam cadere poſſit: denique ne ſibi amplius inſtet ac vrgeat, orat atque obſecrat. Ad ea Rex ſubiecit, quando hoc facere recuſaret, ſe coram vniuerſo cœtu recitari iuſſurum, vt omnibus planum fieret, crimina quæ Cæſar falſò ſibi obiecifſet, à ſe iuſta purgatione eſſe depulſa. Quòd ſi ne perferre quidem & illi reddere vellet, fecialem ſe miſſurum qui vnà eat, & illi tabellarum fidei publicæ loco ſit, quò tutus principem ſuum adire poſſit. Quòd ſi Cæſar denique has literas ſibi reddi nollet aut vetaret, ſe coram ampliſſimo illo præclariſſimorum hominum cœtu teſtificari, ac conditionis latæ autoritatem conſignatã petere, ſe omnia quæ debebat præſtitiſſe quò res illi innoteſceret, vt ſe horum eſſe ignarum cauſificari in poſterum illi non ſit integrũ. Quibus dictis Rex Robertetum accerſit, & recitare literas iubet. Is vt erat imperatum, eas ad verbum in hanc ſententiam recitat.

Regis ad Cæſarem literæ.

Franciscvs Dei gratia Francorum Rex, Genuenſium dynaſta, &c. Carolo Cæſari eadem gratia Romanorum Imperatori & Hiſpaniarum Regi. S. P. D. Perlatum ad me eſt, te, quoties meis legatis aut caduceatoribus, quoſcunque ad te de pace miſi, reſpondes, ſolere tui purgandi cauſa de me conqueri, me tibi fide data obſtrictum teneri, eaque conditione præter concepta promiſſi verba è tuis manibus & tuæ ditionis finibus exceſſiſſe. Quæ quum ita ſint, vt honori meo & nomini conſulam, cui contraius & fas hac tua oratione maculam aſpergi intelligo, hoc prouocatorium ſcriptum ad te mittere viſum eſt, quo, tametſi ſatis mihi ad purgationem cauſæ eſſe poteſt, quòd quiſquis captiuus tenetur, fidem aſtringere non poteſt, tamen quia omnibus ſatisfacere ſtudeo, nec antiquius quicquam habeo, quàm vt honorem meum tuear (quem ſaluum adhuc ſeruaui, & ſeruare porro quandiu huius vitæ vſuram Deus optim. Maxim. concedet, in animo habeo) tibi ſignificarem, ſi me non dico fidei illo noſtro diſceſſu vio latæ, verùm vllius vel tantulæ rei inſimulare inſtituiſti quam homini nobili & ſuæ exiſtimationis ſtudioſo turpe ſit facere: me tibi in os affirmare mendacium hoc fœdum & vaniſſimum eſſe, ac te quoties in animum hoc dicere induces, mentiturum eſſe: meque omnino hoc decreuiſſe, vt famam ad extremum vſque vitæ ſpiritũ pro virili defendã. Quamobrẽ quoniã falſò me accuſare conatus es, vt ad me deinceps ſcribas nihil poſtulo, ſed vt locũ certamini deſignes, quo pliaturus cum armis me conferã. Quòd ſiquid

1527. hac denuntiatione facta in me grauius aut scribere aut loqui perges, sic habeas velim, ignominiam dilati certaminis in te casuram: propterea quòd aduersaria omnia scripta vno certaminis exitu dirimuntur. Datum in augusta Vrbe nostra Lutetia die Martij vicesimooctauo anno 1527, ante Paschalia. Signatum, Franciscus.

PERLECTO scripto Rex, vt cœperat, verba facere pergens, sic ipsum oratorem alloquitur, Iam satis opinor, Cæsar tuus vir clarissime, ex ijs quæ te audiente recitata sunt intelliget me abunde ad sua in me maledicta, vt meæ existimationi (quantum debeo) in seruiam, respondisse. Quo fit vt pluribus tecum his de rebus agendum mihi non putē. Quod autem hoc sibi nouum & insolitum videri ait, quòd bellum à me denuntietur, qui à sex aut septem iam annis cum eo continenter ita geram, vt nulla tamen denuntiatio intercesserit: ego verò optarem vel eum ipsum res à se gestas melius memoria tenere, vel eos saltem qui ipsi à consilijs sunt, vt eum de singulis postquam facta sunt, commonefacerēt. Etenim si res retro actas quærere volet, reperiet Preuostium Trecanum oratorē bellum mihi Diuione contra fœdus inter nos ictum denuntiasse. Quod quum ab ipso factum esset, satis se monitum debuit existimare, non aliud me consilium inire velle quàm quo pacto me defendere possem. Quòd negat se vllius erga Deum malefacti sibi conscium, illius verò est, non nostrum de nostris cogitatis & de animi integritate iudicium. Mihi quidem testis ipse erit, nihil à me per tyrannidem & iniuriam, nihil quod non iure optimo meum sit appeti, neque à me Imperatoriæ dignitatis fastigium aut monarchiam affectari.

QVOD ab eo affertur vt crimen illud diluat, quo sanctissimus pater noster Dei in terris vicarius & legatus contra omne ius (quem omnes sacrosanctum & inuiolatum habere debent) captus detinetur, per mihi mirum accidit sermones adeo ab omni veri specie alienos inter homines spargi. Quis enim quæso est, qui sibi tandem verisimile fieri patiatur, nullo illius iussu aut consensu hæc in patrem nostrum designata esse, quum tam diuturna fuerit captiuitas? quum tam detestandi & tam Christiana mente indigni sceleris autores, de quibus ob crimen se inscio (vt prædicat) commissum pœnas sumere debebat, fuerit cum papa captiuo de mercede agere, & ad pretiū præsenti pecunia numerādum adigere? adeo quidem vt in regionibus quib. regnum vel principatum obtinet, sacerdotiorum & rerum sacrarum quasi quædam auctionaria licitatio instituta sit? Id quod non modò Deo & sanctæ Ecclesiæ aduersatur, sed ob hæreses quæ hoc tempore grassantur, vel dictu valde periculosum est.

QVOD me non latere ait filios meos in suis manibus obsides esse, meisque legatis notissimum esse non per se fieri quòd nondum liberentur, hoc illi renunties velim, de meis filijs non dubitare, mihique rem eam summum mœrorem afferre. Quod verò addit per se non stare quominus inde educantur, nullum ad causam dicendam patronum postulo quàm quòd operam omnem & diligentiam ad hoc ipsum adhibui, quòd nemini non est notissimum me illis patrem esse, quòd denique, etiamsi filij non essent, sed nobiles modò quidam qui mei redimendi causa eo loco essent, omni ope & conatu annitī deberem vt libertati redderentur. Quod vt consequerer, immodicam pecuniæ sum mam non semel obtuli, & quam nulli vnquam ex maioribus meis vel apud paganos & nominis Christiani hostes captiui, non dico ex asse, sed ne ex dodrante quidem, pende re coacti sunt. Quam tamen hodie etiam persoluere, vt pacem quantolibet pretio redimam, sum paratus. Quæ vt à me verè dici intelligas, vnam è multis proferam. Cæsar tuus memoria tenet me ad redimendos filios spopondisse vicies centena coronatorum millia partim præsenti pecunia satisfaciendo, partim satisdando, vel ijs quæ in Anglia ipse debet, vel ex reditu in eius ipsius dominatu & ditione. Quæ summa apud homines iudicio præditos valebit, vt vacare me iam omni culpa & suspicione existiment, neque me adeo desipere, vt tāta copia me spoliare & alium locupletare vellem, cui postea bellum inferre cogitarem. Quando itaque vt diutius obsides detineat, ad nullā pacti æquitatem se adduci patitur, quando restituere eos recusat, quò me eò adigat, vt quam fidē & officium amicis periclitantibus debeo deseram ac prodam, quando papam Dei in terris legatum captiuum detinet, quando omnia sacra ac diuina euertit, quando nec venienti Turcæ nec hæresibus & nouis exorientib. fectis occurrere ac mederi cogitat, quod imperatorij est muneris: si me qui pater sum, qui Regis Christianissimi nomen obtineo,

tot ra-

tot rationes ad bellum non mouent, haud scio quibus tandem iniurijs acceptis aut quibus rationibus impelli possem. Atqui nihilo ob ista omnia secius has ego conditiones quas commemorauifero, vt tute nosti: ex quibus satis perspici & iudicari potest inuitũ me ac coactum ad bellum gerendum descendisse, qui tam magno pacem emere nõ dubito: vt interim omittam alia iura quib. libens cedo ac remitto, oppida & regiones quas restituo, quæ illam etiam pecuniæ summam quam dixi excedunt.

AD regem Angliæ fratrem mihi coniunctissimum & perpetuum quod attinet, tantam illius sapientiam, virtutem & probitatem esse confido, vt nihil ab eo factum iri putem quo admissum vllum dedecus & honorem vllo pacto violatum patiatur. Qui sanè omnium quæ ad se spectare intelliget, tã prudenter, cordatè & grauiter rationẽ redditurus est, vt iniuriã sibi fieri putet si quis pro eo causam dicere aggrediatur. Illud quidem, vt sis sciens, affirmare non dubito, tantum apud me firmam illam, constantem & in perpetuum inter nos institutam amicitiã valere, vt si (quod nolim, & Deum obsecro ne omen habeat oratio) per valetudinem hoc præstare nõ posset, me nihil minus eius quam mea ipsius causa effecturum esse, quã ad rem non recusaturo quin Regias opes, ditiones, populos, vitam deniq; ipsam impendam & profundam: quibus, quoties illi opus esse sentiã nullo modo parcere decreui: idque toto audiẽte mundo testari & affirmare nõ dubito. Iam verò quoniam Guienna caduceator mihi renuntiauit sibi Cæsarem tuum mãdata dedisse, quib. ille quæ à se meminisset præsidi meo oratori ad Granatam dicta & impera ta vt ad me perferret fuisse (quòd ea me scire mea valde interesset) de ijs me sibi videri nõ fuisse factum certiorem dicebat: me enim vel suo iudicio tam generosum esse principẽ vt si hæc resciuissem, aliquid essem responsurus: ad ista te sic habere volo, quum mihi multa à meo oratore nuntiata fuerint, nihil tamen quod existimationem meam vel tantillum lædere queat, dictum ab eo fuisse. Nam si tale quid accidisset, dubitare non debes quin tã diuturni silentij ac moræ impatiens iampridem respondissem. Cuius rei argumẽto est, quòd simulatq; ea quę à me audisti resciui, responsum quod tibi recitandum, mea manu subscriptum tradidi, dare maturaui. Quod quidem abunde idoneum esse iudico, vt non ad ea solùm quę ille in me acerba & grauia dixit, verùm etiam quęcunq; in poste rũ ad labem vllam meo honori atq; existimationi inurendam comminisci poterit, diluenda & refutanda satis sit.

QVOD ait me ex illis meo Oratori datis mandatis intellecturũ, se verius quàm me promissis quę Madrillij facta sunt stetisse, me illi aliquid pollicitum fuisse non possum reminisci. Nam quod ad pactum scripto consignatum attinet, quàm non sim illo obstrictus, satis ostendisse me confido, qui nunquam priùs liber neque ante neque post illud pactum fui, quàm in regnum redij: neq; iureiurando præstito dimissum me fuisse memini, ad quod seruandum religione obligatus videar. Cæterùm quoad longissimè potest mens mea respicere, & sermonum nostrorum memoriam recordari, reperio nihil à me dictum fuisse, nisi q; subit de bello Turcico, me, quoties id suscipere & ipse adire vellet, illi cum meis virib. comitem ad futurũ. Hæc verò agnosco & valde probo. Atque vtinam omnium priuata studia & contentiones Deus ita ad communem totius orbis Christiani salutem quærendam conuertat, vt omnes vires ad rem tam vtilem, honestam & sanctam conferre seriò cogitemus. Quod sanè ad me spectat, hoc ne illi dubium sit moneo, etsi non tam mihi proximus est Turca quàm ipse in Vngaria atque adeo in Germania nuper vicinum habere cœpit, non tamen illum tam cito ad equum conscendendum pedem sublaturum, quin me iam ephippijs (vt ita loquar) insidentem conspecturus sit. Hac oratione habita Rex Granvellanum priuatim amicis & familiaribus verbis liberaliter prosequutus dimittit, feciali suo, quem vnà cum eo mittebat, qui superius illud scriptum Cæsari porrigeret, vt fidei publicæ tabulas curaret dandas rogat, atq; ita concionem dimittit.

DVM hæc quemadmodum diximus, in Gallia & Anglia fiunt, Lautrecus cum parte exercitus alpes transierat. Sed quoniam Heluetij, quos Rex ad numerũ decem millium conscribit iusserat, & Germani pedites quibus præsse debebat comes Valdomontius, nondum omnes aduenerant, eos dum præstolatur, in Astisana cõmoratur. Vt saũ quæ fuerit exercitus multitudo aliqua ex parte sciatur, ex equitib. erat ipsius Lautreci turma centũ cataphractorũ, duce Grãmontio legato, Valdomõtiana pari numero, duce Petri-

Lautrecus cũ exercitu intra Italiam profectus tur.

pontio

1528. pontio legato: ducis Albaniæ totidem, Moriaco legato duce: Liniacus cum suis quinquaginta, Fayettana turma totidem equitum filio eius duce: Mompensatus, Pomperantius, Trimollius Trimollij illius nepos, cuius Ludouicus Bellouillerus Fertæ Ceparię dominus legatus erat, Hugo item Pepolus Bononiensis, Turnonius, Claudius Stampæus Fertæ Nabertanæ dominus frater eius & legatus, Nigropelissius, Lauallus deniq; Del phinas cum quinquagenis equitibus grauis armaturæ aderant. Iermingus Anglus ex regia vtrisque regis cohorte, vir in re militari celeberrimus cum legato Caro ducentos leuis armaturæ equites adduxit: hi ambo cum plurimis Gallis ad Neapolim ex cœli malitia interierũt. Pedites Valdomontius Germanos sexies mille, Petreius Vascones pari numero habebat, Burius quatuor Gallorum millia, Heluetiorum denique decem millia cum magna machinarum multitudine duce Mondragone Vascone aderãt. Lautrecus aliquot dies in Astisana commoratus, fit certior à comite Ludouico Lodrone duo Germanorum peditum millia (nam sex millia Alexandriæ habebat) ad oppidum exiguum Boscum missa esse, a quibus totius finitimæ regionis incolæ ad stipendia soluenda cogerentur. Hac re intellecta Lautrecus putat, si illam Germanorum manum delere posset, magnum sibi adiumentum & hosti detrimentum inde futurum. Qua causa adductus equitatum satis magnum cum Heluetiorum parte qui iam aduenerant præmittit, vt oppido cincto hostes se Alexandriam recipere prohiberentur: ipse cum reliquo exercitu & machinis subsequitur. Quibus confectis rebus Boscũ celeriter peruenit, loco ad collocandas machinas complanato, vbi hostes maximè terrere & lædere posset, tam acri & continenti impetu mœnia labefactare cœpit, vt hostibus ad obstruendam ruinam spatium non daretur. Qui nostros iam vallum subire paratos quum viderent, pactione facta incolumes illi quidem sed inermes abire permittuntur. Hi postea sub Rege meruerunt, &ad Valdomontianas cohortes accesserunt: quibus etiam Lautrecus licet ex pacto armis exuendi essent, arma tamen pro bellica ingenuitate indulsit. Hæc illis, meo iudicio, causa fuit, vt iurisiurandi religione soluti, quòd ab Antonio Leua stipendia nõ per soluerentur, Regi postea militauerint.

PER id tempus Andreas Auria, qui regijs triremibus præerat, cum quatuordecim quas ex illis habebat, Massilia profectus, tam infesto bello Genuenses Sauona subinde prodiens illucq; pedem referens vexabat, vt toto mari Ligustico prodire non auderent. Quibus rebus fiebat vt commeatus & commercium illic deficerent, ille autem Sauonam se recipiebat. Dum hæc mari gererentur, Cæsar Fregoza, qui paulo antè à Venetis ad Regem transierat, per suos quos Genuæ habebat, certior factus magnam illic esse rerum penuriam, à Lautreco cum equitatu & peditatu quantum satis esse videbatur, vt terrestri bello eos infestaret mittitur. Id quod tanta sedulitate præstitit, vt intra paucos dies millia ab vrbe quoquouersus passuum duodecim nihil pecoris, frumenti aut vllius commeatus quo ciues iuuari possent suppeteret. Genuenses extrema inopia conflictati, vnam sibi salutis rationem mari supersesse arbitrati, sex triremes instructas in altum ad caboaria comparanda subuehi iubent. Nauigatione adeo prospera vtuntur, vt tempestate id temporis orta coactus Auria Sauonam se reciperet, quo in receptu capitur comes Philippinus eius nepos, & Genuam ducitur. Quo ex euentu Genuenses tantos sibi spiritus sumpserunt, vt contemptis Gallorum viribus eruptionem in Cæsarem Fregozam facerent, & primos quos habuerunt obuios sternerent. Sed dum longius per imprudentiam progrediuntur, Galli intercluso reditu omnes ad vnum qui exierant, concidunt, & comes Gabriel Martinengua imperator capitur. Tanta offensione perterriti Fregozæ Regis nomine deditionem faciunt, & Lautrecus paucis interiectis diebus illuc venit, Theodorum Triuulsium Galliæ mareschallum proregem constituit. Non multis post diebus arx ipsa in Regis potestatem venit, quæ à Cæsarianis & Adurnanæ factionis hominibus tenebatur. Quum rebus Genuensibus cõstituendis operam daret Lautrecus, suis peditibus Germanis qui Bosci erant, imperat vti Alexandriã pergerẽt, & auxilia ingredi prohiberent: ipse composito Genuensi statu (quemadmodum diximus) illos cum exercitu subsequitur. Quò postquam venit, machinas celerrimè ad oppugnationem instruit. Quod ni Albertus Barberanus noctu mille militum subsidium introduxisset, in maximum periculum venisset ne eo ipso die expugnaretur: quòd oppidanis tantus terror ex iactura Boscana peditum Germanorum immissus erat, vt pauci arma sumere in animo

Lautrecus Genuam & Alexandriam deditionem capit.

animo haberent. Postero die Veneti magnam bombardarum, pulueris tormentarij & pilarum copiam mittunt. Quibus Lautrecus tam acrem oppugnationem instruit, vt à comite Ludouico Lodrone, qui oppido præerat, hac lege deditio fieret, vt milites tum Germani tum reliqui saluis impedimentis abirent, fide data se ante spatium semestre cum Gallis & socijs bellum non esse gesturos. Lautrecus oppido potitus in manus eorum quibus. Sforti a mandauerat illud tradit, quemadmodum sacro fœdere cautum & constitutum fuerat. Iisdem temporibus Ioannes Iacobus Mediquinus Muzæ præfectus, qui postea marchio Mariniani fuit, nonnullos milites conscripserat quibus Sforti-am iuuaret, & se cum Gallis coniungeret. Quod vbi resciuit Antonius Leua, & Mede-
10 quinum millia quatuordecim passuũ Mediolano castra habere loco patẽti & minimè cõmunito cognouit, Mediolano cum omnib. copijs ex improuiso, ꝓficiscitur, & magna celeritate vsus prima luce Mediquinum nec opinantem opprimit: qui omnibus suis amissis Muzã profugit. Ille hac re perfecta, veritus ne Mediolanum, quod nullo præsidio firmatum reliquerat, à Lautreco occuparetur, ad suburbia magna celeritate reuertitur: vbi nuntiũ de Genuæ & Alexãdriæ deditione accipit. Qua re permotus, simul quòd sibi paucos eosq; nullo stipendio superesse videret, de seruãdo Mediolano desperat, eoq; relicto Papiã se recipere cogitat. Postea parum illic cõmeatus suppetere factus certior, sen tentia mutata comitẽ Ludouicum Bellijoesum (qui propter cõtentionẽ aduersus Federi cum Bozzolum à Rege paulo antè defecerat) eò cum bis mille quingẽtis peditib. mittit.
20 Lautrecus Alexandria in Sfortiæ manus tradita Vigeuam proficiscitur, quam cum tota Omelina subigit. Vigeuæ copias suas Ticinum traducit, vt Biagrasum contendat: quod oppidum captum similiter Sfortiæ restituit. Quibus rebus confectis Mediolanum se ire simulat: sed mox conuerso itinere Papiam ex parte arcis obsidet, Veneto exercitu ex altera parte oppugnante, vt grauiter vtrinque machinis muri collabefierent. Ruina à Lautreco facta, sed non iusta, Galli quidam imperio non expectato ad expugnationem pro deunt: sed rem tantam temere aggressi, temere etiam incepto desistunt. Postridie à Lautrecanis castris tã magna muri pars deijcitur, vt oppidum statim vi caperetur: qua in ex- *Papia à Gallis capta.*
pugnatione vtrinque non amplius trecẽti homines interierunt. Nam oppidani se impa-
30 res videntes ponte fugam petierunt, quem prætergressi effringunt, quò ab insequentib. nihil esset periculi. Oppidum diripitur, & nonnullis ędibus ignes immittuntur, militesq; nisi Lautreci diligentia obstitisset, totum incendio, quòd memoria cladis ante quadrien nium acceptæ eorum animis penitus insederat, absumpsissent.

SERVATO oppido & in manus Sfortiæ restituto cardinalis Cibotus papæ legatus cum eo agere cœpit, vti quemadmodum ex sacro fœdere inter papam, Regem & Anglum sanciendo conuenerat, exercitum ad Cæsarianos è ditione Ecclesiasticа expellen- *Lautrecus vt papam liberet monetur.*
dos moueret, Romamq; hostium terrore & dominatu liberaret. Qua re intellecta dux Sfortia magno nobiliũ Mediolanensium numero comitatus Lautrecum orare ne vlterius progrediatur, quin prius quæcunq; ex Mediolanensi ducatu reliqua erant, Cęsarianis adimeret, facilè factu id esse: Antoniũ enim Leuam militib. & militum neruo pecu-
40 nijs carere, Mediolani rem frumẽtariam angustissimam esse, propedie cum reliquorum, cui nusquam vllus ad receptum locus pateret. Lautrecus tametsi equa illũ postulare animaduertebat, imò in eadẽ erat sentẽtia, tamẽ vrgẽti papæ legato assentitur, qui reliquias belli Mediolanensis facilè à Venetis & duce Sfortia confici posse contendebat, vnum Mediolanum Antonio Leuæ superesse, atq; id fame prope enectum, copias etiam Cæsarianorũ attritas. Diutius tamẽ Papiæ quàm statuerat cõmorari cogitur, partim q; Germani pedites quibus comes Valdomontius præerat, nõdum omnes aduenerant, partim quòd Heluetij Romanam expeditionem repudiarunt. Germani pedites postquam aduenissent, Lautrecus Placentiã progreditur. Illic Alfonsus dux Ferrariẽsis in fœdus sacrũ
50 cum Rege Cæsariana societate renuntiata coit: ibi etiam de matrimonio actum est quo Hercules Alfonsi ducis F. in matrimonium duceret Renatam Ludouici duodecimi Galliæ Regis filiam, Reginæ demortuæ sororem. Nuptiæ paulo pòst in basilica Parisien si splendore maximo celebratæ sunt, & in aula Ludouicana epulum exhibitum. Nonnullorum ea est sententia, à qua nec ipse abhorreo, si Lautrecus quandiu Placentiæ & Bononiæ commoratus est, hoc tempus in rebus gerendis posuisset, cum & facilè totum Mediolanensem ducatum, vt pollicitus fuerat, Sfortiæ acquisiturum, nec ob eam rem minus

1528. minus Neapolitanam expeditionem perfecturum fuisse: nam Cęsarianis ex Insubria eiectis toti Italiæ formidabilior longè futurus erat. Sed hominem ea prudentia credo fuisse, vt quicquid huius fecerit, vel optimo consilio vel principis sui mandato fecisse putandus sit. Antonius Leua vbi copias Regias agro Mediolanensi excessisse videt, nec Venetum nec Sfortianum exercitum, qui inter Padum & Ticinum remanserant, magni admodum fecit. Itaque suos latius explicare, vt commeatum facilius compararẽt, statuit. Mediolano profectus Biagrasum oppugnat, & Sfortianis adimit. Collectis & colligatis nauibus pontem ad Ticinum, vt Vigeuam, Morterram, Novariam & totam deni que Omelinam eodem pacto subigeret, cogitat. Quibus rebus Lautrecus nuntiatis (is enim Placentiæ tum erat) comitem Petreium Nauarrum properè illuc cum sex fere peditum millibus & aliquot equitibus mittit. Is primo aduentu oppidum recipit, hostes vniuersos quos offendit concidit, duci Sfortiæ restituit, qui firmius quàm antea præsidiũ imponit. His rebus ita perfectis Lautrecus Parma & Placentia ineũte hyeme anno 1528 proficiscitur, Rhegio Bononiam iter facit. Bononiæ cardinalem Cibotum præfectum vrbis offendit: ibi exercitum in hybernis ad initium vsque mensis Februarij constituit.

Papæ redemptionis pretium pactus ausugit.

DVM Bononiæ moram faceret, Cæsariani potentiam & fœlices hominis successus veriti, ne præda illis præriperetur, vt haberent vnde suis stipendium darent, papæ redemptionis pretium constituunt, quòd dicerent sibi à Cæsare mandatum esse quidem vt eum plenæ libertati restitueremus, verùm vt militibus satisfiat, cogi se licet Cæsaris iussu pecunias accipere, nequid ab illis tumultuantib. iniuriæ aut dãni acciperet. Sed reuera hoc metuebant, ne Lautreci aduentu illum gratis dimittere cogerentur. Nam grãdiorem pecuniam ab eo exigebant, quàm vt soluendo esset, ob eamque rationem in seueriſſimam custodiam illum, quanuis obsidibus de pecunia cauisset, tradiderant. Ad extremum rationem inuenit qua custodes falleret, & consensо equo Hispanico in arcem Orvietam fuga salutem petijt: sed obsides postea pretium numerarunt. Lautrecus Bononia profectus Ariminum, Senogallum, Anconam & Recanatã venit. Illic quoniam pontificiæ ditionis erant hæc loca, liberaliter excipitur: nam Cæsariani illum aduẽtare quum sensissent, relicta tota Romania, Neapolitanum agrum petierant. Recanatæ aliquot dies commoratur, vt defatigatos milites recrearet, illinc profectus Pisauro & per alia Vrbinensis ducatus oppida iter facit. Deinde Aprutiæ fines ingreditur: quæ regio colles habet & agros copiosissimos feracissimosque vini, tritici & olei, & Lenzani castra facit. Littore maris superi progreditur in marchionatum Vastanum: inde egressi milites Aquileiensem agrum ingrediuntur. Quo loco tanta cœli inclementia extitit, vt ex militum numero (licet se ex itineris defatigatione leuassent) tũ pedites tũ equites amplius trecenti vi frigoris & tempestatis sæuitia interierint. Inde in Apuliam iter conuertunt, propterea quòd Lautrecus nundinale tributum quod illic ad trecentũm ducatorum millia Ducanæ exigitur, intercipere cogitabat, quæ pecunia ad stipendium soluendum prodesset: quod etiam perfecit. In Apulia Cęsaris equaria erat, vnde equi in turmas Gallicanas distributi sunt. Eodem tempore Lautreco nuntiatur quum adhuc in Apulia haberet exercitum, Philibertum Catalaunum, ad quem post Borbonij mortem summa imperij in exercitu Cæsariano redieret, iter præcludere conari. Quo audito nuntio ipse cum peditatu Gallico & solis ex nobilitate qui animi causa ad bellum venerant Lucerię consedit, reliquum exercitum Ecanam siue Foggiam quatuor aut quinque illinc passuum millia mittit: ita separatis copijs hostis ad Troiam, qua nostris iter erat, castra fecit. Lautrecus hostem tam propinquum sentiens, equitatum Foggia ad se conuenire iubet: qua re intellecta hostis totum equitatum è castris educit, eo consilio vt nostros distineret, & coniungi prohiberet. Postquam nostrum equitatum pulcherrimo ordine, armis & lanceis instructum procedere videt, & ad dimicandum paratum sentit, copias in munitiones reducit, vt ne velitatione quidem vlla nostros lacesseret. Itaque nullo negotio equites cum Lautreco se coniungunt.

Lautrecus Neapolim contẽdit.

Duo exercitus propinqui.

EXERCITVM in locum conducto Lautrecus quum sciret hostẽ ad Troiã consedisse, Luceria eum omnibus copijs vt cum eo prælium committat discedit: hostis è castris suos educit velut sui facturus potestatem: non valde tamen prope accessit. Quanquam velitationibus toto biduo egregiè & fortiter vtrique conflixerunt. Lautrecus quaterna tantùm passuum millia progressus secundo die alueum torrentis tum arefactum,

sed

sed altũ admodũ, copias traducit, atq; ad montis radices & ad Troiã castris hostiũ castra confert. Quo loco singularis in militibus virtus & industria in velitationib. committendis vtrinque extitit. Postero die, qui primus Sabbati dies erat quadragenarij ieiunij, Gallicanus exercitus acie instructa in procinctu progrediebatur, iugo montis superato ad læuam hostes habens, vt eos in pugnam eliceret. Quum illi se castris continerent, nostri aduersis signis in eos procedunt, machinæ ore conuerso, nẽpe duodecim cannæ, sex nothæ & totidẽ mediæ, prouehuntur. Germanicæ cohortes summo duce comite Valdomõtio, ad numerũ octo millium hominum, Heluetiorum tria millia ductore comite Tendano (hi veterani erant, duosq; abhinc annos sub marchione Salussio continenter militauerant) Gallicæ cohortes ter mille peditum, quibus præerat Burius, quatuor Vasconum millia Petreio Nauarro ductore, cui Candalla cõiunctus erat, deniq; Italici peditatus cohortes, numero decies mille hominum. Hæc omnis multitudo acie instructa præeuntibus singulis suo agmini ductoribus ad hunc modum progrediebatur. Primum, medium & postremum agmen exæquato itineris ordine & eadem fronte, procedebant, sic tamen vt inter binas acies bis cẽtenorum passuum spatium interesset. Nostrorum tanta erat ad pugnam ineundam alacritas & cupiditas, quanta vnquam in militibus nostra memoria conspecta fuit: vt si manus eo die conserere contigisset, non dubium sit eos victoria potituros fuisse. Singulis agminibus alarij vtrinque equites ad subsidium dispositi erant. Heluetijs dextri erant equites centum cataphracti ducis Albaniæ, Moriaco legato ductore, & Pomperantius cum suis quinquaginta. Ab ea parte velitatione dimicari cœptum est: interim Heluetij pro more terram præsij spe exosculantur, totius exercitus clamor ad pugnam cohortantium exauditur. Lautrecus machinas in montis cliuo conuerti ad hostes petendos iubet: illi tum licet iam ad manus ventum esset, tamen vtrique ex velitatione ad suos se recipiunt, quòd iamiam certamen cominus commissum iri putabant. Ex Cæsarianis aliquot sed perpauci cadunt. Nostrorum peditum agmen qui machinas subsequebantur, ex hostium equitatu trecenti fere impetu facto adoriuntur. Id conspicatus Lautrecus, ipse galeatus gladium manu gestans Moriacum & Pomperantium in illos immittit: qui statim equis concitatis iussi in hostem vadunt. In eo conflictu Turnonij cum suis cataphractis equitibus adfuerunt, adfuerunt etiam iuuenes Galli nobiles, qui sponte nullo autoramento militabant: quales erant Boniuetus, Iarnacus, baro Contius, Castaneræus, Cornelio, alijq; numero circiter quadraginta. Tam acriter dimicatur, vt omnibus qui ex hostium castris illuc processerant pulsis & profligatis, insignia & vexilla auferrentur.

Gallicus exercitus ad prælium paratus.

Lautrecus contra suos locare iubet.

DVM conflictu illo occupantur, Lautrecus è regione hostis in planitie edita castra suos locare iubet, vt inter bina castra vallis satis lata interesset: quo loco multi vtrinque velitantur, dimicant, capiuntur, & capti eripiuntur. Postridie quàm acies Gallica castris positis consedit, Lautreco dicebatur, si in iustum certamen pridie descendisset, non dubium esse quin victoriam reportaturus esset. Quibus ille auditis, Non poteram, inquit, pugnam absque magna fortium virorum iactura committere: sed faxo tandem vt in nostras manus vel supplices & infulati veniant. Illic exercitus octo dies consedit: quo tempore tanta venti vis & impetus extitit, vt tabernacula omnia & tentoria deijcerentur. Tam infesta etiam aeris fuit constitutio tamque acre frigus, vt antequam hinc discederẽt, multi interierint. Lautrecum quominus eo die pugna decertarit quo sui postatem fecit, inter alias causas hæc quoque ratio prohibuit, quòd Horatium Ballionem expectabat, qui tredecim peditum cohortes ducebat, qui vsu & disciplina militari totius Italiæ præstantissimi habebantur: cohortes nigræ appellabantur, & diu sub Ioanne Medice militauerant.

Lautrecus contra suos locare iubet.

CVM illis Ballio die quodam Veneris sub vesperum in castra venit. Quod vbi hostis resciuit, nocte insequenti tintinabula iumentorum cistis condit, vasis nec buccina nec tympano conclamatis per syluas rectà Neapolim iter facit. Eare Lautrecus cognita aliquot vtriusque armaturæ equites subsequi iubet: hi paucos quosdam ex hostibus assequuti interficiunt. Multis ex Gallorum ductoribus placebat vt Lautrecus Aurangium sequeretur: quos si audisset, non leuis est coniectura hostem profligatum iri. Tanta enim apud Hugonem Moncadeum tum temporis Neapoli proregem & alios qui inter Cæsarianos principem locum obtinebant, inuidia flagrabat, vt venienti in oppi-

Lautrecus vti fissimum consilium non audit.

dum portas illi clausuri fuissent: quam eorum rixam nostrorum interuentus diremisset,
1529. Sed Deo aliter visum est, qui noluit potiorem sententiam Lautreco probari. Non defuerunt qui eum existimarent Petreio autore aliter fecisse, qui quum in illis regionibus ducatus fuisset, asserebat, postquam ditionis Neapolitanæ alia oppida subegisset, ipsam vrbem qua conditione vellet, ad deditionem compulsurum esse. Sed contra ac ille expectabat accidit: qui illis spatium vt suis rationibus prospicerent, dedit.

POSTRIDIE quàm Aurangius Troia discessit, Lautrecus Petreio firmum satis peditatum, cohortes nigras, equitatum & non exiguum machinarum numerum cum omnibus quæ vsui erant attribuit, datis mandatis vt Melpham obsideat, & Regi subigat. Id eo consilio faciebat, ne dum nostri ad Neapolim essent, Princeps Melphitanus, cui peditatus ad tria hominum millia & equitatus non pœnitendus suppetebat, crebris eruptionibus commeatus iter infestaret. Eò postquam venit, rem machinariam expedit, murum toto biduo subruit, Hetruscos milites ad ruinã adhibet, qui licet egregiè præliati submouentur tamen. Altero assultu oppidum à Vasconibus per vim capitur, sed non mediocri damno ab oppidanis fortiter resistentibus illato. Galli commilitonum iactura incensi capto oppido magnam cædem faciunt: cæsorum numero inito repertum est trucidata fuisse tum militum tum ciuium ad septem millia, ex ijs milites ferè ad tria millia fuisse. Ipse princeps arma in manu habens & dimicans capitur, capiuntur etiam vxor & liberi qui in arcem confugerant. Dum obsidetur Melpha, Lautrecus equitatum & peditatum Venusium mittit: qui statim vbi venerunt, scalis aliquot muro eximprouiso admotis, tantum timorem oppidanis, quos inopinantes oppresserant, incussêrunt, vt relicto oppido in arcem, quæ munitissima erat, confugerent: quam etiam nonnullis pòst diebus, desperato omni subsidio, pactione dedunt. Ea est arx quam regnante Ludouico duodecimo anni totius spatio, postquam Gallicus exercitus è Neapolitana ditione excessisset, Ludouicus Astanus inuito omni Arragoniæ regis exercitu tenuit, & anno demum vertente pactione cum hostibus facta, armarus galea & vexillis explicatis in Galliam redijt.

Melphavi à Gallis capta.

MELPHA direpta Lautrecus copias suas per Laborios campos ad Neapolim Calend. Maij, anno 1529 adducit, castra ad Poggeregalem locat. Maxima oppidorum & castrorum totius Neapolitani agri in eius potestatem Regis nomine veniunt, præter arcem Manfredoniam, quæ ad mare Adriaticum versus Sannicolaum Barranum & Caietam sita est. Nonnulli qui regionis naturam compertam habebant, castra ad Poggeregalem faciẽda esse non censebant, quòd appetentibus æstatis caloribus statim aer ob aquas minimè salubres inficitur: sed reclamabat Petreius, vrbem prius ad deditionem fame venturam, quàm calores extarent: ea fuit præcipua nostratis exercitus pernicies. Dum obsidetur Neapolis, quadraginta ex Albanianis & Valdomontianis cataphractis occupare Vicum tum oppidum tum arcem ductore Gruffio conantur. Rem tanta celeritate administrant, vt vtrunque statim opprimerent. Illic prædæ ingens copia deprehenditur, vasorum aureorum & argenteorum & omnis generis alterius supellectilis: vt singulis equitibus milleni & ducenteni coronati præda distributa contingerent. Nec dubium est quin multa alia reperta sint quæ palam non sunt cognita: quinetiam ipsum Cæsaris sigillum illic repertum est. Nostri ad Neapolim acrius obsidendam castellum faciunt & communiunt loco palustri ad Magdalenes, non longè ab oppido: quod castellum Cantabrorum appellarunt, propterea quòd commissum est duobus capitaneis Cantabris, Martino & Remoneto viris strenuis, quique sui similes milites habebant, quorum virtus satis ex ijs quæ postea narrabuntur fuit explorata. Aliud castellum à Petreio Nauarro inceptum est ad Sammartinum, superiore illo maius, quod magnam hominum multitudinem caperet, à quibus hostes eruptionibus prohiberentur, quibus antea nostrorum equos, dum extra castra aquabantur, intercipere solebant. Ad hoc castellum, ne inceptum à nostris absolueretur, magna contentione Cæsarianieruptione facta dimicarunt: tandem illis ad ipsa portarum repagula compulsis perfectum communitumque est. Custodia Burio cum suis peditibus Gallis traditur, & Baroni Grammontio cum suis Vasconibus: ob eam causam castellum Gallorum, à nonnullis etiã Vasconũ dictum est. Hoc castellũ oppidanis obsessis magnas attulit molestias, propterea quòd in eos Burius & Grammõtius noui aliquid toto obsidionis tẽpore subinde molie-

Gallicus exercitus Neapolim obsidet.

Præda ad Vicum facta.

moliebantur. Inter cætera audacter susceptа pugnatum est semel ad virginis Pedegrottanæ: vbi Boniuetus excelso & nobili iuuenis animo re fortiter gesta accepto vulnere quo intestina è corpore erumpebant, saucius Ventasium defertur: ex quo vulnere conualuit ille quidem, sed morbo postea interijt.

PENTECOSTES vigilia insequenti hostes castellum Cantabrorum, quo maximè premebantur, repentina eruptione occupare statuunt, & ex oppido octingenti fere homines exeunt, vt nostros induisijs indutis fallerent. Circa mediam noctem vigiles castelli in statione excubantes nescio quid albi obscurè videre sibi videtur, id alius alij inter se silentio indicant. Alius tandem qui visus acie reliquis præstabat, suspicatur esse milites humi pronos iacētes, induisijs albis indutos ad castellum occupandum. Ductores suos commonefaciunt, qui per manus nullo strepitu milites excitatos ad propugnādum disponunt, ad excipiendum hostem paratos. Ipsi deinde superiore loco consistunt, falconellos commodis locis vnde hostes læderent, disponunt. Postea velut tunc primùm cōspectis hostibus, inclamant quinam & cuiates essent. Hostes nullo respōso dato vallum non valde altum toto impetu rectà petunt, ea audacia vt in summum statim eniterētur. Sed quo impetu irruunt, non minori studio à nostris excipiuntur: vt qui illuc euaserant, interficerentur, tum etiam qui idem facere conabantur. Ex hostibus interierunt ducenti quinquaginta, ex nostris vulnerantur ambo ductores. Martinus paucis pòst diebus è vulnere moritur: Remoneto glande plumbea genu traijcitur: vnde quum stare nō posset, diu altero genu innixus pugnare cogitur. Is fuit rei susceptæ exitus. Non multis pòst diebus Horatius Ballio nigtarum cohortium ductor hostes persequi inter castellum & ædem Magdalenes instituit: quos assequutus tanto impetu adoritur vt in vrbem compelleret. Sed à suis, qui subsequi destiterunt desertus, dum pedem referre cogitat, tanquam alius esset, ictibus hastarum confoditur: cuius viri non mediocris fuit iactura. Illi succedit Hugo Pepolius Bononiensis, cuius in his commentarijs non semel meminimus. Per idem tempus comes Philippinus Auria, Andreæ nepos cum octo triremibus ad Neapolim erat. Hugo Moncadeus prorex Neapolitanus certior factus milites è classe in castra ventitare, vt naues sæpius custodib. vacuæ essent, sex triremes in portu Neapolitano instruit, quibus Philippinas inuaderet. Eius rei Lautrecus per exploratores factus certior Philippinum commonefaciendum curat, simul etiam clanculum quadrigentos sclopetarios lectos mittit, ductore Croquio Vascone, ad impetum hostis sustinēdum. Hoc supplementum submissum esse ignarus Hugo Mōcadeus suas triremes è portu subuehit, quas lectis militibus compleuerat: inter cæteros marchio Vastius, Risius Burgundio & alij erant complures magni viri. In nostros statim nihil cunctati impetum faciunt, nec minori studio excipiuntur. Primo congressu Galli pilis tormentarijs duas triremes deprimunt, reliquas cominus pede collato aggrediuntur, summa & pertinax dimicatio per sesquihoræ spatium multis vtrinque amissis militibus durat. Ex Cæsarianis perpauci euadunt, Moncadeus prorex occiditur, marchio Vastius capitur, simul etiam Risius, Ascanius Columna, Valdræus & alij ex primarijs. Ex quadringentis sclopetarijs Gallis sexaginta duntaxat superfuerunt, reliquis vel interfectis vel saucijs. Hac parta victoria ex triremibus quæ depressæ non fuerant, duæ fuga se Neapolim recipiunt: vnius nauclerum Aurangius iubet suspendi, alterius nauclerus re perspecta ad Philippini castra perfugit: nam duæ reliquæ in ipso congressu captæ fuerant.

Cæsarianorū Neapoli trāsitio.

Galli cōstitūt nauali sa periores.

HVIVS victoriæ fama perlata Lautrecus captiuos in Galliam mitti iubet: quod Philippinus, vt iussus erat, perficere instituit sumptis duabus triremibus. Quum Genuæ iter facerent, Andreas captiuos manu iniecta retinet. Retinendi causam afferebat, quòd sibi à Rege satisfactum esse negabat de pretio quo redimendus fuerat princeps Aurangius à se ad portum Delfinium captus, quo tempore Rex ad Papiam castra habebat. Hęc res quia Aurię causa fuit à Rege deficiēdi, nostrā expeditionem & exercitum Neapolitanū funditus deleuit. Quinetiam marchio Vastius, quem captiuum retinebat, ad Cęsarianas partes eum pertraxit.

Rex in Siciliā classem mittit.

HOC loco animaduertēdum est quod dicere prætermiserā, paulo pòst illam Laurecii Neapolitanam expeditionem instítutam, classem à Rege imperatam & instructam fuisse quæ in Siciliam nauigaret. Hāc se vel occupaturū Rex magna spe ducebatur opera & consilio cuiusdam Siculi nomine Cæsaris Imperatoris, & aliorū quos in Sicilia sua-

1528. rum partium habebat: aut certè effecturum vt Cæsarianæ vires distinerentur, & à Neapolitana defensione abducerentur. Huic classi Rentium Ceretem principem legatum præfecerat, Andream Auriam Thalassiarchum constituerat. Sperabat enim fore vt quo tempore Lautrecus Neapolim peruenisset, classis etiam Siciliæ portum teneret. Præclarum sanè & prudens consilium, siquidem exitum æquè prosperum diuinitus habuisset. Classis ex Hetruriæ naualibus in altum subiecta, tanta tempestate conflictari cœpit, vt mutata velificatione Corsicam petere, & ad cibaria comparanda Sardiniam nauigare ibique appellere cogerentur. Illic expositis militibus prorex Sardiniæ, qui iussu Cæsaris insulæ præerat, nostrorum exercitui cum quinque ferè peditum millibus & equitibus quadringentis occurrit, quum nostri non plures tribus millibus essent. Nihilo minus nostri pulsis magna virtute & fusis hostibus, eodem impetu Sassarium vi capiunt, in cuius oppugnatione interficitur Iacobus Bellaius, duorum millium peditum tribunus. Capto oppido pestis in eos grassari cœpit, quòd ciborum vsus largior, qui magna illic copia reperiebantur, milites post summam inopiam quam pertulerant, valetudine tentauit. Itaque in febres inciderunt, quæ postea in pestem conuertebantur. Accesit etiam nescio quid contentionis inter Rentium & Auriam. His duabus permoti causis consumptis cibarijs quæ ad nauigationem Sicilienſem acceperant, nauibus consensis Genuam reuertuntur. Quò postquam redierunt, missus est comes Philippinus cum octo illis triremibus, quæ ad Neapolim pugnarunt, vt antea demonstrauimus.

Cur Andreas Auria à Rege defecerit.

VT plenius intelligatur quæ causa Auriæ à Rege deficiendi fuerit, præter illam mat chionis Vastij solicitationē, quędam ex alto repetenda sunt. Nā nostrorū exercitus labes & pernicies inde ortum habuit, propterea quòd Neapolitani absque illius subsidio vel iniquissimis & miserrimis conditionibus in nostrorum potestatem venissent: quibus cō meatus importari naualibus copijs (vt demonstratum est) profligatis, nullo pacto poterat. Genua à Lautreco in Regiam fidem & manum accepta, Rex certorum hominum consilio adductus Sauonam communire & portum ædificare statuit, quæ res Genuensi statui exitium apertè minabatur. Iamque ex eo tempore cùm mercium conuectionē tùm in primis salinarium vectigal (quod antea Genuę pendebatur) transtulit. Hoc pacto Genuenses magis dicto audientes, & magis obnoxios se habiturum sperabat, verùm aliter omnino se res habuit. Rei enim tanta innouatio eorum animos mirum in modum offendit, quòd ex ea re suæ ciuitatis statum penitus procedente tempore labefactatum iri præuiderent. Itaque qui inter eos principem locum obtinebant, Auriam adeunt, docent posse illum Remp. in veterem libertatem vindicare, quam ad rem primo quoque tempore suscipiendam charitate patriæ permoueri deberet. Quibus ille respondet, se patriæ causa omnia facturum, quæquidem existimatione & honore saluo liceat. Ad hanc animorum alienationem hæc captiuorum occasio quam commemorauimus, accessit. Quos quum apud se retentos haberet, per nuntium à Rege petit, vt sibi de redemptione Aurangij & aliorum, quos bello vnà cum eo ceperat, simul etiam de stipēdio ob triremes quas proprias habebat, satisfieret. Quæ res si à Rege sibi denegaretur, Genuensib. se vt in libertatem restituerentur, operam daturū confirmat. Hęc cōsilia Lautreco per Langęum nuntiātur: quem etiam ipse ad Regem mittit, vtq; tantę rei prospericiat motum. Langæus iter Genua faciens, in Aurię palatio pro magna necessitudine & consuetudine quę inter eos intercedebat, hosp itij iure diuersatur, hominis animum quāmaxima prudentia & diligentia explorat. Ille pollicetur, si sibi Regis iussu de captiuorū pretio satisfieret, si salinariam negotiationē & vectigal Genuę restitui, si libertates omnes quas tū ipsius tum maiorū Regum memoria habuerāt reddi intelligeret, se cum populo acturū vt ad fidem rei faciendam Regi duodecim triremes instructę traderentur, quas quib. ille vellet ductorib. & militib. compleret, duas modò ad portus custodiā retineret. Langęus veredarijs equis Lutetiam venit, Regem in ædib. Villeregianis conuenit, mādata quę à Lautreco acceperat tum quæ ab Auria intellexerat exponit. Re ad consiliū relata hominis postulata cùm alijs tum maximè cācellario Pratensi, cuius summa erat autoritas, iniqua videtur. Multa in eam sententiam à Langæo dicta sunt, quare hominem tā parui fieri non oporteret, quo offenso & alienato multum esse periculi non solùm de Genuæ defectione, sed de Neapolitani exercitus interitus: eum, si nullā sui rationē haberi intelligeret, opes suas ocs, quas nō mediocres habeat, qui mari potētissimus sit, & pecunia præ

senti

senti valeat, vitam denique ipsam, quò se vlciscatur, impendere non dubitaturum. Sententijs vtrinque dictis placuit vt Barbezius Genuam mitteretur, qui triremes tum Regias tum Aurianas occuparet, nauale imperium maris Mediterranei illo abdicato susciperet, quinetiam ipsi, siquidem opus esse facto videret, manum inijceret.

RES non tam secretò peragi potuit, quin Auria certior factus se salutis causa in triremes suas reciperet. Barbezius Genuā venit, eum vt in mandatis habebat adit. Respondet Auria se non fugere quemadmodum de se capiendo & triremibus occupandis Rex præcepisset, Regias quidem triremes se illi in manum traditurum, vt Regi place re videbat, suas sibi, quibus arbitratu suo vteretur, habiturum. Vastius quique reliqui apud illum captiui erant, has turbas conspicati, clanculum rem iam inchoatam perficiunt: vtad Cæsarianas se partes transiturum illis polliceretur, quemadmodum tabellis consignatis inter se cauerunt, quod ipsi Cæsari se probaturos recipiunt. Barbezio quidē sibi tantùm in animo esse dixit vt patriæ consuleret: sed non multo post defectionem palam professus, ita Neapolitanos hominum supplemento submisso iuuit, vt ni hoc fuisset, fame confecti in nostrorum potestatem quibus imperassent conditionibus, venturi fuissent. Equidem recordor me, quum per veredariorum stationes ex Italia Lutetiam ad Regem venirem, obuium habuisse ad pontem Agasonium nō procul Montargiuo Antonium Auriam huius consanguineum, qui me de ipsius defectione certiorem fecit, quum quidem eum ob turpe factum & detestabile abominaretur. Sed postea narratum mihi est illum ipsum triremibus, quibus à Rege præpositus fuerat, abreptis ad Cæsarem transisse.

Lautrecus à Rege supplementum petit

DVM hæc agerentur, Lautrecus subinde Regem solicitabat vt copijs & pecunijs iuuaretur, se multos ex suis ob pestilentiam quæ exercitum inuaserat amisisse. Rex amiralium Brionium mittere decreucrat, qui subsidium mari duceret, & prorex Neapolitanus constitueretur, propterea quòd sibi redeundi potestatem fieri postulabat. Ea ratio postea ncscio qua de causa commutata est, misso principe Nauarreno, paucis hominibus attributis, ijsque maxima ex parte ex nobilitate Gallica iuuenibus, qui animi causa ad famam quærendam militabant: aliquid etiam pecuniarum missum est, sed non quantum ille postulauerat. Nauarrenus à Barbezio ductus Nolam nauigat, vbi propter hominum paucitatem præsidium à Lautreco vt turò ad castra perueniret, petere cogitur: ille Candallā mittit. Quum ad Neapolim iter redeuntes facerēt, oppidani eruptione facta eos tā ta vi adoriuntur, vt multi occumberent. In ijs Candalla grauiter saucius capitur, & Neapolim abducitur: deinde commutatione captiuorum facta reuersus ex vulnetibus acceptis statim vbi in castra venit, interijt. Hugo Pepolius etiam capitur, qui in Horatij Ballionis locum (vt dictum est antea) suffectus nigris cohortibus præfuerat: is quoq; permutatione facta redditus est. Hoc primum fuit certamen à sesquianno, ex quo Lautrecus è Gallia exierat, quo hostes equo marte cum nostris dimicauerūt. Sed egresso ex nostrorum munitionibus supplemento ad ipsa portarum repagula repelluntur. Per id tempus Rentio Cereti, qui post reditum è Sardinia ab exercitu populi Veneti & ducis Mediola nensis nō discesserat, rex mādat Neapolim ad castra proficisceretur, quem sibi magnopere putabat profuturum, quòd Vrsinam factionem sibi cupientē habebat. Itaq; ad portum Herculis peruenit, vbi Nicolaus Bellaius eques Rhodius illi præsto fuit, qui liburnicis quibusdam & actuarijs nauib. exceptum ad Nolā eum turò exponit. Ad castra postquam peruenit, tantam pestilentiæ vim reperit, vt vix tertia pars superesset, quin omnes vel morte vel morbo absumpti essent. Interierat comes Valdomōtius, Gruffius & multi qui ordines duxerant. Lautrecus ipse tametsi ægrotabat, tamen Rentium in Aprutiā ad nouum militum delectum, qui supplemento nostris essent, mittit. Hoc enim erat hominis cōsilium, vt eo loco potius mortem obiret quàm pedem referret: neq; sanè eo viuo hostes nostrorum castra oppugnare vnquam aggressi sunt. Rentio præterea negotium datum fuerat vt pecunias ad stipendia in Aprutia acciperet: sed quæstores reperit qui nec obolum, vt quidem prædicabant, habebant. Neapolinus quidam Iohannis Iordani Vrsini filius, milites proprijs sumptibus quibus Regem iuuaret, coegerat: ad eum se Rentius aggregare coactus est. Non defuerunt qui dicerent ærarij præfectos in Aprutia numos interuertisse & depeculatos esse, ipsum etiam Focalderium, quē rei pecuniariæ administrandæ Lautrecus præfecerat. Quamobrē Neapoli reuersus ad cau

Gallorum exercitus pestilentia inuadit.

1528. Princeps Melphitanus in Cæsaris partes transit.

sam dicendam reus actus est: sed Antonius Pratensis cancellarius sua autoritate debito cum supplicio exemit. Demonstratum à nobis est principem Melphitanum in suo oppido fortiter propugnando cum vxore & liberis captum fuisse. Is sæpissimè Cæsaris opem imploraverat, vt quoniam illius partes fouens in tantam calamitatem inciderat, vt fortunis & principatu spoliatus esset, de se redimendo cogitaret. Quum illius auxilium à se nequiquam expectari videt, ad Regias partes transire cogitur, qui cum cum vxore & prole liberum esse voluit. Itaq; renūtiata Cæsari sociali fide a Lautreco cum equitatu & peditatu ad Caietam obsidendam mittitur: quam, vt imperatum erat, obsidione cinctam valde premebat. Verùm eodem tempore in nostræ classis conspectu Auria singulis pene diebus commeatum & subsidium Neapolitanis supportabat. Regi nūtiatur du- 10
cem Brunswichum cum duodecim peditum Germanorum millibus & magno equitatu subsidio Neapolitanis venire, iamque Tridentinas angustias transisse, Antonium item Leuam receptam Papiam duci Sforziæ ademisse, & Cæsarianos inuito Veneto & Sforziano exercitu pro libidine regionē populari. Quo nuntio accepto comiti Sampaulio exercitum tradit equitum grauis armaturę quingentorum, ferentariorum totidem, quibus præerat Bosius, sexies mille peditum ductore Lorgio, quater fere mille peditum Germanorum duce Montijano. Equites erant turmæ ipsius Sampaulij, turmæ Castello briātij, ductore Mōtijano, turmæ summi Normanię Senescballi legato Annobaldo centeni equites, Allegrij quinquaginta & Bosij totidem. Rex Sampaulio negotiū dederat, si dux Brunswicus Neapolim ire ad auxilium ferēdum contenderet, cum vt subsequere 20
tur, seq; cum Lautreco coniungeret. Sampaulius in ipso alpium transitu certior fit Brūswicum, quia stipēdium non dabatur, in Germaniam cum suis copijs redijsse. Itaq; exercitum Venetum, cuius imperator erat Franciscus Maria dux Vrbinas, ad se conuenire iubet. Dum eos præstolatur, subigit quęcunque à Cæsarianis oppida inter Padum & Ticinum tenebantur. Ad Papiam accedit exercitus Venetus: & concilio coacto placet ipsum oppidum obsidere, quod capi magnopere referebat, quòd in medio ducatu Mediolanensi esset situ. Hoc constituto Sampaulius & Vrbinas bipertitis copijs oppugnare cœperunt. Antonius Leua spe auxilij obsessis ferēdi Marinianum venit: verùm se imparem conspicatus, veritusq; ne dum alterum seruare studet, vtrunq; amitteret, Medio lanum se recepit. Sampaulius & Vrbinas deiecto muro vt ruina iusta esset, in contentio 30
nem veniunt vtri ad murum enitcrentur, vtrisq; id sibi vindicantibus. Tandem placuit vt imperatores taxillorū iactu sortirentur: fortito Veneti obtinent vt priores oppugnarent. Quos Lorgius quum diutius cunctari videret, & tardius exequi quod alea illis obtulerat, dum eminus sclopetaria velitatione rem trahebant, medium se cum suis interijcit, in aduersum vallum enititur: vt priusquam Veneti arma sumpsissent, oppidum iā captum esset. Lorgius primus ascendēs duos ordinum ductores adhibuerat, Florimundum Challium & Grandizæum, qui latus vtrunq; clauderent, & laboranti subsidio essent. Vterque illic interijt vnà cum antesignano qui præibat: sed trib. alijs locum statim occupantibus vi in summum euasit. Biraguius & Butigerus, qui in oppido præsidio erāt, in arcem profugiunt, & deditionem post biduū faciunt. Extremo Iulio anno 1528 pe- 40
stilentia etiā in castris Neapolitanis acrius sæuire cœpit, vt triginta dierū spatio ex quinq; & viginti peditum millib. nō supererēssent quatuor millia qui bello essent vtiles, neq; centum equites ex octingentorum numero. Illic ipse Lautrecus interijt, comes Valdomōtius, princeps Nauarrenus, qui nuper aduenerat, Turnonius cum fratre, Claudius Stampæus Fertæ Nabertanę dominus, Vallensis Delphinas, baro Grāmontius, Gruffius, Moriacus, Mondrago rei machinariæ ductor, Croquius, Castanetæus, Candalla, Luppius, Cornelio, Grutturius, Malnurius baro Buzancæus, maior natu Iarnacus, Boniuctus, comes Hugo Pepolius, baro Contius. Comes Wolfius, & innumeri præterea alij illustres viri, milites, nobiles qui nullo stipendio illuc vltro in militiam profecti fuerāt, & alij gregarij, quos si recensere velim, charta me deficiat. Quòd si Rex Lautreco subsidium, vt fa- 50
cultas ferebat, tum militum tum pecuniarum misisset, regno Neapolitano etiam nunc potiretur. Nam exercitus noster ea causa periit, quòd integros & recentes nullos submitteret. Morte Lautreci intellecta an Rex mœrorē magnū ceperit, nihil est necesse scribere: facilè enim existimari potest quàm illi detrimentosa fuerit tanti viri iactura. Vt honore debito afficeretur, præter ea quæ legatis regijs fieri solent, iusta ei persoluta sunt in sum-

Sampaulius in Italiam cū exercitu venit.

Papia vi à Lorgio capta.

Exercitus Gallicus ad Neapolim pestilentia absumptus

in summo Parisiensi templo, astantibus vniuersis principibus consanguineis, qui luctum eundem atque pro Delphini morte egerunt.

MORTVO Lautreco Michael Antonius marchio Salussius maximi vir animi, omnibus viris militaribus tam charus quàm quisquam alius, laceri illius exercitus curam susceipit, reliquias disiectas colligit ex iis qui arma ferre possent: denique obsidionem tollere ex concilij sententia & Auersam se recipere, ibique præstolari dum Rentius cum subsidio veniret, cõstituit. Dũ discedit, Cęsariani oppido egressi nouissimos adoriuntur: sed ille suo agmini primo quod ducebat ea prudẽtia prospexerat, vt pauci caderent. Pe
10 treium Nauarrum medio agmini præfecerat, nouissimi agminis speciem habebant Põ
perantius, Nigropelissius & Paulus Camilius Triuulsius turmarum equestrium grauis armaturæ ductores. Hæc duo agmina hostes Neapoli egressi fuderunt, ipse Petreius Neapolim abductus illic obiit. Salussius Auersam simulatque peruenit, statim ab insequentibus hostibus obsidetur. Post acrem & diuturnam oppugnationem ipse assula tormento igniario in genu impacta vulneratus, & genu fracto inutilis ad pugnam redditur. Quum vulnus ingrauescere animaduerteret, reliquorum saluti quos secum habebat consulendum esse iudicauit, & cum principe Aurãgio his conditionibus paciscitur: vti quod nunc oppidum, & arcem, machinas, munitiones, cibaria & quicquid illic opum Regis nomine occupat, id oppidum, arcem, machinas, munitiones, cibaria, &
20 quicquid illic opum est, Aurangio aut iis qui ab eo mandata acceperint, statim post
hanc pactionem constitutam & chirographo confirmatam in manum tradat. Vtique Salussius vtpote Regis princeps legatus & comes Guidus Rango captiui apud eum manent, quos liberaliter se habiturum pollicetur, quoad libertas illis aliqua ratione adseratur. Vtique quotquot ductores & milites in exercitu sunt, equites, pedites, cataphracti, sagittarij, ferentarij, Galli, Itali, Germani, Heluetij & cæteri quacunque ex gente in Auersana vrbe Regi merent, Aurangio cũcta vexilla signa militaria & vniuersa arma tra-
dant. Vtique turmarum equestrium præfectis omnibus, legatis, vexillariis, signiferis, e- *Galli ab Aurangio obsessi duris conditionibus capiuntur.*
quitibus cataphractis, & ferentariis per principẽ liceat è tribus iumentorum generibus vnum abducere quod maluerint, equum breuiorem, ruffinum quem vocãt, & mulam: peditum ductoribus, legatis & signiferis breuiorem equum aut mulam. Vtique militi-
30 bus Italis intra semestre spatium proximum Regi, sociis aut alteri cuiuis aduersus Cæsarem militare nefas sit, sed domum aut quò libebit alió concedant: Galli, Vascones, Heluetij & cæteri milites, tribuni, signiferi tum equites tum pedites domum se recipiant, sic vt nullam omnino vsquam moram facere illis liceat. Vtique quotquot oppida & loca munita in Calabria, Aprutia & cæteris in regionibus Laboria & Appulia & quicquid toto Neapolitano regno à Rege, Venetis & sociis occupantur, ea oppida & loca munita Aurangio aut quibus ille iusserit, Salussius tradenda curet, quod pro virili omni opera, labore & diligentia conaturum se recipit: vti denique totum illud regnum pacatum & tranquillum reddatur, in cúmque locum restituatur quo pridem erat, quum Lautrecus in
40 illud exercitum duxit. Vtique quotquot ductores & milites in aliis oppidis præsidio sunt,
cum iis eadem conditione, neque deteriore quàm cum Auersanis agatur. Vtique Aurangius vniuersos tum duces tum milites illos tutò cum præsidio absque vllo damno & molestia ad Regni limites deducendos curet: deinceps nulla obligatione teneatur. Has pacti conditiones Princeps & Salussius fide data & accepta sanctè seruaturos se neque vlla in re violaturos pollicentur, idque suis chirographis signo & stemmate insignitis, quò dictis veritas constet, confirmant. In castris Imperatoriis ad Auersam a.d. III. Cal. Septembris anno 1528.

HIS ita confectis rebus marchio Salussius arcera Neapolim vehitur, vbi paulò pòst moritur: vehũtur etiam Dodius & eques Nicolaus Bellaius. Incomparabilis huius viri morte iactura facta est, ob integritatem & præstantiam, quæ in eo tanta extitit, quan
50 tam in vllo alio eius ætatis perspicere licuit: quæ singulares virtutes summum omniũ illi amorem conciliauerãt. Auersæ morbo periit vir militari laude clarissimus Pomperantius. Ex nostris aliquot qui per valetudinem potuerunt in Aprutiam ad Rentium & principem Melphitanum se recipiunt, qui coniunctis viribus Barletam & alias maritimas vrbes occuparunt: quas etiam tenuerunt, vsquedum ex pacto Cameracensi Cæsari à Rege restitutæ sunt. Reliqui Romam se receperunt, ex quibus pauci demum in

1528. Galliam peruenerunt, tantæ illis acerbitates & ærumnæ in itinere perferendæ fuerunt: alij denique triremes nostras consenderunt. Burius & Baro Grammontius cum suis in castello Cantabrorum ad Neapolim subsiterunt, donec post aliquot dies fame coacti & omni auxilio desperato, pactione facta armis saluis egressi sunt. Grämontius paucis post diebus laboribus bellicis fractus obiit. Quandiu hę Lautreci, Salussij & Sampaulij expeditiones fiebant, nonnulla erat in citeriore Gallia quies, pacatè se Picardis & Belgis gerentibus nisi quòd hyeme quæ Lautreci discessum sequuta est, aliquid dissidij extitit, quod tamen intra octo ad summum mensis compositum est.

VNVM prætermisi, quod silentio prætereundum non est, comitem Rangonem ad colloquendum cum hostibus in castra Cæsariana profectũ fuisse. Dum eò abire cœpisset, interim pactiones quales recensuimus illo nescio fiunt: ac proinde se illis teneri negauit: & secundum eum ab omnibus ductoribus & tribunis iudicium factum est. Bar bezius quotquot potuit collectis nauibus consensis cum classe Veneta se coniungit, vt Auriæ simul occurrerent: is enim mare latrociniis infestabat, & Gallos domum redeuntes prædabatur. Vbi nostros cum Venetis coniunctos sensit, quum se ambobus imparem esse intelligeret, iuxta arcem insulæ Ischiæ seu Ænariæ se recipit, vbi nostri eum biduo obsidet, sic tamen vt oppugnãdum non esse iudicarent, quòd loci oportunitas propter arcem quæ præsidio erat, tutum illum ab oppugnatione reddebat. Barbezius & Venetorum imperator inutilem moram & obsidionem arbitrati, quòd Auria castri præsidio tectus oppugnationi non pateret, cursum in Galliam instituunt: Veneti in altum proiecti, nostris relictis suos portus petunt. Auria vbi separatam classem perspexit, velis passis nostros insequi cœpit: qui in Genuensem portum appulsi, & Auriam ponè subsequentem certiores facti, portu relicto Sauonam nauigant. Fugientibus adeo instat hostis, vt nauis prætoria ductoris Ionæ comprehensa caperetur. Eodem facto Auria Genuensium defectionis autorem se demonstrat, & ciuitatis dominatum occupat. Ex nostris nonnulli cum suis nauibus (ex hoc numero erant Termius, primogenitus Sercuti & alij) dum in Calabriam nauigare conantur, à Turcis capiuntur. Is fuit exitus superbi illius & ferocis exercitus, qui toto biennij & quatuor mensium spacio in omnem Italiam, Romaniam & regnum Neapolitanum dominatum exercuerat. Quúmque humanis viribus superari non posset, Deus ipse manum admouit, vt planum faceret deceus omne & laudem ex victoriis comparatis illi vni deberi. Capuani fidei parum tenaces quum scirent Rentium in itinere esse, vt Capuam ingrederetur cum octo aut decem cohortibus Neapolini Vrsini (cuius pater Ioannes Iordanus fuerat) eo consilio vt nostrorum castris auxilio esset, Lautreci morte nuntiata, Fabricium Maramum monent, vt cum equitatu & peditatu loco ad vrbem oportuno insidias collocaret, se quidem daturos operam vt expulsis Gallis illum vrbis compotem facerent: quod ille eorum hortatu facit. Capuani rebus ad proditionem comparatis, Gallis persuadent ex vsu esse eruptione facta, pecora & commeatum in vrbem, antequam penuria eos premeret, introduci, huius rei facultatem in præsentia dari. Galli quòd viderent valde probabilia ab illis dici, exeũt: redire conantes portas clausas, & Fabricium alia porta à ciuibus intromissum reperiũt. Ita se quisque quò commodissimè potuit recepit. Nolæ & ceteris in ciuitatibus rebus nostris labefactari cœptis idem factum est.

Genuæ defectio autore Auria.

Neapolitanæ expeditionis tragicus exitus.

SAMPAVLIVS Genuæ defectione nuntiata, cum tribus peditum millibus, & aliquot equitibus, qui præsidio essent, ex agro Mediolanensi proficiscitur, sperans se, si celeritate uteretur, eam recepturum, eo magis quòd nonnullos ex oppidanis sibi cupiẽtes habebat, qui se ad eam opprimendam auxilio futuros promiserant. Verùm spe deiectus, nostris ab oppidi oppugnatione submotis pedem referre cogitur: quòd neque machinas vllas duxerat, neque cibaria nisi in diurnum demensum secum extulerat: accedebat quòd multa fam hyeme suos admodum defatigatos videbat. Quibus omnibus causis compulsus exercitum Alexandriam in hyberna reduxit. Eodem tempore Theodorus Triuulsius cibariorum penuria arcis Genuensis deditionem facere cogitur, sic tamen vt suos saluis impedimentis inde educeret. Arce tradita Genuenses Sauonam, cui Morettanus præerat, proficiscuntur: qui paucis diebus deditionem facit. Quod ei ab omnibus vitio datum est, propterea quòd Sampaulius magna celeritate opem illi ferre contendebat. Sauona potiti Genuenses, arcem excindunt, & portum obstruunt, quò faci-

Genuenses Sauonam recipiunt.

facilius in ſua poteſtate & ditione tenerent. Sampaulium ſemper Genua amiſſa vrebat, omnéſque rationes illius recipiendæ excogitabat. Tandem certior factus vrbem non admodum firmo præſidio teneri, quinetiam ipſum Auriã fere in palatio quòd ruri extra vrbem habebat, ſe continere, Montijanum cum militum manu mittit, qui vrbem adoriretur, interim Italus quidam capitaneus Vellecerra cum alia multitudine Auriam necopinantem opprimere debebat. Sed ducibus itineris imperitis vſos lux, priuſquam huc peruenirẽt, oſtendit: quamobrem vtroque conatu irrito, nullo nec lucro nec damno Alexandriam reuertuntur.

VERE incunte Sampaulius cũ paucis quos reliquos habebat (maxima enim pars hyemis & morborum pertæſi in Galliam redierant) præſidio egreſſus Morterram petit, vi capit, & quicquid hominũ intus reperit, concidit. Qua re Philippus Turnielus intellecta Nouaria deſerta Mediolanum ſe recipit: hanc cum omnibus municipiis Sampaulius in ſuam redigit poteſtatẽ. Vrbinas audito noſtrorum copias è præſidiis eductas eſſe, cum exercitu Veneto, cui præerat, flumine Adda tranſmiſſo, ſe cũ noſtris cõiungit: idẽ quoq; Sforziani faciunt. Exercitibus Mariniani coniunctis quid facto opus ſit conſiliũ capiunt. Mediolanum aggredi ſupra vires eſſe iudicant, maximè quòd milites è Gallia, quò hyematum diſceſſerant, nondum redierant, ter mille Hiſpanorum ſubſidium illuc intromiſſum erat. Tandem placet vt Veneti Caſſanum, Galli Biagraſſum, Sforziani Papiam ſe recipiant, vt pro ſe quiſque commeatum conuehi Mediolanum prohiberent: ita fame propediem confectum iri: quòd decem paſſuum millia quoquouerſus agricultura intermiſſa eſſet. Veneti & dux Sforzia quò cõſtitutum erat, ſuas copias reducunt: Sampaulius quia res Genuenſis perpetuò eius animo obuerſabatur, conſilium mutat, & relicto Biagraſſo iter Landrianum duodecim Mediolano paſſuum millia conuertit. Quò die Sabbatino quum veniſſet, nocte inſequenti pluuiæ ingenti copia flumẽ per ſe valde exiguum adeo auctum eſt, vt machinæ tranſuehi nullo pacto poſſent: itaque die Dominico ceſſatum eſt. Quo die Antonius Leua certior de omnibus factus, veſperi Mediolano proficiſcitur, & omnes ſuas copias loco noſtris vicino ante lucem inſciis noſtris collocat.

Sampaulius Nouariam capit.

COMES Annibal Nugolarius qui ducentos equites ferentarios ducebat, & Pitonus cum totidem à Sãpaulio iuſſi erant iter Mediolanenſe explorare, nunquid ab hoſte tentaretur. Hi veſtigiis exercitus Cęſariani deprehẽſis, necq; hoſtes inſequuntur, neq; noſtros cõmonefaciunt, ſed (vt à nõnullis affirmatur) quum alter alteri inuideret, aliud iter quàm imperatũ eſt inſiſtunt. Hæc verò noſtri exercitus pernicies fuit, quòd Sampaulius quadringentorum illorũ fide & diligentia fretus rebus ſuis non proſpexerat. Die Lunæ fluminis altitudine diminuta vt tranſiri poſſet, Sampaulius machinas & omnia impedimenta traducit, vt Papiam proficiſceretur, iis quos præmiſerat (vti diximus) confiſus, & itinera ſatis eſſe explorata arbitratus. Ibi ex machinis vna cœno demergitur: cuius rei cauſa ipſe cum equitatu qui exiguus ei relictus fuerat, & circiter mille quingentis peditibus Germanis ductore Nicolao Ruſtico cognomento Boſſulo ſubſiſtere coactus, dirui domum iubet ad trabes eximendas, quæ rotis ad tranſuehendam machinam ſubiicerentur. Dum in ea re occupatur, aliud longè maius negotium obiicitur, ſclopetariis Hiſpanis improuiſo irruentibus. Hos primo impetu equitatus noſter excipit, atq; in aciem ſuorum Germanorum compellit. Riuus quidam altus medius vtriuſque exercitus Gallorum & Hiſpanorum intercedebat: poſt hunc hoſtium ſclopetarij occultabantur in anguſtia quadam quadraginta ferme pedes lata. Germani regij hoſtes ſuſtinent, magnáque virtute eos qui riuum tranſierant, omnes repellunt: ad crepidinem verò progreſſi quum ab iis qui in ripa vlteriore erant ſupramodum vrgerentur, extra glandium iactum ſe recipere coguntur. Pridie veſperi fuerat cõſtitutum vt comes Rango cum primo agmine diluculo Papiam verſus progrederetur. Quod quum vt iuſſus fuerat feciſſet, non prius de prælio quicquam cognouit, quàm Papiæ iam in tuto eſſet. Comes Claudius Rango qui nouiſſimos ducebat, ſtrenuam & fidelem operam nauauit. Ioannes Thomas Gallerafius arcis Laudanæ præfectus, & peditum Italorum tribuni, quum prælium committi viderent, alio itinere Papiam contendunt, alios, quibus res cordi erat, prælio dimicare ſinunt. Interim aliquot ex hoſtium equitibus alueum interiectum tranſeunt, quos noſtri pro ſua paucitate fortiter ſuſtinent: ibi Ioan-

Sampaulius exercitu delecto capitur.

1530. nes Cameracensis summi Normaniæ senescalli signifer equo deiicitur & capitur, cumque eo septem aut octo. Tum Germani nostri multitudine coacti, cum Sampaulio pedem referre ad villam quandam incipiunt, sic tamen vt aciei ordines quantum per loci angustiam licebat, seruarent. Ad extremum equites certatim alueum transeunt, & cum Germanorum confertissimo cuneo tanto impetu in Sampaulium irruunt, vt villa cedere cogeretur. Germani ad extremam difficultatem reducti Germanis Cæsarianis deditionem sui seruandi causa faciunt. Comes Sampaulius & Annobaldus cum exigua valde equitū manu qui supererant, se recipere, sed aduersi semper, coeperunt. Quum tre centos ferè passus retrocedendo confecissent, occurrit illis falebra, quam Annobaldus transit, Sampaulius equo debilitato remanet: illic quotquot aderant, aut interficiuntur, aut capiuntur, atque in his Sampaulius, Ioannes Hieronymus Castellanus paulo antè Neapoli reuersus, & comes Claudius Rango capti in propinquam villam ad Antonium Leuam abducuntur. Illuc Annobaldus cum paucis qui vnà cum eo falebrā transierant, alio itinere peruenit, siqua ratione hostibus perterritis posset captiuos eripere. Quam rem fieri non posse conspicatus, Papiam se ad ducem Sfortiam recipit: Antonius cum suis captiuis Mediolanum reuertitur. Hæc fuit illius expeditionis catastrophe.

Mulieres pacem componere conantur.

DVM hæc in Italia geruntur, mater Regis Ludouica, & Margarita Cæsaris amita de pace in perpetuum concilianda inter se agebant, remque eò deduxerant, vt diem inter se constituerent, qua die Cameraci cum Cæsaris & Regis cōsiliariis adesse eas oporteret. Illic extremo Maio conuenerunt anno 1530, cum liberis mandatis vt pacem firmam & perpetuam semel componerent. Viginti dies contendendo & disceptando absumuntur, vt interdum res pene transactæ interdum prorsus desperatæ viderentur. Tandem aliquando pax conficitur his conditionibus, vti Rex redemptionis nomine vicies centena coronatorum millia penderet, vtique duodecies cētena millia ex hac summa repræsentarentur quum liberi Regij in Galliam rediissent, vtique possessiones & prædia quæ Maria Lucemburga ducis Vindocini mater in Flandria, Artesia, Brabantia & Hannonia habebat, quadringentis coronatorum millibus pacto redhibendi in certum tempus addito venirent, item quæ in iisdem regionibus dux Mompenserius Vindocini patruelis possidebat. Denique quadringenta coronatorum millia (tot enim ex illa summa restabant) Rex Anglo persolueret, cui à Cæsare mutui nomine debebantur. Cuius debiti Cæsar vt fidem faceret, Anglo pignori Santaudomarū & Aream dare debebat: quod tamen nondum præstiterat. Vtique præter immensum hoc pretium quingenta etiam coronatorum millia Anglo penderet, quibus Cæsarem debito liberaret. Huius tāti debiti quo Cæsar Anglo obstringebatur, causa hæc fuit. Quū ille post aui Ferdinandi Arragonię Regis mortem in Hispaniam nauigans Angliā appulisset, Anglus Mariam filiam illi desponderat, quam si non duceret, Anglo indemnitatis nomine quingenta coronatorum millia persolueret. Is porro sponsalibus istis renuntiatis Lusitaniæ Regis filiam in matrimonium duxerat. Et quoniam Philippus Cæsaris pater quum in Angliam ventis aduersis delatus pignori patri Angli dederat lilium aureum gemmis insignitum, frusto crucis Dominicæ incluso, (quod à Philippo illo viro optimo duce Burgundię per manus transmissum fuerat) quo pignore quinquaginta coronatorum millia mutuò acceperat: cautum quoque fuit vti hoc lilium Rex repignoraret, & Cæsari restitueret. Vtique supremo & clientelari Flandriæ & Artesiæ dominatu se abdicaret, Aleonoram Cæsaris sororem in matrimonium duceret: vtique si ex eo coniugio mascula proles nasceretur, huic Burgundiæ ducatus tribueretur: vtique Margaritæ Flandricæ cederet quicquid iuris sibi in dominio Salinarum contenderet, vtique hæredibus Borbonij satisfaceret, etiamsi illius bona & possessiones publicasset. Pactionibus ad hunc modum compositis constituitur dies decimus Martij proximi, quo die ad illa præstanda Bayonnæ & Fontirabiæ conueniretur. Cedebat insuper Rex ducatu Mediolanensi & regno Neapolitano. Id verò facere illi nefas erat, propterea quòd hæc iam illius liberis ex Claudiæ Reginæ eorum matris obitu obtigerant: ad eam enim ista omnia lege redibant, quæ filia Ludouici duodecimi Aureliæ ducis fuerat: porro iste hæc ob Valentinam auiam iure sibi vindicauerat.

HIS rebus ita comparatis Langæus in Angliam mittitur, qui cum Anglo de nongentis illis quinquaginta coronatorum millibus mutui, indemnitatis & pignoris ageret.

Quod

Quod ægerrimè ab eo obtineri potuit, qui ad hanc pacem conciliandam se adhibitum non fuisse molestissimè ferebat. Tum temporis autem Anglus in animo habebat cum Catharina vxore diuortium facere, quæ regis Hispaniæ filia Cæsaris amita erat. Causam afferebat, quòd ea primùm fratri suo maiori natu nupsisset (& res ita habebat) papę verò non eam esse legibus soluendi potestatem, vt vni eidémque mulieri duobus fratribus nubere concederetur. Hoc diuortium quominus obtinuisset, à Cæsare & eius administris adhuc prohibitus fuerat. Hæc causa fuit cur indignationem hanc aduersus Regem conceptam Anglus tandem mitigaret: quòd speraret opera Langæi, qui apud homines literatos in scholis Galliæ, Italiæ & Germaniæ gratia & autoritate valebat, impetraturum se quod cupiebat, id quod etiam tum Lutetiæ tum in aliis Gallię academiis, præterea Papiæ, Patauij Bononiæ & aliis locis impetrauit, nimirum vt à viris eruditis omnium academiarum papæ nefas esse tale coniugium concedere (cui in leges diuinas quibus prohibetur, nihil iuris sit) pronuntiaretur. Itaque vt quod optabat perficeret, plus etiam quàm postulabatur, largitus est. Nam quadringenta millia prima, quæ ad principem illam viginti tonnarum summam conficiendam (hanc enim præsentem numerari totam oportebat) pertinebant, mutuatò, quę intra quinquennium æquis pensionibus restitueret, quingenta indemnitatis millia dono dedit, lilium aureum, quod quinquaginta millibus æstimabatur, filiolo Henrico Aureliæ duci largitur. His ita confectis Anglus vnà cum Langæo Briandum cubicularium mittit, qui omnes tabulas, syngraphas, apochas & quæ vsui erant omnia, ipsum denique lilium, vt omnia in tempore repræsentarentur, adferebat.

Anglus diuortium facere cupiebat.

Angli fastus & auaritia in regem liberalitas.

Rex summa Angli in se perspecta voluntate ineunte Februario Blæsas ire contendit, vt omnia ad optatum finem ducerentur, vtque die constituta legati Bayonnæ cum omnibus necessariis rebus conuenirent. Ad ea conficienda Mommorencium præfectum prætorio & Galliæ marescallum deligit, quòd maximam in omnibus fidem illi habebat. His mandatis ille acceptis Burdegalam & Bayonnam proficiscitur, quem Rex tantum posse voluit quantum si ipse adesset, vt omnia efficeret & transigeret. Ei archiepiscopum Bituricensem, qui Bayonnæ cardinalitio galero auctus, cardinalis Turnonius dictus est, & nobiles Gallos multos adiungit, quumquidem duodecies centena coronatorum millia, quæ in promptu numerari oportebat, secum duceret. Brydegalæ Briandus illi præsto fuit, quem veredariis equis Martinus Bellaius Langæi frater adducebat, cum iis quæcunque Angli nomine & iussu expromenda erant. Nam ipse Langæus ob negotium diuortij cuius meminimus, apud Anglum subsistebat, vt pote cuius opera ad eam rem vti decreuerat.

Martii die decimo (vt constitutum fuerat) Mommorencius Bayonnam, connestablius Castiliæ Fontirabiam venit, cúmque eo Pratensis Cæsariani ordinis eques cum liberis mandatis. Vbi ad locum præfinitum ventum est, simul disp iciunt quem admodum pecuniæ cum liberis Regiis permutarentur, vt res neutris fraudi esset, quòd alij aliis suspecti erant. Res post longas contentiones eò tandem deducitur, vt ipsa coronatorum summa inspectantibus certis ad hoc à cõnestablio Castiliæ missis numeraretur, ligneis capsis vicena quina millia coronatorum conderentur, capsæ in fascem componerentur, & eorum sigillis notarentur quos vtrinque ad hoc constituissent connestablius & Mommorencius, numi denique aurei omnes explorarentur. Ad hanc rem ex Hispania & Gallia monetarium fabrum præfecti adhibebantur: quæ res negotium amplius quatuor mensium spatio remorata est. Tantæ moræ etiam alia causa extitit. Cancellarius Pratensis (cui in pacto Cameracensi præter cæteros Regis mater fidem habebat) à nescio quibus rei numariæ peritis adductus, quum Regi magnopere profuturum se arbitraretur, in mediũ adduxit satius & magis ex vsu Regis fore, vt numi aurei nõ quo pretio in negotiatorũ cõmercio æstimabantur (hæc enim ratio Cæsarianis probabatur) numerarentur, sed ad pondus & libram exigerentur. Quum fusi numi appenderentur, compertum est rem maximo esse detrimento. Itaque vt quantum pondus à numero aberat sarciretur, in summam illam duodecies cẽtenorum millium corollarij vice quadraginta millia coronatorum Cæsarianis dari oportuit, ne quantum damni videbantur numerando accepturi, flagitare pergerent.

Ritus in tradendis pecuniis & liberis regiis recipiendis.

FLVMEN est quod è montibus Nauarricis fluens, mœnia Fontirabiæ alluit, & in mare voluitur, Galliámque à Cantabria diuidit, illuc æstus maris bis quotidie accedit: vltra flumen est Fontirabia, citra Andæa pagus Gallicus. Placuit vt medio vtriusque itinere statueretur ponto iis similis quibus equi in Galliæ fluminibus traduncuntur, nisi quòd in summa parte constratus & secundum naturam fluminis porrectus esset. In quo vtrinque extremo crassus rudens appensa ancora religaretur: vt quoniam post æstus recessum tam exigua est fluminis altitudo, vt vado possit transiri, accedente æstu ponto ad summam aquæ superficiem sublatus ancoris tamen & rudentibus immotus teneretur. In eo medio repagulum esset, quod scaphis ad latera pontonis adductis, inter Gallos & Hispanos prætereuntes intercederet. Mommorencio ad tutò vehendam tantam pecuniam San-jano Andæam venienti quatuor peditum cohortes & ducenti equites, connestablio Castiliæ vltra flumen totidem attribuerentur, qui liberis Regiis præsidio essent. Mommorencio liceret sex nobiles Gallos in Cantabrorum & Nauarrorum fines dimittere, qui viderent nunquiillic coirent: idem etiam in Gallia connestablius faceret: Gallis concederetur in Hispaniam, & Hispanis in Galliam cursores mittere. Transitus porro faciendi ea fuit ratio: Andæam versus lenunculum esse oportebat, quem impositis numis aureis, lilio aureo & tabulis Anglicanis, Mommorencius cum duodecim nobilibus Gallis, qui pænulam, gladium & pugionem duntaxat gestarent, & duodecim remigibus Gallis consenderet. Ante Fontirabiam alium æquali magnitudine lenunculum ferri eodem cum illis pecuniis pondere saburratum, quo liberi Regij & connestablius Castiliæ cum comitibus & remigibus pari numero & ornatu veherentur. Ad ostiũ fluminis duas scaphas esse, Gallicam vnam, Hispanicam alteram, vnde vtrique specularentur nunquid toto mari nouarum rerum tentaretur. Idem etiam superiore fluminis parte ad Behalbiam & Sammariam fieri. Aliam insuper nauiculam qua sex nobiles Galli cum duobus Hispanis sex remigibus Gallis veherentur, quibus negotium dabatur, vt scrutarentur num Hispani antequam ex portu Fontirabiæ soluerent, alia arma ferrent aut maiori essent numero quàm constitutum fuerat. Idem eadem ratione à sex Hispanis & duobus Gallis in Gallia fieri. Reginam Aleonoram alio lenunculo ad dextram liberorum regiorum vehi, quam comitaretur cardinalis Turnonius cum decem nobilibus Gallis, & Pratensis cum totidem Hispanis, cuius reginæ nobiles fœminæ comites propinquo lenunculo vehrentur. In mari interim duas naues bellicas Gallicas & totidem Hispanicas esse, sic vt Galli ad Santebastianum Cantabrorum, Hispani ad San-janum Luzæum & Bayonnam essent, qui obseruarent vtrum aliæ naues aduenirent. Remiges qui Aleonoram Reginam vehebant eadem cum liberis Regiis celeritate remigare. De nique quicquid machinarum erat Fontirabiæ, rotis eximi. Quam ad rem explorandam illuc duo nobiles Galli ingressi erant.

REBVS ita comparatis vbi dies constitutus venit (is erat ineunte mense Iulio) Mõmorencius San-jano Luzæo millia passuum ab vrbe Fontirabia quatuor cum duobus & triginta mulis proficiscitur, capsas gestantibus, quibus condita erant duodecies centena quadraginta coronatorum millia: nam addi illa quadraginta millia oportuit ad sarciendum detrimentum cuius meminimus. Proficiscitur autem de media nocte, vt quoniam tempore matutino æstus maris accedere solet, illic prima luce adesse posset. Quũ San-jano discederet, per nuntium Fontirabiam missum connestablium suæ profectionis certiorem facit, quò in tempore adesset. Qui mittebatur, quum Fontirabiam venisset, arcis portam nondum esse apertam & connestablium adhuc in lecto iacere comperit. Pratensis ædes ingreditur, qui necdum surrexerat: ei potestate tamen colloquendi facta aduentus causam exponit, cupere se, vt iussus fuerat, connestablium monere itineri se accingeret, vt fecisset præfectus prætorio Mommorencius. Pratensis respondet, si nulla illis alia veniendi causa sit quàm vt liberos Regios abducerent, iam nihil esse cur diutius morarentur, se in animo non habere illos reddere: à nobis enim (vt quidem ille affirmabat) violatæ pacis initium factum esse, qui cursorem Hispanum Bayonnæ detinuerimus. Quam ob causam Regios liberos qui Rauteriam processerant, Renarium octo passuum millia regredi esse iussos. His auditis ad Mommorẽcium redit, quem medio fere itinere obuium habet, quæ sibi à Pratensi dicta fuerant, narrat. Neque tamen hoc nuntio deterretur quin ad portum progrederetur, vt quæ suarum erant partium se fecisse

feciſſe omnia doceret. Quò poſtquam venit, Cæſarianos rogat nunquid deſideraret ex iis quæ ſe facturum receperat. Reſpondent ſibi adhuc ſatisfactum eſſe, ſeque vbicunque opus eſſet, rem ſic habere teſtaturos.

Hoc reſponſo intellecto Mommorencius Guiſchio ex turma regia propter linguæ Hiſpanicæ ſcientiam, mandata dat ad conneſtablium Caſtiliæ, ſe ad locum conſtitutum proceſſiſſe, vt promiſſis ſtaret, omniaque quæ conuenerat, reipſa perficeret: proinde videret ille quèadmodum officio fungeretur. Quòd ſi facere recuſaret, ſibi in animo eſſe illum in eum locum cuocare, vbi ad agnoſcendam violatæ fidei culpam compelleret. Ibi in ipſo temporis articulo adfuit quidam ex conneſtablij comitatu Sanjacobi commendatarius. Is petit à Mommorencio ſibi per eum conneſtablium adire liceret, effecturum ſe ſua oratione ne his durioribus mandatis vllo pacto opus ſit. Quod quũ Mommorencius ex eorum qui aderant ſententia conceſſiſſet, tanta ille diligentia vtitur, vt reuerſus confirmaret liberos regios ante æſtus receſſum in portu ad Pontirabiã futuros, vt quæ promiſſa vtrinque fuerant perficerentur: id non diutius horæ ſpatio futurum. Mommorencius illius verbis fidem habet, mulos exonerari & omnia ad tranſitum parari præcipit, hora fere tertia pomeridiana Domini ad litus veniunt. Tum omnes ordine ſuprà expoſito ad tranſitum ſe comparant. Nauicula quam conſcenderant liberi Regij, ad locum peruecta ad pontonis latus porrecta applicatur, nauicula item pecunia onerata ad aliud latus, vtraque vncis ad extrema retinetur. In pontone duo nobiles, Gallus vnus, Hiſpanus alter, vt inter duos repagulum intereſſet (Gallus erat Sampejanus Cantaber) Hiſpanus conneſtablium, Gallus præfectum prætorio Galliæ accerſit. Qui binis remigibus comitati hic lenunculum Dominorum, ille pecuniæ nauiculam ingreditur, cæteri deinceps ordine, quoad omnes Galli hãc, Hiſpani illam occupaſſent. His perfectis rebus ſuam vtrique ad ripam, quàm maxima fieri potuit celeritate contẽdunt. Neque tamen Delphinus, dux Aurelię & regina Aleonora, quantumuis feſtinarent, San-janum Luzæum antequam obtenebraſſet, peruenire potuerunt.

Liberi Regij reſtituti Galliam ingrediuntur.

Mompesatvs confeſtim Burdegalam ad Regem mittitur, qui ei totam rem nuntiaret. Periucũdum fuiſſe de filiorum libertate patri nuntium nemo eſt qui non ſatis intelligat: quo accepto Rex Burdegala proficiſcitur, vt Aleonoræ Reginę & filiis obuiam procederet: idem etiam illi faciunt, vt Regi occurrerent. Fit optatiſſimus occurſus in exiguo cœnobio inter Rupefortem Marcanum & Captium: quo loco horæ interuallo antequam diluxiſſet nuptiæ regiæ conſecrantur. Regina Burdegalam regio aduentu ingreſſa, Coniaco iter faciunt, Amboſiam, Blæſas & Sangermanum Layorum veniunt: quo loco tantiſper commorantur, dum ea parantur quæ vſui erant tum vt regiũ diadema Sandionyſij ſuſciperet, tum vt Lutetiæ regio apparatu exciperetur. Quibus confectis rebus, hoplomachia in vico Antoniano quo ſolet ſplendore ad ornandas reginas inſtituitur menſe Martio. Eodem tempore Maximilianus Sfortia antea dux Mediolanenſis (qui poſt pugnam Marinianenſem Regi iure ſuo ceſſerat) Lutetiæ diem ſuum obiit.

Per id tempus Cæſar quum Regem ſibi placatum videret, quem maximè ſuis conatibus obſiſtere poſſe ſciebat, de imperatorio diademate ſumendo cogitare cœpit. Quod quia à papa ſumendum eſſe intelligebat, rationem qua eum ſibi conciliaret quærit. Reperit papam in eo totum eſſe vt ipſius voluntatem demereretur, quò eius potentia atque auxilio Florentinos ob illatam ab ipſis iniuriam, quo tempore in Cæſarianorum manibus erat, vlciſceretur: quum omnes Medicææ gentis opes prædæ habuiſſent (cuius caput ſe papa profitebatur) Florentia & eos omnes & quotquot eorum cauſa facere aut ſentire velle conſtabat, expulerãt. His cauſis adductus vt in patriam reſtitueretur, his conditionibus cum Cæſare per legatos paciſcitur, vti ſi ſe Cæſar opibus & potentia in patriam reſtitueret, ei diadema, quod à demortuo papa obtinere nunquam potuiſſet, imponeret. His pactionibus compoſitis Cæſar Barcinone ſoluit & Genuam appellit, quo in loco papæ legati gratulaturi ei præſto ſunt, quibus etiam magna Italiæ dynaſtarum pars ſe adiungit. Genua Placentiam venit, vbi Franciſcus Sfortia res ſuas peſſimo eſſe loco videns, (nam Papiam paulo antè amiſerat) deprecatoribus Papa & Venetis vſus, auitum ſibi dominatum vt reſtitueretur poſtulare cœpit: nullam in ſe culpam eſſe, marchionis Piſcarij tyrannide & inhumanitate coactum rationem quæſiiſſe qua

1530. fortunas & dignitatem, quibus ab eo per summam iniuriam spoliatus fuerat, recuperaret. Tandem Cæsar à papa exoratus in pristinum statũ illum restituit, certis additis conditionibus, quas dum præstaret, arces Mediolanensis & Cremonensis tantisper in ipsius Cæsaris potestate manserunt. Quinetiam, vt maior rebus fides constaret, neptim suam ei collocat Regis Daniæ filiam, quiquidem regno exutus captiuus tum temporis detinebatur.

Sortit Mediolanum Cæsar ipsum.

CÆSAR de bello Florentinis inferendo non tam maturè consilium capere poterat, quòd Turcam audiebat cum maximis copiis prodiisse, quibus Viennam obsidere velle videbatur. Quæ quum ita essent, necesse sibi intelligebat esse vt copias seruaret, quibus tum fratrem Ferdinandum iuuaret, tum ditionis suæ fines tueretur. Bononiæ tandem per nuntios sit certior Turcæ ab obsidione Viennæ similem fugæ profectionem cum damno & dedecore fuisse: itaque papæ quod cupiebat concedit, vt in Florẽtinos exercitum moueret. Et secundum illam Papæ solicitationem alia extabat causa, cur hanc sibi rem cogitandam & suscipiendam putaret, quòd Florentini in expeditione Neapolitana Gallis duce Lautreco auxilium tulissent: sed speciem suis conatis hanc prætexebat, quòd Medicæam domum in pristinam dignitatem vindicare cogitaret. Ad eas res perficiendas Philibertum Catalaunum principem Aurangium ex Aprutia, vbi cum exercitu morabatur, accersit, cui summam imperij in bello administrando defert, & in Hetruriam exercitum ducere iubet. Idem imperat Ferrando Gonzagæ magistro equitum, & marchioni Vastio peditatus Hispanici tribuno. Obsidetur Florentia continenter vndecim mensium spatio, quo tempore cùm multa præclarè ac fortiter ab obsessis gesta sunt, tum ipse Aurangius Cæsariani exercitus imperator in conflictu interficitur, dum eos qui obsessis subsidio veniebant, delere conatur. Florentiæ cum summo imperio præerat Malatesta Ballio Perusinus & Stephanus Columna Romanus. Quorum tam egregia virtus & industria extitit, vt nominis claritatem & magnum decus sibi compararint. Bellum hoc Thuscanum alij literis mandarunt, vt mihi ab eo scribendo supersedendum esse putem, tum quòd mei instituti non est externa bella narrare, sed quæ tantùm ad meam patriam pertinent, quorum quidem notitiam habere mihi contigit.

Florentini à Cæsarianis ro. pa papæ obsidentur.

LIBRI TERTII FINIS.

MAR-

MARTINI BELLAII LANGAEI COMMENTARIORVM LIBER QVARTVS.

REBVS inter duos potentissimos principes ita vti demonstratum à nobis est compositis, nemo fere erat qui non speraret firmam toto orbe Christiano, quandiu illi superstites essent, pacem esse comparatam. Sed qui longo vsu rerum humanarum peritiam habere videbantur, statuebant meo quidem iudicio, fieri non posse quin Regis animo memoria insideret, quàm acerbum se ei in redimendis filiis Cæsar præbuisset. Ferri enim atque ex animo recordationem breui potuisse deleri, si in pecuniarum ingenti tantùm summa exigenda nimium rigidè egisset. Quòd verò tam iniquas conditiones addidisset, vt de Flandriæ & Arteſiæ suprema autoritate Regi decedendum esset, quæ antiquitus in fide & clientela Gallici sceptri perpetuò fuissent, vt ducatum Mediolanensem, Campaniæ & Siciliæ regna, quorum ius non ad ipsum sed ad filios lege redibat, remittere cogeretur, hoc verò grauius ac durius esse, quàm vt indignitatis memoria in perpetuum deponi posset, quin aliquando Rex aut certè liberi factam sibi iniuriam reminiscerentur, quòd regnum hoc pro amplitudine ac dignitate nimium angustis finibus circunscriptum esse videretur. Quemadmodum illi suspicabantur, sic accidit. Plurimi enim qui Christianum orbem bellis laborare quàm quiete frui malebant, Cæsari ostendebant, Regem, si Mediolani recipiendi vnquam facultas daretur, nunquam postea quieturum, neque passurum vt Neapolim & Siciliam ipse liberè teneret. Commodissimum ergo videri, si omnem in posterum spem huius ducatus potiundi præcideret. id fieri nullo negotio posse, si illum Sfortiæ restitueret: sic enim & pecuniam ingentem ab illo accepturum, & vniuersis Italiæ dynastis ac populis satisfacturum, qui Mediolani ducem vicinum sibi esse mallent æqua vel etiam minori potentia, quàm vel Cæsarem vel Regem, quorum vires illis suspectæ meritò essent. Simul etiam hoc facto omnes ab eo adduci posse, vt ad defendendum Sfortiam fœdere coniungerentur: quæ res nouos illi socios & amicos conciliaret, & Regis gratiam autoritatémque minueret. Addebant alij perfore accommodatum, si ducem Sabaudiæ, qui regionem in ipso transitu è Gallia in Italiam sitam habet, ad hoc fœdus asciscceret: hoc enim obstaculum & tanquam firmissimum obicem fore, quo impeditus Rex nunquam expeditionem in Italiam suscipere in animum induceret. Ad hanc rem perficiendam suadebant, vt comitatum Astensem cum clientelis duci tribueret, vt deinceps bella quæ apud Insubres gererentur, ad se ille priuatim pertinere intelligeret. Quinetiam in eum sermonem venerunt, vt dicerent operà Sabaudi Heluetios & Rhetos à societate atque amicitia Regis alienandos esse, quò ad Cæsarianas partes transirent. Denique omni ratione contenderunt, vt eum amicis & auxiliis destitutum ita debilitarent, ne postea ex ea solitudine emergere posset. Et sanè, quemadmodum superiore libro dictum est, iam cum Sfortia per papam & Venetos de ducatu transegerat. Cæsari hæc omnia iam inde narrabantur, quum Barcinone

Nouæ belli vtrinque occasiones quærun tur.

1530. Genuam nauigare cœpisset. Qui consilium hoc sequutus, verbo suadentibus papæ & Venetis assentiebatur, re autem vera istis autoribus adducebatur vt Sfortiam de integro ducem Mediolanensem constitueret.

NEC verò deerãt alia ex parte, qui Regi & Regijs liberis, quoties res ita & temporis facultas ferebat, subiicerẽt indignum esse Cæsaris facinus, qui in manũ Sfortię hominis obscuro loco & spuria matre nati, quémque ipse non semel publicè proditionis & perfidiæ incusasset, hunc ducatum tradere mallet, quàm regi, cui sororem collocasset, aut certè filiis, quorum iure optimo esset. Quem si ipse sibi seruasset, esset tamen mussitanda hæc iniuria: nunc quòd velut illis contemptis alteri isti tradidit, id verò minimè ferendum esse. Iam verò quis suspicaretur ducem Sabaudum regiam autoritatem & opes tam parui ducturum fuisse, vt oblatum Astensem comitatum acciperet, quem ab omni vetustate ad aurelianum patrimonium pertinere constat? Quòd si tantam à Cæsare iniuriam animaduertere non placet, aut fœdus nuper initũ prohibet, in Sabaudum certè experiri licet, aduersus quẽ satis multę & idoneæ belli causę extant. Cui si Cæsar auxilio esse volet (quod facturum eum vix dubitari debet) non pacem ipse violauerit? non iustissimam causam dedisse videbitur, cur Flandriæ & Artesiæ clientelarem autoritatem verus patronus reposcat? cur tum ipse tum liberi de recipiendo Mediolano contendant? Non desunt eis summa hominum studia & voluntates, quibus summæ indignitates quas ab Hispanis perferunt, Gallicum nomen charissimũ reddiderunt. Siccine prætereunda est ea facultas quam casus ipse nobis obtulisse videtur? Huiusmodi sermones crebrò apud eum habebantur, & alij, quibus facilè commoueri animus exulceratus potest, vt indignum sui fastidium & iniuriam non ferre statuat. Regi vehementer dolebat damnum acceptum, vehementius etiam cõtemptus: si occasio quærenda esset, iam sibi satis causæ datum esse intelligebat, pace iam inde ab initio à Cæsare violata, qui aulicos Delphini & ducis Aurelię ministros emittere è vinculis nauticis (quò eos per summam iniuriam conie cerat) quanuis ab eo per conditiones pacti Cameracensis appellatus recusasset. Nec verò eum fugiebãt coitiones & coniurationes quas Cæsar & Ferdinandus frater, quas item Sabaudus & Sfortia per suos machinabantur, quibus Heluetios & reliquos socios alienare conabantur: id quod planè pacem labefactabat. His omnibus rebus vnum repugnabat, quòd quantum malorum superioribus bellis illatum esset Ecclesiæ Christianę reminiscebatur, & quantum porro acceptura esset, si bellum denuo susciperetur, perspiciebat. Quamobrem placidè potius & amicè quod suum erat tandem vel pecunia redimẽdum esse statuebat, & moderatè agere quàm bello ius persequi decreuerat. His causis permotus Rabodangium ad Cæsarem & Ferdinandum eo consilio mittit vt arctioris etiam necessitudinis & coniunctionis ratio quæreretur. Qua in sententia & animi proposito Alcenora huius mariti illius fratris amantissima, pro sua summa virtute & singulari prudentia eum confirmabat. Quæ nihil omnino reliqui faciebat, quod ad firmissimam pacem & veram amicitiam colendam tuendámque pertinere intelligebat.

Alcenora reginapacis colendæ studiosissima.

HANC ob causam quum esset in Germania Morettanus Regis apud Cæsarem orator, effecit illa vt Curtibaro ex Cæsariana turma (quem archiduci Philippo patri intimum & maximè acceptum fuisse recordabatur) ad Regem Sangermanum Layorum mitteretur, qui pacem inter Regem & Genuenses conciliaret, quò commercia exercendi in Gallia potestas illis fieret. Cuius legationis specie negotium illi datur vt eam adiret, vt de colloquio ageret, quod coràm inter se Cæsar & Rex habituri essent, quò ipsi coniunctionis illius arctissimæ autores essent. Quod tametsi Regi valde probabatur, cui nihil antiquius erat quàm vt bona fide in gratiam rediisse viderentur: tamen quoniã ista reginæ consilio & ductu adhuc administrata fuerant, se prius immiscere noluit, quam negotium amplius processisset. Itaque rem omnẽ Aleonoræ & matris duchissæ Angolismensis diligentiæ prudentiæque commisit, quibuscum Curtibaro sæpius egit, ac rem eò deduxit, vt regina eius verbis adducta primùm Tumbanum deinde armigerum Sillium ad Cæsarem fratrem de loco & tempore ad congressum habendum constituendo mitteret.

CÆSAR tum temporis siue quòd ista in medium attulerat, vt vel Regis sociis suspicionem iniiceret, vel ex suorum animis euelleret, siue quòd vno tempore diuersis locis

eis communicare consilia cupiebat, vt quod sibi ex omnibus maximè necessarium videretur arriperet, cum cardinali Çampegio (is in Gallia legati Romani munere fungebatur) per literas agit vt de sarcienda Ecclesiæ concordia & vniuersa inter Christianos cõponenda pace curam suscipiret. Idem papæ per literas significat, se quicquid cum Rege videretur agere, nihil tamen eius causa facturum, nihilque causæ esse cur in suspicionẽ vllam apud eum veniret. Papa tamen Cæsari affirmanti non tantam fidem habendam putauit, quin cum Rege per nuntium expostularet quòd se inscio de tantis rebus inter principes ageretur. Rex obiectam criminationem diluit, docet nondum eousque rem progressam esse vt cum illo temere, antequam aliud firmius subesset, communicari deberet: hæc duntaxat per Cæsarẽ inter fœminas agi cœpta esse. Itaque & de ea re ne amplius ageretur vetuit, & à Cæsare ista consultò in medium prolata esse sensit, vt aliquid eliceret quo socios omnes suspicione iniecta alienatos sibi conciliaret. Tamen quum de congressus & colloquij illius spe irrita & consilio reuocato per Pomeræum Cæsari sese purgaret, nullam afferendam causam putauit quàm matris rectricis mortem, quæ cum regina negotium illud hucusque prouexerat. Huius primariæ fœminæ mores integerrimos, ingenium & singulares virtutes, quantúmque sui desiderium superstitibus reliquerit, si coner describere, opus fuerit maius quàm pro breuitate commentariorũ suscepta. Cæsar Pomeræo quum ad se venisset, dat in mandatis Regi nuntiaret quemad modum in Germaniam proficisceretur ad copias aduersus Turcam comparandas, quẽ alteram in Austriam expeditionem suscipere audiebat: petere se à Rege vt interim in reconciliata amicitia perseueraret. Rex non modò assentitur, sed illum etiam rogat vt principum & dynastarum qui Christi cultum profitentur cœtum cogendum curaret, quò de exercitu communibus impensis aduersus Christiani nominis hostis conatum colligendo statueretur. Eadem postulata & conditiones Rex ad papam per episcopum Altissiodorensem Tinteuillanum oratorẽ perferri curat. Petit papa vt legatum cum am plissimis mandatis & libera potestate Romam mittat, qui de tanta re cum reliquorum principum legatis agere possit. Rex statim morem gerit, legatum ducem Albaniæ illuc mittit, atque ad hanc rem perficiendam non solùm opes suas & exercitus sed seipsum etiam dicat vouétque.

Regis mater moritur.

CÆSAR quum antea iam in Germaniam profectus fuisset, multa principibus cæteris que Imperij ordinibus pollicitus fuerat, quæ illi non præstari conquerebantur: maximè quum in his præcipuæ dignitates, iura atque priuilegia imperij agerentur. Quin etiam Cæsaris consilium erat vt principes & reliquos imperij ordines cogeret Ferdinãdum fratrem regem Romanorum admittere, eiúsque electionem confirmaret, quæ tamen vitio facta erat, vtpote contrà quàm bulla aurea & veteres imperij leges ferrent. Id quod ex eis multi iniquissimo animo tulerunt, eámque ob causam Ioannes Elector Saxoniæ, dux Ioannes filius, Gulielmus & Ludouicus Bauariæ duces, Philippus Lantgrauius Hassiæ & alij principes conciliis aliquot conuocatis, tandem inter se pactum ineút, quo imperii iura, priuilegia libertátesque tuerentur & seruarent. Regem etiam sæpenumero per nuntios rogauerant vt pro vetustissima quadam societate & coniunctione, quæ integra semper & sacrosancta inter imperium & Gallicum regnum intercesserat, fœdus commune iniret. Ad ea Rex respõsum verbis commodis temperauerat, eósque per Gervasium quendam Vannium doctorem genere Germanum in amicitia & fide continuerat, nihil quod priuatim pacem cum Cæsare initam læderet promiserat. Porro quo tempore Cæsar ea quæ ad congressum & colloquium illud pertinebant, papæ (vti dictum est) indicauerat, causáque adeo nonnulla Regi dabatur cur animum & aures plurimis præberet, qui Cæsarem hoc agere monebant quemadmodum vanis eum verbis produceret, dum interim cõiunctis omnibus & necessariis nudaret, quos ad se quãmaximè posset raperet: principum Germanorum nuntij ad Regem reuertuntur cum amplissimis mandatis, quæ ipsi chirographis, signis & stemmatibus confirmarant. Habebant præterea exemplum pacti bona fide descriptum, quò perspiceret eorum mentem nõ esse vt quicquam inuaderent, sed vt imperij præsidiũ quærerent: ad quod tuendum eum etiam vetusto illo fœdere obstringi, nec esse quòd vereretur ne hac ratione in pacem cum Cæsare initam incurreret. Sibi denique, si ab eo destituerentur, vel in manifestissimum certissimúmque tum dignitatis tum fortunarum discrimen veniendum

Germanorum principum ad Regem nuntij

1351. esse, vel Cæsarem pro libidine atque arbitratu imperaturum: cuius mentem & cõsilium esse satis constaret, vt illos sibi subigeret, imperiumque gentile & hæreditarium redderet. Magnopere ex eis quosdam timere ne ille specie belli Turcici in suum exitiũ vires quas ipsimet ad oppugnandum communem hostem suppeditassent, conuerteret. In summa ita illi persuadent, vt ad eos legatum cui voluntatem & cõsilium suum communicaret, mittere statueret. His promissis nuntios à se dimisit.

QVVM in Germaniam illi rediissent, principes nullum tempus intermisérũt, quin subinde per literas postulata ingeminarent, Regémque crebrò monerent, faceret ille vt promissa quamprimum apparerent, idque eo magis quòd Cæsar illos inter se coitionem & fœdus percussisse certior factus maturabat. Ratisbonam venire, neque à minis & durioribus verbis sibi temperabat. Rex quòd sibi nihil nisi conscio & suadente Anglo fratre coniunctissimo tentandum existimabat, iam inde quum ista agi cœpta essent, legatos miserat, qui apud eum essent, illorúmque principum postulata & conditiones quas ferebant exponerent, qui denique ab eo consilium peterent quanam ratione hoc fœdus ambo inirent. vt pax illa cum Cæsare facta non violaretur. Quæ re intellecta Anglus episcopum Vincestriensem Vattevillam Normanorum ad regem de nouo fœdere faciendo miserat. Hoc enim totis viribus conabatur, vt Regem ad fœdus ascisceret quod contra Cæsarem vel inuadendo vel excipiendo fieret. Quod ille assentiri nunquã voluit, quòd fidem datam semper seruare instituisset. Illud quidem concedebat, se impensis principes adiuturum, dum suas fortunas, dignitates, iura & libertates tuerentur. Legato item Cæsaris Leidekerco (qui eum hac de re conuenerat) apertè respondérat se pactis illis quidem cum Cæsare initis bona fide stare decreuisse, præter illa verò vt in illius gratiam priuatim aliquid facere libeat, nulla se ab illo ratione inuitari, exiguum in se illius studium perspicere, quem amicis omnibus sociisque alienatis & sibi conciliatis debilitare conabatur.

EPISCOPVS Vincestriẽsis rebus cum Rege nõ constitutis, venia accepta rediit. Quæ res Anglo iam in Cæsarem exacerbato (quem sibi contumelioſè & superbè minitari audiebat) adeo displicuit, vt ex iis quæ passim Regis apud se oratori dicebat, non leuem alienatæ voluntatis suspicionem præberet. Regis orator vt huic malo obuiam iret, eum rogat vt scripto mentem suam planè aperiat, Vincestrium fortasse non satis perspicuè ré oratione explicasse. Quibus verbis Anglus adductus capita pactionis quã inire cogitabat (quam arctiorem confœderationem vocabat) de integro tradit. Hæc capita magna ex parte huc spectabant, vt pactio de bello inferendo, non solùm propulsando fieret: qua de re à Regis oratore admonitus, multa ad leniorem sententiam traduxit, & ad Regem certo homini nominatim delecto perferenda dedit. Rex interim ad principes Germanos Gulielmum Bellaium Langæũ ex sua turma mittit, datis mandatis primùm vt se purgaret quòd tardius ad eos missus videretur, quam moram non negligentia vlla accidisse, aut quòd minus illos iuuare cuperet, dum iura, consuetudines & instituta Imperij tuerentur, sed quòd ad Angliæ regem necessarium & fratrem coniunctissimum mittendum censuisset, quem in ea re susc ipienda summa erga eos voluntate esse perspexisset. Vincestrium episcopum ab eo missum mensem & eo amplius apud se fuisse, deinde ad eum rediisse, sub profectionem confirmasse illum non paruam pecuniæ summam ad hanc rem collaturum, tametsi nondum planè id constitutum esset. Quare ne diuturnior mora molesta illis esset, néve se de consilio capto quicquam mutasse suspicarentur, Bellaium mittere decreuisse, qui partim hanc moræ culpam deprecaretur, partim illis regia autoritate & fide interposita ostenderet, se pro eo ac sacri Imperij iura & priuilegia sarta tecta esse cupit, ad opem ferendam paratum fore, etiamsi soli sibi hæc res suscipienda esset, & Anglus maturè satis (quod tamen ne susp icaretur quidem) de aggrediendo negotio constituisse non videretur.

Langæus ad Germanos principes mittitur.

HABEBAT præterea Bellaius in mandatis, vt certò illis confirmaret, si Cæsar, cũ quo initam pacem colere & integram semper tueri cogitabat, bellum eis inferret, quo iura illa amplissimi Imperij & consuetudines violare conaretur, (quod tamen tentaturum sibi minimè videri) sic haberent, se neque illorum iniurias neglecturum, neque quicquam prætermissurum quo illis præsidio & auxilio esse posset. Et quoniam illi per legatos quæsierant quantam pecuniæ summam ad huius belli sumptus polliceretur,

quan-

quantamúe ante bellum conflatum præsentem conferret, ne fortè adeo repentinus esset Cæsaris conatus, vt oppressis mittendi è tam longinqua regione auxilij nulla daretur facultas: vberrima Bellaio se mandata & potestatem cum illis agendi dedisse: sic tamen vt disertis verbis vetaret ne pecuniæ ad lacessendum bello quemquam ex confœderatis ac ne Cæsarem quidem, verùm duntaxat ad Imperij iura & instituta seruanda & illos defendendos insumerentur: qua de re diligèter & prouidè ab eis caueret. De duce porro Wirtembergensi, se omni ope annisurum esse, vt quantum pacti illius conditiones ferrent, potentiam & auxilium ad eum defendendum & ornandum nunquam negasse videatur. Cæterùm eidem legato negotium datur, vt dispiceret quanam ratione dissidia religionis, quibus Germania conflictabatur, tolli possent, ex quibus periculum erat à bellis ciuilibus & innumeris calamitatibus, quæ cùm in eos priuatim tum in vniuersam Christianam Ecclesiam redundarent. Bellaius medio ferè Martio anno 1531 Honfl:eo Normanorum profectus circiter medium Aprilem ad Principes Germaniæ peruenit.

Vngarus à Rege auxilium petit.

PER id tempus duo legati ad Regem veniunt, vnus à Ioanne Vngariæ rege, Hieronymus Lascus vir præcipuæ in aula nobilitatis & dignitatis, alter à Cæsare Balanconius, qui summum apud eum locum obtinebat. Vngarus affinitatis coniunctionem expetebat, & pecunijs iuuari postulabat ad opem patriæ ferendam, quæ superioribus bellis valde attrita, & oppidis dirutis labefactata fuerat. Quod ad primum postulatum attinebat, inie ctus est de Isabella regis Nauarræ sorore sermo: de altero, concessa est quædam pecuniæ summa, ea lege ne ad lacessendos bello Regis socios illa veteretur. Nominatim verò Rex Lasco dat in mandatis, moneret ille Vngariæ Regem, quocunque tandem bello appeteretur, ne auxilio Turcico aduersus hostem vti in animum induceret. Quod si faceret, se illum pro hoste habiturum, neque vllam pacem aut amicitiam respecturum, quominus Turcam religionis nostræ hostem Christianorum fines ingredi prohiberet. His conditionibus quum pactam pecuniam Lascus abstulisset, missus est postea Antonius Macaltus regius cubicularius & à secretis, qui eam retulit.

Cæsar ad bellũ Turcicum sub sidium petit.

BALANCONIVS Cæsaris verbis docet maximum & grauissimum exercitum à Turca in Vngariæ fines ad Austriam occupandam introductum esse, ad eius conatus infringendos magnas se copias terra marique comparasse: vt quod ad vires attinet, nihil iam sibi ab illo metuendum esse putaret. Petere tamen à Rege vt pecuniæ non exiguam summam ad sumptus ferendos, equitum quandam manum & triremes aliquot, quas in mari Mediterraneo habet, mitteret. Ad ea Rex respondet, Cæsarem à se non ita pridem vicies centena millia coronatorum accepisse, vt satis illi esse videatur: deinde mirum esse quòd pecunias tanquam à negotiatore quopiam aut trapezita petere videretur, ac non potius à principe Christiano, qui gloriæ, periculi & iacturæ particeps esset. De equitatu quod petebat, eum esse firmissimum regni robur, quo semel amisso, nihil iam à se deinceps suscipi posse quod Christiano nomini gloriæ & præsidio esse queat, imò se ad omnes casus & hostium iniurias expositum fore. Proinde nolle se tanto periculo illum obijcere, quin ipse cum tam firmo peditatu & re machinaria simul proficisceretur, vt nonnisi magno hostis malo illum amittere cogeretur. Æstatem iam præcipitare, vt equitatus multa demum hyeme in Austriam perueniret: quo factum iri vt itinere, anni tempore & labotibus iam antè fractus esset, quàm in conspectũ hostis veniret aut aliquam operam nauare posset. Iam verò tanto exercitu à Cæsare collecto (vt ipse Balanconius inflatius prædicabat) nihil esse opus auxilia in Germaniam mittere, sed potius in Italiam, quò fama sit Turcam cum alijs copijs expeditionem instituere, quũ nemo se ad resistendum compararet, quò etiam Rex propter locorum propinquitatem facilius mittere quàm in Austriam queat: se ad illam tuendam quinquaginta hominum millia confecturum. Sustineret Cæsar tanti hostis in Germania impetum: se quidem cum Anglo amantissimo & in perpetuum coniunctissimo fratre paratum esse, vt proxima æstate cum his copijs aut etiam maioribus in quancunque partem opus esse videretur expeditionem faceret. Quod ad classem attinet, sibi magnam esse oram maritimã Prouinciæ & Galliæ Narbonensis, piratarum incursionibus (qui tum magno numero mare obsidẽt) obnoxiam: quã minimè æquum esse defensorib. nudare, neq; classem vlli cõmodato dare, ad quã sustinendã stipendia ab ijs qui illã orã accolunt penderentur.

1532. Hæc Regis respõsa Cæsar in ordinum Imperialium conuentu Ratisbonenſi omnibus audientibus narrauit, ſic oratione temperata, vt res in deteriorem partem acciperetur, eo cõſilio vt Regi apud principes & ciuitates Germaniæ inuidiam conflaret, qui cõmune illorum periculum & impendentem perniciem negligere videretur. Quibus cognitis rebus Bellaius, quem ad Imperij principes miſerat, & communicato cum Velio altero Regis apud Cæſarem oratore conſilio, exiguam de confirmanda inter eos pace atque amicitia ſpem ſupereſſe intelligebat. Principes præterea ob tarditatem & taciturnitatem Cæſaris iam ſibi timere ne ab eo opprimerentur, & à Rege deſtituerentur, animaduertebat. His cauſis permotus ijs conditionibus paciſcitur quas principum legati petierant, & Cebengæ (qui locus eſt in Saxoniæ ducis ditione) inter ſe conciliauerant. Quæ cauſa fuit cur Ioannes Federicus Saxoniæ dux, iam iter Ratisbonam ingreſſus, regredereturr, & Eſtingnani Bauarorum legati concilio coacto hæc pacti capita componerent, ſocietatemq; inter Regem, principes & populos ſancirent.

Pactionis Anglicanæ capita.

Dvm apud Germanos comitia Imperialia habentur, Rex capita ab Anglo temperata (vti dictum eſt) accipit, quæ paulo poſt, nonnullis detractis & additis in Angliam remiſit, vnà cum poteſtate quam Pomeræo faciebat vt in illa verba paciſceretur. Capitum potiſſima hæc erant, vti ſi ex eis alteri bellum in ſuis finibus inferretur, Rex Anglo auxiliares quingentos cataphractos mitteret, quibus ſtipendia ab Anglo perſolucrentur, vtique duodecim naues commeatu, tribus militum millibus & rebus omnibus neceſſarijs inſtructas ad pacanda maris loca à Mahęo promontorio ad fretum Caletanum mitteret. Vtique Anglus, ſi Rex bello in Gallia appeteretur, claſſem pari numero conficeret, & Anglorum ſex millia mitteret, quibus tamen à Rege ſtipendium numeraretur. Vtique illato ſtatim alterutri bello, viciſſim mercatoribus qui à principe belli autore eſſent, quicunque in ſua ditione reperirentur, manum injicerent, ea tamen lege, vt principi illi denuntiari curarent, vt quos initio belli detinuiſſet reſtitueret: quòd ſi recuſaret, de derentur iſti in manus Regis bello laceſſiti, quibus clarigationis iure ad ſtos recuperandos vel damna ſarcienda vteretur. Vtique neutri fœdus pactumúe cum alio quopiam principe, dynaſta aut ciuitate non admonito & aſcito ſocio facere fas eſſet. Hæc fœderis capita Pomereus ab Anglo ad Regem pertulit, qui tum Caſtellobrianti Britonum erat, ſimul ſyngrapham quinquagies mille coronatorum quos Anglus conferre aſſentiebatur ad ſeruandas ſacri Imperij libertates & priuilegia. Habebat inſuper mandata vt de congreſſu ac colloquio inter illos habendo ageret, vt vnà rationem quærerent qua Turcæ obuiam iretur, ſi quidem Chriſtianis infeſtus eſſe pergeret: quæ res vehementer Regi placuit. Dum hæc renuntiantur, percommodè cadit quòd adeſſet Bellaius, qui à principibus Imperij redibat: quem Rex ilico ad Anglum mittit, qui eũ de pactione Germanica & ratione legationis certiorem coràm faceret. Dum Rex apud Britones commoratur (vti diximus) ex regionis ordinũ ſententia ſtatuitur vt Franciſcus Regis primogenitus delphinus Viennenſis dux Britonũ agnoſceretur, ea lege vt quum ille regnũ iniret, Regiæ dignitati ducatus adunaretur, vtq; primogenitus Regię prolis deinceps dicetur delphinus Viennenſis & dux Britonum, ſtemmata itẽ Britonica cum Franciæ & Delphinatus gentilitijs inſignibus permiſcerentur, ſicque eodem ordine fieret in ijs qui poſtmodum regnaturi eſſent, ſi quidem Delphinum abſque liberis mori contingeret. Ita antiquatum eſt pactum matrimoniale Caroli octaui cum Anna Britoniæ ducisſa, necnon Ludouici duodecimi cum eadem, pactum denique Franciſci primi tum Regis cum Claudia Ludouici illius & Annæ filia. Hæc in tabulas relata, & omni cautione, vt rata in poſterum eſſent, comprobata ſunt.

Britonię ducatus cũ delphinatu comunctus.

Alterum Regis & Angli colloquium.

Bellaivs & Pomeræus in Anglia cum rege de die, loco, ratione, ordine & ritib. habendi illius congreſſus tranſigunt. Vt autem de ritibus in ea re ſeruandis ſtatueretur, Rex curam Mommorencio præfecto prætorij & Galliæ mareſchallo committit, Anglus duci Northfolco, vt eorum conſilio atque conſenſu res tota gereretur & adminiſtraretur, non ſecus ac idem factum fuerat ab eodem Mommorencio & cardinali Yorcano, quum hic Compendium ille in Angliam iter feciſſet: quemadmodum horum cõmentariorum lib. primo dictum eſt. Rebus confirmatis Boloniam nauigauit Anglus circiter viceſimũ Octobris diem anno 1532 à Rege & filijs exceptus. Poſt amiciſſimos complexus & vera fraterni amoris teſtimonia, in ædibus cœnobij Bolonienſis ambo cocunt,

cocunt, vt dimidia illius pars ab vtroq; teneretur. Ibi Rex Nothfolcum & Suthfolcum duces torque cochleato (hoc insigne est equestris in Gallia dignitatis) donat, Anglus Mommorencium & Philippum Chabotum Brionium Galliæ amiralium sua perisceli-de ornat. Post epulas & reliquas omnis generis oblectationes Bolonię exhibitas, quibus tum Galliæ tum Angliæ principes & cardinales cum maxima antistitum & nobilium parte interfuerant, ambo simul Caletum proficiscuntur, vbi Rex non minori splendore quàm Anglus Bolonię maximo totius nobilitatis & reliqui comitatus plausu excipitur. Illic eiusdem mensis die vicesimooctauo eodem anno fœdus in hæc verba ineunt. Quanquam non dubitarent quin maleuolis obtrectatorum sermonibus, quibus
10 sua existimatio lædebatur, nihil loci neque fidei apud homines sanos esset, sed se tales semper habitum iri confiderent, quales reuera sint, nempe nominis Christiani amplificandi in primis studiosos: (cuius rei testimonio essent oblatæ ab ipsis cõditiones ad propulsandum bellum Turcicum) tamen quum magnopere sua referre intelligerent hanc suam voluntatem omnibus in dies notiorem fieri, reliquosq; principes secum coniungi cuperent, vt omnium consilio dispiceretur quid quisq; virium ad sanctum hoc opus cõferre queat, qua ratione locis periculo viciniorib. consuli possit, quibus Turca, siue susceptum bellum prosequatur siue aliud nouum machinaretur, imminere videtur, se cõsilia ad eam rem suscipiendam in illo congressu contulisse. Quamobrem licet sibi nuntiatũ esse eo ipso loco meminissent Turcam copias abduxisse, tamen veriti ne huiusmo
20 di receptus ad nouam cladem inferendam institutus esset, (præsertim quum bonam exercitus partem in Vngaria reliquisset) statuisse, siquid huiusmodi contingeret, exercitum cogere millium octoginta hominum, in quibus equites ad numerum decem milli um essent, cum tormentorum multitudine quanta satis esset: neque nisi mutuo consensu has copias dimitti aut seiungi posse. Deniq; missuros se ad eos per quorum fines iter illis esset faciendum, siue in Italia siue in Germania, vt sibi eorum voluntate sine vllo mã leficio, cibis pretio comparandis transire liceret.

Fœderis inter Regem & Anglũ formula.

Anglus de papa duriori imperio conqueritur.

Præter istud fœdus Anglus apud fratrem Regem gratuiter de iniuria cõqueritur quam sibi à Papa in re diuortij fieri cõtendebat, quem eò etiam vellet adigere vt vel ipse
30 Romam proficisceretur, vel certum aliquem cum mandatis & procuratione, qui ipsius nomine Romæ litigaret. Hoc verò neq; vllam iuris rationem pati, neq; vllo exemplo fieri posse. Imò quoties tale quiddam in summorũ principũ causa accidisset, iudices ad eorum ditiones mitti consuesse: quòd & tale negotium, quo magis ex sese nihil quisquam habere potest, vt pote ad animi causam pertinens, ac de quo suis cuique verbis respondendum est, parum tutum est procuratori mãdare: & principem verò relicta regni administratione & cura Romam proficisci, cuius æquitatis esset? Conquerebatur etiã nimium graues exactiones ab Ecclesia Romana in Anglicani regni clerum & plebem fieri: quib. verbis Regem in papam & Ecclesiam Romanam exacerbare conabatur. Summa enim cõtentione laborabat vt ambo legatos ad papam mitterent, qui cum ad totius
40 Ecclesiæ concilium quasi vadimonio denuntiato vocarẽt, vbi audiret quàm multa præter ius & fas per summã iniquitatẽ in principes Christianos & eorũ populos faceret, eaq; omnia concilij autoritate atq; iudicio emendarentur & reformarentur. Id verò Rex nõ planè sibi denegandum esse censuit: verùm quoniam papa ab eo per cardinalem Gram montium petierat vt Niceæ vel Auenione post Cæsaris in Hispaniam reditum coràm posset colloqui, Anglum amicè rogat vt res in aliud tempus reijciatur. Atque vt planum faceret sibi quoque in animo esse cum papa expostulare, suas nec paucas nec leues querelas commemorat, quòd nimium grauatè ille videretur concedere vt decimas quasdam ex amplissimis cleri facultatibus ad Turcicum bellum propulsandum accipere liceret: remque ab eo diutius per dissimulationem trahi conquerebatur, quam antea liberalius promisisset. Accedebant nouæ & immodicæ exactiones quas Romæ fieri
50 in diplomatibus conficiendis Ecclesiam Gallicanam apud se conquestam esse dicebat, ex quib. hæc mala consequi, regnum Gallicum pecunia quę efferebatur exhauriri, cleri opes extenuari, sacra ædificia non instaurari, deniq; mendicos, vt æquum esset, non ali. Quæ omnia vt vera esse constaret, afferri à clero quòd caducaria sacerdotiorum iura, in quibus nullus seruatur modus, summo iure exigantur, quòd multitudo noua ministrorum præter morem introducta sit, quibus satisfieri, quum diplomata conficiũtur,

Ecclesiã Galli canam Roma næ curiæ exactionibus vexari.

1532. præter id quod antea persolui consuesset, oporteat: quòd qui in demortuorum locum allegendi sunt, id pecunia quæ ad papæ fiscum redeat, emere soleant, quòd hostiarijs, cubicularijs, protonatorijs, eorumq; pueris cursoribus & famulis non leuis pretij munera danda sint: quòd ad Apostolicas basilicas instaurandas ingentes pecuniæ cogantur, quę fere tamen ad bellum cum Rege gerendum profunduntur: quòd diplomatum multitudo imperetur vbi vnico opus est, multa etiam alia per fraudem fiãt, quæ nulla ratio, nullum ius fieri postulat: vt nihil aliud quàm pecuniæ aucupium & nundinatio videatur. Quòd quum antea caducarium illud ius in ijs tantùm locum haberet qui in demortuorum vicem sufficiebantur, nunc in ijs etiam facerdotijs exigatur, quæ quis dispensatione (quam vocant) consequitur: quòd quum in re aliqua quæ iure prohibita sit, legis gratia vel relaxatio fit, ibi arbitrariæ compositiones immodicæ sint & exitiosæ: quòd denique semestris illa prorogatio facerdotij incundi, quæ ijs decernitur qui in locum alicuius se abdicantis alleguntur, causa sit cur plurima per falsimonium & adulterationem fiant, vt vera esse euentus comprobat. Ad hæc vitia emendanda multos sæpenumero à se contendisse, vt Ecclesiæ Gallicanæ concilium indiceretur: se tamen adhuc eunctatum fuisse, quòd expectandum sibi intelligebat, dum papa ipse huic malo prospiceret. Verùm quum ducatus Britoniæ ordines conuocasset, sibi à totius huius regionis clero grauissimas querelas fuisse exhibitas, in quibus multa essent adeo fœda & turpia, adeo offenden dis piorum animis obnoxia, adeo ab ea charitate qua Ecclesiam florere decet aliena, vt

Rex de papa conqueritur.

nihil suprà: vt sibi nequaquam credibile sit ista papæ nuntiata esse. Ad extremum se priuatim quoque grauissimas expostulandi causas habere, quòd quum papam non lateret quàm propensum animum & paratam operam ad defendendum orbem Christianum ostendisset, se tamen sciret illo sinente & conniuente per calumniam accusatum esse, neque vllam interim ab eo significationem datam fuisse, qua se immeritò fuisse incusatum constare velle videretur: quum tamen summam semper diligentiam adhibuisset, vt quoties falsis criminationibus impetebatur, papæ purgatus esset. Quinetiam episcopum Verulanum à papa ad Heluetios necessarios suos & fœdere coniunctos missum, tum occultis coitionibus tum alijs rationibus nihil non feciſſe, quò fœdus quod illis secum intercedit solueretur: quanquam se longè aliter tum de sede Apostolica meritum esse recordaretur, tum de ipso priuatim papa, postquam ad summæ dignitatis fastigium euectus fuerat: quique se Ecclesiæ addictissimum & obsequentissimum filium semper præstitisset. Nihilominus tamen sibi placere, vt antequam misso legato (quemadmodum fratri suo charissimo se facturum recipiebat) papam de hisce vitijs tollendis commonefacerent, leniore alia via rem aggrederentur, ad quam tam idonea facultas tum temporis dari videretur.

PER id tempus Cæsari Genuæ nuntiatur Turcam cum exercitu Vngariam ingressum, in Austriam ipsam contendere. Quo nuntio tamen nequaquam de itinere in Italiam suscepto deductus est, sed propriam ditionem & ipsum fratrem libidini hostis obiectum deserere maluit, & progredi, vt papam conueniret, perseuerat. Rex iniquum in se Cæsaris animum satis perspexisse videbatur, neque Anglus ipse ignarus erat: cui etiam Cæsar non minus infestus erat ob diuortiũ quod ille moliebatur. Cuius causa papa quoque acerbiori in Anglum erat animo: vt suspicaretur à duobus istis Regibus aliquid in suum incommodum susci pi posse. His causis permoti statuunt vt ad papam Turnonius & Grammontius cardinales, vt pote ipsius velut genimina proficiscerentur, quę specie prosequendi in congressu illo cũ Cæsare obseruarent, occurrerentq; nequid grauius in se statueretur, aut certè siquid huiusce modi accideret, per illos certiores facti suis ratio nibus prouiderent. Iis Rex in mandatis dedit, vt papam tãquam ipsius proles & filij obsequentissimi monerent, quemadmodum duo potentissimi Reges multos grauiter queri, expostulare & indignari ob præsentem rerum statum audiissent. Quibus rebus addu ctos statuisse per communes legatos denuntiare vt istas equissimarum querelarum ansas præcideret: sin minus vellet, se ita rem curaturos, vt illi constaret quã non essent horum duorum vires contemnendæ. Quare docerent & omni ratione persuaderent officij illius esse, videre vt duobus Regibus satisfieret, maximè ipsi Anglo, cuius res non minus ac si suum decus & fama agatur, eurę sibi esset. Monerent præterea vt ille etiam atq; etiam apud se cogitaret quàm commodum & vtile ei esset duobus Regibus amicis & propitijs

Regis & Anglis ad papam legati.

propitijs vti, quàm detrimentosum contrà tum illi tum ipsi sedi Apostolicæ foret, si eos abs se alienaret: præsertim quum tam firma & intima inter eos coniunctio coaluisset, vt nemini iam vllo pacto dubitandum sit quin omnium quæ gesturi sunt vna videatur ratio & voluntas: hoc profecto certissimè statui possit, eam esse illorum potestiam, vt cum socijs & auxilijs tum publicis tum occultis magnum quiddam, quum suscipere libebit, perficere posse videantur. Quam rem illi summopere considerandam esse, ne eos irritet, & ad moliendum aliquid perpellat, ex quo in posterum ingens damnum & immensus dolor compararetur. Etenim si concilium totius Ecclesiæ indici semel postularent, (quum in suo vterque regno & ditione cum alijs qui se ad illos aggregare vellent, separatim possint cogere) id q; si illis vel denegaret, vel si differret, eius moram & tarditatē pro denegatione haberent, ac sic absque eo indicerent & conuocarent, suam causam cæteris principibus Christianis facilè probaturos esse, quum expostulationes grauissimas in medium adducerent, quibus vel pares vel etiam grauiores expostulandi causę suppeterent. Hinc futurum esse vt omnes suis vetarēt ne Romam pecunias ferant, neu mittant, siue directò siue indirectè, siue collybo siue alia permutatione: talemque mulctam denuntiarent, nisi decreto pareatur, vt facere contrà audeat nemo. Ad ista etiam adderēt, se Regem Christianissimum audisse, quum diceret, si papa suis ditis & potificiæ censuræ imperio in se suosque sæuire vellet (quod tamen illius maiores in Regem Gallię facere haud quaquam consueuerunt) vt sibi Romam esse tandem eundum videret, quò caput deuotum maledictis liberaret, se tanto comitatu stipatum iturum esse, vt nihil libentius faceret quàm vt primo quoq; tempore eum sibi placaret. Videret insuper quo loco iam sint Germani, Heluetij & complures alij populi ex familia Christiana, quemadmodum se ab imperio Romani pontificatus subduxerint. Quòd si duo potentissimi Reges idem facere in animum inducerent, id q; iuris non obscura specie, quòd æquissimis suis postulatis nihil apud illum loci fuisset (quod non prorsus falsò ab his iactaretur) periculū esse ne multi ad eos se se adiungerent, & cōiunctis copijs, sociorum quos vel apertos vel occultos (vti dictum est) habent accessione, nihil mediocre molituros, vt eorum conatibus egrè obsisti posset: ficq; pro ea pace qua nunc Ecclesia Christiana fruitur, bellū longè quam antea fuerit, grauius oriturum esse.

PRÆTER hæc mandata Rex istis cardinalibus iubet, vt si papam animo in leniorem & moderatiorem sententiam maximè in re Anglicana propendere viderent, sermonem obiter tanquam à se ex tempore excogitatum de congressu illo Nicæno aut Auenionensi inijcerent: Regem deinde confirmarent effecturū vt Anglus quoq; illic adesset, vbi omnia pacatè & amicè transigi possent, commodissimum factu videri, si antè congressus haberetur, quàm denuntiatione illa à Regibus facta res in neruum iamiam eruptura videretur. Hæc inter fratres coniunctissimos Reges conueniunt. De quibus Rex certiorem fieri Tinteuillanum Altissiodorensem episcopum iubet, quem apud papam oratorem habebat, vt quoniam cardinales illi apud papam adfuturi erant quum Cęsar illum conueniret, videret ille quemadmodum eorum mandata sua oratione subsequeretur. Nominatim eis Rex disertis verbis mandat omni studio & cōtentione cum papa agant, vt Anglo petenti iudices in Angliam mittat. His confectis rebus Sanjoquinerti Reges à se mutuo discedunt: illuc enim Anglus Regem prosequutus est. Mompesatus vna cum eo nauigat orator Regis in Anglia futurus.

REX illinc reuersus Lutetiæ & locis finitimis hyemat, multos regni antistites ad se conuenire iubet, demonstrat magna sibi antea obeunda negotia extitisse, maiora imminere, quibus prospici necesse sit, spontaneum aliquod subsidium ad ea conferri ab ijs petit. Hi licet nullum à papa diploma proferretur (quod in huiusmodi rebus fieri solet) eum gratia binas aut etiam ternas decimas concedunt. Ibi à suo oratore Tinteuillano per literas fit certior, papam, vbi audisset cardinales Turnonium & Grammontium sibi, quum Cæsarem alloqueretur, præsto futuros, rem sibi valde gratam esse ostendisse, imò postulasse vt à Rege autoritatē haberent agendi de ijs quę Christianæ reip. prosutura viderentur. Rex Anglo ista nuntianda curat, vt quid sentiret, an illuc quoq; mittere cogitaret intelligat. Quod quū ipse, pbaret, duos illi legatos pari autoritate illuc mittunt. Die 4 Ian. 1533 nostrates cardinales Bononiā veniunt, quò iā papa & Cæsar cōuenerant. Cæsar inter cætera præcipuè fœdus quod antea cū Italię dynastis inierat, renouare reno uandoq;

Rex ab Ecclesiastico ordine pecunias accipit.

1533. uandoq; amplificare (sic tamen vt in ea re ex Regis incõmodis, cõmoda pararet sua) conatur: eiq; vt Genua quoq; inscriberetur postulat. Inscribẽdi causam prætexebat, quòd Rex pactionis Cameracensi omni Italia atque adeo Genua se abdicauerat: quare quum

Cæsar Regem Italia præsul excludere conatur.

Rex illam cedendi formulam ad rem Genuensem non pertinere contenderet, non aliam hominis mentem esse, quàm vt portam sibi reseruaret, qua ingressus nouas denuo reliquæ Italiæ turbas daret. À quibus vt prorsus arceretur, publicè enuntiari oportere, Genuam in hoc fœdus ascitam in Cæsaris & sociorum Italiæ dynastarum fidem & clientelam accipi. Papa iam nonnihil inaudierat de querelis illis Galliæ & Angliæ Regum, vix vllam spem subsidij aut leuationis à Rege sibi reliquam esse sentiebat, Cæsarem sibi instare nunc prece ac pretio, nunc minis & terrore videbat, vt hanc fœderis promulgationem ratam haberet. Quibus rebus prope eò adducebatur vt Cæsari gratificaretur, seq; illi totum crederet, & eodem rerum exitu cum illo vteretur. Neq; eum quicquam remorabatur, nisi quòd rem paulisper prolatabat, dum videret quid aduentus cardinalium adferre videretur.

Cardinales Regis mandata exponunt.

CARDINALES in ipso aduentu quo loco res essent, intelligunt, non parum esse periculi vident, si primò Regum querimonias ordine narrarent, ne ille omni abiecta spe animum desponderet, ex quo efficeretur porro vt Cæsar quò vellet eum statim præcipitem daret, cuius deinde autoritate suo arbitratu aduersus Anglum vteretur: quo denique exacerbato motus & turba in Christiana Repub. oriretur. His rebus consideratis mandata quæ habebant præpostero ordine exequi, & initium à postremo capite ducere statuunt: quumque eis imperatum esset vt à duriori oratione exorsi in leniorem desinerent, diuersam planè viam insistunt. Itaque ei pro eo ac illi sedique Apostolicæ fœlicissima omnia cupiunt, ostendunt quantopere studere debeat vt Regis Christianissimi animum retineat, quem & dignitatis illius & quietis Italiæ cupidissimum esse sensérant. Eum enim præter quàm quòd plurimum in eo studij posuerat, vt exulceratum Angli charissimi fratris animum mitigaret: in quo non parum profecerat (cuius rei narrationem in aliud tempus reijciebant) simulatque intellexisset quàm ille cuperet Italiæ quieti consulere, vereríque ne specie Genuensis controuersiæ aliquid à se turbarum oriretur, sibi in mandatis dedisse, vt si per eam tantùm contentionem sterat quominus pax Italiæ tuta ac firma esset, vt illi conditionem hanc suis verbis ferrent, quicquid controuersiæ sibi cum Genuensibus intercederet, se illius iudicio stare velle: & quicquid hac in re adhuc sibi seruasset, eo consilio feciſse vt de certis & priuatis Genuensium offensis pœnas sumeret, quas ipse papa nosset. Quare caueret ille etiã atq; etiã ne Genuenses in vllũ fœdus asciscerentur cuius ipse particeps esset. Causam esse, quòd pacto Cameracẽsi Cæsar & Rex Apostolicum iudicium se subire professi fuerant, neque causam dicere quin sententiam in eum ferret qui prior pactum illud violaret: id vt fieret, causam primùm cognosci oportere, quod omnino papæ ius sit. Quamobrem si quid Rex aduersus Genuenses moliretur, idque Cæsar contra fœdus fieri contenderet, nullum quàm ipsum iudicem inter litigantes quæri posse. Qua iudicij & causæ æquitatis cognoscendæ autoritate se ipsum priuaturum, atque adeo omnem pacandæ Christianę plebis facultatem sibi adempturum, imò in litigantium ordinem relicto patris communis munere redituram esse, si fœdus ineat in quod Genuenses asciti sint. Quinetiam hoc illi confirmabant, si (quemadmodum iam per legatos tentatum fuerat) cum Nicæę, Auenione aut alio finitimo loco conuenire in animo haberet, eum præsto esse, cumque iudicem de tota Genuensi controuersia ferre constituisse: quin & operam pro viribus daturum vt Anglus frater optimus vel ipse adsit, vel cum vberrimis mandatis quempiam mittat, qui de diuortij causæ obscuritate semel transigat. Denique quæ res agi antea cœptæ necdum perfectæ inter ipsum & ducem Albaniæ cum cardinali Grammontio fuerant, promittunt fore vt in eo congressu (si quidem habendus esset) de ijs rebus semel decideretur.

HÆC omnia mirum in modum Papæ placuerunt, eoque magis quòd nonnihil spes & præsidij à Gallia sibi adhuc sperandum videbat: hancque rimam sibi datam esse vehementer lætari cœpit, qua Carolo instanti & ad hanc fœderis amplificationem adigenti elaberetur. Sic enim habendum est, hos sermones antè à Papa cum illo duce & cardinali habitos quos nunc isti cardinales in memoriam reduxerant, eiusmodi esse, vt maximè ad ornandam amplificandamque ipsius familiam pertinerent, quam ille sum-

mo

mo ſtudio proſequebatur. Qui ſermones iam proferendi à nobis ſunt. Quo tempore dux Albaniæ (vti ſuprà demonſtratum eſt) ad papam miſſus fuerat vt cum reliquorum principum ac populorum legatis de pace & quiete populi Chriſtiani, quaque ratione Turcæ infeſtiſſimo hoſti & reliquis huic nominj inimicis obuiam iretur, poſtquam Cęſaris oratores cum alijs negarunt ſibi quicquam in mãdatis hac de re datum fuiſſe, papa facultatem nactus qua de neptis ſuę duciſſæ Vrbini negotijs cum duce Albaniæ cõſanguineo, quique illius materteram aliquando in matrimonium duxerat, priuatim ageret, venit in eum ſermonem qui à papa Leone antea in medium prolatus & à ſe denuo vſurpatus fuerat, de conficiendis nuptijs Henrici minoris natu Regis filij, Aurelij ducis & ipſius duciſſæ. Quam ad rem papa ipſe vt neptis fortunas augeret, & matrimonium ornaret, in dominatus formam redacturum ſe pollicetur Rhegium, Mutinam, Ruberiam, Piſam, Ligornam, inſuper Placentiam & Parmam, ſi minus conditione vberrima, at commutatione certè aliarum poſſeſſionum, vt ſic paria faceret. Qua donatione abipſo confirmata poſtquam Albaniæ dux & cardinalis menſe Aprili anno 1531 Regi hoc probari intellexiſſent, mandatumque ab eo accepiſſent conditionem latam eius verbis accipiendi, papa ſponſo futuro ſe auxilium & opem laturum recipit quantum inter ſe iudicarent, quò ducatum Mediolanenſem recuperaret: cuius nempe ius ad eum pertineret, partim quia Cæſar Maximilianus Ludouicum duodecimum in illius poſſeſſionem miſerat, partim quia illi ceſſurus eſſet Rex ipſe cum reliquis filijs, Delphino & Angoliſmenſi, ſe præterea duciſſæ nepti auxilio futurum vt ducatum Vrbinenſem recuperaret. Hanc donationem die Iunij inſequentis nono per literas fecit quas manu ſubſcripſit, iamque tum vt re præſenti fidem dat poſſeſſiones ſuprà commemoratas ſe Regi traditurum quibus inter illos conditionibus conueniret, matrimonio nempe antè conſummato: quod porro ad Vrbini ducatum attineret, ſe dimidiam ſumptuum partem ſuppeditaturum eſſe, exceptis tamen equitatus regij ſtipendijs, quòd illa ordinario autoramento perſoluuntur.

Papa Catharinam Medicæã neptem Henrico Regis filio nuptum dare conatur.

PAPA tametſi hos de matrimonio illo ſermones antea habitos fuiſſe meminerat, non tamen tantum ſibi honorem à Rege habitum iri ſperare audebat, vt rem perficivellet. Verùm iſtud de integro repetitum colloquium ab iſtis cardinalibus (ex quibus alter ſuperiori illi interfuerat) nouam illi lætitiam & animi confirmationem attulit, vt ſe non omnino ad Cæſaris voluntatem ac nutum conformaret atque obſequeretur. Itaque & congreſſum illum cum Rege fieri ſibi placere oſtendit, ad quem literas manu ſua ſcripſit, quibus interim rogabat nequid enuntiaretur antequam Cæſar in Hiſpaniam veniſſet. Cardinales noſtrates, vbi illum omni metu vacuum animaduerterunt, cùm reliqua illi mandata quàm poſſunt maxima dexteritate exponunt, tum verò rem Anglicanam aggrediuntur. Hanc enim nouis ſubinde literis quas quaternorum ferè dierum interuallo accipiebant, Rex illis commendabat, diſertis verbis præcipiens ne illius negotium minore cura quàm ſuum complecterentur: imò de ſuis quicquid in medium illis afferretur, ne omnino agerent nedum ſtatuerent, quin Angli oratoribus notum fieret, placeret, probaretur. Itaque cum illis cardinales conſilia ſemper non modò de diuortij negotio, verùm etiam quacunque de re literas à Rege acciperent, contulerant. His vbi res quo loco tum eſſet conſideraſſent, placuit in rem ſui Regis maximè eſſe nequid præpropere agatur, neúe ea res vllo pacto prius attingatur quàm Cęſar diſceſſiſſet: ſatis ſibi eſſe ſi operam dent ne Papa in Regis cauſa, quod illi incommodaret, quicquam amplius decernere maturaret.

Papa non omnino Cæſari obſequitur, vt Regis amiciti am captet.

ALIQVOT poſt cardinalium aduentum diebus Cæſar ſatis ex papæ vultu atque oratione illius in ſe voluntatem minus quàm antea propendere intellexit, eiusque rei quænam cauſa eſſet ſuſpicari cœpit. Nam de matrimonio nonnihil aliquando inaudierat, quum papæ ipſius iuſſu hoc illi nuntiatum eſſet. Quinetiam quum hac de re ſententiam papa rogaret, Cæſar quòd rem non confectum iri exiſtimaret, eam vt vrgeret autor fuerat: poſtea quum rem vt ſe habebat, liquidò cognoſceret, vt Regis conatum auerteret, Canneſio & Granvellano imperat vt cum papa de matrimonio ipſius neptis cum Franciſco Sfortia agerent. Hanc conditionem papa ſibi ornamento & gloriæ fore fatetur ille quidem, verùm de altera illa orationem iam non parum proceſſiſſe apertè oſtendit. Hoc quidem fatetur, illam tam ſplendidam ob familiæ ac gentis digni-

1533. tatem ſummumque gradũ, ſi cum ſua conferatur, ſibi videri, vt vix (ſi quod res eſt dicere libet) eò ſibi aſpirare liceat: verùm quando ſermonibus crebris habendis res huc deducta eſſet, non poſſe ſe abſque Regis offenſione, à quo tantum ſibi honoris tribui videret, prius ad aliam conditionem accipiendam animum appellere, quàm Rex ipſe de ſua agere deſtitiſſe videretur. Accedere huc, quòd neptis in Gallia bona poſſidebat quæ quinquies vel ſexies centenis coronatorum millibus eſſent, quæ omnino publicarentur, ſi quidem extra regnum cuiquam abſque Regis voluntate ac venia nuberet.

Cæſar Catharinæ neptis auertere cona tur.

EXCIPIVNT Canneſius & Granvellanus, principiò quod ad bona ſpectet, quorum publicatio metuebatur, Cæſari in manu eſſe quibus abundè hanc iacturam compenſaret: bona illa Gallicana, quantacunque eſſent, æqua aut etiam ampliori conditione permutaturum in tractu Mediolanenſi bonis quæ pleno mancipij iure ipſa cum ſuis poſſideret, quibus ſúque illam iam nunc potiri ipſius ducis conſenſu iuberet. Ducem ad hæc omnia ſeruanda non recuſaturum quin & fidem obſtringeret, & quibus papa vellet conditionibus in poſterum caueretur. Conditionem quidem illam Aurelij ducis ſatis ſcire ſe iſta ſua longè eſſe ampliorem & ornatiorem: ſed cauſam non eſſe cur eam ſibi polliceretur, aut putaret à Rege alio animo de ea ſermones inijci, niſi vt falſa ſpe illum lactaret, illiuſque ope ad ſuum commodum, quandiu ſua intereſſe videret, vſus, poſtea illũ deſereret. Id an verum ſit, vt periculum faceret, cardinales rogaret, num de hoc matrimonio peragendo mandata habeant. Quod ſi negarent, id verò idonco eſſe argumento Regis conſilium non aliud eſſe quàm quod ipſi indicaſſent. Papa quod ſuadebant facit. Reſpondent cardinales ſibi mandata tum literis ſcriptis, tum oratione coràm habita à Rege data fuiſſe: verùm licet ſigno & chirographo nondum confirmata eſſent, recipiebant tamen alia ſe propediem probatæ autoritatis accepturos eſſe.

PERGEBAT nihilo ſecius interim Cæſar hanc fœderis amplificationem Genuenſibus etiam aſcitis vrgere: quum papa recuſandi cauſam ſuprà commemoratam afferret, quum iudex ambobus probatus eſſet, ſibi iam non eſſe integrum vt ad alterutrum ſuffragio accederet. Dux Vrbini, quòd ad ſe rem priuatim ſpectare intelligebat,

Veneti oratiõem ſubinde mutant.

à Cæſare ad Senatum Venetum ſolicitandum mittitur. Veneti palàm vno verbo negant ſibi eſſe in animo hoc fœdere arctius obſtringi quàm obſtricti eſſent: itaque re infecta diſcedit. Horum oratores noſtratibus cardinalibus ſeparatim dicunt, hoc ideo reſponſum ab illis eſſe, ne Regis animum offenderent: papæ & Cæſari aliam afferunt cauſam, hoc ab eis fieri non poſſe quin Turcam grauiter offenderent, quicum ſibi induciæ aut pax etiam iureiurando confirmata intercedebat, cui Andreas Auria bello infeſtiſſimus fuiſſet: eum autem patria eſſe Genuenſem. Ita diuerſis locis alia atque alia ratione factum ſuum defendebant. Ferrarienſis nullum non mouebat lapidem quò res perficeretur, quòd hac quidem ratione, ſibi Rhegienſem & Mutinẽſem dominatum ſe in tuto collocaturum ſperaret. Papæ hanc ferebat conditionem, ſe ſupra iudicium à Cęſare in cõſilio datum centum coronatorum millia præſenti pecunia illi numeraturum. Quam conditionem papa non accepit, neque hoc iudicium ratum habuit. Cęſar quum initio de hoc fœdere amplificando ad hunc conſeſſum referret, ſocios monuerat, vt ſumptuum æſtimatione facta de impenſis in militum ſtipendia faciendis, quantum cuique conferendum eſſet viderent: opus eſſe magnis viribus ad quietem Italiæ & paecem turò ſeruãdam, nequa ratione ab hoſte ex improuiſo opprimatur: has impenſas in menſes ſingulos poſſe ad centena vicena coronatorum millia exercẽſcere, primi menſis ſtipendium iam in manum cuiuſdam menſularij Genuenſis prærogatum tradi oportere, tantæ feſtinationis cauſam eſſe periculum aduentus Turcici, ab his pecunijs contribuendis ſe immunem eſſe debere: ſibi enim maximos ſumptus faciendos eſſe ſi quando bellum (à quo non longè abeſſe videretur) ingrueret. Denique ita diligenter ſuaſerat, vt tantumnon perſuaſiſſe videretur. Verùm ſimulatque tanta contentione ſe de Genuenſibus aſciſcendis laborare oſtendit, coactus eſt detracta larua ingenuè fateri, ſe, quicquid huius faceret, Regis metu facere, in quem grauiſſimè & acerbiſſimè, quaſi is eſſet qui publicam pacem turbare ſoleret, inuchi cœpit.

Cardinales à Rege miſſi, Cæſari reclamãt.

HVIC occaſioni cardinales Galli & orator Regis minimè defuerunt, quin firmiſſima orationis fundamenta iacerent, qua tum omnes ſigillatim tum vniuerſos ſimul cõ

pellarent,

pellarent, firmissimis rationum momentis demonstrantes Cæsaris postulata non ad pacandam sed turbandam Italiam pertinere, hoc sine vlla dubitatione, dum ita vrget, agere vt suum in Italia exercitum alienis sumptibus alat, quem nulla sua impensa, simulatq; opportunam facultatem sibi nactus videretur, in Regem moueret. Iam verò si permittatur has in Italia copias habere, non est dubitandum, inquiunt, quin Rex illas sui oppri mendi causa haberi arbitratus, alias in limitibus Italiç, marchionatu Saluſsiano & in Del phinatu paratas sit habiturus, ne Cæsar nec opinantem adortus negotium faceſſat. Quę vbi ita essent, magnopere metuēdum est vt duo exercitus adeò propinqui diutius contineri possent, quin causa hinc vel inde præberetur vt in contentionem venirent, atque adeò ex modica scintilla graue incendium ad totius Italiæ interitum excitaretur. Accedit etiam hoc mali, quòd Italiæ dynastæ interim suis impensis in suam perniciem maximum exercitum aluisse videbuntur, quo ipse tandem ad eorum libertatem opprimendam fortasse vtetur. Ille enim hominis conatus, quo obliquè hoc agebat vt Genua non tanquam libera in Italia ciuitas, sed tanquam Cæsaris clientela in fœdus inscriberetur, & aliæ eiusdem fatis apertæ molitiones ita illius mentē testantur, vt iudicare facilè queant eum totius monarchiæ imperium ad se rapere statuisse.

HÆC nostrorum oratio sic eos affecit, in camq; partem ab eis accepta est, vt pedetē tim hoc decretum fuerit, nullam pecuniæ repræsentationem aut depositionem faciendam esse, sed socijs pro se cuique videndum esse quotam sumptuum partem (quorum summa menstrua ad centena vicena coronatorum millia excreſceret) exorto in Italia bello ferre deberet. Placuit etiam vt Cæsar legiones ex Insubria deduceret, ne Regi iusta occasio alium exercitum in Italiæ ora habendi præbita videretur: tātùm Antonium Leuam fœderatorum imperatorem relinqueret, aliquot etiam cēturiones & tribunos, qui statim copias colligere, si quid opus videretur, parati essent: quibus in singulos menses stipendia ab omnibus socijs quinquies & vicies mille coronatorum persoluerentur. His ita constitutis Cæsar ex suo exercitu in Hiſpaniam tria hominū millia remittit, Neapolim totidem ferè, reliquos dimittit. Ferrariensis fœderi inscribitur, ea lege vt papa assentiretur se in sesquianni spatium illi non fore molestum, nec quicquam Rhegij & Mutinæ tētaturum, neque tamen idcirco Cæsaris quod suprà diximus iudicium probaret. Inscribuntur etiam Genuenses, sed velut fœdus ipsi suo nomine contrahentes, non tanquam in fide & clientela Cæsaris essent, licet id ab illis rursus Cęsar magnopere contenderet. Aderat illic quinq; apud Heluetios pagorum orator, qui à papa & Cæsare auxiliū petebat, si fortè reliqui pagi, qui se à papali dominatione subduxerant, bellum inferrēt. Quum is quoq; vt hoc fœdus amplecteretur eorum à quibus missus fuerat nomine rogaretur, negauit sibi ea de re quicquam in mandatis datum fuisse.

Rex Cathari-nam Medicē sibi nurum se riprobat.

PER id tempus, imò iam inde à medio mense Februario literæ à Rege cardinalibus & oratori redduntur, quibus nominatim potestas illis fiebat perficiendi quæ ad coniugium ducis Aurelij & ducissæ Vrbini spectabant. Quæres Cæsari valde mira accidit, qui nunquam suspicatus fuerat (vt quidem Papę dicere solebat) Regem missurū esse: quamobrem papæ persuadere conabatur, hæc tantùm in speciem ab illo fieri, hoc inde facilè intelligi posse, quòd si vehementius eos premere perseueraret vt res ad exitum deduceretur, tergiuersaturos illos, neq; progressuros. Id verò quum etiam cardinales & orator Regius se perfecturos recepissent, multo magis obstupuit Cęsar, quòd spe falli se videret qua papā sibi aduersus Regem conciliaret. Hoc saltē ab eo tum cōtendit ne quatuor illa capita in pacisc endo prætermitteret, quæ sibi iam tum promissa fuisse prædicabat, quū illi autor fuisset vt hanc affinitatis ineundæ rationē amplecteretur: de quibus tamen papa sibi ab illo verbum vllum factum vnquam fuisse negabat. Primum erat, vt à Rege hoc promissum obtineretur, nihil illum in Italia nouaturū esse: alterum, vt pactum Madrilianum & Cameracense renouaret: tertium, vt seriò confirmaret se de concilio habendo assentiri: quartum, vt fide data se obstringeret Anglum nihil præter id quod hactenus factum fuerat, in causa diuortij moliturum. Ad ista papa respondet tanti apud se esse honorem & decus quo gentem suam à nobilissima & clarissima familia cohonestari illustrariq; videbat, quum affinitatem non respueret, vt illius non suum esse duceret conditiones illas ferre & addere. Se quidem omnem operam & autoritatem apud Regem & reliquos principes eò conferre paratum esse, vt firma & constans in omnib. pax colatur.

1533. *Cæsar à papa vt concilium cogat petit.*

Hæc concilij mentio, in quam nunc incidisse me video, commonefacit me & inui tat, vt quæ antè ea de re acta fuerant recenseam. Cæsar Germanis pollicitus effecturum se vt intra annum concilium cogeretur, cum papa per literas egerat vt huius rei perficiendæ curam susciperet vellet, simul capita aliquot misérat, quib. nonnulle moderationes significabantur, quas in eo conuocando obseruandas esse putabat: maximè quod ad hę reticam prauitatem corrigendā, ad Turcicos furores reprimendos & diffidia inter principes Christianos cōponenda attinet. Papa hoc perlecto scripto, viris quos apud se à consilijs habebat doctrina & eruditione præstantib. imperat vt denuo legant & examinent, deinde sententiam ad se referant, quò videat quid ad ea responderi operæpretiū sit. Hi quæ paulo pòst subijcientur respondent, caq; Papa primùm per archiepiscopum Corto nensem Bononię præfectum Cæsari significat: postea etiā eadē scripto cōprehensa sunt, quod illi à cardinali Campegio legato, deinde à protonotario Gambaro, quem apud illū nuntiū & oratorem habebat, exhibitum est. Quod ad primum attinet, de refutandis & reformandis hæresibus, hoc illi etiam atq; etiā considerandum esse contendebant, quū concilium totius Ecclesiæ nominatim & priuatim huius rei causa instituretur, si qdem illuc admitterentur hæretici, vt potestas illis disputandi fieret, quò impias opiniones de fensarent, quæ à sacrosanctis concilijs iampridem damnatæ essent: rem pestimi exempli fore, & periculum non obscurū esse, vt in posterum licere putarent, quæcunq; cōstituta antiquitus, decreta & diuturna obseruatione confirmata essent, ea in dubiū & quæstionē reuocare. Ita principia ipsa & capita fidei controuersijs nouis subinde agitari & versari, neq; vllum doctrinæ cuiusquā certum fundamentum constitui posse. Ex quib. tum nouæ & innumeræ occasiones extarent vel recentiū errorum, vel veterum, qui interpolati rursus prodirent. Sinautem nullus illis ad concilium aditus neq; dicendi facultas daretur, sola cōcilij autoritate se conuinci non pateretur, imò palàm se indicta causa damnatos esse dicerent, secum durius quàm cum Arrianis agi conquererentur, quib. Patres concilijs veterib. coactis audientiam fecerint, quū quę de fidei capitibus sentirent, exponere concederetur. Huiusmodi expostulationib. non expectato concilij exitu discederent, atq; ita quos in fraudem & errorem induxissent, his verbis eorum contumaciā fouerent. Præterea, inquiunt, si illis non est religio concilijs vetustis repugnare, ijsdē autoritatē derogare, qui sperādum est eos futuri concilij iudicio acquieturos: Quòd si contradicere semel audebunt, quā grauis offendiculi res nostro seculo erit, concilium nequicquā coactum fuisse, maximè si papæ & Cęsari vel propter Turcicas incursiones vel propter principum Christianorum dissensiones, desit facultas armis exequendi quę aduersus inobsequentes istos & rebelles constituta fuerint? Tertio loco, quum omnium hęreticorum præfracta semper fuerit contumacia, hodierni isti, omnes qui vnquam fuerunt obstinati animi pertinacia superant, qui se Scripturæ verba sectari prædicant, sacrorum conciliorum autoritatē & Patrum interpretationes repudiant, qui tamē Spiritu diuino afflati ea illustrarunt quæ ex solo & mero diuinorum librorum scripto flexiloqua videbantur & ambigua. Quæ quum ita sint, verendum esset, ne si res Sacramentaria & Eccle siæ autoritas in dubium & in quæstionē caderent, nunquam eò adducerentur vt manus darent: quo non solùm fieret vt nihil conuocando concilio profectū esse videretur, verùm etiā vt grauissimè eorum mentes percellerentur qui ab eo longè maiora sperassent. Ad hęc si istorū, quū conciliū conuocari postulant, ea mens est, vt tantisper in suis prauis dogmatib. maneant, dū cōuocetur & omnib. præfectis dimittatur (q. palàm ex ijs intelligi potest quæ in comitijs Imperialib. Augustæ habitis adduxerant) quū postquā etiam in diē certam indictū fuerit, nec maturius anno conuocari queat, nec conuocatū dimitti ante aliquot annos nedū menses, intra q. spatiū aliquid turbarū oriturum esse sperant, vt illud vel infectum dirimatur, vel si absoluatur, præstari nō possint quæ cōstituta fuerint: quis non videt interim eos in de prauata doctrina perseueraturos, & pœnas quas Cæsari luere deberēt, non luituros? Hoc deniq; in primis expendi debet, si hæretici (vt Augustæ fecerūt) occasionē arripiant cur è concilio omnib. nondū perfectis discedāt (quæ, pfecto illis nunquā, quo iure quaque iniuria, deerit) periculū est ne quid deterius quā in cōcilio Basiliēsi accidat. Etenim si tū Ecclesię reb. quietis, & paulo antè, cōcilij Cōstantiensis decreto sublatum fuisset diuturnū illud schisma, tamē quæstio illa ardua, vtrum papa autoritati concilij subiaceat, an verò superior sit, tantum turbarum dedit, vt eodē tēpore duo concilia

Concilio hæreses non esse refutādas, ac ne concilium quidem conuocan dum papa censet.

Quæstio perobscura, vtrum papa superior sit concilio, an contra.

concilia haberentur, vnde creato Felice papa schisma extitit quod ad Nicolai papę tempus pertinuit, dubium non est, quum nostro hoc seculo pietatis & cultus diuini doctrina hæreticorum nefaria peruersitate, in tantam perturbationem deducta sit, quin eadem illa tã obscura quęstio rursus moueri debeat. Ibi si conciliũ definiet papã esse superiorem (vt reuera est) isti mox nitentur ijs quæ contrà Constantiensi concilio constituta fuerunt. Deinde, quia hoc nolent aduertere, tum tres fuisse qui sibi papæ dignitatem & nomen arrogabant, ac non vnum Dei vicarium (vt nunc habemus) causabuntur hoc concilium non esse liberum, vt iam dictitare incipiunt, neque vllam rationem pati vt eius autoritate, quæ suprema non sit, teneri debeant: sicque pugnantibus sententijs rationem quærent qua soluatur, se ab alijs seiungendo: & nacti aliquot episcopos (extabũt enim semper nimium multi nouarum rerum cupidi, qui ampliori bus opibus & dignitati inhient, & hac ratione se consequi posse sperent) aliud pugnans concilium cogẽt, Antipapam aliquem creabunt, qui illorum hæreses probet, religionemque Christianam maioribus etiam turbis inuoluat quàm quæ iam extant. Sin autem concilium statuet suam autoritatem papali superiorem esse, hinc verò nec difficultas minor nec periculum leuius nascetur. Etenim si Cæsar pro imperio & autoritate qua pollet, concilium vel dimittere, vel certè vt factionibus obuiam iret, quas aduersus papalem amplitudinem comparari videret, aliò transferre conaretur (quod vnum esset his malis remedium) ibi tum sanè concilium affirmaret nefas esse, alia quàm sua ipsius autoritate vel dimitti vel transferri, & Cæsare inuito sedem mutare auderet: vt Cæsar tanto vulneri, quantalibet autoritate valeat, medicinam facere minimè posset.

Hanc quæstionem vltro pacto attingit tamen non est.

Ne longè abeamus, tale quiddam Cæsari Sigismundo beatæ memoriæ vsuuenit, qui nulla opera, officio & diligentia, quam maximam adhibuit, Basilienſis concilij difficultates & discordias tollere potuit: qui tamen tam multa Ecclesiæ causa fecerat, quique autoritate, industria, sumptu maximo & laboribus schisma tanta diuturnitate confirmatum sustulerat. Quare verisimile est, si concilium ad aliquot annos prorogabitur (quod sanè fiet si quidem suprema autoritas illi tribuetur) causam Cæsari aliquam futuram curtandiu adesse nequeat.

Quod alia causa conuocandi concilij adfertur, vt impetus Turcæ infringantur, docebant, quum illius copiæ adeo magnæ & paratæ sint ad Christianorum fines infestandos, nimiũ longũ fore concilij habendi tempus expectare: potius id dari operã oportere, qua ratione illius impetus sustineri & repelli possit: quæ omnia nimis serò factum iri, si hoc tempus expectaretur. Quinetiam multos, qui quũ debeant, nolunt tamen ad propulsandũ hunc hostẽ operam & opes conferre, materiẽ hanc speciosam negligentiæ & moræ nactos, dicturos esse morem se concilio gesturos, atque auxilium quantũ ex omnium sententia visum fuerit, laturos. Præterea Turcam ipsum, vel si nondum tam matureChristianis bellum inferre cogitasset, tamen hãc conuocationem aduersus se haberi certiorem factum, & magis festinaturum & maiores copias adducturum esse, quò huius concilij sententiam, quam ad se opprimendum constitutam arbitraretur, opprimeret. Postremò si hæretici ad sanitatem & concordiam Ecclesiasticam reduci non possent, sicq; à concilio re non perfecta discederent, periculum esse ne cum Turca se coniungant (quemadmodum Vaivoda apud Transsyluanos fecerit) ea spe vt opes Ecclesiasticas occupare & tenere, vt libertatem verbo (vt iactant) Euangelicam, re Mahumetanæ impietati persimilem vsurpare liceat. Hinc verò Christianę gentis interitum & perniciem consequuturam, aut certè perpetuum nobis cum illis bellum conflatum iri, non secus ac Turcis aduersus nos intercesserit ac etiamnum extet.

Hæc à Cæsare papæ Romano proposita capita cum his papæ responsis Pratensis Cæsariani ordinis eques Regi communicauerat, vt quid de vtrisq; sentiret, cognosceretur. Ad ea respondet Rex, tametsi in pontificis responso grauissimæ caussæ inessent, quibus periculum ex indicto concilio demonstrabatur, ediuersotamen permulta maximi ponderis & momenti adferri se existimare, in primis ea quæ quo loco sit res religionis demonstrant, quę quidem (nisi diuino fauore & clementia malum hoc auertatur) in deterius lapsura magis quàm meliorem statũ acceptura videretur, vnde summa orbi Christiano calamitas impenderet. Id verò si acciderit (quod Deus prohibeat) sibi dubium nõ esse quin olim principes Christiani id maximo crimini & papę & principibus qui hodie

De cõcilio habendo Regis sententia.

1533. Christianos se haberi volunt(cuiuscunq; tandem culpa sit) daturi sint, qui res in tantam perturbationem & cõfusionem prolabi siuerint, dum vel conciliũ coire prohibuerint, vel si coactum fuerit, ijs limitibus & cancellis libertatem circũscripserint, vt speciem ijs præbere possint qui obijciẽt multos ob istas præscriptiones interesse recusasse. Se igitur, postquam duo illa attentè considerauit quæ in papæ responso habentur, sic sentire, ita vnum fieri debere, vt alterum minimè prætermittatur. Principes omnes Christiani nominis, quæcunq; tandẽ priuata habeant dogmata quibus adhæreant, per literas & oratores ante omnia hac de re simul communicare: oratores deinde illos sigillatim quàm fieri celerrimè posset cum vberrimis & liberrimis mandatis Romã mittere, qui tum de tempore & loco quo cõmodissimum & tutissimum esset cõcilium haberi, statuere possent, tum de capitib. quæ illic disceptari oporteret, ex cõmuni sentẽtia & consensu iudicarẽt, iudiciumq; scripto exarato significarent. Neq; non tamen cuiuis plenè liceret, quicquid in mentem veniret(modò priuatæ contentiones nullo pacto attingantur) liberè absq; vllo metu in medium adferre, q; ad commodum, concordiam & quietẽ Ecclesiæ, Dei cultum, vitia reprimenda, hæreses stirpitus euellendas & pietatis doctrinã confirmandam pertinere viderẽtur. Neq; de ijs priuatim & expressè cauendũ esse quæ in responso papę haberentur: qualia esse ista, nequid q; superiorib. concilijs ratum & constitutum sit, denuo in medium, pponatur, eo fenestram aperiri alijs qui in posterum idem in reb. hoc concilio transactis & probatis tentare vellent. Sic enim prima fronte, libertatẽ coangustare, & modum nonnullis excipiendis ponere, idq; antequam oratores & viri à principibus delecti conuenerint, & inter se ad capitum de quib. agendum videatur, limites circundandos animum adiunxerint, hoc verò iam esse ansam ijs præbere quibus alioqui interesse non libeat. Contrà si suos quisque oratores & delectos non definitis mandatis mitteret, tum nihil cuiquam dari quod excusaret, atq; adeo, vbi coirent, neminem futurum cui non valde probaretur in libellos referri de quo quisque audire atque disserere vellet, priuatas denique simultates & controuersias interim amnestia sepeliri. Hæc porro capita sic scripto comprehensa idem Rex tum demum publicè proponenda esse censebat quum coactum esset conciliũ, neq; prius enuntiãda esse: oratores & delecti exemplum descriptum ad suos quisq; principes adferrent, vt ad diem cõstitutam omnes probè meditati quid ad singula dicendum sit, veniant: His ita constitutis, qui hodie à Romanæ Ecclesiæ dominatu discesserunt, si quidem cum alijs in istis capitibus consentirent, spem esse eos tandem aliquando eandem salutis viam ingressuros: sin minus, causam postea non dicturos quin equissimam quanq; rationem conciliumq; ipsum, de quo tantopere laborassent, recusasse videretur. Cęterùm oratoribus ipsis in illo primo congressu & priusquam dies ad concilium indiceretur, liceret inter se statuere quæ ratio interim sequẽda esset, vt huic malo obuiam eatur: ac principes ipsi quoque pro se quisque quibus locis dominatum obtineret, viderent ne errores & falsa dogmata pullulent. Hæc si seruarentur, resq; ea sinceritate qua dictum est administrarentur, non alium quàm faustum & optatum concilij exitum sperandum esse. Hoc ergo Regi videbatur.

Regis de concilio sententiam Cæsar reprehendit.

SVB finem Februarij mensis hæc Regis sententia & responsio ad Cæsarem perfertur: quæ omnia longè aliter atque ille sensérat & expectauerat accipit ac interpretatur. Principiò quod commodissimum factu dixerat, vt concilio sua autoritas & fructus constaret, vt principum & populorum Christiani nominis oratores de quib. agendum illic esset, inter se prius disputarent, & prima quasi lineamenta adumbrarent, hoc Cæsar ad minuendam concilij autoritatem pertinere obijciebat: in quo quicquid agitur, Spiritus sancti afflatu non humano arbitrio aut præscriptione geri oporteat. Ad caput autem alterum, quo agitur de cohibendo Turcæ impetu & concilio, quòd Rex neq; quicquam responderet, neq; vllam suam opem conferre se velle significasset, id verò & grauiter reprehendebat, & vehementer cõquerebatur, quasi quum proximus paries arderet, incẽdij periculum ab extero & longinquo hoste sibi nullum esse iudicaret. Hoc Cæsaris scriptum specie quadã actionis expostulatoriæ & accusationis Regi redditur. Qui mirari satis non potuit, nisi quòd animum subijt ab aliquo crimnandi cupido responsum adulteratum Cæsari fuisse exhibitum: ex quo hanc tam grauis tamque indignæ expostulationis causam illi præbitam fuisse videri, vtpote qui de secundo capite tantos motus ciere conabatur. Nam quũ in suo responso, postquam suam de Religionis negotio sententiam

non

non solùm significauerat, sed etiam declarauerat, ad extremum addidisset, oratoribus & legatis pro mandatorum acceptorum potestate concedendum esse vt de reliquis inter se viderent constituerentque: satis se in eo videri quo esset animo & voluntate expositurum esse: aptissimum enim esse ad tuendam & seruandam Christianam gentem, ab oratoribus & delectis, qui statim Romam mitti possint, ista tractari, ac non expectari dum in concilio proponerentur. Quod quum ante annum (vti dictum est) cogi non posset, nimis magnum interim spatium Turcæ datum iri, qui iamiam Christianorum cruciibus immineat. Ad secundum, quo Cæsar contendit, si oratores & delecti inter se antè de iis conferant de quibus in concilio agendum sit, concilij autoritatem imminutum iri, vbi omnia Spiritu sancto autore geri debeant: in eo suam sententiam calumniosa interpretatione detortam fuisse. Huiusmodi enim oratorum boni publici & Ecclesiasticæ concordiæ amantissimorum cœtum non putare se absque Spiritus diuini auspiciis & ductu fore, atque adeo quicquid ab eis constitueretur, præludium quoddam & quasi exordium concilij habitum iri.

Dilucidior Regis de concilio sententia

REX tamen vt planè officio satisfaceret, consilium suum Cæsari pluribus significa re statuit. Ac de primo quidem capite respondit, quando illi placebat cõcilium absque vllis restrictionibus indicẽdum esse, neque vllos antè colloqui aut coire debere qui illic interfuturi essent, sibi quoque idem videri. Se quidem non esse à quo primo orta essent illa restrictionum & præscriptionum verba: vti iudicare cuiuis facile esset qui capita legeret quæ sibi per Pratensem à Cæsare exhibita fuisse meminisset. Quod porro addidisset nequa de priuatis controuersiis mentio iniiceretur, id se optimo cõsilio feciſſe, quòd ei malo vellet occurrere, ne cogeretur cõcilium, relictis rebus quæ ad procurandã religionem pertinent, in dissidiis conciliandis tempus absumere. Tametsi enim nullus esset ex Christianis principibus cui de loci ordine atque præstantia tanta fieret iniuria, se tamen publicæ paci libenter priuatum dolorem condonare, quem vel obliuioni traderet, vel in longius tempus reiiceret. Quamobrem se rursus testificari, ac palàm denuntiare, sibi nullum vnquam tempus videri fuisse quo res ipsa magis clamaret cogendum & habendum esse sanctum concilium, atque nunc sit. Proinde quum à Deo in eum locum & dignitatis ordinem euecti essent, melius, sanctius ac salubrius Christianis populis nullum esse opus, quod suscipere ipsi atque aggredi debeant, quàm vt primo quoque tempore habeatur, idque sancto & sincero consilio, ne siquid illic vitiosè geratur, suspicio animos hominum inceſſat & occupet, superioraillaomnia eodem morbo laborasse: vt loco opportuno, ad quẽ tutò accedi possit, indicatur, nequis tergiuersetur aut adesse recuset, néve concilium quoddam nationale aut gentile siue etiam prouinciale ac non vniuersale appelletur: vt profecto fiet si non ex omnibus populis Christianis conflatum sit. De bello autẽ Turcico quod obiiceretur, licet duodecies iam centena coronatorum millia soluerit, atque octies centena millia adhuc supereſſe ad vicies centena perficienda videat, licet innumeros sumptus fecerit, licet infinita damna acceperit, licet onera grauissima tulerit, & deinceps ferenda esse sciat, sibi tamen hanc sententiam animo fixam insedisse, vt simulatque Turcam ipsum in exercitu esse audierit, vt Christianos bello premat, non modò opes suas ciuiúmque & nobilium sanguinem profundere, sed suam quoque ipsius vitam impendere paratus sit, seque eundem esse Cæsaris animum & consilium omnino persuasum habere. Rogat denique vt postremum hoc responsum æqui boni consulat, atque illud ab eo proficiſci statuat, cui nihil antiquius sit, quàm vt nullam quàm pacis & amicitiæ cum illo colendæ occasionem probari intelligat. Hæc fuerunt postulata, responsa, exceptiones & rescripta quæ inter papam & duos principes istos vltro citroque de cogendo & habendo concilio missitabantur. Enimuerò multi subinde nuntij & rumores ad eos adferebantur, quibus aliquid maturè suscipiendum atque faciendum adduci debebant. Nuntiabatur enim Turcam Constantinopolim reuersum (quò tanquam victoria parta triumphans ingressus fuerat, quòd Cæsarem Vngariæ regnum occupare, vti gloriabatur, prohibuisset) bellum terra marique aduersus Cæsarem, aduersus illius clientes & subditos publico præconio promulgari iussisse: magnum ab illo exercitum in Zacynthо comparari vt Coroneam reciperet, quam eodem anno Cæsariani & Melitenses ceperant. His tametsi vehementer incitari ad rem capessendam debebant, nihil tamen actum est: neque papa

1553. & principes in vnum consilium coire potuerunt, aut (meo quidem iudicio) voluerunt. Quum enim vnus alterius postulatis acquiescęret, tertio res non probabatur, tanta inter se diffidentia & suspicione laborabant. Ita dissimulationibus mutuis atque alternis totum negotium effluxit, occulto sanè quodam nobisque ignoto Dei iudicio, qui nostrorum scelerum magnitudine offensus tantam nobis adhuc fœlicitatem largiri noluit.

De galeris cardinalitiis cum tegmine.

IAM tempus est vt ad fœdus illud Bononiense redeamus: quo quidem Cæsar cōposito atque confirmato in Hispaniam nauigare decreuit. Priusquam proficiscęretur, petit à papa tres in cardinalium collegium cooptari: vnum duntaxat papa concedit. Regis orator galerum coccineum Regis verbis petit: conceditur, & eo ornatur Ioannes Aurelius archiepiscopus Tolosanus ducis Longouillani patruus. Vnum prętera dari idem orator petit in Angli gratiam, episcopo Vigornensi, intimo consiliario, id quod tum obtineri non potuit. Hoc verò postulatum Cæsar indignissimè tulit, siue quòd hac ratione perspiciebat duorum regum negotia eodem momento impelli, neque alteri res alterius minori curæ quàm suas esse, siue quòd existimabat id à Regis oratore factū esse, quò oculi sibi dolerent, propterea quòd iniquiore in Anglum voluntate esset. Neque verò se continere potuit, quin palam indiceret hoc sibi oratoris nostratis factum longè magis displicuisse, quàm si in Regis gratiam quatuor galeros petiisset. Bononia tamen prid. cal. Mar. ita profectus est, vt nihilo apertius publicè quidem suum in Regem animum patefaceret. Dum hæc Bononiæ gererentur, cardinalésque Galli inscii Cæsare & Cæsarianis de congressu illo agerent quem suprà memorauimus, episcopus Comensis, postea cardinalis Carpius cum Rege agere cœperat (nam apud eum papæ nuntius erat) vt nō solùm ille cum papa in colloquium veniret, verùm etiam vt Cæsar adhiberetur. Huic Rex apertè significare noluit quàm exploratum de ea rè papæ animum haberet, neque antè suum consilium apertius indicare quàm illius mentem rescisceret, propterea quòd illa omnia clàm isto nuntio adhuc gesta fuerāt. Itaque respondet sibi vehementer probari vt si cū papa colloqueretur, Cæsar non adhiberetur, nisi quartus etiam Anglus adiunge retur: quod tamen facile factu sibi videri negabat: se enim illuc non venturum, ac ne Anglum quidē, quin sibi vterq; parem comitum multitudinē adducęret atq; Cæsari adesse intelligeret, quòd sibi, ne per insidias circunuenirentur, cauendū esse putarent: atque ita parum probabile esset tres trium principum copias, quorum non magna esset animorū coniunctio, adeo propinquas ad pacem confirmandam, ae non potius ad nouum bellum excitandum causam præbituras esse. Hanc nuntij orationem & suum ad illam responsum suis cardinalibus & oratori Romæ die vndecimo dicti iam mensis per literas significari curauerat. Iisdem etiam literis ad ea rescripserat, quæ illi antea de loco ad con gressum deligendo Nicæa vrbe ad eum scripserant: hanc sibi commodam non videri, quòd in eius principis ditione ae imperio erat, quem de se ita meritum intelligebat, vt illius opera nullo pacto sibi esse vtendum putaret: deinde tum vrbē tū arcem sibi in manum tradi postulaturum, alia enim ratione non venturum: quæ omnia nonnisi magnis difficultatibus & sumptu grauissimo fieri posse, quum præsertim loca valde accommodata alibi non deessent, in quibus papa non minus quàm domi in tuto esset.

COMMODVM Rex ab Anglo literas acceperat, quum ista Romam scribere instituęret, quibus ad se hominem mitti rogabat quicum familiariter colloqui posset: habere se quasdam res, quas nec literis committere, nec cuiquam indicari vellet, prætere quam vel ipsi vel ei quem pro fide & taciturnitate quas in eo esse sitas intelligeret, ad se mittendum euraret. Rex tum vt fratri in istis morem gereret, tum vt eum de ijs quę Romæ gesta fuerant certiorem faceret, item de fœdere Italico, quemadmodum Veneti se in illud coituros negassent, papa Genuenses ascisci noluisset, quę primò adducta, respōsa & excepta de concilij negotio, de Turcicis conatibus coercendis, de ratione qua tutò in colloquium cum papa veniret, qui sermones de ducissa Vrbini nuptiis habiti fuissent, quid ad orationem Nuntij de Cæsare in colloquium secum & cum papa adhibendo respondisset, quæ de Turca & Coronæa à Venetis nuntiata fuissent, quicquid denique ex quo à se inuicem Caleti discessissent acciderat, Gulielmum Bellaium Langæum (cuius iam in hisce Commētariis me minimus) ad eum mittit. Huic mandat vt inter cætera illud commemoraret, quemadmodum non solùm matrimonij conditionem acce pisset, qua duci Aurelio secundo filio ducissa Vrbini (vti inter eos conuenerat quum re-

motis

motis arbitris colloquerentur) verùm etiam quò papæ fidem faceret, cúmque à Cæsaris coniunctione auelleret, filium vnà secum ad illum cõgressum ducere statuisset, quò etiam ille ducissam adduceret, vbi matrimonium illud conficeretur. Anglum præterea doceret quàm sibi commodum & aptum videretur, ipsum coràm isti colloquio interesse: neminem esse qui vberius, efficacius & firmioribus argumentis causam illam diuortij probare queat, præsertim quum id & absque periculo & maximo suo commodo, tũ ad sui purgationem tum ad rerum suarum quietem quærendam perficere posset. Nam quod ad iter attinet, per mediam Galliam illi progrediendum esse, vbi nihilo plus periculi illi quàm in ipsa Anglia compararetur. De loco quod dubitari posset, se Nicææ re cusasse, quòd ab eo tenebatur, quo cur vteretur nullam sibi causam esse iudicaret: operam daturum, quemcunque tandem in locum veniendum esset, nequid periculi, nec terra nec mari ab hostibus vllo pacto esse possit. His causis adductum se Lutetiæ substitisse, vbi equitatus & peditatus rationes instituerat, denique classi ipsi, quemadmodum simul statuerant, prospiceret. Rei quidem summam, veniendum censeret necne, se in illo, iis qui ipsi à cõsiliis sunt, atque in rerum & status ratione reponere. Quòd si iter hoc ipse susciperet nequaquam vellet, autorem se illi esse, vt hominem, cui non minus quàm sibi ipsi fidei haberet, mittat. Hæc in primis Langæus in mandatis accipit, simul vt illum moneat, de iis quæ Germani principes rursus summopere à se obtinere per legatos cupierant. Qua de re quid ille sentiret, eum scisciteri & nosse iubet.

QVOD Anglus Regi significare cupiebat, hoc nimirum erat, se, postquam sui diuortij negotium multis moris subinde interpositis ab episcopo Romano (iùc enim papam vocabat) produci animaduertisset, curasse vt Ecclesiq Anglicanæ iudicio, cui archiepiscopus Cantuarensis Angliæ primas præsideret, de eo semel statueretur. Hanc pronuntiasse superius matrimonium incestũ esse, quam indulserat papa relaxationem, induci debere, quam in re concessisset quæ nec in eius nec in Ecclesiæ ipsius potestate sita sit. Hoc se iudicium sequutum, priori matrimonio relicto marchionissam Annam Boliam duxisse: cui rei archiepiscopum, sponsæ patrem, matrem, fratres & ducem Northfolcum patruum, nullis præterea adhibitis interfuisse. Horum omnium paucos conscios tantisper esse velle, dum in illo papæ & Regis congressu (qui futurus sperabatur proximo mẽse Maio) suum ius ab eo obtinere posset. Quod si denegaret, tum se statuisse, vel inuita tota Romana Ecclesia, eam pro vxore palàm habere, illiúsque Ecclesiæ iugum prosus excutere. De cuius etiam tyrannide, quam sibi in cæteras Ecclesias sumpsisset, se librum non exiguum conscripsisse, quem tamen non prius emittere decreuisset, quàm videret qua in se ille æquitate vti constitueret. Qua in re auxilium Regis summis precibus implorabat, se totum illius fidei tradẽs & committens, si fortè eam ob causam Cæsar & episcopus Romanus bellum inferre cogitarẽt. Sibi nuntiatũ esse quemadmodũ Romanus episcopus iactaret se totius Christiani orbis vires in se excitaturũ, siquidẽ iudicio quod de diuortij negotio faceret, stare nollet. Cæsar item quum bis eum conuenisset, magnam orationem de belli immanitate habuisset quo se premere statueret, nisi cum Catharina amita in gratiam rediret, honorémque sartum tectum restitueret: facultatem præterea indicasset qua bellum hoc acriter vrgere posset, maximè ob consilium quod commune cum rege Scotiæ habere se prædicabat. Hoc profectò indubitatum est, neminem fuisse, qui paulum modò hac de re audiret, quin exploratum haberet Cæsarem eum esse qui hæc perficeret: eámque ob causam multi optimi viri in hoc maxima cura & studio incumbebant, vt inueniretur ratio qua controuersia ista amicè & pacatè componeretur, quòd verebantur ne bellũ inde exardesceret, quo vniuersi principes Christiani diuersarum partium studio implicarentur. Ac Cæsar quidem Scotum misso equestris dignitatis insigni ad se pertraxerat.

DISSIDIVM hoc inter Anglum & Scotum, patruum & nepotẽ, ab ipso Scoto illo tempore natum est: qua de re Anglus à Langæo primùm certior factus est. Is enim naue bellica consensa qua transuerso mari Bolonia in Angliam nauigaret, iam dimidium iter & eo amplius Bolonia Darvernum emensus, hora fere decima matutina ad oram Darvernensem tres naues apparatu bellico conspicit, quæ passis licet velis nihil tamen promouebant, sed eodem loco manentes speciem præbebant, quasi illic naues Darverno progredientes specularentur: quo reuera consilio illic erant. Itaque Langęus

Dissidij inter Anglum & Scotum causa.

1533. tametsi nulla belli aduersus Regem erat suspicio, tamen quia ex eorum gestu potius iudicabat piratas nescio quos esse qui primum quęque adorirentur, quàm quiduis aliud, nulla interposita mora velificatione mutata in altum nauem prouchi iubet, ve periculum faceret quid illi conarentur. Qui vbi eum perspiciunt sui metu cursum non tenere, prora obuersa ad decimam vespertinam, dum & ventus poneret, & noctis caligo interueniens conspectum auferret, eum insequuntur, pilis tormentariis continenter petunt, quarum plurimæ proximè eum pertinebant. Ex iis vna interficitur nauis Britonicæ nauclerus, qui eum Conserua comitabatur, & nauis ipsa capitur, quę non tanta celeritate se rebatur quàm alia hæc, in qua velis & remis vtebantur. Langæus nocturna nauigatione ad portũ Rayensem peruenerat, inde postridie mane cõspicit illorum numerum ad nouem naues excreuisse, nauibus aliquot captis, quas militibus & machinis compleuerãt, quarum maiorem copiam secum aduexerant quàm ad tres illas primas instruendas opus esset. Denique à piscatoribus qui in portum profugiebãt, audit Scotos esse, qui has naues prima belli significatione rebus adhuc dubiis armassent. Ita summa celeritate vsus primus Anglum certiorem facit, qui paulo pòst alios subinde eadem de re nuntios accipit. Quod illi valde molestum fuit, non tam sanè quòd illius hostis potentia admodum terreretur, quàm quòd Cæsaris & sociorum vires subsequi suspicabatur. Sed totus iste motus paucis mensibus Regis Galliæ interuentu sedatus est: quamobrem his omissis ad Cæsarem redeundum est.

Rex Angli ne gotium pacatè componere sin dat.

Is Bononia profectus Genuam venit, & sexto Id. Apr. è portu soluit, tectà in Hispaniam cursum tenens. Hunc Velius Regis orator comitatus est: cardinales Galli papam Bononia Romam prosecuti, summa contentione cum eo agunt, vt Anglicana turba ita componi posset, vt nequa ad Ecclesiam tempestas & motus rediret. Ad hanc rem curandam crebris & literis & nuntiis à Rege admonebantur, qui summopere optabat negotium illud prius dirimeretur, quàm papæ renuntiaretur quid ab Anglo factum esset. Eam ob causam diligentius vrgebat vt congressus ille acceleraretur, quòd sperabat in ipso colloquio rationem se aliquam reperturum. Præter cæteras autem literas quas in Angli gratiam antea miserat, quum ad eum milortus Rupefortius nouæ reginæ frater venisset, literas ad papam summi in Anglum amoris plenas scripsit, quarum ab ipso Anglo aduersaria acceperat. Harum summa erat, vt causam absentiæ quam Anglus afferebat, papa acciperet, vt iudices in Angliam mitteret qui causam cognoscerent, vtque vadimonium Romæ obire ne cogeretur. Cæsaris orator contrà, multi cardinales & qui ab eo stabant, aut qui Romanæ Ecclesiæ autoritatem incolumẽ manere cupiebant, papæ non minus instare & vrgere vt in Anglum lege ageretur, præsertim quum nuntiatũ illis esset (quamuis incerta adhuc fama) non quidem Angli posterius cum Anna Bolania matrimonium re iam confectum esse (vt erat) sed illum instare vt papalis illa prioris relaxatio induceretur: quod tentari aut suscipi posse negabant, quin sanctæ sedis Apostolicæ maiestas autoritasque læderetur. Papæ consilium erat rem producere, donec mitius transigi posset: hoc etiam ostendebat, si contra Anglum pronuntiaretur, neque tamen iudicatum postea fieri, reipsa fieri posset, rem sic frustra suscipi, quæ tandem dedecus, ignominiam & contemptum sanctæ sedi esset allatura: ad eam autem suscipiendam sibi non satis esse virium, nisi Cæsaris auxilio iuuaretur. Si denique coniunctis opibus illud aggrederentur, metuendum sibi videri ne Anglus sibi Regem Galliæ, pro maxima necessitudine & societate qua inter se iuncti videbantur, asciscceret: quæ res maiores turbas & seditiones quàm antea in Christiana Ecclesia excitaret. Hæc excusabat papa, cui paulo pòst nuntij certi afferuntur, non quidem nouas Angli nuptias re ipsa confectas esse: sed hoc sine dubio affirmabatur, archiepiscopum Cantuariensem rei iudicium suscepisse: quæ res sanctæ sedis maiestatem magnopere minuebat, quũ præsertim sub iudicibus ab ea constitutis litem adhuc esse constaret. Itaque grauiter papa cum cardinalibus Gallis expostulat, quòd dum illi rem proferri, nequid ante illum congressum acceleretur, postulant, Anglus interim aliquid semper noui moliatur.

Vana est sine viribus ira.

Dvm illa vtrinque magno studio vrgentur, certis nuntiis de profectione Cæsaris è portu Genuensi acceptis, papa extremo mense Aprili in frequenti cardinalium consessu (non tamen iusto consistorio habito) Regis postulata in medium proposuerat, quibus ille de loco deligendo agebat, vbi de rebus ad Christianam religionem spectantibus

bus colloquerentur de Turca fidei hoste repellendo, déque aliis quæ Rex per literas fusius expoſuerat: quæ tam æqua & ſancta erant, vt cardinales quibus congreſſus ille minimè cordi erat, nullam honeſtam orationem reperirent, qua reclamare poſſent. Cæſaris orator omni ope, induſtria & diligentia elaborauit, omnia attulit quę comminiſci potuit, quo rem ſi minus planè impediret, at certè tantiſper retardaret, dum Cęſar ſuam de hoc negotio ſententiam ſignificaret: verùm tanta contentione nihil impetrauit. Ac ne ipſi quidem cardinales qui illi ſtudebant, quique Cæſarem de his rebus certiorem fieri cupiebant, quicquam inuenire potuerũt quod quidem ſaluo pudore poſtulari debeat, niſi id tantùm, vt priuſquam res conſtitueretur, papa ad Regem ſcriberet. Quod quum
10 factum eſſet, Rex exiguo pòſt tempore per literas reſpondit.

Hoc reſponſum ſub finem menſis Maij papæ in cardinalium conſeſſu redditur, præſentibus Gallis cardinalibus. Reliqui cardinales, qui impediendæ rei ſtudebant, ad quod etiam à Cęſare ſolicitabantur, propterea quòd coram noſtratibus liberam vocem emittere non audebant, aliam diem ſenatui habendo præſcribi poſtulant: cui intereſſe Galli recuſarunt, quòd eos non latebat quamobrem id illi poſtulaſſent. Quo conceſſo, vbi ea dies venit, principio cauſas à Rege allatas tam pias & iuſtas ſibi videri fatentur, vt à nemine repudiari debeant: quas ſe nihilominus, quũ paucæ eſſent, non tanti eſſe arbitrari, vt papa è ſua ſede pedẽ efferre debeat: ſatius eſſe præmitti aliquẽ ex antiſtitibus, qui
20 Regis ſententiam magis perſpicuè intelligat. Quo à papa conceſſo mittitur epiſcopus Saiſſantanus, quem antea ipſe à Rege acceperat, quicum de loco opportuno conſtitueret. Nam quod ad tempus attinet, iam cõuenerat, ne calotibus, qui in Prouincia ſunt maximi, papæ valetudo afficeretur, vt nonniſi refrigerato proximis pluuiis cælo proficiſcendum eſſet. Rex interim (qui etiam hoc de tempore conſilium dederat) Galliam Narbonenſem & Arvernorum fines perluſtrabat. Nam de loco, papa (vti dictum eſt) Ni
30 cęam huic rei deſtinarat. Quæ quum in ditione ducis Sabaudiæ eſſet, eum papa ſuo nomine (nam Rex ſuis verbis hoc petere noluerat) vno ex intimis cubicullariis miſſo, vt id ipſius voluntate fieri liceret rogat. Ille aliquandiu papæ ſe obſequi vltro velle demonſtrat, ſecum fœliciter agi prædicans, quòd tam pium negotium in ſuis poſſeſſionibus tranſigi videret. Ac profecto, vt quod res eſt dicam, id fortaſſe magno illi cõmodo ceſſurum erat, & ad clades auertẽdas commodum, quas poſtea grauiſſimas accepit. Ea enim cauſa in primis papæ fuerat cur tãto ſtudio hoc peteret, q. ipſum etiã ad colloquium acceſſere, & vbi commodum videret, Regi placare decreuerat. Cæſar tamen, cui totum
40 hoc valde diſplicebat, quique ſibi quiduis potius tentandum, quàm id fieri ſinendum exiſtimabat, eas rationes per nuntios homini proponit, vt ſibi non conſtare, ſed nutare & difficultates neſcio quas excuſare inciperet. Itaque Saiſſantanus epiſcopus & mareſchallus Mommorencius poſtquam de Villafranca, Antipoli, Freiuſſio, Tauroenta, & Maſſilia ſimul egiſſent, & loca inſpexiſſent, Maſſiliam ad hanc rem delegerunt.

CÆSAR quum rationes quærere pergeret quibus vel omnino negotium iſtud impediret, vel ad hyemem produci curaret, nominatim quodã ex ſuis nobilibus miſſo
50 papam vrget vt iniuriam reginæ Catherinæ amitæ illatam vindicaret: ſe iam aduerſus eum teſtificari ſi hoc ſibi denegetur, vel etiam diutius proferatur. Ad rem vehementius ſolicitandam etiam hoc impulit, quòd eodem tempore Romæ nuntiatur archiepiſcopum Cantuarienſem ſibi nomen Legati nati in Anglia ſumpſiſſe, aduerſus papalem relaxationem pronuntiaſſe, Annam Bolaniam Anglo nupſiſſe, librum ab eo, cuius ſuprà meminimus, aduerſus primatum & ſummam Eccleſiæ autoritatem editum eſſe. Hoc nũtio totum cardinalium collegium tam grauiter commotum eſt, vt vno ore omnes aduerſus tam neſarium Angli conatum papæ fidem implorarẽt. Papa ab his permotus cenſura in Anglum animaduerſurum ſe oſtendit, niſi intra certum tempus iniuriam reſarciat: nihilo tamen ſecius de congreſſu agere perſiſtit, ſuam de ea re certam ſententiam frequenti cœtu exponit, omnibus quos comites habiturus erat, vt parati eſſent, edicit. Cæſariani re intellecta, vbi papam vident triremibus Rhodienſibus nauigare decreuiſſe, eas ſibi dari petunt, vt ad ſubſidium Coronææ aduerſus Turcam mitterentur: quòd ſe ſperarent vel iter impeditum iri, vel cauſam ſibi in poſterum dari, qua dicerent culpa illius, qui triremes aliò auertiſſet, Cæſarem coactum Coronæam deſeruiſſe, quam tamen ad ſalutem totius Chriſtianorum Reip. valde referret teneri, ſiquãdo bel-

Regis & papæ colloquium Cæſariani impediunt ſtudentes.

Eccleſia Anglicana Romanæ aduerſatur.

1533. li aduersus Turcam susciendi, & Græcos fratres totúmque Constantinopoleos imperium durissima seruitute liberandi facultas daretur. Id prospiciens papa noluit sibi tantam ignominiæ labem inuri, non solùm illas triremes Coronæam duci concedit, sed suas insuper addit, Gallicis ad nauigationem vti statuit. Contrà Cæsaris, Ferdinandi fratris, ducum Sabaudi & Mediolanensis cæterorúmque legati, veriti nequid aduersus se in eo congressu fieret, eodem omnes consilio omnia moliebantur quibus Heluetiorum animos maximè eorum qui Romanæ Ecclesiæ obtemperant, à Regis fide atque societate alienarent, docebant eum protestantibus aduersus Catholicos fauere. Ad hanc criminationem & coniurationem maximè illos iuuit episcopus Verulanus papæ apud illos nuntius, quem passim prædicabant de Rege illic pessimè meritum esse. His verbis ita permoti erant Heluetiorum animi, vt parum abfuerit quin fœderi illi Italico aduersus Regem inito se inscribi curarent. Rex tamen huiusmodi cõsiliis paruo negotio occurrit, præsentem pecuniam mittit, ad bellum, si quod illis à reliquis pagis religionis causa inferretur, se conferre sena coronatorum millia in mensem velle ostendit: aliquoties apud papam per literas & nuntios de Verulani iniuria conqueritur. Papa hominem his de causis domum reuocat, se de eo negotio Regi purgat, & Verulano imperat vt in ipso congressu crimina ista diluat.

MEDIO fere Iulio mense dux Northfolcus ad Regem venerat, ab Anglo missus, vt illius nomine illi colloquio interesset. Statim vbi aduenit, audit Romę aduersus principem suum aliquid noui constitutum esse, quanuis quid tandem esset, liquidò scire nõ posset: itaque veniam petit, vt domum rediret. Rex hominem retinet, sic tamen vt quãtum posset, rei gestæ veritatem dissimularet, sperans negotium ad pacatum quendam exitum deduci posse. Statim enim ad papam nũtium miserat, qui doceret quem locum Anglus obtineret, quãdiu dubia euentus spe suspensus fuisset, nimia temporis diuturnitate, ingenti animi æstu, qui sibi scrupulum eximi optabat, & cupiditate qua adducebatur vt hæredem regni ex sese relinqueret, impulsum, non expectasse Romanæ sedis iudicium: rationem principis nonnullam habendam esse, præstare eum Ecclesiæ obsequentem & addictum, vt antea fuerit, retinere, quàm contumacem, immorigerũ & porro hostem: quod pessimi exempli esset, & infinita mala ex se pareret. Addebat etiã eam inter se amicitiam & necessitudinem interesse, vt quicquid in eum grauius statueretur, eo loco esset habiturus, neque minus grauiter laturus, quàm si ad seipsum hæc pertinerent. Tandem medio ferme Augusto Northfolcus vt res Romæ gesta fuerat certior factus, milortum Rupefortem summa celeritate in Angliam mittit. Anglus illum statim iubet venia à Rege accepta ad se redire, ducem Richomontium nothum, quem in aula Gallica habebat, item oratores quos Romæ habebat, domum reuocat. Rex eum nec precibus nec vlla oratione retineri posse conspicatus, tandem dimittit: monet tamen à fratre charissimo rege obtineat, vt probum quẽdam & eruditum hominem mittat, qui testis esset quantopere illius causa apud papam laboraret: id quod Northfolcus perfecit, mittuntúrque episcopus Vincestrius, quem antea doctorem Stephneum appellabant, & Briandus ex ipsius cubiculariis & nouæ reginæ patruelis.

Anglo nuntiatur Romanæ curiæ contra feiudicium.

Bauaria ducum cum Regefœdus.

CIRCA idem tempus Tolosam ad Regem venit Bonaccursius Grynæus Guilielmi & Ludouici Bauariæ ducum à secretis, quem illi tam suo quàm aliorum principum nomine mittebant qui cum eo fœdere illo nuper icto coniuncti erant. Mittebãt autem his mandatis, quod ad repræsentandam cẽtum coronatorum millium summã attineret, quã ille ex pacti formula promisisset, illis vno consensu placuisse vt sibi Bauarię ducibus in manũ traderetur. Rogare tamen, vt quoniam satisfdare, quemadmodum polliciti fuerant, non possent, quin totum in vulgus efferretur, & causa innotesceret cur tanta pecunia numerata esset (quam tamen incognitam esse cupiebant, & res ita postulabat) sibi fides haberetur, qui illi cauere qua ratione vellet & in cõsilio videretur, parati erãt. Huic Rex orationis humanitate satisfecit, pollicitus se, simulatque è colloquio cum papa rediisset, ad principes missurum qui cum ipsis vel cum eo cui rem committerent, agendi mandata haberet. Interim parantur omnia quæ ad congressum pertinebant. Dux Albaniæ tum triremibus Gallicis proficiscitur, quas papa consensurus erat: illis aliæ naues adduntur, quibus impedimenta & farcinæ cardinalium aliorúmque comitum veherẽtur. Laurentius Cibotus & comes Massæus à papa missi ducem Aurelium cum muneribus

neribus salutant. Comes item Tonnerranus Carcassonna ad ducissam Vrbini mittitur, quam donis Regiis prosequitur.

EODEM etiam tempore Regij nuntiatur cædes Mervillij patricij Mediolanensis, quem antiquitus in aula Gallica educatum & in hippocomiam regiam ascitum Rex apud ducem Mediolanensem legatum habebat. Venerat pridem in Galliã ad aulam Ludouici duodecimi, vnà cum Galeacio Sanseuerino, maximo postea Galliæ armigero. Aulico ministerio ad mortem vsque Ludouici functus, eundem etiam statum sub Francisco tenuerat. Hunc dux Mediolanensis ea causa & ordine quem commemorabo obtruncari iussit. Anno 1531 Mervillius à Rege petit vt in Insubriam ad suos inuisendos redire eius voluntate liceret. Et quoniam liberaliter in Gallia habitus non modicas opes acquisierat, comitatũ frequentem habebat, lautè conuiuabatur, primos & intimos ducis aulicos excipiebat, illos & ipsum quoque ducem muneribus affecit, cui se non vulgariter (vt quidem videbatur) insinuauit, & comiti Maximiliano Stampio, qui princeps ducis negotia administrabat. Aliquanto postquam in Galliam rediisset, quo tempore Cæsar exercitum aduersus Turcam comparabat, Francisci Taberna Mervillij nepos, à duce (cuius cancellarius erat) in Germaniam missus, quum iter per Galliã faceret, Regem Fonte Bellandi illius nomine salutat. De multis inter se dum sermones miscẽt, huc loquendo venit, vt Regi cõfirmaret, siquẽ illuc legatum mittere in animo haberet, rem fore duci gratissimam, cáque ratione multa commodè geri posse: neque verò vllum aptiorem & duci magis acceptum quàm Mervillium mitti posse. Verùm quoniam dux omni ratione videre cogebatur vt Cæsaris gratiam retineret, qui si apud eum à Rege legatum esse animaduerteret, duriori oratione vteretur, Regem etiam atque etiam rogare vt legari nomen inter eos arcanum & tacitum seruaretur: vtque Mervillio literæ à Rege seperatim ad ducem darentur, quibus priuata illius negotia commendaret: idque eo consilio, vt siqua suspicio animum Cæsaris subiret, istis se dux purgare, & fidem facere posset, apud se illum esse nõ qui legati locum obtineret, sed qui res priuatas curaret. Rex facilè assentitur, & præter epistolam fiduciariam & mandata alias literas dat, quibus tantùm ea scribebantur quæ de rebus priuatis & domesticis Mervilli esse videbantur. Mentruum etiam aliquod stipendium præter superiora beneficia attribuit, quo se pro loco quo esse eum volebat, sustentaret.

DVX vnà cum Cæsare Bononiæ erat quum Mervillius in Longobardiam venit: qui, ne dux Cæsari in suspicionem veniret, progredi noluit, sed Mediolani subsistit. Ducem de suo aduentu certiorem facit, se literas ad eum à Rege & mandata habere quæ in rem essent totius Christianæ religionis, se, nequid suspicionis oriretur (quemadmodum cancellarius apud Regem dixerat) nisi ipsius voluntate & iussu vlterius progredi non statuisse: se enim à Rege hoc in mandatis accepisse, vt morem ei per omnia gerere conaretur. Dux per literas respondet, quibus dies ascripta erat XVII Decembris anno 1532: quas ego ad verbum interpretatus sum.

Sfortie ad Mervillium epistola.

QVÆ ad me literis XII huius mensis die statim ab aduentu tuo scriptis significas vir ornatissime & charissime, ea intellexi omnia, vtque te in omnibus ex Regis Christianissimi præscripto gessisse perspexi. Quæ mihi omnia mirum in modum placuerunt, vtqui Regi potentissimo fidem & obseruantiam singularem adhuc præstiti, & præstare porro in animo habeo, quique id præcipuè studeo & cupio, vt qua apud eum valeo gratia, eam tua opera tueri possim. Quòd in mea ditione & ciuitate commorari cupere te ostendis, sic habeas velim, hoc me, quandiu voles, libentissimè concessurum, & gratissimum te mihi cùm alias ob causas futurum, tum quòd à Rege maximo profectus inter ciues meos versaris. Studium meum, vbi opus tibi esse significabis, tuarum rerum rationibus nunquam deerit. Vale.

HÆC fuit illius literarum sententia. Cui Mediolanum postea reuerso Mervillius opera cancellarij qui è Germania redierat (hũc enim primo loco adiit) literas Regis reddit, mandata fiduciaria sigillatim exponit, quæ omnia ille sibi iucunda esse testatur. Diu apud illum commoratur, vbique comitatur, priuata & familiari valde illius consuetudine vtitur. Fortasse etiam non ita diligenter sibi temperauit, quin se legatione fungi alicubi indicaret: vt ferè solent qui ab externi principis famulitio in patriam reuertuntur, cupidius vt inclarescant quærere. Vtcunque sit, fama ad Cæsarem peruenit, & non-

1533. nulla de fide ducis dubitatione visus est affici, vt quæcunq; de nuptiis ipsius neptis & du cis agi non parua perficiendi spe cœpta fuerant, propè irrita fierent. Dux per nuntium Cæsari se purgat, cui vt persuadeat Mervillium apud se ob negotia quædam priuata cõmorati, literas illas commendatitias perferri iubet, quæ consilio Tabernæ scriptæ fuerant, vt eis ad se purgandum, siquid huiusmodi accideret quale accidit, vteretur. Cæsar hac satisfactione non planè accepta, nonnullam sibi adhuc suspicionem hærere ostendit: hanc speciem captari, vt callidius occultarentur quæ maioris momenti interim agerentur. Deniq; tam acerbè de iis expostulat, vt dux amplius se purgare cupiens, per nuntium illi confirmaret se propediem omni cum suspicione liberaturum, effecturúmque vt planè intelligat se neque à Mervillio neque ab alio vllo ad Regis partes vel amicitiam adduci posse. Huius rei perficiendæ occasio mox narranda paulo pòst data est.

Mervillio insidiæ parantur.

CAL. Iul. Mervillius cum suis ducem in ciuitate comitabatur. Ibi nobilis quidam è domo Castillionça siue casu siue iudicio è famulis Mervillij Baptistam nescio quẽ hominem minimè malum cõpellat, nomen heri rogat. Ille ostenso hero, hic est, inquit, Mervillius è Gallia. Imò, inquit ille, Mervillius à furca. Hoc maledictum alius ex eodem famulitio quum audiret, illo tẽporis articulo dissimulat: expectat dum duce in arcem ingresso omnes qui cum comitati fuerãt egrederentur. Tum hominem ponè subsequens ita alloquitur, Modò, inquit, herum meum Mervillium in malam crucem abire iussisti. Neque te sic loqui decet, neque ille hac contumelia & maledicto dignus est. Negat ille à se dictum hoc fuisse. Instat alter, inficiando locum non esse, seipso audente hæc illũ effutiisse. Pernegat ille, & quisquis hoc affirmaret, mentiri ait. Imò, inquit ille, furcifer, te mendacij reum perago: simúlq; cum dicto vagina gladium educit. Nobilis ille quòd fortasse humilioris sortis hominem præ se minoris duceret, quàm vt cum eo sibi decertandum esset, se subducit, duo ex eius comitatu strictis gladiis illum adoriũtur: verùm litem hanc qui aderant, dirimunt. Mervillio domum reuerso famulus rem totã, vti acciderat, ordine narrat. Qua illius oratione adductus nobilem quẽdam necessarium Castillionis consanguineũ accersit, quem ex illo quærere iubet num his verbis vsus esset. Quod quũ ille iureiurando interposito inficiaretur, Mervillius homine rursus misso sibi vehementer dolere significat tantam fuisse famuli petulantiam, id sibi ne vitio detur rogat. Dux de hac cõtrouersia certior factus, vtriq; vetat ne acrius rem vrgeãt, sed desistere & quiescere iubet. Respondet Mervillius huiusmodi vetationes ad eos pertinere qui dissidia haberent, sibi quidem nihil controuersiæ cum vllo mortali intercedere. Castillio tamen nihilo ob interdictum se cius comites secum ad duodecim cum tragulis & sclopis deducit, crebrò ad ædes Mervillij obambulat: tandem vesperi in quinque vel sex illius famulos incidit, quibus ni se recepissent, vim facere parabat. Mervillius quum iniuriam facere pergerent, veritus nequid grauius accideret, prætorem per nuntium rogat vt rei prouideat: se quidem nolle vt quam suis iniuriam inferre alij conabantur, hanc vlla ratione illi vlciscerentur: sed illud quoque sibi nequaquam ferendum existimare, vt alij molesti esse pergerent. Prætor iustam hominis querelam nihili ducit, Castillionem patitur subinde, vt solebat, ad ædes Mervillij iter facere. Tandem vesperi illos vt antea feMervillius in carcerem conjectus indicta causa necatur

cerat aggreditur: verùm eos sibi præcauentes offendit, qui ita vim vi repellere instituunt, vt Castillione interfecto reliqui fugæ se mandarent. Postridie manẽ, is dies quartus erat Iulij) prætor Mervillij ædes ingressus, omnium bonorum repertorium conficit, in custodiam illum & quotquot ex illius famulitio reperit, tradit, ex iis vnum ferè octogenarium, qui præ senio sensum aurium amiserat, arripit, de eo quæstionem habet, vt aliquam aduersus herum confessionem exprimeret. Ad illum, quandiu in vinculis fuit, nemini aditum patere aut alloquendi facultatem dari patitur. Tandem ex amicis nonnulli (vt Mediolani in huiusmodi rebus mos est) illius causam scripto defendunt, quod prætor sibi exhibitum lacerat, & ne lectum quidem comminuit. Die Dominico qui insequutus est, post mediam noctem, ducis voluntate cognita eum capite obtruncari iubet, & postero die ante lucem in platea mercatorum corpus obtruncatum publicè iacens repertum est.

NEPOS quidam Mervillij ausugiens equis veredariis se ad Regem recipit, cui rem ordine narrat, & de accepta iniuria grauiter conqueritur, quæ sane satis perspicua erat, quòd Mervillius ad prætorem confugisset, q. eius depulsionem recusasset audire, quòd

quòd immaturè iudicium factum & supplicium sumptum, quòd die festo, q; nocte intempesta, causa neq; informata neque dicta, atq; totum id tridui spatio. Quúmque hoc sit in Mediolanensium more positũ, vt cuilibet vincto, cuiuscunq; loci & ordinis sit, post capitale iudicium triduum soleat prorogari, siquid ad dilucidum crimen afferre poterit, multo magis hoc ei denegandũ non fuerat, cuius à multis annis officia summæ fidei extabant in eum qui rex esset Galliæ, cuius etiã iussu legationem illic fungebatur. Istam hominis querimoniam & genus mortis Rex & qui in consilio aderant, iniquissimè tulerũt. Neq; quisquam erat qui legationẽ Regis nomine obire solitus esset, quin sibi idem impẽdere iudicaret. Itaq; omnes summa contentione vrgebant vt tãtum facinus Rex cum
10 suis ad se pertinere iudicaret, idque tam manifesto declararet, vt documento omnibus in posterum esset ne ius gentium violaretur, néve legati (quorum nomen etiam inter arma apud hostes sacrosanctum & inuiolabile esse debet) maximè apud eos ad quos missi sunt, vllo in periculo versarentur. Rex, ne tã præceps esset in vlciscendo quàm ille in peccando fuerat, primùm à duce ipso petere statuit, vt de tam insigni iniuria sibi satisfieret: deinde vniuersos principes & dynastas Christianos certiores ea de re facere, velut quæ ad omnes ex æquo pertineret. Ad ducem scripsit in hæc verba.

Regis ad Sfortiam epistola.

Perlatvm est ad me, mi consobrine, tuo iussu contra vetustissima quęque iura, contràque morem quem omnes omnium ætatum principes seruare consueuerunt, legatum meum Mervillium ante paucos dies capitis supplicio fuisse affectũ. Quod ego
20 supra quàm dici potest, pro tam atroci iniuria quam accepisse video, moleste tuli ac fero: quam persequi etiam in animo habeo, dum mihi pro rei grauitate satisfactũ sit. Eum ego ad te miseram, quòd eius in omni vita tantam probitatem & integritatem perspectam habebam, vt verisimile mihi fieri non posset, facinus ab eo tali supplicio luendum patratum fuisse. Quod etiamsi verum esset, illud tamẽ tibi excidere animo non debuit, rem peragendam nõ prius fuisse quàm & me certiorẽ faceres, litis acta mitteres, & quid sentirem intelligeres: ad quæ ego tam æqua & iusta rescripsissem, vt nulla conquerendi causa tibi relinqueretur. Hæc erat via atq; ratio quam in huiusmodi causis ab omni vetustate cuncti sibi seruandam esse censuerunt. Quum autem præcipua huius necis iniuria
30 ad me redeat & spectet, quam ego inultam vt sinam nulla vnquam ratione adduci possum, te sic habere velim, omni opera tibi videndum esse quò scelus commissum ita expies, vt mihi quantum ratio & æquitas poscit abunde satisfactum esse intelligam. Sin autem hoc tam æquum ius abs te obtinere non potero, tibi edico, me aduersus te quacunque licebit ratione acturum esse, effecturúmq; vt à te per summam stultitiam, nulla cur id fieret occasione præbita, minimè tolerãdam mihi iniuriam esse factam intelligas. De qua etiam per literas apud omnes Christiani nominis principes, socios & fœderatos cõqueror, ad quos res ista, vt pote inter nos cõmunis, æquè pertinet: vt sciant illi atque statuant mihi iustissimam causam non deesse, cur eam mihi persequendam, & ce iusto bello aggrediendum, vsq; dum mihi debitas pœnas dederis, existimem.

Ad papam velut patrem omnium communem in eandem sententiam scripsit: vt
40 planum faceret, si tantæ iniuriæ satisfactio sibi denegaretur, vt ad illam vi & armis vindicandã deueniendum sibi videret, id se absque grauissima & idonea causa nõ facere. Ad Cæsarem quoque, ne si res ad arma progrederetur, materiem suspicandi nactus videretur aliam belli inferendi causam extitisse, has literas misit.

Regis ad Cæsarem epistola

Amplissimo, potentissimo & præstantissimo Cæsari fratri charissimo, consanguineo & socio. S. Quanquam legatos vlla ratione lædi aut violari omni iure atque æquitate vetitum est, qui ab omni hominum memoria ad nostram ætatem eximia & singularia priuilegia maximè laudabili & vetere instituto concessa obtinuerunt, eáque seruari omnium regum & principum valde interest: propter eaquòd si ea res tollatur, pacẽ inter eos & amicitiam tandem solui contingeret: (vnde periculum esset ne regni cuiusli
50 bet & status publici pernicies atq; interitus consequeretur) tamen dux Franciscus Sfortia, vt certo nuntio compertum habeo, non ita pridem legatum meum Mervillium, quẽ apud se habebat, securi feriri iussit. Quem tanta morum & vitæ integritate se perpetuò gessisse comperi, vt vix mihi quisquam persuadere possit, crimen ab eo designatum esse quod tanto supplicio dignum videretur. Quòd siquid etiam tale commisisset, non licuit tamen duci prius supplicium sumere, quàm ad me causam & litem scriptã mitteret, no-

1533. ſtramq; de ea re ſententiam expectaret: qua in re vt illi ſatisfieret operā dediſſemus. Iam verò hoc præter cætera alienum nobis accidit, q; biduo captus, accuſatus, damnatus & ſupplicio affectus eſt. Quæ iniuria tantum mihi dolorem & indignationem attulit, vt ferre nullo modo decreuerim: eámq; ob cauſam ad illum ſcripſi, vt eam plenè quemad modum ius faſq; iubet, farciat. Quæ quum ita ſint, ad cæteros etiam Chriſtianos principes ſocios & fœderatos ſcripſi, quos noſtra omnium de re quæ ad vniuerſos æquè pertinet, certiores fieri intereſt: ne quis mihi, quum pœnas bello expetam, aliam eſſe cauſam exiſtimet, néve hoc captato prætextu putet me de recuperando Mediolanēſi dominatu cogitare. Quod hac ratione me non quærere Deum immortalem conteſtans affirmo rem non dubito, contrà me ſatis habiturū eſſe ſi hæc iniuria expietur. Hanc culpam ſi dux vt præſtet, operam (quemadmodum debet) ſe dare oſtēdet, negotio ſtatim deſiſtam: ſin minus, ego quacunq; ratione potero, illi oſtendam me non eum eſſe, qui tam inſignē cō tumeliam in me accipere, aut vt eam impunè ferat, pati queam, teq; id ſcire volo. Et ſanè ſi apud ſe quiſq; cogitet quo animo tantam indignitatē & contumeliam, ſi ſibi fieret, laturus ſit, quàmque intolerabilem videri præ ſe ferat, reperiet me iuſto dolore ad id compelli, cauſamque idoneam pœnas bello repoſcendi mihi datam fuiſſe. Vale.

IN eandem ſententiam ad regem Ferdinandum, Anglum reliquóſque principes, populos, ad ipſos deniq; Heluetios ſcripſit. Romæ papa iter ad cōgreſſum Maſſilienſem parabat, quum illi Regis literæ de Mervillij nece redditæ ſunt. Cæſari Velius Regis orator literas reddit, & coràm cum eo, quemadmodum in mandatis habebat, agit. Reſpō det ille, Mervillium debitas pœnas dediſſe, nullum legati locū tenuiſſe, ſed priuatæ conditionis nobilem, ex dominatu & ditione ducis, apud quem domeſtica quædam ac propria negotia curaret. Velius ilico alias profert ducis ipſius ad Regem literas, quibus conſtabat eum loco oratoris apud ipſum habitum fuiſſe. Cæſar ſe iſtis leuiter commoueri oſtendit: imò de ducis fide iam ſibi dubitandum non eſſe videns, neque vllam in poſterum ſuſpicionem relictam vt ille vnquam Regis partes amplexurus eſſet, paucis interiectis diebus Pratenſem (cuius non ſemel mentio facta eſt) in Flandriam mittit, qui alteram Chriſtierni Daniæ regis filiam adduceret, quam ille neptem ſuam duci, vt polli citus fuerat, in matrimonium daret. Eodem fere tempore nuptias ducis Aureliæ & duciſſæ Vrbini celebrantur. Etenim Septembris die octauo, eodem anne 1533 papa Roma diſceſſit, relicto legato, dum abeſſet, cardinali Mōtano, Iulij Papæ demortui patruo, qui tamen paulo pòſt diem ſuum obiit. Rex multos myoparones & celoces diſponi iubet, qui omnia diligenter & alto mari & ad omnes oras perluſtrarent, nequod illi periculum incauto crearetur. Cuius aduentum etiā dum expectaret, Maſſiliæ finitima loca peragrabat, Maſſiliam quoque ipſam raptim interea venit, vt videret num omnia ad illum excipiendum rectè curata eſſent.

Papa Roma profiſcitur vt Maſſiliam veniat.

MASSILIAM ad Regem à duce Franciſco Sfortia mittitur Franciſcus Tabernа (cuius ſuprà meminimus) cancellarius, qui ducem de nece Mervillij obiecta purgaret. Hunc Rex in intimo conſilio audiri iubet. Eius oratio huc pertinebat, ducem nunquam ſuſpicatum fuiſſe fore vt Rex hanc necem in eam partem acceptурus eſſet, quam per literas expoſtulationis acerbiſſimæ plenas ſignificaſſet. Mervillium legati ordinem & locum nunquam tenuiſſe, neque in aula ducis ea conditione habitum fuiſſe, ſed ſubditum & clientem ducis illic priuati negotij cauſa, aliorum inſtar qui ſuas res curant, verſari ſolitum: nunquam ſciuiſſe ſuſpicatúmve eſſe iſtum Mervillium Regis domeſticum nedum nuntium aut oratorem fuiſſe. Hoc ſi compertum habuiſſet, eam illius rationem habiturum fuiſſe, quam habendam eorum eſſe intelligeret qui ex tanti principis famulitio ſint, cui ſe ex omnibus maximè deuinctum eſſe, cuiuſque honoti plurimum officij & obſeruantiæ ſe ſuſtinere agnoſcat: quo inſciente nunquam ſe quicquam in illum grauius ſtatui paſſurum fuiſſe. Verùm quum non alio illum loco quam quemuis è ſuis haberet, permiſiſſe vt in illum ea conditione lege ageretur, & tanquam eo ſupplicio dignum, ob eædem nobilis è domo Caſtillionæa, qui ordinarium in ducis domo locum & gradum obtinebat. Ipſum porro Mervillium hominem fuiſſe vitæ flagitioſæ & ſceleratæ, qua multorum animos grauiter offendebat, ficariis & facinoroſis hominibus illius ædes continenter patuiſſe, qui etiam mortem ipſius ducis & aliquot

Sforcia ſe de Mervillij nece per Tabernā cancellarij ſui purgat.

inti-

Intimorum conspiratione facta machinabantur: vt sæpius dux illum moneri iusserit sibi cordi non esse quòd diutius Mediolani commoraretur. Addebat se quoque iussu ducis eum monuisse vt ciuitate excederet, sed dicto audientem eum non fuisse, interim illam Castillionæi cædem interuenisse. Quę quidem quo pacto accidisset, atq; ille comprehensus & obtruncatus fuisset, eodem pene ordine commemorabat quo antea narrata est: tantùm silentio illud prætertit, prætorem fuisse à Mervillio rogatum, & amicos, quum in custodiam traditus esset, eius causam scripto defendere conatos fuisse.

HÆc legatio & oratio incredibilem toti concilio stuporem attulit, & maximè aliena visa est, propterea quòd cancellarius iste Mervillij ex sorore nepos erat, deinde nemo extabat qui certius eo sciret rem contra se habere quàm narrabat. Itaque tota eius oratio grauissimè sigillatim refellitur, fieri non posse vt ducem lateret ipsum Mervillium Regis legatum nō solùm domesticum esse, quem ad se missum recordaretur. Id verum esse satis tū ex literis intelligi quas Mervillius Bononiæ scripsisset, tum ex ipsius ducis respōso: illarum exemplum descriptum, huius archetypum apud Regem esse. Illum in aula tum Ludouici tum Francisci Regis amplius vigintiquinque annos versatum fuisse, vt dux huius rei ignarus esse non posset: quem tam negligenter res suas gessisse non sit verisimile, vt suorum nomina & fortunas qui in aliena ditione & regione essent, non teneret. Quin ipsum quoque cancellarium, qui satis norat quibus de causis missus fuisset, imò cuius opera aditus illi ad ducō patuerat, & eo familiariter vtebatur, non esset dubiū moniturum fuisse ducem suum, ne adeo grauiter in tam potentē Regem per imprudētiam peccaret. Excipit cancellarius Mervillium quidem ad se adire meminisse, vt ad ducem intromitteretur, sed nihil præterea cum eo rei habuisse: neque hoc colloquium aliam ob causam habitum fuisse, quàm pro necessitudine aunculi & nepotis in rebus priuatis: aliud quod cum duce haberet, non indicasse: nisi fortasse eo cōsilio vt aliquid expiscaretur de quo Regem certiorem faceret, vt denique siqua facultas daretur, ad alendam & confirmandam inter illos pacem operam suam conferret. Si prior hominis oratio aliena & parum consentanea visa fuerat, multo etiam absurdior hæc exceptio habita est. Obiicitur quàm parum deceret orationem hanc ex ipsius ore mitti, qui meminisset Mervillium literas à Rege fiduciarias & legatorum commentarium Regia manu subsignatum habuisse: ipsum cancellarium esse qui apud Fontem Bellandi Regem de omnibus monuisset, qui hanc rationem inuenisset, vt literæ commendatitiæ priuatim à Rege darentur, quibus negotium quod reuera agebatur, occultari posset. Quæ etiam omnia vt desint, immaturitatem tamen & præcipitantiam ac quiduis potius quàm ius & æquum perspici in toto hoc negotio, quòd suspicione tantùm iniecta & opinione præsumpta, quasi cædem à suis factam non inficiaretur, die Veneris comprehensus altero pòst die damnatus clanculum noctu obtruncatus esset. Nimirum hinc satis cōstare, ducem metuisse, ne si palam supplicio affici iussisset, exorto populi tumultu res impediretur: populum enim veriturum fuisse, ne si Rex iniuriam vindicaret, ab insontibus pœnæ lucrentur: id enim Mediolani fama vulgò iactari.

Mimis fibi malè conscia vis quæritur.

MIRA est conscientiæ vis, quæ mentem & consilium iis adimit quos damnat. Equidem memini quum adolescens istum cancellarium audirem ex præstantissimis & promptissimis in respondendo & excipiendo haberi omnium qui causas agebant. Sed eum hoc obiecto solertia statim & ingenium defecit: aut certè consanguinitas ipsa (cui vis afferri, vt dissimuletur, non potest) eum in absurda & malè cohærentia responsa impulit. Nam vt clandestinum illud & nocturnum supplicium excusaret, ducem ait hoc fecisse non quòd vllum populi motum timeret, sed quòd Regem ita vellet obseruare, à quo Mervillium venisse sciret, vt palam illum tanta ignominia nolet affici. Ad hanc vocem os illi occluditur, quum fateretur ducem (quòd negauerat) non fuisse ignarum quo loco haberetur Mervillius, nihil iam opus esse cum eo pluribus agere qui tam pugnantia loqueretur, & rem perspicuam inficiaretur. Regē satis compertum habere totā hanc purgationem verbis modò constare, nulla ratione niti: contrà Regem literis & aliis argumentis duci hanc purgationem extorsisse, cui obscurum non fuit Mervillium legati nomen & locum tenuisse: atque adeo velle (quod initio per literas postulauisset) hanc sibi illatam iniuriam & indignitatem refarciri, alioqui denūtiare se armis rem persequuturum. Sic Rex hominē absoluit & dimittit. Nec vero quisquam erat ex toto Regis co-

1533. mitatu, quin tantam iniuriæ atrocitatem esse & indignitatẽ iudicaret, vt non solùm iustam de vltione cogitandi causam habere videretur, verùm etiam vix desistere posset, quin maiestatis decus ignominia aspergeret. Quòd nisi in congressu illo mox futuro controuersia componeretur, suspicabantur vere proximo aliquid turbæ datum iri.

Summa aduenientæ papæ gratulatio.

MENSE Octobri ex turri Taxiana & speculatoria conspicitur classis qua papa nauigabat: vnde signo dato myoparones & celoces magno numero obuiam illi prodeũt, quibus multi nobiles cum tubis & lituis vehebantur. Quum portum ingrederetur, à turre speculatoria, Ioanea & cœnobio Victoriano, multisque aliis editioribus locis strepitu amplius trecentarum maiorum machinarum salutatur, quibus reciproco boatu à triremibus reddito totus portus & loca finitima incendio corripi videbantur. His rebus confectis è naui ad Victorianam ædem versus (ea est è regione vrbis portu interposito) ad palatium Mommorencij descendit: quem locum ille parauerat quo eum exciperet, donec ciuitatem cum splendore ingrederetur. Idem Mommorencius (huic enim Rex omnem de excipiendo papa curam commiserat) duo in ciuitate ornanda palatia, vnum papæ alterũ Regi curauerat. Inter illa vicus intererat, in quo amplissimam aulam ligneã extrui iusserat, qua iter ad vtrunque palatium esset: quæ tanta etiam magnitudine erat, vt tum cardinalium consistorium capere posset, tum illic etiam papa cum Rege congredi. Hæc omnia passis maximi pretij aulæis ornata erant. Papa ad illud palatium quod ei trans portum paratum esse diximus, deducto, domum se quisque in posterum diem recipit, quo se vt vrbem ingrederetur parauit. Ingressus illi summo splendore & magnificentissimo apparatu instruitur. Ipse cathedra sedens, humeris duorum baiulorum ornatu pontificali insignis gestatur, nisi quòd capiti tiara deest, anteambulonem habet equum Asturconem album, cuius tergo impositum quiescit sacramẽtum altaris: equum duo pedites decentissimo ornatu habenis candidis sericis ducunt. Sequuntur cardinales celebertimis vestibus, mulis pontificalibus inuehentes: tum ducissa Vrbini separatim splendidissimè sese inferens, quam nobiles tum viri tum mulieres tum è Gallia tum ex Italia comitantur. Ea subsequenti populi frequentia stipatus papa ad locum vbi commoraretur paratum peruenit: tum omnes domum redeunt. Tanti splendoris pompa absque vllo tumultu aut turba administrata est. Dum vrbem ingreditur, Rex interim myoparone ad eum locum vnde papa discesserat, nauigat, vt inde postridie profectus clientelæ papalis officium supplex humi ad pedes stratus, vtpote Rex Christianissimus, præstaret. Multo antè conuenerat, vt quum Rex papam adorabandus & demissus salutaret, Gulielmus Poycus qui tum curiæ Parisiensis primus præses erat, postea cancellariatũ gessit, apud illum orationem haberet. Is omnes suæ ætatis oratores facilè eloquentia superabat, & linguam Gallicam omniũ optimè callebat ille quidem, Latinæ credo, non vsque peritus fuit. Quam ob causam orationem suam iampridem à doctissimis Gallìæ hominibus conscriptam, diligentissimè ediderat: verùm contrà accidit ac putabat. Nam ea memoriam non antistes Regem mane è lecto surgentem monet quibus de rebus papa orationem haberi cuperet, ne aliorum principum animi offenderentur. Argumẽtum ab illo dictatum omnino aliud erat ab eo quod Poyetus meditatus fuerat. Itaque in opinato casu se oppressum videns, Regem orat vt hoc munus alius obiret, episcopi cuiusdam prouinciam esse, quum de concordia & pace Ecclesiæ agi oporteret. Hanc verbo causam afferebat, re significabat sibi tempus non suppetere, vt orationis argumentum & seriem mutaret. Quæ quum ita essent, negotium Ioanni Bellaio Parisiensi episcopo committitur, qui licet repente res obtruderetur, sic tamen pro temporis breuitate se gessit, vt & nostratibus & exteris satisfaceret.

REX paratus venit ad papæ palatium, principibus consanguineis comitatus, duce Vindocino, comite Sampaulio, Mompenserio & Rupesurionio, duce Nemorensi ducis Sabaudi fratre, qui illic diem obiit, duce Albaniæ & plerisque comitibus, baronibus aliisque nobilibus, ex quibus Mommorẽcius præfectus prætorio ab illius latere nunquã discedebat. Rex in palatium quum veniſſet, summa humanitate à papa & cardinalibus consistorio coacto excipitur: se quisque postea ad locum designatum recipit. Rex cùm nonnullos alios cardinales secum abducit, quos regiè acciperet, tum Medicem ipsum papæ nepotem virum dignitate & comitum frequentia clarissimum. Postero die qui vtrinq; delecti fuerant, conueniunt, vt de iis agerent quorum causa congressus erat institutus.

tutus. Principiò quum de fidei negotio tractandum esset, quoniam res nondum eò deductæ erant, vt concilium cogeretur (cuius rei causas antea demonstrauimus) diploma interim conficitur quo hæreses in hoc regno suborientes sisterentur, ne rerum maior perturbatio cõsequeretur. Matrimonium ducis Aurelij alterius Regis filij & Catharinæ Medicææ Vrbini ducissæ papæ neptis transigitur, ijs aut non longè dissimilibus conditionibus quas antea duci Albaniæ propositas & latas fuisse demonstratum est. Nuptiæ amplissima & magnificentissima pompa celebrantur, papa ipso nuptialia verba nuncupante. Postea coacto consistorio quatuor in Regis gratiam creantur cardinales: cardinalis Venator, antea Lexouiensis episcopus, summus Regiæ stipis erogator: cardinalis Bononiensis ex Cubicularia familia, ducis Albaniæ frater vterinus: cardinalis Castellioneus è gente Collinia, Mommoreneij è sorore nepos, mareschallij Castellionei filius: & cardinalis Giuerius Amiraliæ Brioniæ patruus. Missa Papalis celebratur, in cuius exitu papa Christianam gentem totam, vbicunque orbe vniuerso sparsa est, faustis ominibus prosequitur, & peccatorum veniam eandem largitur quam solet die Iouis septimanæ sanctæ, quæ scilicet Paschalia proximè anteecedit. His confectis rebus papa Romam nauigaturus è portu cireiter diē Nouembris vicesimum soluit. Rex Auenionem proficiscitur. De Anglo negotio Rege summa diligentia instante sermo inijcitur. Verùm quoniã res eò proceſſerat, vt papa in eum iam excerationis fulmen vibrasset, cardinaliũ intercessione Romam negotium reijcitur, vbi collegium totum haberetur: placuit interim vt Rex per nuntios ei persuaderet, quò se Romanæ Ecclesiæ iurisdictioni rursus submitteret.

Matrimonium Henrici posthumi Regis & Catharinæ Medicææ.

REX ex quo Massilia profectus est, iter non intermisit, nisi quòd biduo Auenione commoratus est, donec ad Costam Santandream peruenireț. Ibi intimo concilio coacto de postulatis deliberare cœpit quæ tum dux iunior Christophorus Wirtembergensis suo & patris nomine, tũ Gulielmus & Ludouicus Bauariæ duces illius patrui scripto significãuerant. Demonstratũ est antea quàm amico & humano responso Rex Bonacursium Grynæum alloquutus fuisset, se certum hominem cum mandatis missurum, qui eum eis quemadmodum optauerant postulauerantq; ageret atq; constitueret. Hoc ille responsum suis principib. per literas significauit, ipse in aula subsistit, dum colloquio illo dimisso Rex quem pollicitus fuerat deligeret. Is Christophorus Wirtembergensis literas à socijs fœderis Suauiẽsis iam inde à mense Augusto acceperat, qui ad alias ipsius literas referipserant quas prid. Cal. eiusdem mensis miserat, quibus ostenderat quam iustas expostulandi causas habere videretur, quòd seuerè & acerbè nullo suo merito secũ agi diceret. Quibus communi fœderatorum consilio mandatum erat, ij respondent negotium hoc tam multis difficultatibus impeditum esse, vt literis vltro citroq; mittendis vix ae ne vix quidem transigi conficiq; possit: monent vt ipse coràm primo Septembri proximo comitijs interſit, quæ Augustæ habere cogitabant, quibus de alijs negotijs deliberatio instituetur: illic se de illo etiam acturos. Hanc ob causam fidei etiam publicæ tabulas amplissima verborũ formula exaratas Triumuirorũ manu & signo confirmatas misérãt. His tum erãt Gulielmus Ketingẽsis, Leonardus Bappalinensis sacri Imperij mareschallus, & Vlricus Natareius prætor vrbanus Vlmensis. Est autem apud Germanos in more positum, vt quisquis comitia de suis rebus priuatis haberi postulat, is quã maximo potest numero necessarios, familiares & sui studiosos aut certè ab eis missos delectosq; secum adducat, vt illis præsentibus & audientib. negotium decidatur. Huius præsentiæ & comitatus ea conditio atq; lex est, vt quotquot intersunt, illius causam qua de agitur, non secus ac suam ad se pertinere ducant, ipsoque facto suam illi fidem vel ad arma capienda, si opus sit, obstringant, vbi iuris obtinendi denegatio vel dissimulatio aliqua eernitur. Hunc morem sequutus Christophorus multos reges, duces & principes per nuntios magnopere rogauerat, eorumq; hoc negotio fidem & opem implorauerat. Itaq; memoria tenebat, ducibus Bauariæ patruis suis Regem promisisse se aliquem delecturũ quem eum mandatis illuc mitteret, literas ad eũ scribit singularis modestiæ plenas, quarum sententiam huic loco inserere libuit, simul etiam Regis ad illas responsum, deniq; alteram eiusdem petitionem, adiunctis summis Bauariæ ducum ipsius patruorum precibus: vt quidem à Grynæo tum verbis tum scripto omnia Regi significata sunt.

Christophorus dux Wirtembergensis Regi ope sua recuperare conatur.

SALVTE in primis, vt fert consuetudo, dicta, ostendebat quemadmodum à de-

1533. cem & septem annis, quum fortunis suis exuti & possessionib. pulsi essent, in tanta sua & patris calamitate prima tum liberationis spes affulsisset, quũ illi Reginã Alconoram Cęsaris & regis Romanorum sororem (quorum fisco ea bona addicta fuissent) nupsisse intellexisset. Quum enim Christophori mater Cæsaris Maximiliani neptis ex sorore fuisset, cuius filius Philippus Castiliæ Rex liberos habuerit Carolum, Ferdinandum & Alconoram, omnino confidere se, fore vt Regia autoritas huic negotio interposita vtrunque ob eam affinitatem quæ inter illos intercedebat, valde commotura esset, quò hinc acerbitatum & calamitatum finis consequeretur. Hanc porrò illius gratiam & potentiam ad se subleuandos adhibitum iri, se non posse non sperare, pro ea bonitate & commiseratione qua omnes prosequi soleret qui in miserias & ęrũnas incidissent. Quamobrem quoniam fidei publicę autoritate ad cœtum sociorum fœderis Suauienſis (a quibus spoliati & bonis deturbati fuerant) venturus esset, illic querelas suas expositurus, Regẽ etiam atque etiam orare tum vt ad Cæsarem & Ferdinandum scriberet, tum fœderatis istis per legatum summa studij significatione rem commendaret, suum denique & patris negotium in fidem suam acciperet. Non dubitare se quin illo fauente & iuuante prosperè & fœliciter se res haberet: seque hac ratione incomparabilis beneficij memoria obligari illius maiestati in perpetuum sensuros, cui tandem denuo se etiam atque etiam commendarent. 10

Regis ad Christophori epistolã responsum.

Hæc fuerunt ducis Christophori postulata, ad quæ Rex post multam deliberationem respondet se & natura & institutione ad opem ijs ferendam quibus opus sit, non solùm consanguineis, propensum esse. Proinde se magnopere dolere, quòd neque illorum negotium nisi Cęsare & Romanorum rege (ad quos totum illud in primis pertinerat, quique illorum bona & dignitates publicarint) conscijs ac probantibus complecti & defendere, neque ad socios fœderis Suauienſis legatum hac de re mittere posset, quin quam cum illis habebat pacem & amicitiam violare videretur. Etenim si vel peteret vel postularet vt fœderatorum iudicio ipsi & patri omnia illa restituerentur, quid hoc aliud esse, quàm quòd obscure illos damnaret tacitequ; fugillaret, tanquã alienas fortunas per fraudem & iniuriam occuparent atque detinerẽt? Se certè libentissimè facturum vt eos per literas quanta posset maxima voluntatis & studij testificatione rogaret, rationem illi tantæ propinquitatis quæ inter vtrosq; intercedit haberent, illorumq; rationibus prospiceret, quò habeant vnde pro gradu & nobilitate generis & affinitatis, qua tantis principibus coniuncti sunt, viuere possint. Cæterùm ipsi Christophoro duci suis bonis & facultatibus vtendi potestatem vbicunq; opus esset, faciebat, de quibus suo arbitratu cõstituere absque cuiusquam iusta offensione & querela posset, se denique illorum causa omnia facturum confirmat, quæ salua sociorum & necessariorum coniunctione facere liceret. 20 30

Res ita proculdubio habebat, vt Rex summopere hos duces in pristinum dignitatis locum restitui cuperet, libentissimeq; rationem inuenisset qua illos etiam proprijs im pensis iuuaret, partim vt vires Cæsaris & fratris debilitaret, partim vt in Germania vel nouas necessitudines pararet, vel veteres confirmaret, denique vt Cęsari par pari referret, qui ad se Regios amicos & socios pellicere omni ratione conabatur. Sed hoc tam speciosо prætextu efficere volebat, vt verè semper contendere posset à se nihil contra fœdus committi: cuius quidem fœderis formulę si verbo tenus hęrere videretur, factum officio satis se existimabat, vt nõ etiam amplius eam in eius gratiam dilataret, à quo sibi nullam tantæ voluntatis occasionem dari satis animaduertebat. Hunc esse Regis animum Bonaccursium ducum Bauariæ secretarium non latebat, id quod suis principib. per literas notis exaratas significauit, qui ducem etiam Christophorum nepotem certiorem faciunt. Longè enim in illum meliori erant animo quàm in patrem, vt si ducatũ illi restituere patre relicto fas fuisset, id libenter suscepturi viderentur, quod etiam non obscurè significarant. Sed id se consequi posse desperabant, tum quòd maxima eorum pars qui hunc ducatum recuperandum curabant, patris causa præciputè cupiebant, tum quòd turpe videbatur, patre neglecto de filio ornando laborare. Itaque quia quod volebant, non poterant, quod possunt velle cœperunt, aut certè quod facilius factu esse iudicant, & ad legatum suum secretarium q; fusius scribunt: qui & oratione illorum mentem Regi indicat, & scripto comprehensam tradit. 40 50

Princi-

PRINCIPIO magnam sc illi habere gratiam significant, quòd humanissimo & amicissimo responso legatum suum prosequutus fuisset, se cum illo semper bona fide & simpliciter acturos. Deinde certiorē illum faciunt sua opera & consilio occulto effectū esse vt publica fide data dux Christophorus nepos comitijs turò intereſſe queat. In his nihil actum iri, in quo non ille per legatum quendam cum alijs reliquorum regum & principum Christianorū Christophoro auxilio & subsidio esse possit: qui etiā illorum opera, studio & suffragatione confirmatus eū regi Ferdinando placare & reconciliare poterit. Hanc reconciliationem amicè peractum iri, earnq; vt sacri Imperij & gētis Germanicæ iura, instituta, leges, mores & priuilegia ferunt, quibus Ferdinādus reclamare nec vellet nec auderet, quin multorū inuidiam & in primis ordinum Imperij odia aduersus se concitaret. Ita Regem, si huic negotio fauere instituerit, è duob. vnum sine vlla dubitatione effecturum esse, aut à Ferdinando ducum restitutionem cōsequuturum esse: quo fieret vt & illi cum suis sempiterna tanti beneficij memoria illum colerent, & Ferdinando tāndem virium atq; amicorum decederet: aut illum eò redacturum, vt quod iustum & æquum est denegaret, quo sibi totam Germaniam infestam redderet: quæ non ducatum illum modò sed etiam dignitatem & nomē regis Romanorum adimere posset. Atque omnia ista sic administratum iri, vt Regem non tam apertè eis immisceri oporteat, meritò vt dici possit ab eo primo exordium pacis cum Cæsare violatæ extitisse. Quamobrem rogabant, vt quoniam iam decreuerat Langæum in Germaniam mittere, qui cum principibus ageret & statueret quanam ratione pecunia deponeretur ad fœdus iludineundum, quod excipiendi non inuadendi conditione cum eis paciscebatur: & futurum erat vt legati vel delecti quos principes omnes fœderis Smalchadici participes mittebant, his comitijs ad ducum restitutionem vrgendam interesſent, ne grauaretur hoc negotium socijs fœderis Suauiensis per literas commendare, Langæo imperare vt illic eadem conditione qua alij adesset, aut quemadmodum saltem ipsi Langæo cum Bauariæ ducibus conuenisset. Quinetiam ad Lotaringiæ ducem & Guisiæ ducem illius fratrem scriberet, vt si forte duci Christophoro aut nōnullis ex eius famulitio per illorū fines iter faceret vel commorari contingat, hoc illorum voluntate facere, idque eum omni iustæ humanitatis studio atq; officio liceret. Quod facilè ab illis Regem obtenturum confiderent.

HÆC postulata ad hunc fere modum descripta Regi traduntur, simul redduntur posteriores ducis Christophori literæ, quibus docebat non solùm consensu Cæsaris & Ferdinandi hæc comitia cogi, verùm etiam eorum nomine delectos & legatos mittendos esse, Ferdinando placere, vt hoc negotium ex iurisconsultorū disciplina in cœtu fœderatorum decideretur. Id ita habere vt cōstaret, exemplum mittit tabularum fidei publicæ quas Ferdinandus dedisset, quibus dies ascripta erat vicesima septima mensis Maij superioris, item literarum quas postridie dedisset, ad fœderis capitaneum de eodem negotio scriptas, quibus non modò quod iure deberetur se facturum, sed humanitate quoque erga eum vsurum esse promitteret: quinetiam apud Cæsarem quicquid gratia, commendatione & autoritate valeret, illi non defuturum: vt iam Regi verendum minimè aut suspicandum esset, ne commendando hoc negotio vel iure persequēdo Cæsarem vel Ferdinandum offenderet, vel quicquam committeret quod cuilibet non liceat, qui etiam in sacri Imperij clientela habeatur, neq; vllam hac in re iustam reprehensionis causam esse.

HIS omnibus postulatis intellectis, literarumque & fidei publicæ exemplis perlectis, Rex tametsi ex eorum sententia satis perspiciebat non esse eam Ferdinandi mentem vt ducatum restitueret, satis tamen habebat quòd hæc scripta prætexere poterat, quæ in meliorem sensum & suo consilio commodum (nempe eum qui ex ipso verborū tenore eliciebatur) accipiebat: neque sibi persuadere poterat Ferdinandum aliter quàm sentiret, scribere. His causis adductus concilio habito ducum Bauariæ & Wirtembergē sis postulatis obtemperare constituit. Langæum mittit dato negotio vt de pecunia deponenda ageret, ea tamen conditione, ne ad vllius ditionem inuadendam, sed ad tuenda duntaxat Imperij iura, consuetudines & priuilegia insumerentur. Alijs etiam conditionibus & præscriptionibus cauit, quas tabulis ea de re confectis inscribi iussit. Dat etiam negotium vt ad restituendos duces quantam posset operam & industriam adhiberet,

Langeō Rex in Germaniā mittit.

sic tamen vt maximè specioſum nomen prætexeret, neue fœderum & pactionum ver-
1533. bis apertè repugnaret. In primis autem eum omni ratione iubet conari quò fœdus illud Suauienſe non inſtauraretur, ſed potius irritũ fieret. Qua de re fiduciarias ei literas dat, quas Cæſaris delectis, quas item Ferdinando, ſi quidem illic intereſſet: ſi minus, delectis qui eius nomine adeſſent, quas deniq; omnibus confœderatis redderet.

LANGÆVS vbi aduenisſet, audit Ferdinandum his comitijs non interfuturum. Itaque eius legatos certiores de ſuo aduentu & cauſa facit, & literas vnà cum ijs quas à Rege acceperat, ad ipſum Ferdinãdum, aut ad eos, ſi abeſſet, mittit. Eas hic inſerui vnà cum duabus orationibus, quas habuit in ipſo conſeſſu, quibus ducum Wirtembergenſium reſtitutionem ſuadebat.

Guilielmi Langæi ad Ferdinandi regis legatos epiſtola.

QVVM Gallię Rex Chriſtianiſſimus, princeps meus obſeruandiſſimus, à Chriſtophori ducis Wirtembergenſis & Vlrici patris legatis rogaretur vt eorum cauſam defendam ſuſciperet, viri clariſſimi, tametſi vt hoc illis concederet ſui eſſe officij intelligebat, eo magis quòd ſuis calamitatibus doctus alijs opẽ ferre didiciſſet, tamen Ferdinandi regis propinquitate deterrebatur, ad quem hoc negotiũ in primis pertinere animaduertebat. Verùm poſteaquam rem totam diligenter apud ſe perpendit, & quo loco tum antea fuerit, tum in quem nunc deducta ſit, conſiderauit, maximè verò Ferdinandi ipſius rogatu diem concilio indictam eſſe, quò in ſuum locum quem antea tenuerunt, reſtituantur, vt amica quædam compoſitio potius quàm defenſio futura videatur: tum ſuas partes eſſe intellexit (qui vtriſque ex æquo amicus ſit) vt cùm ſuos fœderatos tum miſerum hunc & inſontem Ferdinando ſocio & neceſſario commendaret: eſſe enim quamobrem vtriſque congratuletur, illis, quòd tanquam tempeſtate fortunæ calamitate iactati, portum aliquem nacti videbantur: huic, quòd ad laudabilem ſententiam deſcenderit, vt clementia vti ſtatuat. Quare non ea mihi veniendi cauſa fuit vt Vlrici peccatum excuſem, quamuis nonnullam cauſam ſi minus iuſtam, at cum iuſto certè dolore coniunctam habere videatur: ſed vt vel datam veniam & animaduerſionem leniorem gratulari, vel (ſi quidem res ita ferant) precibus à vobis impetrare poſſim. Si ſatis hactenus malorum pertulit, domo profugus & à liberis, quos ab eo tempore non vidit, auulſus, iã tempus eſt vt patri filius vnicus, filio pater, & dignitas vtriq; quam obtinuit, reſtituatur. Horum alterum ex ſola Ferdinandi clemẽtia pendet, alterum officij etiam ratione præſtari debet. Multę illi rationes hodie ſuppetunt (alias etiam poſtea fortaſſe habiturus eſt) quibus opes augeat, digniores ſanè ipſius amplitudine, quàm vt ex conſanguineorum iſtorũ inopia diteſcere, etiamſi liceat, in animum inducat, quibus, niſi eorum ipſum miſereat (vt video velle) nihil quàm inopia & ſolitudo per totam vitã relinquetur. Hęc omnia & huiuſmodi alia etſi Rex Chriſtianiſſimus princeps meus planè intelligebat, tamen amicè monere eum voluit, ne ab hac tam pia & ſancta ſententia de duci ſe ſinat, qua nihil ad poſteritatis memoriam præſtabilius poteſt relinquere. Quòd ſi precibus hoc effici poteſt, eum etiam atque etiam orat & obſecrat: ſiquid communis amici autoritas ad dirimendas controuerſias valet, huc ſuam omnem autoritatem conferre paratus eſt, data mihi mandatis, vt ſuis verbis ea afferam quæ honeſta & commoda videbuntur, quò res tam ſalutaris confici poſſit. Quum verò Ferdinandum Regem, quia huc venturus non eſt (contrà quàm Regi Chriſtianiſſimo nũtiatum fuerat) vobis audiam omnem poteſtatem & autoritatem tribuiſſe, viri clariſſimi & ornatiſſimi, qua quicquid eſt controuerſię tollere poſſitis: literas quæ ad Ferdinandum Regem atque adeo (quando is abeſt) ad vos ſcriptæ ſunt, mitto: quibus intelligatis, quæ à me dicuntur, ea Regis Chriſtianiſſimi verbis, conſilio & iuſſu omnia dici & exponi. Valete.

Chriſtophori ducis aduocati & ſtudioſi.

DVX Chriſtophorus ipſo iam Nouembris die quinto & viceſimo eiuſdem anni 1533 Auguſtam venit: vnà cum eo adfuerunt qui illi præſto eſſent & ab eo ſtarẽt, Ioannis Federici ducis Saxoniæ electoris nomine, Chriſtophorus Tambahanius equeſtris ordinis & Theodorus Spiegelus I. V. D. Henrici ducis Bruſwicenſis & Luneburgẽſis, Iuriſconſultus quidam: Erneſti etiam ducis Brunſwicenſis & Luneburgenſis, Chriſtophorus Santampergenſis & Baltaſar Clauerius: Alberti ducis Pruſſiæ, doctor Andreas Ripæus: Alberti ducis Mechelpurgenſis, Sebaſtianus cancellarius Schweinſpurgenſis. Ioannis ducis Cliuienſis & Iuliacenſis, doctor Carolus Harſtanus: Lantgrauij Haſſiæ Philippi, Hermannus Malſpeirgenſis mareſchallus & Ioannes Finſius Locampius cancellarius:

rius: Georgij comitis Wirtembergensis, Iacobus Truchius equestris ordinis, & doctor Ioannes Euoderus cancellarius. Ex principibus denique Ecclesiasticis, ducis Francisci episcopi Monasteriensis nomine, Thomas Hordo mareschallus, & doctor Iodocus Rullandus cancellarius. Langæus Regis Christianissimi legatus tametsi vehementer rogabatur vt numero eorũ qui aderant inscribi se concederet, tamen quia norat quanti momenti hoc nomen esset (cuicunque enim causę quis adesset, is illam suam esse ducit, vt suprà demonstratum est) noluit eo loco se haberi quasi principis suffragatoris nomine adesset, sed tanquam eius nomine qui pacis inter dissidentes componendæ studeret. Ac ne ipsos quidem Bauariæ ducum legatos, qui eum à Rege mitti petierant, alio loco haberi animaduertit, quàm quòd socij essent & fœderis illius participes. Proinde ne facere cogeretur, quibus potuit rationibus obnisus est. Anglus etiam legatum eò miserat ille quidem, sed tam intempestiuè profectus est, vt serò cœtui iam dimisso adueniret. Vngariæ rex Ioannes propter itinerum difficultatem legatum nullum misit, literas tamen summi studij plenas in ducum gratiam scripsit.

Die Decembris octauo dux Christophorus certior fit causæ dicẽdę locum die decimo hora septima in consessu datum iri. Idem Langęo nuntiatur: qui quum ipso demũ octauo die aduenisset, toto insequenti die operam dedit vt verum & ius causæ Wirtembergensis liquidò posset perspicere, præter nonnulla alia quæ in itinere à quodã è Christophori famulitio didicerat, quem dum Solodori iter faceret, obuium habuerat: à quo nempe prolixam chartam typis prid. Kal. Aug. excusam, vnde totum negotium intelligeret, acceperat. Nam quum è Gallia discederet, nihil propemodum audierat: imò tanquam Rex rem totam à gemino ouo (quod aiunt) compertam habuisset, sic ij qui de mittendo legato cum eo agebant, totum istud omiserunt: neq; ea fuerunt prudẽtia, vt eum vel oratione vel scripto docendum curarent. Vbi diei constitutæ hora venit, adfuit dux cũ suis, qui omnes serie collocativnius ordinis subsellia occupant. Datur alijs ex fœderis delectis negotiũ vt tantisper in alia aula cũ Langæo versarentur, dum quo loco & ordine habẽdus esset, disputabatur. Neq; enim pati volebat vt inferius latus Regis Ferdinãdi legatis clauderet, satis esse ratus si Cæsaris delectis loco cederet, Regi secundũ deberi. Ne hæc contentio negotium remoraretur, ncúc alterius iuri prætudicium fieret, statuunt, vt eo die & cęteris deinceps, si alter comitijs interesset, alterum abesse oporteret. Ita Lãgęus à Gulielmo Kneringensi, vno ex fœderis capitaneis, & doctore Leonardo Eloquio Gulielmi Bauariæ ducis, eiusdem fœderis summo capitaneo producẽtus, Cæsaris legatis proximus assedit: hi erant Christophorus Stainus episcopus Augustanus, & comes Mõfortius. Tum delectis & legatis confœderatorum literas fiduciarias exhibet, quarum initium duntaxat, ne totius scripti prolixioris lectio molesta sit, subijciam.

Regis ad sacri Imperij ordinẽs epistola.

Franciscvs Dei gratia Francorum Rex, Obseruandissimis, illustrissimis, magnificis & spectabilibus electoribus, principibus alijsque sacri Imperij ordinibus in fœdere Suauiensi cõuentum agentibus, amicis, consanguineis & socijs charissimis, S. Inter summa illa & grauissima Reip. Christianæ negotia quæ nostro tempore extant, &c.

Perlectis literis Langæus mandata Regis Christianissimi principis sui in cõuentu exponit. Deinde dux Christophorus in medium adducit quæ ad rem suam facere arbitrabatur. Tota eius oratio omnibus placuit, præterquam Ferdinandi Vngarię Regis (à quo ducatus occupabatur) legatis & qui eius partes sequebãtur. Iraq; nihil eo die statuerunt, licet vehementer cõmotos fuisse appareret oratione ex tempore à Langæo habita, quam nunc legendam exhibemus.

Prima Legati apud Imperij ordines oratio.

Si Galliæ Rex Christianissimus princeps meus quid officij sui tantum modo & humanitatis ipsius ratio postularet, adhuc spectare voluisset, iampridem illustrium & tamen miserorum Wirtembergensium ducum causam apud hos ordines, id est apud necessarios & veteres socios defendendam suscepisset: quam ad rem recentis propriæ calamitatis exemplo incitabatur, vt alienas ærumnas suarum ipsius recordatione releuare conaretur. Accedebant aliæ complures causę, multorum magnorum & clarorum principum, quos apud se illorum causa laborare videbat, gratia atque autoritas, necessitudo & affinitas: alterius præterea egregia indoles, & spes virtutis quæ vnà cum accrescente ætate vires acceptura videtur, eiusdem satis comperta & indubitata innocentia, ea denique amborum sors, quæ vel hostium ipsorum animos ad cõmiserationẽ possit flectere.

Etenim

1533. Etenim alter profecto satis magnas pro facti grauitate pœnas dedit, alter nimis multas pro innocentia ærumnas pertulit. Sed (vt verum dicam) quàm ista Regis animum ad opem illis ferendam incitabant, tam refrigerabat fama à nonnullis sparsa, qui quum vestrum rei huius administrandæ consilium non intelligerent (quemadmodum satis nũc perspicitur) ad ipsius aures pertulerant, illorum fortunas & dignitates edicto sempiterno a vobis in Ferdinandi manus translatas fuisse: vt timendũ illi videretur, ne si hãc causam tueri institueret, in multorũ offensiones incurreret, quib. firmissimis cõiunctionũ & fœderum vinculis copulatus est. Deinde tanti apud illum est decus & amplitudo Ferdinan di, imò vestra ipsorum existimatio, vt neque princeps ab omni ambitione alienus in suspicionem illi venire deberet, quasi vicinorum & sociorum bona præter legum & morum institutaraperet: neque vos tanta virtute & prudentia præditos absque iusta causa paternæ noxæ pœnam ad filium extendere velle arbitraretur. Nisi enim immanis cuiusdam criminis atrocitas obtenderetur, tum vobis in perpetuum inhumanitatis & crudelitatis tum illi impietatis atque auaritiæ macula hæreret. Verùm postquam per literas ducis Christophori sigillatim factus est certior, quonam pacto hæc res principio inita atque suscepta sit, & quo nunc loco sit, post diligentem & diuturnam considerationem, auxilium suum socijs principibus misericordia dignis denegare noluit, maximè vbi omnium fortunarum & opum ratio agitur: aut (vt verius dicam) vbi tantam clarissimorum virorum erga illos voluntatem perspexit, qui ad eorum causam sese adiungunt, commit tendum sibi non putauit, quin illis congratularetur, quòd recuperandæ dignitatis spes non ex incerta & dubia opinione suspensa, sed in vobis & in vestra clementia & Ferdinãdi Regis humanitate posita sit. Ac mihi quidem, vt vobis quæ congratulationis faciendę mandata accepi significem, spes est me ostensurum non modò illos in statum suum restitui debere, maximè hunc cuius nulla culpa est, sed etiam per vos id fieri debere: idque adeò verum esse, vt nisi quamprimum restituantur, vobis culpa omnis, non Ferdinando Regi tribuenda sit. Quod ego si perspicuè demonstro, quum Rex princeps meus eos esse vos existimet, qui æquitatem, misericordiam, prudentiam & cæteras quas in vobis esse perspexit virtutes non depositeritis, profecto inde efficitur, vt iusta causa fuerit, cur & istis & vobis gratularer: istis, quòd tantæ tempestatis impetu vexati & agitati, optatum portum repererunt, vbi tutò consistant: vobis, quòd pium & laudabile consilium amplexi estis, vt mansuetudine & misericordia (qua nihil est quo mortales ad immortalis Dei naturam propius accedant) vtendum vobis esse duxeritis. Quare ad rem ipsam venio, vbi multis verbis opus non esse video. Memoria enim omnes vos tenere arbitror, quum patre huius mortuo, istius ducatus dominationem vos primùm Cæsari, deinde Cæsar Ferdinando tradidit, hanc diserte conditionem à vobis additam fuisse, vt cum Vlrico trã sigeret: deinde quod ad hunc innocentem attinet, qui annos quatuor natus, nullum crimen, nullum turpe facinus admittere potuerat, facultatem iuris sui persequendi reseruatam ei fuisse, nominatim verò castrorum Tubingæ & Neiffæ, quum non ita multo pòst se in istorum possessionem mitti postularet, quæ in regis Ferdinandi potestate erãt: denique quum sua repetere perseueraret, ipsum Ferdinandum vltrò dixisse, per se illi licere quicquid ius & fas esset persequi: neque hodiernum diem conuentui habendo dici tantummodo concessisse, sed præcipuum autorem extitisse. Hoc ego Ferdinandi factum quo diligentius apud me perpendo, eo magis illum prudentius facere non potuisse reperio. Qui si re vobiscum non communicata suas illis opes ac dignitates restituere in animum induxisset, quæ nunc vobis autoribus tenet, visus esset vel vestrum beneficium nihili ducere, vel sibi separatim illorum beneuolentiam sic comparare, sicque illos sibi obstringere, vt vobis infesti manerent: quasi hoc optasset & curasset, vt quæ per vos amiserant, non per vos, ac fortasse vobis inuitis, se ex eius manibus, cui commodũ ac vti le erat tenere, recuperasse illi putarent. Nunc quũ omnia adhuc in integro sint, & penes vos esse cupiat, vt vel vterq; vel alter restituatur, vestrũ etiã profecto iudicium esse vult in quam ex dignitatibus restitui placeat, illosque vestra sententia quàm suo beneficio restitutos videri mauult. Quum item vestrorum in se meritorum magnitudinem memoria, vt debet, prosequatur, quum vestræ quietis & reconciliationis rationem habere videatur, quum hac laude contentus sit, vt quemadmodum nullam in se arrogantiam in beneficio accipiendo ostendit, sic non tam aliena per iniuriam occupare, quàm de suo libe-

beralis esse videatur: facilè sanè iudicari potest cum nec beneficij collati laudem, nec gloriam facti vobis p inuidiam præripere voluisse. Nam ex his alter adolescentiæ ornamẽta & grandioris ætatis spem, alter senectutis otiũ & tranquillitatẽ vobis debebit. Sed gloria, pculdubio ipsa tota vestra erit: neq; vt in bello, vbi non exiguam partem miles sibi tribuit, sic hac in re laudis socium habituri estis. Omnib. enim notissimum est & innocentem hostis filium vestra ope ac fauore recreatum, & hostem ipsum victũ deiectumq; tanquã manu porrecta erectum esse. Ac Ferdinandus ipse si minus disertis verbis, certè ipso facto satis ostendit, quicq d laudis & beneuolẽtiæ inde expectari potest, ita se vobis totum concedere, vt quod cunq; tandem futurũ sit vestrũ in hac causa iudicium, nulla in cũ vi-
10 tuperatio aut reprehensio cadere queat. Qui enim causam suam alteri iudicandam non audet cõmittere, is omnino se damnat: qui verò se legib. & institutis subijcit, is alterum è duob. ostendit, aut sibi in animo nõ esse aliena bona p vim occupare, aut se sperare, quorum iudicium subire visus est, eos contra ius & fas secundũ se pronuntiaturos. Horũ vnũ facilè credo, alterũ tũ à vestra tum ab illius existimatione nimis est alienũ. Nã cum quidem nunquam putabo, etiamsi possit, velle aliquid q̃ cum æquo & iusto pugnet, moliri, imò illum suam autoritatem adhibere & vires conferre ad socios iuuandos magis quàm opprimẽdos cupere iudico. Nec mihi vllum ius in illorũ opes sibi sumere videtur: potius illud quærit, cãsne p vim tenere liceat, an vestro cõsensu ac iudicio cedere. Quicquid sit,
20 nunquam adduci possum vt credã, vobis autorib. eos spoliandos esse, quorum alter immane & inauditum nescio q̃ scelus designasse dici non potest, alterum omni culpavacare planum est. Potius sic sentio, quoniam crimina distingui oportet, & pœnarũ ratio diuersa est, optimũ factu esse vt res vestro iudicio pmittatur, annon Vlricus pater (nam de filio cui dubium esse potest?) septemdecim annorum spatio satis multa pertulerit, & pœnas scelere dignas persoluerit. Quanquam enim in vos peccauit, certum tamen est eum non fœderis odio adductum, sed inuitum & imprudentem, vindictæ cupiditate, & iusto quodam dolore incensum hoc fecisse. Atq; hoc fortasse est hominis peccatum (paceve-
30 stra dixerim) vt nemo vestrum, si eo loco esset, non idẽ facturus fuerit. Scitis enim ciues castri Reuthlingani in Suauia (quod nũc huic fœderi adiunctum est) grauissimas simultates cum Vlrici maiorib. exercuisse, ipsi infestissimos continenter fuisse: vt ex illis nonnulli eos qui in ipsius syluis domicilia habebant, summa crudelitate occiderint & trucidarint: qua de iniuria vt sibi per ipsos castri præfectos satisfieret, summis precibus obsecrauit. Qui tantum abfuerunt ab eo vt in sicarios illos debita exempla ederẽt, vt in oppidum etiam intromissos apud se habuerint & aluerint. Cuius rei tãta indignitate offensus, mirum non est si ira inflammatus est, & quidem tanta celeritate, vt castrum citius captum esse quàm obsideri audiretis. Hic nihil dico quàm grauiter illud factum vindicandum esse censueritis: nunc enim solùm rationes afferre institui, quib. hanc pœnam leniẽdam esse demõstrem. Hic ergo ante omnia vobis ob oculos ponatis velim cadauera eorum quos in sua clientela habebat, crudeliter dilaniata & ad illius pedes abiecta. Perpendite quæso illorũ consanguineos, vxores & liberos flentes, ciulantes, supplices se ad eius
40 pedes proijcientes: animos vestros subeat quàm grauiter doluerit se ita contemni, quæ potuerit eorum esse oratio, qui illum vt iniuriam vlcisceretur monebãt, alioquin hostes maiora machinaturos. Vos ipsos iudices fero, vobis cogitandum p mitto quid tum illi animi censeatis fuisse. Equidẽ sic iudico, si vllum tempus est quum iusto dolori morem gerere & deuindicta cogitare oportet (vt vos non inficiabimini credo, huiusmodi tempus nonnunquã inter homines incidere) tum certè necessarium est, quum implorata magistratus fide & auxilio, scelerati qui iniuriã fecerunt, non modò intra vrbis mœnia tutò recipi conspiciuntur, verùm etiã ad honores publicos efferuntur. Certè id cùm omnibus magno dolori est, tum verò nobilib. & summo loco natis, quum suam autoritatẽ sperni
50 & nihili fieri animaduertunt. Ad hanc defendendam nõ lege tabulis scripta, sed sensu & natura mentib. inscripta moueri nos experimur, vt ad arma etiam, pfiliẽdum nobis esse putemus, si nullam leniorẽ facultatẽ dari intelligamus. Percurrite veterum tẽporum historias: comperietis pauca à maiorib. nostris bella aliam ob causam suscepta fuisse. Equidẽ vosipsos (vt rursus q̃ sentio apud vos liberè vestra venia mihi pferre liceat) vosipsos, inquam, credo, si eodem loco fuissetis, tali dolori non minus cessuros, casq; causas non minus virium in vos quàm in illum habituras fuisse. Ille insigni iniuria accepta iusta ira accensus se cohibere non potuit, quin iniustam suorum cædem vindicaret. Quod à me

1533. ita dici minimè existimeris velim, quasi q; vobis laudi tribui debet, id vitio vertere cogi tem, qui in eum animaduertendum vobis esse iudicastis, à quo vestros socios & fœdera tos deletos esse cõstabat. Absit etiam à me, vt hoc animo id dixerim quasi illius peccatũ cum vestro fortissimo facto conferendum putem, nedum vt eũ peccasse velim inficiari, quem culpam agnoscere video. De accepta iniuria conqueri in hoc conuentu debuit, ex cuius sententia atq; autoritate longè commodius ei satisfactum fuisset. Quamobrem errauit, temere fecit, factũ confitetur, facti pœnitet, facti pœnã acerbã & diuturnã pertulit, ad vestram nunc clementiam supplex confugit, peccati veniam petit, se in posterum quietum fore recipit: qui si aliquando ad contumeliã & vim promptior & intẽperantior fuit, ætate, exilio & diuturna miseria deferbuit & refrixit. Ignoscite quæso, viri clarissimi, ignoscite delicto detestanti, ignoscite confitenti, ignoscite, inquã, nunc quũ minus inuidiæ obnoxius est, qui flagranti delicto misericordiæ spem reliquistis. Vos quæ vestrę partes erant, præstitistis, & qui vestros socios & cõfœderatos in tẽpore tueri atq; seruare nõ potuistis, q; proximum fuit, factam illis iniuriã seuerè vindicastis: socios ex seruitute liberastis: qui libertatem illorũ oppressérat, eũ domo & possessionib. expulistis. Quæ magni & fortis animi erãt, hactenus plãe fecistis, eos vos esse docuistis, quorum socios atq; amicos impune lædi nefas sit. Vnum vos oro & obsecro, ne vestras aures eorum orationi patere sinatis, quos in ipso aduentu audiui, qui tamen se huius sententiæ autores haberi nolunt, qui vos improbis sermonib. obtundunt, vt constantiæ famã seruetis, nulla ratione concedendũ vobis esse, de quib. aliquando supplicium sumpsistis, ij vt vobis cum in gratiã redire queant. Illud potius videte, ne q; cõstantiã appellant, verè sit pertinax crudelitas, & crudelis pertinacia. Viri graues & constantes sine vlla dubitatione veniam dare consuerunt, vt ipsi fecistis: atq; vt se quisq; qui supplicio dignus est, à scelere maximè abducit, sic de summo iure & seueritate est aliquid remittendum. Quinetiam illud vsu ipso compertum est, summos & illustres viros tum nostra tum patrum memoria initio nequissimos & improbissimos fuisse, qui tandem ad sanitatem redierint: vt adolescentiæ calore refrigerato superiorem imprudentiam rebus fortissimè gestis & maximis in Remp. meritis compensarint. Eos nominare hic possem, nisi odio dignum esse arbitrarer honestorum virorum lapsus in memoriam reuocare, quos iampridem dies ipsa obliuione deleuit. Vestros ipsorum maiores legistis bello superatis hostibus non rarò pepercisse, exteris etiam (quod multo maius est) interdum bona restituisse: quæ res illis tum domi tum foris non modò gloriæ sed magnæ vtilitati fuit. Quanto plus ab isto vobis est expectandum, neque dubitandum quin deinceps velit & possit cum finitimis pacem colere, Rei publ. vtilitatem afferre, qui iusto dolore permotus & summa qua in suos erat voluntate adductus, errore communi Reipub. quietem semel turbauit: & rem potius se dignam facere visus est, quàm veritus ne inuidiam sibi conflaret, & factum in malam partem acciperetur? Quòd si tam atrox esset crimen vt nec longinquitate temporis deleri, nec pœna mitigari, nec eorum precibus qui eius causa laborant, remitti debeat, vestræ tamen constantiæ est vt conditioni ducibus istis promissæ, quum ipso crimine flagranti & recens patrato ducatum ademptum alteri dedistis, stándum esse censeatis. Vestro honori consuluistis, quum arma in eum sumpsistis qui socios violauerat: hunc honorem amplissimè retinuistis, quum in ipso victoriæ cursu respiscentiæ locum reliquistis, & misericordiæ spem exceptione illa addita fecistis. Amplius dicam. Quemadmodum summo vobis decori fuit quod hostis filio subuenistis, ita turpe hodie fuerit huius exceptionis cõmodo eum per vos non frui, inuidiamq; ingraue scere, quam tempore leniri & euanescere oportebat. Turpius fuerit ad prius supplicium hanc accedere calamitatẽ, vt erroris vel criminis sui causa vnicum filium, qui criminis socius non fuerit, quẽq; sene ctutis suæ columen & solatiũ sperabat, miseriarum sociũ perpetuò habeat. Turpissimũ fuerit, hunc innocentẽ pacis tẽpore reliquijs bonorũ autitorũ spoliari, quas bello cõcesserat is: & alieni delicti pœnã in eum transmitti, in quem ne leuissima quidem suspicio cadere poterat, tantùm abest vt ab eo perpetrata sit. Maiores vestri quum illatas sibi iniurias vlciscerentur, fœpenumero patrum errata liberorum misericordiæ condonarunt, adolescentium culpã ætati potius quàm improbitati tribuerunt. Vos decernetis vt innocentissimus iste, qui nec verbo quidem vllum vnquam lædere potuit, ob alterius delictum in perpetua miseria consenescat? cuius delicti nec grauitas nec magnitudo tanta est, quin & pœna procedente

ecdente tempore minui & inuidia obliterari possit. Vos paterni criminis vltionem in filium fasciis inuolutũ deuoluetis? Ob seruate quæso vos viri ornatissimi, calamitosam huius senectutem, ærumnosam illius nullo suo merito adolescentiam: vt in vnius innocentia æquitatis vestræ rationem habeatis, in pœnis ab altero expetendis vestram mansuetudinẽ adhibeatis. Ob seruate summo loco & genere illos ortum habere, illis nec amicos nec consanguineos defuturos qui opem ferant, qui etiam si pœnas luere permittẽt, omnino tamen deleri & funditus petire non sinent. Nam vt de ijs nihil dicam qui hîc aurib. arrectis attentè expectant qualẽ se quisq; vestrũ in hoc negotio præstabit, videtis quàm multi illorum partes foueant, non ex Germania solùm, sed etiã ex longinquis regionib.
10 Qui omnes beneficium se accepisse putabunt, si miseris istis parcetis: sibi factam iniuriã existimabũt, si acerbiores vos præbebitis. Et vt semel omnia, hoc vobis etiam atq; etiam considerandum puto, seueriori iudicio vobis & posteris belli seminariũ relicturos, præter nonnullam ignominiæ labem, quòd durius æquo in alterum animaduerteritis, alteri fidem datam non præstiteritis: contrà lenior sententia Reip. quietem, vobis honorem afferet. Hæc non eò dico quòd eos rationem quæsituros putem, vt vi & armis quę amiserunt recuperent: neq; enim deuictis tantum est animi & audaciæ. Verùm quoniã audio esse nõ homines sed hominum pestes, qui clàm virus spargunt quo vobis persuadeant, metuendum esse, ne si in integrũ restituentur, quæ prima dabitur facultas, ea ad vindictam abutantur, & sibi priuatim illatas iniurias, in omnes publicè nullo turbãdæ pacis
20 metu rependant: id adeo dico vt doceam, rerum nouarum studium potius ab ijs timendũ esse quos in exiliũ eiecceritis, quàm ab ijs quos vestro beneficio restitueritis. Vt enim omnium bonorum iactura acerrimus est stimulus quo ad ea recuperanda omni ratione impelluntur, ita semper aliqui extabunt qui calamitosorũ misericordia tangantur. Quæ quum ita sint, animos omni belli suspicione liberate, ærumnosum insontem iuuate, illũ resipiscentẽ excipite: vt hoc nouo beneficio vetera mala omnia è memoria euanescant, & amborũ mentes vehementius in eo laborent vt vobis gratiam referant, quàm id nunc operam dant vt in pristinam dignitatem & gradum restituantur. Hoc si facietis, firmissimam & certissimam pacem à Deo armipotente summo cõsequemini, qui resipiscentes in gratiam recipit, qui insontes tuetur. Is enim est qui pacem in vestra ditione potest col
30 locare, qui nisi ciuitati seruãdę pręest, nequicquã excubat qui eã seruare instituit. Efficite vt qui sinistros istos rumores spargunt, agnoscant Deum opt. Max. sua clementia placatum esse, quę bellum depellit, & pacem firmat, non sedition sa certorum hominum cõsilia & nefarios cœtus, qui resipiscentem abigere & innocentem opprimere studebãt. Verùm pro causæ æquitate satis multa, pro vestra mansuetudine ac prudentia nimium multa dixisse videor: q; satis ipsi intelligitis æquum esse vt & ambo exceptionis suprà memoratæ beneficio fruantur, & innocens in veterem statum planè restituatur. Id à vobis præstari debet, quorum iudicium rex Ferdinandus subire voluit, ea mẽte vt tota iudicij scu inuidia seu benevolentia, siue decus siue ignominia in vos redundet. Quòd si cius consilium sequemini, iudicium q; ex æquo & honesto facietis, necesse est vt vtrunq; restitua-
40 tis: sin summo iure agere libebit, vt pessimè omnia cadant, fieri nõ potest quin hic saltem fortunas & ornamenta cõsequatur. Quare si in eadem sententia persueratis (vt vnde digressa est cò redeat oratio) nõ dubitabo vtrisq; gratulari: illis, q. omnib. ornamentis amissis extremum in vobis perfugium nacti sunt: vobis, q. Ferdinandi regis clementia ea vobis offertur occasio, qua illorum de meri studia possitis. Postquã enim tanto vobis illos beneficio deuinxeritis, nunquam non optima in vos & vestros liberos voluntate esse poterunt: quib. eo maior dabitur seruandæ pacis & concordiæ publicæ causa, quo se vobis magis esse obstrictos recordabũtur. Hoc pollicetur qui vos supplex orat, tam suo quàm patris nomine, hoc pollicentur omnes legati principum suorum verbis. Præter has preces & promissa, siquid ponderis est in Regis Christianissimi principis mei petitione (de-
50 bet autem esse nõ parum) tantundem vobis pollicetur: vos q; etiam atq; etiam vehementer orat, siquid incidat (vt in huiusmodi controuersijs ferè vsuuenit) q. plenam concordiam distineat, eius opera vti ne dubitetis. In quo siquid amici communis autoritas valet, sic habetote, nihil diligentiæ, curæ & solicitudinis reliqui facturum quę ab eo principe expectari possunt, qui summopere cupit sociorum reconciliationem, cuiq; nihil est antiquius quàm vt pacem publicam promoueri & stabiliri videat.

NEQVE hac Langæi oratione quam Regis nomine habuit, neq; verbis eorum qui dicib. Wirtembergensib. suffragabantur, delectorum & capitaneorum fœderis Suauicensis (quorum erat iudicium facere) animi vnquam flecti potuerūt. Neq; à duce Bauarię Guilielmo summo ipsius fœderis capitaneo remedium vllum afferri potuit, quantumcunq; & patris & filij causa cuperet; propterea q; consilijs & machinationib. arcanis tum Cęsaris tum Ferdinandi oppugnabātur. Quamobrē precib. eorum qui ducib. Wirtembergensib. fauebant adductus Langæus alijs rationib. proximo conuentu vti statuit, si forte oratio habita nomine & autoritate amplissimi Regis eos ad aliquam æquitatem deducere posset. Itaq; quum rursus conuenissent, huiusmodi apud eos verba fecit.

Altera Langæi oratio.

SVPERIORI mea oratione, viri præstantissimi, demonstraui quibus causis adductus Christianissimus Galliæ Rex princeps meus principiò distulisset, deinde ad extremum in hanc sententiam venisset, vt causam Christophori ducis Wirtembergensis qui hic vos sua & patris gratia supplex orat, cōmendaret. Demonstraui etiā quę illius esset sententia & mens in hoc negotio, quemadmodū quum me huc mitteret, illi nuntiabatur, & ipse cōfidebat fore vt vestra opera & beneficio, clementia & mansuetudine Sereniss imi regis Ferdinandi hic conuentus portus & pfugium esset causæ illorum tandiu afflictę & agitatę. Quæ quum ita essent, non tā mittebar vt illis vexationis leuationem & auxilium afferrem, quām vt & illis & vobis & Sereniss imo regi Ferdinando gratularer: illis, q; aditus patuisse videbatur, quo ad veteres dignitates & status redirent: vobis & Sereniss imo Regi, quòd pio sancto q; instituto mansuetudine erga eos & clemētia vteremini. Nunc quum res illis tam malè cesserint, vt nō modò spes eos fefellerit (quę exiguo admodum ac propè nullo iam firmamento nititur) verūm etiam ad miseriæ cumulum malevoli homines (qui vt suas vobis cogitationes & conatus, pbent, non tam causæ bonitate quàm calumnijs & falsis criminationib. nituntur) huic innocenti inuidiam apud vos cōparare studeant: precib. illius cogor, quibus mihi cōtinenter idq; optima de causa instat, quando video nondū planè desperasse, quin mea oratio & cōmendatio Regis Christianissimi principis mei nomine valere possit, vt vel excusationem accipiatis, vel ad illā siue æquitatis siue misericordiæ viam reduci vos patiamini, à qua calūnijs abducti fueratis: cogor, inquam, institutæ orationis statū cōmutare, vt qui gratulari cogitaram, nunc cōmendare & purgare incipiam. Quo in argumento tanta mihi in hoc loco loquendi & perorandi copia offertur, vt neq; me neq; alium quenquā verba deficere queāt, cui hoc agendum datur, vt hunc illustrem virorū delectorum (id est optimorū & iustissimorum) cœtum orem, atq; adeo exorem, ne in vestram fidem mendacium & iniuriam cōtra vestrum & æquum recipiatis. Vnum est quo præcipuè deterritus sum, ne tā facilè & alacriter hanc, puinciam susciperem, q; ducis huius aduersarij regem Ferdinandum falsis criminationib. (sic enim malo existimare) in eum excitarunt, à quo tamē summam beneuolentiam & studium expectabam. Cui tanta & tā arcta cum Rege principe meo tam affinitatis quàm confœderationis nomine necessitudo intercedit, vt nunc causam huius apud vos agere longè difficilius mihi videatur, quàm prima fronte existimabam. Ac mihi quidem nō paruæ difficultatis res visa est, quo pacto in hac cōtrouersia in vnius gratiam loqui possim, vt oratione mea alterum minimè offendam: in quem tamen nec velim nec debeam grauius quicquam dicere, qui satis noui, si hoc mihi contingeret, Regis me odiū & iustam indignationem subiturū esse. Verùm enimuerò quum apud me perpēdo, si causam hanc desero, alterū opes omnes & dignitates, quas ingentes habet, salvas & integras seruaturum & nominis etiam celebritatem acquisiturum, alterum eò inopiæ redactum esse, vt ex vestro iudicio pendeant reliquiæ tenuissimæ veterum ornamentorū & fortunarum quas à maiorib. acceperat, id est quicquid ad vitam duriter tolerandam supereret, insuper existimatio etiam valde laboret, fiquidem qualem isti fingunt, talis à vobis habeatur: quum animaduerto me & ab eo accersitū, & vt illi auxilio esse missum: reperio me iam nō esse mei iuris, neq; honesto ptextu quicquam afferre vt illi patrocinium denegem, quin grauissimè tum vtriusq; Regis amplitudinem lædam: q; principem meum efficerem videri solum ex omnib. inhumanum & inexorabilem, qui socij insontis causa afflicta (ad quem defendendum video vndiq; eos etiam qui nihil cum eo commune habent, concurrere, illiusq; causam, tanquā rē suam agi viderent, defendendā suscipere) ne vnius quidē ex suis orationē vellet adhibere, qua vobis illā iudicio cōmenda-

ret:

ret:Ferdinandum autem eum esse iudicarem qui vltrò malam & iniquam causam tueri velit,qui contra ius & æquum bona & omnes possessiones cõsanguinei egeni & innocẽtis occupare conetur,qui grauiter ferat siquis qua decet modestia & reuerentia rei veritatem doceat,quæ à nonnullis transformatur, qui illius nominis prætextu (vt ostenſurũ me confido) & non mediocri illius existimationis infamia priuatas inimicitias aduersus innocentem istum exercere cogitant.Dabo tamen eam operam(idq; æquum esse intelligo)orationemq; meã in hoc negotio intra eos rationis & moderationis cancellos continebo, vt tum æqui tum iniqui illam non contra regis ipsius Sereniſſimi (cuius æquitas,modestia,& iustitia mihi in dubium minimè venit) consilium & voluntatem habitã esse intelligant,sed contra iudicium quod improbi & violenti callidè ad opprimendum miserum innocentem ipsius consanguineum extorserunt. Et quoniã ab hoc cœtu abesse video verbo ipsius delectos, re supplicis istius afflicti hostes & aduersarios,vos clarissimi & grauissimi viri meæ istius orationis testes & arbitros esse cupio,vosq; quum hinc discedam, dicturos confido me officij mei rationem non neglexisse, quam in eo sitam intelligo, vt nec extra modum egrediar, quum agẽdum est de miserrima hominis sorte, quem amicum & socium Rex Christianissimus habet, & sic quidẽ vt de ijs agere cogar quæ ad alium eiusdem fœderatum & propinquum pertinere possunt, ne latius in commendanda istius salute mea versetur oratio,nec prudens ac sciens alterius existimationẽ lædam,nec deniq; quam cum vtroq; societatem habet prætermittam.

HÆc dum doceo, si me tam attento animo ac beneuolo audire voletis quàm me superiori oratione audistis(si modo prius longiusculum hoc exordium condonauceritis, quo necessariò vsus sum vt perspicuè Regis Christianissimi mentem atq; consilium exponerem)effecturum me spero vt non solùm animo cernatis,sed manu tantumnon palpetis huius ducis innocentiam,causæ illius æquitatem, inimicorum insignem & impudentem calumniam,simul vt huius defensionem & salutem cum Imperij vtilitate, cum omnium qui in hoc iudicio adsunt existimatione, cũ vestra in patriam, in ciues, in vosmetipsos,in omnem vestram posteritatem pietate atq; officio coniunctam esse intelligatis:vt eum deferre nisi iacturam facere,crimen committere,& dedecus admittere velitis,vobis non liceat.Hæc omnia non modò sine offensione regis Ferdinandi (cuius isti nomine ad tegendam nequitiam & calumniam abutuntur)sed cũ bona ipsius venia cõsequuturum me confido.At vt in re narrãda eodem ex loco exordium ducam, vnde totius rei initium sumptum est,memoria tenetis,quum à duce Vlrico ducatum & ornamẽta adempta ad Cæsarem Augustissimum tum Romanorum Regem trãstuliſtis,idq; additis quibusdam restrictionibus & conditionibus quarum superiori oratione memini, noluisse vos paterni criminis pœnam in filium ducem Christophorum,tum annos quatuor natum, perpetuò redundare.Quamobrem tum hoc illi reseruastis,vt in genere de ducatu recuperando iure experiri liceret, tum verò in Tubingæ & Neiffæ (quæ oppida nominatim exceperatis) possessionem illum misistis. Hæc oppida quum possideret,aliquot pòst annis extiterũt qui quum se delectos procuratores augustissimi vestri Cæsaris & amplissimi principis Gulielmi Bauariæ ducis iactarent(hos autem Cęsarem & Bauarum ipsius Christophori tutores affirmabãt)per fraudem & dolum,suis eũ possessionib. expulerunt.Ita impuberiste & sui iutis ignarus cum possessionib. hæreditarijs Sereniſſimo regi Ferdinando(cui Cæsar quæ ex ipso ducatu supererant, non tã dominio & manicipatu quàm custodia & possessione precaria tradiderat)educãdus instituendusq; traditur.Is postea quam per ætatem rerum suarum rationes & statum intelligere potuit, quũ in lucri & beneficij loco reputaret quòd tam seuerè in illum agere quàm licuerat, vobis non libuisset, beneficiũ vestrum vsurpare cogitat, & vt suarum rerũ tutelæ fiat postulat. Sed quum putaret rẽ in eum locum deductã esse, vt saltẽ suorum bonorum & oppidorũ cõpos esset,repente se hac spe deiectum videt,quumq; hunc conuentũ agi Ferdinandus rex concessisset,in quo ius ei ex legum præscripto diceretur, hostes & aduersarij pro inuenerato & acerbissimo odio quo eũ & totam familiam prosequũtur, idq; ob aliquot ex illorum necessarijs & ob vnius cuiusdam patrẽ,qui aliquando reus, conuictus & damnatus maiestatis à ducis Gulielmi ministris supplicio ex regionis legib. institutis q; affectus est,nunquam contendere & laborare destiterunt, vsquedum precib.& importuna certorũ interpellatione ipse Ferdinandus vinci se & impelli passus est,hucq; misit legatos &

1533. delectos qui scilicet ipsius causam agant, istos omnis Wirtembergicæ domus apertissimos & capitales aduersarios. Ad quam opprimẽdam & funditus delendam quam tam oportuna facultas detur, nihil est quòd dubitetis quin latissimè mandata sua & fiduciam apud vos amplificaturi sint, vt commodissimum ad conata perficienda esse videbunt. Itaque quod dederint principium aduenientes, videte. Quum princeps de toto iure suo quod defendere & persequi intendit, verba faceret, os illi occludunt, nihil se in mandatis habere respondent: quum interdicto contendere cœpisset, vt priuatim illorum oppidorum redintegrationem obtineret, compensationes obtrudunt, & conditiones æquas, si dijs placet, & quales ius postulat, ferunt. Quas quoniam minimè dignas quæ accipiãtur existimat, vtpote quib. se non solùm ducatu in perpetuum, sed ipso familiæ nomine & titulo (quæ peruetusta est) abdicari videt, hunc ideo vobis depingunt hominem ferũ, contumacẽ, qui nullam æquam pactionẽ ferat, publicè coram vobis & omni populo palàm testificantur, non alia eum mente longè æquissimas cõditiones repudiare, quàm vt belli inferendi causam quærat, vt cõcordiam & pacem publicam turbet, vt incendiũ excitet quo tota ardeat Germania. Quę eorũ accusatio huc ptinet, vt hoc ptextu vos in aliud foedus faciendũ vel renouãdum inducere conẽtur, ex quo, si tale facietis & qua ratione isti optant, ostẽdam fore vt infinita mala cõsequantur, vtvos & posteri in pericula innumerabilia incurratis. Quæ quum ita sint, vos hodie (si vnquam aliàs) in deliberando grauita te iudicij, cõstantia, humanitate, virtute, fide & prudentia vti decet: grauitate iudicij, ne fidem ijs habeatis qui sua commẽta non quæ veri speciẽ habent attulerunt: constantia, ne quem beneficio afficistis, eum nunc nulla sua culpa priuetis: humanitate, dum innocentem vexatum misericordia leuabitis: virtute, quatenus liberè & palàm vos nõ eos esse ostendetis, è quorũ dissimulatione & taciturnitate quispiã ansam arripiat qua innocentẽ opprimat & deleat: fide, quatenus quum vetusta cõsuetudine alij ad aliorum bona, dignitates & gradus cõseruãdos mutuò obstricti sitis, multò magis istũ vobis curæ esse decet, cuius bona, si familię succesſlo desit, ad Imperium redeunt, cui seruando & amplificãdo iurisiurãdi religione obligati estis: prudentia deniq, vt mẽtis oculos aperiatis, videatisq; quantum periculi & mali ex hoc exemplo singulis vestrum impendeat. Verùm vt principis cognitis quæ inde cõsequantur videatis, & qd faciendum sit certius statuatis, attendite huius causæ æquitatem, quas ille conditiones acceperit, aut potiùs quas nõ accepe-
rit, quib. contrà isti fallacijs & mendacijs vsi sint. Ac primùm quidem exponere libet mihi rificum hoc ius commune, q. Imperij legib. nunquã fando est auditum, vt cogatur quispiam, antequam redintegretur, pactionem aut conditionẽ cõpensationis accipere, minus etiam vt hæc cõditio ab aduersarijs feratur, dũ vetustis omnib. dignitatib. literarum monumentis, scriptis & iuris tabulis paternæ domus, vnde genus duxit, renuntiet. Atenim ad hanc cõpensationẽ accipiendã compellitur dux Christophorus ex pacto: nam huiusmodi quidpiam à tutorib. factum esse contendunt. Videamus sanè verum an subdititium, cõsistens an infirmum pactum istud fuerit. Quod ad me attinet, nunquam adducar vt credam pactum esse, nisi q. pactum esse definiri solet, id in hanc transigendi rationem cadat. Itaq; quando hoc fundamentum iacere ausi sunt, doceant primùm duci Christophoro tutoribus vnquam opus fuisse, doceant quorum nomina hîc iactant, eos potuisse aut debuisse tutores dari, doceant hoc pactum ab his adumbratis tutorib. inter se factum esse, aut negotium datum esse istis qui illorum nomine fecerunt: doceant hoc pactum factum, à suppositis tutorib. ratum habitum fuisse, aut fas fuisse vt facerent, vel ratum haberent. Vbi hæc ostenderint, doceant hoc pactum à Ferdinando obseruatum fuisse. Tum assentiemur posse pactum appellari, tum concedemus vt hoc fundamentũ iaciant, & hominem ad pacti conditiones seruandas posſint cogere. Sed quum certum sit tutorib. illi opus non fuisse, qui in patria erat potestate, certum sit quos isti intendunt, tutores nunquam datos fuisse, neq; hoc nomine dari, admitti vel accipi potuisse, quorũ alter impuberis bona occupabat, alter exercitus imperator fuerat ad eum spoliandum, certum sit neq; pactum ab illis factum, neq; qui fecerunt, vt facerent eis mandatũ fuisse, neq; ab illis fuisse ratum habitum, certum sit, vt voluerint, non potuisse, non licuisse, res & bona soli, quæ impuberis essent, suo arbitratu alienare: deniq; vt demus solennia omnia seruata fuisse, quum tamen constet temporis & conditionum limitib. fuisse circunscriptum, tempus abijsse, & Ferdinandum regem conditionib. non stetisse, quum illius

voluntа-

voluntatem aliam omnino esse, quum permutationem, quam ex pacto isto quod præte
xunt, fieri oportebat, iam penes eum non esse constet, quum qui ex hoc numero ab il-
lo latam acceperis, sciatis eum non posse moram purgare, vt qui vobis conscij sitis nun-
quam vos restituere velle: quid est quòd cuiusquam iudicium suspensum teneatur, ac
non potius indubitatum sit, pactum istud quod vocant, infirmum imò nullum esse?

At excipiunt, quum redderentur ista oppida eadem illa pactione qua ei seruabantur, ac velut reddebantur, conuenerat vt postea compensatione quæ illi fieret, restituere obstringeretur, idque tabulis scriptis cautum fuisse. Quin proferunt igitur: Interci
disse aiunt. Lepidum me hercule inuentum! Quia supposititias literas proferre non au-
10 dent, ne temeratores comperiantur, intercidisse malunt dicere. Taceant igitur, patian-
tur hanc suam iacturam ad huius commodum redire, & inter causæ momenta ab eo
numerari. Scilicet quos tam diligentes videtis, quos vi aliena bona inuadere, quos tam
circunspectos animaduertitis, vt iuris speciem suas violentas occupationes prætexant, eos
credemus tam negligentes fuisse in seruandis tabulis quas causæ suæ ossa & nerues du-
cunt. Sed demus rursus (quod tamen à vero planè abhorret) in hac de oppidis pactione
disertè istud caput de compensatione aliquando danda additum fuisse: certè Ferdinan-
dus neque tum intererat, neque conspectus aut auditus est. Quòd si permutationis ius
cuipiam reseruari debuit, debuit vestri fœderis bono id fieri. Quòd si tum reseruatum
vobis fuit, satis hoc ipso renũtiastis, quòd vti noluistis, quòd simpliciter, liberè, nulla cõ-
20 ditione aut perscriptione addita Christophorum in oppidorum possessionem misistis,
quòd eorum dominium tanquam rei hæreditariæ reddidistis, quòd subditos omnes &
clientes dominum agnoscere ac ei parere iussistis. Neque verò opus est vt hanc puram,
simplicem & liberam possessionem pluribus probare coner, qui apud eos verba facio
qui interfuerunt, qui meminerunt, qui hunc, si mentitur, falsi reum peragere possunt.
Quæ omnia quum ita habeant vt à me commemorata sunt, quum hic impuber ex pos-
sessione non violenta, non clandestina, non precaria ciectus sit, quam tempore legiti-
mo & à legibus posito tenuit, si omnia omnium gentium & populorum iura clamãt an-
te omnia decere, vt qui spoliatus est, restituatur, si dux quum postulat hoc ius in sua cau-
sa valere, id postulat quod per leges ciuiles denegari non potest: videte quas conditio-
30 nes accipere paratus sit. Imò quam non vel iniquissimam conditionem pati voluit, vt
apud hunc conuentum planum faciat, se non tam difficilem esse in pacisendo quam
fingitur? Vt aduersariis tempus concederet, quo tam acerbum odium concoquerent,
& ad æquitatem aliquando descenderent, postulata sua noluit vrgere, sed quiescere &
silere concessit, modò superioris temporis prouentus ad hunc vsque diem redderentur,
in posterum cauueretur ad decem florenorum millia, quibus interim vitam toleraret.

Hoccine verò est, iudices, quod ab aduersariis dicitur æquas conditiones re-
pudiare? Hoccine est cuius causa calumniosis istis suis testificationibus cõtra istum cæ-
lum, terram & mare coaceruare conantur? Vt inuidia eum apud vos prægrauent, con-
tumacem esse prædicant, intractabilem, ab omni æquitate, omni iustitia, omni ratione,
40 omni amicitiæ conciliandæ ratione alienum, pacis quietisque publicæ hostem & per-
turbatorem. Edicite quæso ne quod non est, pro vero affirmare pergant. Edicite ne pa-
cti nomine appellent quod maiores neque sic appellarunt vnquam, neque obseruan-
dum esse iudicarunt: alioqui non iuris doctores sed indocti iuris futuri sunt. Edicite ne
deinceps affirment hoc qualecunque subditicium pactum ab autore seruatum fuisse: a-
lioqui se manifesti mendacij alligabunt, apud vos præsertim qui rem contrà habere pro-
bè nostis. Edicite vt quum iura liquidò illis obiiciuntur, taceant si idoneo responso desti
tuuntur: ne pacta nescio q̃ cõmentitia proferant, quę neq; extãt, neq; extiterunt vnquã,
quibus, etiamsi proferrent, nihilo firmior causa redderetur: alioqui se toti huic hominũ
coronæ ridendos propinabunt. Edicite ne iam testificentur amplissimas & plusquam
50 æquas conditiones à se latas, à duce Christophoro repudiatas: alioqui vos qui istas no-
stis, qui scitis quàm grauem fecurim Christophorus in petitionis suæ stipitem imò in
radicem ipsam impegisset, siquidem illis morem gessisset, hinc eos facesseret tanquam a-
mentes quosdam, vel qui pro amentibus vos habent, iubebitis. Pene præterieram, iudi-
ces, egregiam aliam & lõgè firmissimam rationem, quam impudenter inter conuiuia &
in cœtibus populi iactant. Ad vestram tum existimationem tum in hos principes ob-

1533. seruantiam, quos auxistis, alterum Cæsarem alterum Romanorum regẽ, interesse aiunt, huius ducatus possessionem firmam & perpetuam stabiliri, qui adeo illis commodus est vt nihil supra, vt quoties ex aliis possessionibus quas in Germania tenent, in suum Belgium iter habebunt, suos duntaxat fines ingrediantur. An non hæc singularis momenti ratio est, digna quæ ab illis apud vos ad tantam confirmandam causam afferatur? Tanquàm vos adeo stupidos, cæcos & dementes habeant, vt non sentiatis, videatis, intelligatis quam potentiam & libertatem, si hoc concedatis, deinceps futuris Cæsaribus permissuri sitis, vt sibi licere existiment eadem vti lege, vt in vestris & posterorum bonis id aggrediantur non quod lex, quod ratio, quod naturalis inter dominum & clientem fides postulat, sed quod suæ cupiditati, commodo & libidini congruere videretur.

EQVIDEM vt hanc rationem interim & cæteras omittã, libẽter illos rogem (scio enim, quæ nunc consilia captant, & quos sermones habent, hæc omnia inscio Cæsare & inscio Ferdinando fieri) libenter, inquam, rogem quo vultu, quo ore, qua confidentia hoc consilium dare suo principi, vobis, augusto & inuicto suo Cæsari auderent: principi ipsi, vt contra iurisiurandi religionem quo se ad iura sacri Imperij seruãda obstrinxit, occuparet & hunc sibi ducatum ascisceret, qui ex primæ institutionis legibus, si horum ducum posteritas deficiat, nũc æquè atque tum fisco & ærario Imperiali addictus est: vobis, qui Imperij membra estis, vt fœdus & coitionem ad hanc occupationem tuendam faciatis: Cæsari, vt probet, ratam habeat & potiri faciat. Indigna profecto res tum hoc Imperio quod legibus & religione administratur, tum fide quæ illi debetur, vt occupan di huius ducatus gratia is legem deferat & datam Imperio fidem soluat, qui à vobis Romanorum rex delectus, aliis vt legibus parcant, quamqs Imperio dederũt fidem seruet, autor esse debet. Non minus etiam eo indigna res esset, qui ab aliis iusiurandum accipit, vt contra iusiurandum, in familiam suam, quæ indubitata sunt Imperij bona transferret & vindicaret. Mihi hac in re iudices fidem habeatis velim: nihil ab his consiliis magis alienum quam duo serenissimi fratres fieri aut fingi potest, neque vnquam istorũ machinationibus fidẽ habituri sunt, nisi aliis coloribus inductis adulterentur: vt profecto nunc qui Ferdinando sunt à consiliis (quod hodie vitium latè patet) vt suam operam, studium & diligentiam vẽditent, quo iure quaque iniuria principum suorum bona & possessiones interuertunt, priuata sua odia (quod paulo antè dicebam) exercere cupiunt: quod vt perficiant, hanc causam acrius & obstinatius agunt quàm à rege suo est imperatum, aut certè quàm ad ipsius nominis laudem & integritatem pertinet. Quin ea est istorum in calumniando audacia, vt quò illum à regia prima & pia sententia, suaque in hunc supplicem optima voluntate deducant, ei persuadere non dubitent, nihil vobis ipsis vestra sponte optabilius esse quàm vt hoc fœdus renouetur, quò illi hunc ducatum in perpetuam possessionem asseratis: id tantùm superesse, quòd vt vestro nomini & dignitati consulatis, id à vobis peti postulatis. Vobis quoque ostendere statuerunt, suam cupiditatem & quod esse commodissimum ducunt, sui principis consilium esse, vt in hanc fraudem vos inducant: eámque in illum vestram voluntatem esse arbitrantur, vt rogan ti statim nullo negotio assentiamini. Idque persuasum habent, id si feceritis, à vobis hũc miserum innocentem si minus apertis & disertis verbis, at reipsa certè damnatum iri, regem etiam Ferdinandum prorsus deterritum iri ne illi satisfaciat: quod iampridem (vt audio) fecisset, nisi falso hoc de vestra volũtate rumore, de illa sententia deductus fuisset.

NVNC id considerate iudices, annon quantæ vobis laudi fuit & decori, quòd armati & bello victores in ipso victoriæ cursu vindictam in patrem temperastis, filio innocenti facultatem qua se fustentaret reseruastis, & bona dignitatesque in posterum recuperandi spem fecistis, tantæ nunc infamiæ futurum sit, quòd non solùm ad illius oppressionem & interitum conniueatis, sed etiam ipsi illum opprimatis & conficiatis. Ipsi certè hoc fœdere renouando hominem opprimetis, dum suspicionem hanc omnium mẽtibus immittetis, vt putent, quæ in illum facta sunt, & porro fient, vobis omnia probantibus fieri. Nemo enim futurus est, qui hunc ex lectis omnium ordinum viris coactum cœtum putet id fœdus, cuius exemplum in vestram ipsorum perniciem olim redundabit, factum fuisse, quo quisquam bonis omnibus spoliandus esset, nisi eum atrocissimi cuiusdam maleficij manifestò conuictum teneretis. Aut si efficietis vt quisquam meritò putet vos aut non circunspectè neque cum grauissimo cõsilio, nulla æqui aut iniqui ratione

ratione habita hoc fœdus confirmasse, aut etiam consultò (quod absit) hominis innocẽtiam opprimere voluisse, maculam vestro nomini inuretis, quæ nec Oceani aqua elui nec omnibus tenebris obscurari aut tegi poterit. Neque enim vobis dubium aut ignotum esse potest, istum, si tam excelso est animo quàm illustri loco natus, tam indigne opibus spoliatum patriæ & ciuium conspectum laturum nõ esse, ne vbi princeps natus est, ibi miser viuere cogatur. Itaque voluntario exilio suscepto quid aliud quàm Cæsaris, regis fratris, & omnium vestrum dedecus secum circunferet? quid aliud quàm omnibus materiem afferet, vt dicant, Hic est qui aliquando, qui nunc, qui nulla culpa, qui extra Germaniam? Cætera nostis, & ipse libenter prætereo, ne sententias absoluam. Video enim vos animõs commoueri, vos tacitè ipso vultu & signis quæ dico vera esse agnoscere & fateri. Nolite interim putare bonos istos calumniarum architectos (dum quæ per se non possint, id per vos ementita principis sui aut Cæsaris autoritate perficiant) quicquam pensi habere quid vel nunc dicant homines, vel in posterum post sexentos annos dicturi sint.

Hic ego possum (quando ipsa se offert oratio) commemorare cuiusmodi sermones ob talia consilia passim tota Germania aduersus supra dictos fratres principes ab iis iactẽtur qui falsò (mea quidẽ sententia) eorum nunc cæcam ambitionem & immodicã auaritiam, nunc paruam fidem & nimium suspectam potentiam describunt, qui vos vt vobis caueatis monent, eos huic vni prædæ inhiare, quò totam Germaniam occupẽt, & in suam ditionem redigant: eos dum modò hunc modò illum opprimunt, & facultates inuadunt, hoc agere videri, vt multis & variis Germaniæ locis præsidia sua collocẽt, vt postea suo commodo, vbi eam suis quasi membris debilitatam viderint, totam semel maiori fiducia minori periculo adoriantur. Possum etiam innumera exempla commemorare, quæ tam externa quàm vobis domestica, tam vetera quàm hodierna de iis afferuntur qui proximos suos opprimi vel neglexerunt, vel se videre dissimularunt, neque aliorum oppressione suam parari prius intellexerunt, quàm ipsi eadem seruitute irretirentur. Quæ omnia proposita eò spectant, vt vestris rationibus prospiciatis, vt de seruanda libertate cogitetis, vt finitimorum periculis memoria repetendis, ad ea quæ vel speranda vel metuenda sunt animum aduertatis. Sed ego ista commemorare supersedeo, ne qui fortasse putant aut quacunque ratione cuperent, res inter Regem principẽ meum & istos fratres non planè compositas esse, ij alios ex suo ingenio metiantur, obiiciántque me vel ab ipso Rege meo de industria subornatum, vel mea sponte (vt illi gratum faciam) hanc captasse occasionem, vt ea narrem & patefaciam quę in mentem nõnullis vestrum nondum venerunt. Verùm quicquid tandem dicatur, siquid mihi imprudenti excidat quo principes illi fratres offendi queant (si fortè ad offensionem sunt procliuiores) nolite existimare me id iussu, consensu aut verbis Regis principis mei dixisse. Vestri me læti & hilares vultus nonnulla ex parte inuitarunt, vt liberè dicerem quæ ante ea tacere decreueram, coegit me maxima ex parte istorum arrogãtia, qui in causa sunt vt aduersus illos principes huiusmodi voces dicantur & spargãtur. Atque vt de me hac in re nonnihil dicam, nunquam quispiam fuit qui difficilius vera crederet quæ in principes maledicta feruntur, quàm me tum ingenio tum institutione semper esse sensi. A sereniſſimis autem principibus in quos tam insignia vestra extant beneficia, quos ita bonis, opibus & dignitate, vestræ salutis, opum & bonorum periculo auxistis, nihil tale timendum suspicabor. Vnum hoc mihi videri nõ inficiabor, eos cum ea quæ illorum amplitudinem decet reuerentia, nonnunquam officij monendos esse, ne se à recto & æquo prauis consiliis abduci sinant. Exorabiles sunt, leni sunt ingenio, existimationis ante omnia & bene sibi conscię mentis studioſi sunt, quæ nobis à Deo honestorum cõsiliorum & rerum bene tota vita gestarum tanquam testes tribuuntur. Quo molestior est ipsi duci fortunarum omnium amissio, quòd intelligit & nouit (vt ego quoque intelligo & noui) regem Ferdinandum, siquis paululum modò officij moneret, aut nemo cum ab insita clementia dimoueret, statim ac libenter quæ iuri & rationi consentanea sunt facturum esse.

Qvæ Christianiſſimi etiam Regis sententia erat, quum me huc magis gratulandi (vt dixi) quàm alterius rei cuiusquam gratia misit. Qui tamẽ quia satis norat in grauibus controuersiis, etiam vbi de summa conueniret, quasdam leuiores circunstantias non

1533. ſtatim neque facilè expediri: in hac autem, ſiqua tale accideret, in quo hæreretis (quod vſuenisſe comperio) ſuæ autoritati aliquid ponderis futurum confidebat (vt meritò eſſe debet) literas fiduciarias mihi ad regem Ferdinandum (quem hic adfuturum ſperabã, & Regis gratiam non parum apud eũ valituram fuiſſe puto aut, ſi abeſſet, ad eius legatos dedit: neque vnquam rem vllam maiori ſtudio expetiit, quam vt quicquid autoritate & gratia poteſt, ad illos conciliandos quos æquè amicos habet, tutam conferret. Quam ob cauſam mihi mandauerat vt rationem pacis in medium adferrem, eámque indubitatam, vtriſque commodam & vtilem, quam in manu promptã haberet. Quòd ſi Deus immortalis feciſſet vt vel rex Sereniſſimus Ferdinandus alios huc miſiſſet, qui legatorũ non litigatorum partes ſuſcepiſſent, vel illos ego nihil moratus ipſum rectè adiiſſem, certò mihi perſuadeo eum non modò à clementiæ & æquitatis via, quam ingreſſus iam erat, ſe deduci paſſurum non fuiſſe, verùm etiam auditis mandatis quæ exponeuda habebam, illam ingreſſurum fuiſſe: neque tenunc Illuſtriſſime dux Chriſtophore hæc perplexitas implicaret, vt expectandum ſit tibi iudicium vnde tota bonorum ratio dependet. Sed quando ita caſus tulit vt hîc eum minimè reperirem, qui verò huc ab eo miſſi ſunt, quum eos adij, non modò hac in re principis mei autoritatem adhibendam non putarint, ſed literas etiam inſolenter accipere recuſarint, vt mihi iam non ſit integrum, niſi mandatis denuo acceptis, Sereniſſimum regem adire: non eſt æquum à te in malam partem accipi quòd tuis poſtulatis morem nõ gerã. Quod mihi honeſtè & citra offenſionẽ à me fieri poſſe & debere intellexi, vt apud hunc cœtum negotium tuum Regis Chriſtianiſſimi verbis commendarem, id ſtudioſè præſtiti, & lubens præſtabo: neque committam vt quicquam tua cauſa faciam quod regi Sereniſſimo vel officere vel meritò diſplicere queat. Hoc Rex Chriſtianiſſimus neque ſi velit, per fœdus quod inter eos intercedit, poſſit: neque ſi per fœdus poſſit, pro conſanguinitatis neceſſitudine velit. Verùm in cæteris omnibus quicquid ſalua fide, exiſtimatione & ſanguinis iure quod in rem tuam ſit, præſtare poterit, ſummam in te illius voluntatem perſpicies, vt ne bonis quidem & opibus, ſi tibi opus eſſe intellexerit, parcere decreuerit.

AVLA Gallica ſemper quidem inter cæteras liberalitate excelluit, ſemper patuit & obuia fuit: ſed nunquam tam liberalis fuit quàm hoc Rege, vt perfugio ac receptui ſit vniuerſis principibus è patria pulſis & afflictis. Multo magis ſperandum tibi eſt te confœderatum non excluſum iri, te qui pro cauſæ æquitate, pro innocentia propria vel ipſis aduerſariis miſericordia dignisſimus videris. Spes tamen adhuc eſt & bene ominari libet, melius tibi à Sereniſſimo rege ſperandum eſſe quàm adhuc res polliceri videatur. Quinetiam ſi me qui adſunt viri ornatiſſimi iuratum rogarent, non dubitem affirmare nec iuſſiſſe illum, nec ſciuiſſe, nec denique vnquam probaturum, quum ſuos legatos audiet Chriſtianiſſimi Regis literas repudiaſſe: neque mihi vnquam perſuaderi ſinam, vt qui ſua ſponte literas ſatis contumelioſas à Solimano Turca communi noſtræ religionis hoſte non dubitauit accipere, ſuos patiatur vt literas humanitatis, commendationis & amicitiæ plenas à Chriſtianiſſimo Rege amico, ſocio & propinquo repudient. Nihilo magis verisimile putabo, qui quum lis eſſet de regno ampliſſimo, vltro ipſius Solimani hoſtis iudicium arbitrarium ſubierit, eum nunc recuſaturum ne rationem audiat quæ à Rege (vt prædico) neceſſario, ſocio & propinquo adfertur, qua controuerſia ducatus, qui ad alia quæ obtinet bona non magni momenti eſſe poteſt, dirimatur. Sed vt veram rei cauſam teneas, boni iſti legati veriti ſunt (quod ſanè accidiſſet) ne redditis & recitatis literis, auditiſque meis mandatis, facultas adimeretur explendi odij quo priuatim ducuntur, quóque iam inueterato tantopere incitantur, vt ſeipſos perdere & euertere non recuſarent, modò patrem, filium, totam familiam, & familiæ memoriam eadem ruina & exitio implicare queant. Verùm quum ipſe pio ſit animo, neque conſilium illius ſit cuiquam iniuriam inferre, ſed à nonnullis prohibeatur, qui neque numero neque autoritate plurimum valent, qui nunc rei per ſe claræ, ſuis maleuolis ſermonibus caliginem offundunt, ſperare debes hanc laruam & prætextum non diu durare poſſe, ac tempus, quod omnia aperit, calumnias iſtorum, fallacias & vanitatem illi ob oculos poſiturum eſſe. Tum perſpecta hac tua innocentia & tam arcta conſanguinitate, ab eo non tantùm quæ poſtulas, ſed longè maiora obtinebis, qui ſequi & probare non dubitabit verum & æquum iudiciũ quod celeberrimus & grauiſsimus hic cœtus in tua cauſa

sa facturus est. His optimis & ornatissimis viris teipsum tradere & committere tutò debes. Enimuero quum satis supérque ex meis verbis exploratum habeant causam hanc tuam cum Imperij vtilitate, cum suo erga patriam, quæ eos genuit & educauit, erga ciues, erga seipsos & liberos officio cõiunctam esse: in his secundum Deum spem locare, in horum fide ac tutela acquiescere debes, hos summis precibus rogare, vt nefarij cõsilij cursum sistere hodierno die, sicut possunt & debent, velint: ne causæ tuæ æquitatem opprimat, Imperij vtilitatem impediat, patriæ dignitatem labefactet, aliorum omnium, suam ipsorum deniq; & posteritatis spem deiiciat. A vobis sanè iudices, re bene perspecta, quæ dixi sperare debet & potest omnia. Si maiores vestri vt innocentium nulla etiã necessitudine coniunctorum causam tuerentur, grauissima & longinqua bella multa susceperunt: quàm decet vos amplecti & in fidem vestram saltem iudicij autoritate accipere huius propinqui causam, quæ Imperij vestri commodum aut incommodum, omniũm que vestrum laudem vel infamiam secum trahit? Ipse dux, qui supplex vos obsecrat, summi vestri erga se beneficij loco habiturus est, si hodierno iudicio istud fœdus vel planè tollatis, vel si renouandum censebitis, suam hanc causam contineri pronũtietis. Quam opem vestram si ei denegabitis, si eum vestro fœdere excludetis, vanissimos sermones quibus isti regem Ferdinandum onerarunt, confirmaueritis, aditum innocenti ad recuperandas fortunas præcluseritis, vosipsos obstrinxeritis vt nulla sua culpa eum beneficio vestro priuetis, & vestris ipsorum commodis malè consulatis. Contrà si cum in fœderatorum numero habebitis, vt nihil aliud ipsius cauſa faciatis, hominem ex molestissima vexatione recreaueritis, dum regi Ferdinando quæ sit vestra sententia ostendetis, & quid eum hac in re facere cupiatis: id quod adhuc plenè & verè intelligere non potuit. Denique vnum mihi reliquum esse videtur, quod, vt meam erga vos fidem liberem, demonstrandum puto. Hoc ego vobis nihil dubitans confirmo, vos vestram fidem, quam Ferdinando debetis, hoc iudicio esse exoluturos, neque solùm nihil quod ei molestum esse debeat, sed rem etiam gratissimam, & cuius causa vobis gratiam habiturus sit, facturos esse, dum hac ratione quid sui sit officij cognoscet, eorúmque fallacias & in veritate obscuranda impudentiam perspiciet, qui nullam existimationis illius habent rationem, qui materiem omnibus præbent vt eum ambitionis & cupiditatis insatiabilis insimulent: quos sermones ob eam quam attuli causam pluribus commemorare non placet.

ET quisquam vestrum adhuc ambigere potest num in hunc supplicem clementia vtendum vobis sit, qui neque de vllo vestrum neque de alio quoquam malè vnquam meritus est, qui neque facto neque verbo oculos vel aures vllius vnquam violauit, qui tam diu iam alieni peccati grauissimam pœnam sustinet? Quem si complecti & misericordia prosequi volueritis (quemadmodum demonstrauí) nominis vestri gloriam, vestram in eum fidem quem in vos regem esse vultis, in Imperium, in patriam, in ciues, in vos & vestros apertè seruaturi estis: nominis gloriam, siue innocentem vexatione liberabitis, siue beneficium semel collatum seruabitis: fidem erga eum quem regnare voluistis, cui consilium fidele debetis: in Imperium, vt illius iura sarta tecta seruetis: in patriam, vt alij aliorum mutuò statum & dignitatem tueamini: in ciues & liberos, à quibus non modò periculum auertere debetis, sed etiam huiusmodi exempli metum, quod in vnius capite tentatur, ad omnes ex æquo pertinet. Quòd si hæ causæ apud vos nondum tantum valent, vt id suscipiendum & perficiendum vobis putetis (valere autem debent) accedãt tot regum, antistitum, ducũ, comitũ, baronum & omnium ordinum preces: qui vt summũ in hanc causam studium ostendant, legatos vnà cum eo ad vos miserunt, qui eius partes foueant & iuuent: ne de iis interim dicam qui temporis breuitate & locorum interuallis impediti mittere non potuerunt, quos animo adesse, si minus corpore adsunt, existimetis velim. Hi omnes vnà cum isto, Iudices, opem à vobis & auxilium accipient: hos omnes, inquam, non modò vobis obnoxios & obstrictos habebitis, sed quantum ex vultu & gestu vestro possum iudicare, iam vobis & posteris vestris in perpetuum deuinxistis.

HÆC Langæi oratio ducis Christophori causam mirum in modum iuuit, præter illud studium quo multi principes incitabantur, partim tyrannidem exosi qua Cæsar & Ferdinandus frater innocentem premebant, partim consanguinitate moti qua amplis-

1533. simos illius cœtus principes contingebat. Itaque fœdus illud Suauiense, quod septuaginta annos magno Austriacæ domus emolumento steterat, primùm antiquatur & refigitur: deinde duces Bauariæ, Lantgrauius Hassiæ, eorúmque socij & fœderati aliquoties inter se egerunt, vt ducem Wirtembergensem in eas possessiones restituerent quas Cæsar & frater Vngariæ rex per vim occupatas tenebant. Tandem omnibus expensis nullam rationem superesse vident, quàm vt armis rem tentarent, quum iure & legibus certando nihil profici animaduerterent. Id verò quum absque pecuniis perfici nõ posset, Langæum adeunt, & de centum illis coronatorum millibus (quæ suprà commemorauimus) deponendis cum eo agunt. Langæo hæc fieri à se non posse videbantur, quin pactum Cameracense planè violaretur. Itaque hanc inuenit commodam rationem, vt Montispelicardensem comitatum, qui ducatui & comitatui Burgundiæ item comitatui Ferretano finitimus est, dux Wirtembergensis Regi centum viginti coronatorum millibus venderet, sic tamen vt redhibitionis conditio apponeretur. Hac summa dux Wirtẽbergensis accepta arbitratu suo siue ad res belli siue pacis veteretur, neq; tamen iccirco Rex vllo pacto in pactũ Cameracense incurreret. Ita vt conuenerat, res perficitur, pecunia duci Wirtẽbergensi vel viris ad id delectis in manus traditur, Rex in comitatus Montispelicardensis possessione collocatur, cui Cermesium præficit. Hac pecunia Bauarię duces, Lantgrauius Hassiæ & dux Wirtembergensis cum sociis & fœderatis exercitum mira celeritate conducunt antequam Cæsar & Vngariæ rex prospicere possent. Ita ducatus ille breui tempore Vngaro adimitur, ducique & filio restituitur: cuius belli dux fuit Lantgrauius Hassiæ Philippus. Haud multo pòst pecunia Regi persoluitur, nisi quòd quadraginta circiter millia deerant: cuius summæ quum fideiussores essent Bauariæ duces, ita comitatus Montispelicardensis illis restituitur. Sed de his hactenus.

Bellaius Parisiensis episcopus cum Anglo agit, nec à papa dominatu deficiat.

REX Auenione ad Costam Santandræam circiter Calend. Dec. peruenit, quum quidem incommodum prospiceret, quod ex iudicio papæ aduersus Anglum consequuturum erat. Quum Massilia discederet, à papa obtinuerat, vt tantisper dirum anathematis fulmen inhiberetur, dum de Angli voluntate constaret, num ratio inueniri posset qua Ecclesiæ Romanæ se subiici pateretur. Ad hanc rem Ioannem Bellaium episcopum Parisiensem in Angliam equis veredariis mittit, qui ei persuaderet vt legatos Romam mitteret. Is Anglum grauiter aduersus papam & sedem Apostolicam ira accensum reperit, de illata iniuria conquerentem, quòd mittere in Angliam iudices recusasset, qui de causa cognoscerent, sed relicto regno & patria ipsum Romæ iudicio experiri iuberent. Verùm oratione episcopi Parisiensis eò tandem adductus est, vt si papa iudicio supersedere vellet, quoad iudices delecti in Angliam mitterentur, ipse quoque in aliud tempus differret quod facere constituisset, nempe vt prorsus ab Ecclesia Romana deficeret. Episcopus Parisiensis se Romam profecturum recipit: cui Anglus confirmat, se, quumprimum quæ postulabat concedi certior factus esset, ei potestatẽ & mandata per nuntium daturum, vt quod conuenisset ratum haberetur: se enim illi fidem habere pro ea amicitia qua eum prosequutus fuerat, quum Regis legatus in Anglia per biennium fuisset.

HIS ab Anglo impetratis episcopus Parisiensis ipsa bruma & hyeme quàm sæuissima itineris tamen molestiam nihili duxit, præut laborem illum profuturum esse credebat. Tanta celeritate iter conficit, vt Romam veniret priusquam aduersus Anglum quicquam amplius quàm antea actum esset. Intromissus in consistorium docet quæ ab Anglo magno Ecclesiæ bono obtinuisset: quæ quum æqua viderentur, certum tempus constituitur, quo responsum ab Anglo acciperet. Itaque cursorem ad eum mittit, quem eam adhibere diligentiam iubet, vt ad diem constitutam adesset. Ea vbi venit, nec rediisset nuncius, cardinales in consistorio coacti ad Stygij supplicij irrogationem progredi cœperunt. Episcopus Parisiensis tum apud papam priuatim tum apud cardinales vniuersos intercedit, sex adhuc dies concedi postulat, fortasse vel ipsi nũtio aduersi aliquid contigisse, aut mare tempestate infestum esse, vt ventos aduersos esse non raro accidit: nuntij diligẽtiæ, siue dum proficisceretur, siue dum rediret, moram iniectam esse, denique non iniquum esse Anglo sex dies prorogari, qui totos sex annos operiri non recusasset. His episcopi verbis qui maiore prudentia erant assentiebantur: sed maiori iudicum parti contraria placuit sententia: illi reliquos, qui malum Ecclesiæ ex ea re futurum

Romane curiæ precipitatum in Anglũ iudicium.

rum animo cernebant, numero vicerunt. Tantáque fuit præcipitantia, vt quod tertio consistorio absolui non poterat, primo perficeretur: sicque decretum fulminatorium stringitur. Non præteriit biduum, quum nuntius rediit cum mandatis & facultate quæ ab Anglo afferebat, quæ episcopus Parisiensis se habiturum receperat. Quibus rebus qui autores præcipitandi iudicij fuerant, grauiter turbari cœperunt. Itaque aliquoties consistorio habito hoc malum sarcire conati sunt: verùm remedij afferendi nullam vnquam rationem inire potuerunt. Anglus rei indignitate commotus, quum perspiceret quàm paruam sui rationem habuissent cardinales, quem nihilo magis quàm abiectissimum quemque totius nominis Christiani respexerant, se & totum regnum à Romanę Ecclesiæ iurisdictione subduxit, se protinus secundum Deum Ecclesiæ Anglicanæ caput constituens. Is fuit huius rei & meæ hac de re orationis exitus.

Anglia à papa defectio.

REX indigna legati Mervillij morte & contemptu ducis Mediolanensis irritatus, quum animaduerteret iuris æquitate nihil obtineri posse, Cæsarem ipsum audita expostulatione id parui à se fieri satis ostendisse, ius armis sibi esse persequendũ statuit. Et quoniam satis prospiciebat Cæsarem negotium non esse neglecturum, suis rationibus consulere decreuit, vt satis virium haberet ad eorum conatus sustinẽdos, quos sibi molestos in re quam suscipiebat, fore suspicabatur: quumque externo milite vti posset, Gallicis tamen viribus sese munire instituit. Quamobrem vt primo statim iussu præsto sibi essent milites, consilio cum suis communicato singulis regni prouinciis legionem, quæ senis peditum millibus constaret, Romanorum exemplo instituere decreuit, quibus senos nobiles præficeret, qui binos millenis peditibus legatos sub se haberent, vt cohortes quinquies centenorum hominum essent. Legionarios tum ductores tum milites amplis priuilegiis ornauit: has omnes legiones semel quotannis recenseri oportebat. Vt militum culpam ductores præstare possent, singulorum nomen, cognomen & locum quem incoleret tenere oportebat, tum vt signo dato protinus eos accerserent, tum vt, si quid peccarent, pœnas de illis sumerent. Has res conficiendas certis hominibus delectis mandat. Circiter mensem Maium anno 1534 nuntio accepto iam institutas esse legiones, proximas quasque inuisere ipse statuit. Rotomagũ primam Normaniæ ciuitatem adit, ibi legio illius prouinciæ ipso præsente & inspectante lustratur. Ductores erant sex nobiles, Baccouillanus, Sallius, Santalbinus Hermitæus, Sãtalbinus Gobletanus, Cantilupus Bisamantius, & Salenellus. Conspecta Normanica legione, qua mirum in modum delectatus est, Ambianum ire contendit, vt Picardicam spectaret. Vicesimo circiter Iunij die legio hæc armata in planitiẽ quæ ab oppido ad Sãsuliscianum patet, prodit. Ductores orant Sercutus, Manlius, Auchius, Ioannes Brabantus Canisius, Sanseuallius, Hellius cognomento Pisselæus. Hanc legionem dum recenseretur, spectabant etiam matronæ, ad quas oblectandas velitationis tum equestris tum pedestris simulachra tum militum, tum nobilium aulici comitatus edita sunt. Cæsar id temporis ad expeditionem Tunetensem profectus erat. Rex è Picardia in Campaniam proficiscitur, cuius prouinciæ legionem in finibus Remorum spectauit. Inde Masseriam contendit, vt regni oram tum Campaniæ tum Burgundiæ perlustraret.

Legionis in Gallia institutio.

MASSERIÆ fit certior nobilem quendam Buzancium è familia Aspromontana domum suam nomine Lumam muniisse mille passus Masseria ad Mosam, quâ itur Sedanum: qua communita eò venisse temeritatis atque amentiæ, vt neque Regis neque comitis Retelij, vnde pendebat, clientelare autoramentum agnoscere veller. Causa cur eam arcem ædificare permitteretur, erat quòd patrem habuerat Retelani agri & Masseriæ præfectum: cui quoniam summa apud Orualium autoritate & gratia erat, & maxima ei fides habebatur, quicquid libebat licebat. Quare qui Masseriæ Regis ministri erant, istum Buzancium arcem communire facilè passi fuerant. Cæterùm præfectus ille Buzancij pater quum tabulas & literas comitatus Retelani haberet, eas abstulerat quæ Lumam pertinere ad eius clientelam indicabant. Hac re intellecta Rex, præterea ministros suos audiens clausis portis illuc non fuisse intromissos, quum prandium parare conarentur, indignissimè ferre cœpit. Sex machinas expediri & Campanam legionem progredi iubet, subditum rebellem ad obsequium redigere & vlcisci statuit. His auditis rebus Buzãcius territus, quòd regias vires sibi impendere videret, vitæ metuens audaciam remittere cœpit. Roberto Marcano Sedanio deprecatore errati veniam ob-

Lumæ ad Mosam arx dirupta.

1533. tinet, ea lege vt castrũ in manus Santandræi equitis torquati iussu Regis traderet. Quod tamen castrum postea Rex in gratiam Sedanij ei restituit, fide data se in Regis clientela fore, atque castrum illud in illius causa aduersus quemlibet hostem tuenda penes se futurum. Postea tamen bello exorto Regis partes reliquit, & vxoris opera (quæ ex Cæsaris ditione genus ducebat) à Gallica societate auocatus ad Cæsarem desciuit. Henricus qui nunc regnum tenet, vt rebellionem hanc vlcisceretur, castrum captum solo adæquauit, & agrum fisco adiudicauit.

Sabaudus iter Regi petenti denegat.

Rex ad vindicandam iniuriam quam nece legati acceperat, à comite Gulielmo Fustembergo viginti cohortes peditum in Germania conscribi iubet. Legatos ad ducem Sabaudiæ mittit, qui peterent vt per ipsius fines iter eius voluntate sibi facere liceret, vt quam acceperat a duce Mediolanensi iniuriam vlciscereturur. Sabaudus ab vxore (vt fama est) impulsus, se iter daturum negat: quod Regi propter vetustum fœdus & arctissimam consanguinitatis cõiunctionem permirum accidit, eo magis quòd post mortem Ludouicæ Sabaudæ matris de hæreditate cernenda molestus illi nondum fuerat, quam iure adire licebat morte Philippi ducis Sabaudiæ. Is enim Philippus primis nuptiis vxorem è domo Borbonia duxerat, ex qua Philibertum ducem & Ludouicam Regis matrem suscepерat. Secundis nuptiis vxorem è familia Pontiuerana accepit, quæ Carolum Sabaudiæ ducem peperit, de quo nunc sermo est, & comitem Geneuesem postea ducem Nemorensem. Quamobrem Rex magnam Sabaudiæ partem patrimonij iure sibi vendicabat, quòd mater è primis nuptiis orta, sola Philiberti hæres, qui absque liberis obiisset, relicta fuerat. Itaque Gulielmum Poyettum quartum senatus Parisiensis præsidem & alios Iurisperitos ad eum legatos mittit, qui ex iuris atque legum disciplina quid meritò Rex sibi vendicaret docerent. Sabaudus ad hæc postulata aurem nullo pacto voluit accommodare, & legati domum re infecta redeunt. Eodem tempore Regi nuntiatur omni ratione Heluetios ab eo solicitari vt à Gallica societate discederent: scie bat denique cum à Cæsare, priusquam Tunetensem expeditionem susciperet, pretio datinet. Ex istis facilè Sabaudi auunculi iniquissimam in se voluntatem perspiciebat. Tandem nuntio misso vt sibi semel satisfaceret rogat: alioqui se armis ius persequuturum. Ad ista postulata quum idoneum responsum non acciperet, simul quum sciret Geneuã ab illo obsideri, Veresium nobilem Sabaudum ex sua turma cum aliquot Rentij Cereatis equitibus Geneuam subsidio obsessis ingredi passus est. Bernates qui ciuitatem Geneuam in suam fidem acceperant, per legatos Sabaudum monent ne sociis suis molestus sit. Quum ille nihil æqui responderet, decem aut duodecim hominum millia subsidio obsessis domo educunt. Horum copias veritus Sabaudus domum se recipit. At Bernates non ita domum redeunt: imò illius fines ingressi partem feracissimi agri quem in sua ditione habebat, vi ademptum sibi vendicant. Lausanam quum venissent, episcopum inde expellunt, oppidum suę ditioni adiungunt, quod etiamnum tenent: nisi quòd aliquam sociis partem attribuerunt.

Rex in Scquanorum finibus nuntium accipit de Cæsaris ad Tunettes victoria: qua de re Leidekerkio eius legato gratulari cœpit. Verùm de itinere quod ille ingrediebatur, nihil accepit, quoad Panormum illum appulisse ex illa expeditione reuersum certior factus est, exercitu propter ingentes labores & summos calores quos pertulerat, valde afflicto, & conuentu habito à Siculis pecuniam petiisse. Cui illi ducenta quinquagintа coronatorum millia promittunt, præter decem millium hominum stipendia trimestria, quæ æstate superiori persoluerant. Rex Diuione rursus ad Sabaudum mittit, vt quid tandem statuisset, cognosceret: ille fœlici Cæsaris victoria confisus nihil respondet ex quo certi quicquam colligi posset. Cæsar Panormum quum venisset, Velio Regis oratori se gratissimum habere ostendit quòd Rex voluptatem & lætitiã de Tunetensi victoria præ se tulisset: sibi etiam periucundum fuisse duarum sororũ colloquium, reginæ Aleonoræ, & Vngariæ reginæ. Damnum deinde narrat quod ad Minoricã insulam Barbossa intulerat, se de purgando mari consilium capere velle: ad hanc rem perficiendam se arctius fœdus cum Rege inire statuisse, vt communis tum honor tum fructus ad eos rediret ex iis quæ ad Græciam bello caperent. His dictis orationem non absoluit, sed plura ex Granvellano intellecturum addit. Mihi quidem valde verisimile videtur Cæsarem

Cæsar Mediolanensem expeditionem auertere conatur.

sarem rationes tum captasse quibus regem occuparet & detineret, quòd vereretur ne copiis ita debilitatis Rex Mediolanensem ducatum tentaret, quem ille per iniuriam tenebat, quum ad patrimonium Regis liberorum pertineret. Granvellanus enim Velio, quum simul loquerentur, in memoriam reuocauit quemadmodum Cæsar antea centena coronatorum millia pensionis nomine ex eo ducatu ipsis vel ei quem ex ipsis Rex nominaret, pollicitus fuisset. Deinde sermonem iniecit de nuptiis Mariæ Anglifiliç, neque tamen, Velio licet valde vrgente & instante, Cæsaris mentem planius declarauit. Quæ omnia testimonio abunde esse possunt, Cæsarem tum metuisse ne Rex Mediolanum inuaderet, quum ad auxilium ferendum nullæ illi copiæ suppetebant.

MENSE Nouembri qui insequutus est, Cæsar quòd suspicabatur suas technas & fucum quo vtebatur, à Rege deprehensum iri, quo fieri posset vt maturius rem susciperet, eo magis quod omnia parabat, vt à Sabaudo armis obtineret quod amica pactione consequi non potuerat: cautius illum vana spa lactare constituit. Itaque Granvellanus paulò apertius se cum Velio agere velle simulat, Cæsari in animo esse vt Lusitaniæ puella reginę Aleonorę filia Delphino Gallię nuberet, huic matrimonio Hispaniæ puellam per ætatem nondum esse maturam. Et quoniam coniunctiones firmissimas quærebat, Maria autem Angli filia maior esset quàm pro ducis Angolisimẽsis ætate, aliam eum nuptiarum conditionem reperturum, quæ Regi satis ampla videretur. Quę oratio ad Hispaniæ puellam pertinere videbatur. Non multo pòst Francisci Sfortiæ ducis Mediolanensis mors interuenit. Cæsar certior factus Regem magis ac magis festinare, vt à Sabaudo quæ postulauerat extorqueret, vereri cœpit ne in Mediolanensem agrum moueret: quod facile admodum erat. Itaque Granvellanus verbis Cæsaris Velio Regis oratori demonstrat, duce Mediolanensi mortuo, omnium oppidorum præfectos fide data Cęsaris dominium & beneficiariam autoritatẽ agnouisse. Quæ quum ita essent, iam articoris coniunctionis opportunam dari facultatem: propterea quod illo mortuo Cæsar obstrictus esse desisset, vt suo iam arbitratu de Mediolanensi ditione statuere posset. Ibi tum sermones iniiciuntur de nuptiis & matrimoniis, vti postea liquebit. Vnde proculdubio constabit, quicquid Cæsar egit, dissimulandi studio egisse, vt Regem diutius duceret (quod perfecit) & toti orbi persuaderet paci se studuisse, cuius violatæ inuidia in Regem redundaret. Quinetiam rerum progressus & exitus satis omnia docebunt.

Francisci Sfor tiæ mors.

ADHVC intelligere potuistis lectores, quam rationem sequutus sim, vt res gestas ab anno 1513. memoriæ & literis proderem. Statui autem temporum seriem persequi ad Francisci fœlicis memoriæ Regis obitum, vt sic aliqua ratione irreparabilem iacturam eorum sarciam, quæ frater sub mortem scriptis mandarat, non quidem ea orationis copia & stylo quo ille scripserat: vt ex illius lucubrationibus constare potest. Verùm quæ vel ipse vidi vel audire licuit, ea quàm potui maxima fide & diligentia conscripsi, vt iis commentarios relinquerem, qui historiam edere poterunt vberiorem illam quidem & magis ornatam, verùm vix eam quæ ad rei veritatem propius accedat. Sequuntur ergo tres libri quos ex eorum fragmentis qui à fratre Gulielmo Langæo scripti sunt, collegi. Postea quæ ad mortem Francisci primi acciderunt, ea proximè ad historiæ fidem, quoad fieri poterit, ordine persequar.

LIBRI QVARTI FINIS.

GVLIELMI BELLAII LANGAEI PRAEFATIO IN SVAS OGDOADES.

Ex illis ogdoadibus tantùm extant tres qui sequuntur libri, quintus horum commentariorum, sextus & septimus, cum nonnullis fragmentis quæ hoc opere sparsa sunt: item Epitome antiquitatum Gallicarum, quæ separatim excusa est. Reliqua interciderunt.

FALSO queruntur hodie historiographi Galli, & superiorũ temporum sortem conditionémque immeritò requirunt, tanquam illa rebus fortiter gestis florentissima, argumenti varietate & amplitudine adduxerint ac veluti compulerint celeberrimos illos & nobilissimos scriptores, vt scribendo ingenium exercerent, nomenq; ac famam literarum monumentis illustrarent & perpetuæ memoriæ consecrarent: nostra ætas contrà materiẽ ad eas res suppeditare minimè videatur. Ego verò illos (pace eorum dixerim) puto, si ea tantùm quæ à centum annis apud nos contigerunt attentis animis considerare vellent, facilè iudicaturos scriptores potius argumento quàm argumentum scriptoribus defuisse: iámque historiographum diligentem & industrium plura in lucem volumina & decadas, etiã nulla re vel superuacanea vel inutili admixta, edere potuisse, quàm protulit vel T. Liuius vel Trogus Pompeius, qui tot seculorum historiam complexi sunt. Quiquidem si tam ieiunè atque impolitè scripsissent, quàm nostrates Galli, ac non causas eorũ quæ scribebant adiunxissent, ducum deliberationes & consilia, conciones & orationes tum militares tum ciuiles, tum laudatorias tum suasorias adhibuissent, parum sanè voluptatis illorum historia sua lectione afferret, neque tanti etiam faciendа videretur: quæ tum elegantia singulari & ornatu styli quo scripta est, tum rerum concinna distributione commendatur. Itaque meritò Alexander eo maximè nomine Achillem fortunatum iudicabat, quòd Homerum tam nobilem laudum suarum præconem nactus esset. Enimuerò si historiam definiri constituamus, vt rerum gestarum diligens & vera expositio dicatur, inde efficiam, si quis historiam scribere aggrediatur, non satis esse vt dicat hoc dictum illud factum fuisse, nisi etiam ostendatur quo pacto, qua ratione, quo nomine & quo consilio. Hoc quidem non inficiabor, si quis cum exacta veritatis fide res literis mandet, eius opus veram rerum narrationem dici posse: sed rogabo in quo igitur sita sit diligentia illa quæ in definitione allata necessaria esse dicta est. Respõdebit

debit aliquis, opinor, in ordine & in perpetua rectéq; collocata rerum narratione. Iam si quis hunc narrandi & prosequendi ordinem perpetuum seruare volet, eum principio de quibus dicturus sit proponere oportet. Si de pacto aut fœdere scribendum est, tùm docere debet quo respexerint & quibus causis adducti fuerint qui fœdus inierunt: utriusque postulata, querelæ, contentiones & pactiones adiungendæ sunt. Sin de bello, quibus de causis exortum fuerit, quibus de rebus certamina extiterint, colloquia, prouocationes, apparatus, consilia suscepta, inita, & qua ratione perfecta. Oratione ad viuum exprimere decet aciem instructam, concursum, prælium, machinarum stragem, sclopetorum, sagittarum & telorum iactum, longarum hastarum ictus, cataphractorum equitum collisiones, equorum incursiones, gladiorum vulnera, hastarum & massarum contusiones: describendum est quo pacto victi terrore iniecto ordinibus turbentur, in fugam coniiciantur & profligentur: victores contrà animi magnitudine & audacia victos persequantur. Vt non solum huius aut illius aciei habitus narretur, verùm etiam quid quisque speciatim dixerit fecerítve.

HIS gradibus perueniendum est ad extremum casus euentum, quem etiam nominatim multis circunstantiis definire oportet, virtute an hominum numero, diligentia, prudentia & solertia vnius in re administranda, an alterius negligentia & socordia: vtrum horum temeritate, arrogantia & præcipitantia, an verò illorum calliditate & dissimulatione. Sexcentæ sunt huiusmodi circunstantiæ, in historia scribenda non negligendæ, sed diligenter seruandæ, vt singulari artificio mandata, denuntiationes & responsa quæ vltro citróque fiunt, exprimantur, neque prætermittatur qua maiestate, audacia, contemptu, fastidio, metu, animi præsentia, astu, dolo, aut proditione singula perlata, audita & reddita fuerint. Atque ea demum est diligentia & perpetui ordinis seruandi ratio, quæ in historia spectanda est. Ne longè abeam, non satis erat, si T. Liuius Romanorum victoriam aduersus Persea Macedonum Regem narrasset, nisi occasionem & apparatum belli primo loco posuisset, quemadmodum Persei exercitu iam parato, quum Romanis multa adhuc deessent, L. Martius Romanorum dux spe pacis hominem fefellerit, eóque adduxerit vt breues inducias peteret, dum Romani quum pacem facere videbantur, ad bellum se pararunt, tandem bello eum superarunt, eiúsque regnum imperio Romano adiecerunt. Quæ Romani ducis calliditas grauiter reprehensa & damnata est ab iis qui autoritate, ætate & sapientia inter senatores maximè valebant, vtque plurimum detraxisse de victoriæ gloria & existimatione videbatur, quum illi non tam arte & dolo quàm virtute vincere vellent. Ex hoc exemplo (quod infinitorum loco quæ colligi possunt, afferre volui) perspici potest quem ordinem & dignitatem flagitet historia: quæ si negligetur, etiamsi historiæ scriptor (vti diximus) nihil nisi verissimè scripserit, indignum tamen erit opus quod iusto historiæ nomine censeatur. Vtinam verò extaret quispiam huius definitionis & præceptorum memor, à quo tot bella gesta, hominum occursus, prælia, vrbium castrorúmque oppugnationes & defensiones, contentiones, pacta, compositiones, legationes, principum congressus quæ vel ex quo hic noster regnare cœpit contigerunt, celebrarentur. Ipsarum certè rerum gestarum gloria licet per se tam illustris sit ac eximia, vt orationem alioqui ieiunam & humilem vegetare & excitare queat, tamen stylum nacta pleniorem,

multo uberior appareret. Quo specimine exhibito, facilè possent æqui rerum æstimatores iudicare, si nobis in Gallia extitisset quidam T. Liuius, nullum in historia Romana fortitudinis aut virtutis exemplum reperiri, cui non parallelum opponere possimus. Nullus enim est quod sciam inter omnes orbis populos (quod ad aliorum gloriam obscurandam dictum nolim) cui sæpius aut diutius rerum secundarum & aduersarum vicissitudines acciderint, & in quo fortuna vtriusque potentiæ suæ vim apertius ostendere voluisse videatur: vt aliis exemplum esset & speculum, quo res aduersas fortiter & constanter, secundas moderatè & placatè ferre docerentur.

QVÆ res quum meo iudicio ita sit, multorum animos in admirationem rapuit, quid sit cur Gallici nominis celebritas mille annos & eo amplius antè floruerit, quàm extaret quisquam, cuius quidem existimatio sit paulo illustrior, qui manum operi admoueret, vt tot egregia facinora & casus memorabiles historiæ mandaret. Sed maiores nimirum nostri & regni conditores hoc erant ingenio (& fortasse ita expediebat) vt ad agendum quàm ad scribendum alacriores essent. Iam tum acciderant vniuersæ regnorum mutationes, regionum euersiones, literarum & artiũ ignoratio grassabatur, quæ tanquam sepultæ multa secula iacuerunt: quam fuisse causam arbitror, cur huius regni originem, progressum & amplificationem nemo historiæ exposuerit. Sed quædam tamen variis locis sparsa reperiuntur eo dictionis stylo & cultu qui tum vigebat, quem misericordia potius (vt mihi quidem videtur) quàm risu prosequi decet. Effecerũt, quoad illis licuit, ne rerum suæ ætatis memoria prorsus interiret: materiem scribendi iis præbuerunt qui postea stylo limatiori & maiori ornatu celebrare vellent. Verùm ex quo artium liberalium splendor rediit, quæ nostri Christianissimi, fortissimi & liberalissimi principis benignitate veterem propemodum dignitatem recuperarunt: video tamen quo magis in dies prouehuntur & florent, eo pauciores inueniri historiographos, qui in tanta maximarum rerum amplitudine animum ad scribendum appellant, vt præstantissimorum virorum nomen scriptis suis illustrent & celebrent. Itaque quum nostra ætas ab istis immeritò accusetur, quasi argumentum scribendi desit, mihi contrà eius fatũ & sortẽ iniquã miserari & queri libet, in qua nullam artem aut scientiam adeo contemni & negligi video, vt hanc vnam, quæ pro sua vtilitate & præstantia inter omnes maximè excoli debebat. Neque profectò res humanæ meliore loco fuerunt, quàm quum res laude vel vituperatione dignæ veris scriptis ad posteritatis memoriam transmittebantur. Quemadmodum enim laus virtutum nutrix homines liberali ingenio inflammat ac stimulat, ita nihil est quod tenues & abiectos animos magis à vitiis deterreat quàm malorum infausta memoria: quorum exempla, quæ vel sequamur vel fugiamus, in historia ob oculos ponuntur. Ex ea ergo hæc omnia capiuntur commoda, primùm vt quisquis siue princeps siue priuatus hoc apud se cogitat, quicquid seu rectè seu perperam gerat, id olim tanquam in theatro in omnium conspectu veræ historiæ lectione cognitum iri, operam daturus sit quò laudabilem sui potius memoriam quàm abominandam relinquat.

HANC ob causam Cæsar Caligula licet plurimis in rebus meritò damnetur, hoc tamen nomine laudatur, quòd Labieni & Cassij historias, iussu Senatus (qui nonnullis gratificari studebat, qui sua in illis vera probra animaduerterant) in ignem coniectas, denuo in lucem efferri voluerit, quòd publicitus interesse diceret

ceret omnium facta, quæcunque tandem sint, laudanda an vituperanda, scribi & legi. Præterea si contingat (quemadmodum non raro usuenit) vt cuipiam virtutis & studij præmium debitum non persoluatur, siue mortis interuentu, siue facultate vel non data vel inimia occupationum mole impedita, princeps ipse aut qui succedit, de optimo hoc officio ex historia cõmonefactus, vbi locus vel tempus postulauerit, re munerari illud si minus erga eũ ipsum, at erga ipsius posteros ac nepotes poterit. Quã obrem inter aulica Imperatorum Græcorum ministeria non postremum erat Commentariensis munus, cuius erat scribere eorum res gestas, deinde apud Imperatorem recitare, qui domi vel belli fecissent quæ reip. vtilitati aut decori essent, vt hæc principi nota fierent, tum vt ea, quum commodum esset, præmio afficeret, tum vt aliàs illorum opera in negotijs publicis uteretur. Id quanduu fiet, (uti nostri Regis memoria factitatum est) nemo caput & fortunas periculo in principis causa obijcere dubitabit: propterea quòd nihil loci supererit huic timori, qui natura hominum mentes solet occupare, quoque multi sæpe deterriti sunt, ne si periculis sæpenumero adeundis mortem oppetere contingat, liberos à se relinqui videant qui fortunis, amicorum studio & principis non ingrati præsidio careant. Accedit quòd eorum qui fortiter opes & vitam pro reip. vel principis salute & imperio profuderint, posteris, vbi maiorum res præclarè gestas commendari intelligent, hoc sine vlla dubitatione calcar ad imitandam illorum virtutem addet. Contra siquis in illustri & claro genere (vt sæpenumero fit) vel praua educatione vel improborum consuetudine à maiorum virtute degeneraret, qui postea nascentur, quum inter tot decora in hoc probrum incident, hanc maculam virtute & rerum gestarum gloria eluere pro virili conabuntur. Quas ad res fœliciter peragendas historia dux est fidelissima.

A B. ea notitiam omnis disciplinæ tum ciuilis tum militaris accipimus: in ea iura, leges, instituta, artes, virtutes habemus, rationes item quibus noua regna constituta & seruata sunt, vitia & peccata quibus alia labefactata sunt & euersa. Hac magistra Lucullus Imperator Romanus antea rei militaris imperitus, exiguo tempore præstantissimus omnium suæ ætatis ducum euasit. Hac Cyneas orationibus & suasionibus, quas ab exemplis quæ afferebat petijt, tam multas regiones & prouincias Pyrrho suo comparauit, vt illius opera maiora quàm viribus & copijs suis gesserit: quod & amici & hostes confessi sunt. Hæc denique est cuius nemo imperitus ad remp. administrandam adhiberi, sed ab ea arceri tanquam inutilis debet. Etenim si ad consilia de rebus gerendis capienda veteres belli ductores aduocãtur, qui multarum rerum sua ætate usum habent, multo æquius est eos accedere qui præter suorum temporum casus possunt etiam multorum retro seculorũ res susceptas & perfectas commemorare, strategemata, artes veteratorias & dolos quibus quidque gestũ sit. Et sanè (vt quod res est dicam) quid interfit aliud nõ video inter historiam re cte scriptam & hominem proiectæ ætatis, qui multa viderit, animaduerterit & memoria teneat, quàm quòd alter est historia loquens & viua, sed mortalis: altera est historia mortua & muta, sed quæ tamen lectoris studio & diligentia in perpetuum suscitari subinde vocisque vsum recuperare possit. Quin & illud addere non dubitabo, quemadmodum senex quidam qui multa vidit ille quidem, sed pauca obseruauit, & pauciora etiam meminit, nulla re puerum antecedit: ita qui historiæ ignarus est, maximè suæ gentis & patriæ, non tantùm pueri loco habendus est, sed tanquam

peregrinus domi existimari potest. Hæc dum apud me cogito, mirari subit & accusare temporũ conditionem, quòd quæ res maxima celeritate opem sibi & auxiliũ inter omnes ferri postulat, in ea maximã tarditatem & negligentiã prodimus. Equidem aliarum artiũ quas excitari videmus, progressum remorari minimè velim: verùm otij abundè est vt illæ iuuentur & promoueantur, propterea quòd boni scriptores eos nobis libros, instituta & præcepta reliquerunt, vt si studiũ modò & diligentiã afferre velimus, in his posimus proficere. At in historia quo breuior est mortaliũ vita, eo periculosior est mora. Quòd si ab ijs qui res sui tẽporis norunt & meminerunt, nihil prorsus scriptum relinquatur, posteri quãtumcunq; stylo valeant, quantũcunq; & operæ & laboris adhibeant, nihil certi poterunt historiæ mandare. Id iam vsuenisse ab aliquot proximis annis comperimus, de quib. plenè & exactè iam loqui perdifficile est: cuius rei causa est eorundem scriptorũ vel socordia vel etiam temeritas. Et queruntur interim, si dijs placet, sibi idoneũ deesse argumentũ, in quo ingenij neruos exerceãt. At isti longè melius & sibi & nobis consuluissent, si omni labore abstinuissent, quàm quòd historiæ nomine ignotam nescio quã fabularũ & ineptarum vanarumq; narrationum farraginem parserunt: quarũ hodie longè maior est copia quàm historiarũ. Ipse in quodam Annaliũ libro legi (quod vereor nequis me per somniũ vidisse suspicetur) quendam Galliæ Regem pomeridiano tẽpore, dũ ceruũ fugientẽ venando insequitur, Compendio Laudunũ venisse: quod iter ducenta fere passuũ millia patet. Nemo nescit principẽ illum Caroli Aureliæ ducem (cuius ob singularẽ virtutẽ memoria maximè laudatur) postquam pro regni Gallici salute viginti annos in Anglia captiuus vixisset, tandem redijsse, & domi extrema senectute maximo in honore diem suũ obijsse. At qui viginti amplius alij atq; alij scriptores eũ maiestatis reũ factum & conuictum Lutetiæ, secuti percussum fuisse scribũt. Scotiæ rex postremus nonne in prælio quod cum Anglis commissum est anno 1514, interijt? At ipse legere me memini eum parta victoria triumphantem domum rediisse.

Fallitur autor, qui hoc de Laudune Pictonũ asserit. Est autẽ aliud Laudunũ Picardorũ quod Cõpendio non amplius viginti millia passuũ abest.

PLVRA huiusmodi mẽdacia commemorare supersedeo, quia prolixitatem refugio: quæ sanè in vulgus non efferuntur nisi ociosa ntia, temeritate & incogitantiã certorum qui historias & annales conscribunt, qui pro comperto quod quilibet dixerit, affirmare audent, de renuntiantis fide & integritate parũ soliciti: aut quod nullo autore in vulgus iactari audiunt, vbi ne mica quidem veri subest, in tabulas referũt. Quo fit vt qui in eiusmodi scripta incidunt, qui quidem rem cõtrà habere certò norunt, classicis etiam & antiquis scriptoribus fidẽ derogent, vt quos eandem scribendi rationẽ sequutos fuisse suspicãtur: idemq; hic accidat quod alia in re meritò & iure optimo dixit cardinalis Bessario. Qui quum Romæ tot sanctos, quasi minorũ gentium deos, in diuorum numerũ referri conspiceret, quorum vitã moresq; parũ probauerat, & apotheosim etiam minus probabat: Enimuero recẽtes isti, inquit, diui efficiunt vt quæ de veterib. leguntur, in suspicionẽ mihi veniãt. Atq; vtinã isti Chronicographi vel Chronicorrhaphi quiescerẽt, vel suas lucubrationes titulis debitis inscriberent: qui verò rerum gestarum verã habent notitiã, adeo suæ gentis gloriæ & laudi studerẽt, vt quo possent orationis genere, quæ vel ipsi viderũt vel ab hominib. minimè dubijs fidei acceperunt, literarum monumentis cõplecti aggrederentur. Ita fieret vt docti homines qui polienda illa oratorijs ornamentis susciperẽt, molestia illa & graui labore liberarentur, quo verum inter tot mẽdacia, & dicta inter se pugnã-

tia

tia expiſcari coguntur, quæ ab iſtis Chronicorum conſarcinatorib. obtruduntur, qui quod ſe quiſq; ex fama audiuiſſe prædicat, temere arripiunt. Quæ nō eò dico quò nemini putē niſi quod ipſe ſpectauit ſcribendum eſſe. Tametſi enim plus fidei habetur oculato teſti vni quàm auritis decē, & Ioannes ipſe Euangeliſta, vt fidem faciat, ſeviſa nuntiare ſcribit: tamen nemo ſolus vbiq; rebus gerendis intereſſe, neq; vt interſit, & ſuum ſimul munus exequi, & quæ ab alijs geruntur videre poteſt. Sed tamen qui hiſtoriā ſcribere inſtituit, is aliquā eorum quæ ſcribit partem, quoad fieri poteſt, oculis commiſſam aut certò exploratā habeat: in reliquis exacto & ſingulari iudicio vtatur, dum ab ijs inquirit qui propius vero referre queant, eaq; non à ſuis ſolùm ſed etiā ab hoſtibus ſciſcitetur. Id de Thucydide ſcriptum legimus, qui quū bello Atheniēſium & Lacædæmoniorum intereſſet, neq; poſtremū locum inter belli duces obtineret, vt tamen quæ in vtrorunq; caſtris fiebāt certius cognoſceret, ſuis ſumptibus (qui opes magnas poſſidebat, genus à Miltiade & Cimone Atheniēſibus Æaci Ioue prognati poſteris ducens) homines ingenioſos & ſolertes tum Peloponneſios tum Atheniēſes alebat, quòd alteris tantùm confidere nollet, ne ſuas quiſq; partes plus æquo foueret. Poſt illius mortem vbi deſijt, inde Timagenes Mileſius & Xenophō Atheniēſis hiſtoriā perpetuo ordine continuarunt, quæ quiſq; vel ſpectauerat vel audierat, adijcientes. Horū alter ex ſenatus patriæ principib. erat: alter poſt Cyri mortem, in cuius expeditione, quam aduerſus fratrem Perſarum regem ſuſcepit, ordines duxerat, totius Græcorum exercitus imperator fuit, quos innumerabilibus periculis liberatos domum reduxit.

DENIQVE qui veterū hiſtoriographorum locum & conditionem diligenter perſcrutari volet, qui res ſuæ ætatis literis prodiderunt, eorū, inquam, qui hiſtorias ac non fabulas & mendacia ſcripſiſſe exiſtimantur, reperiet eos ferè aut imperatores aut ductores & tribunos fuiſſe, aut certè illuſtres quoſdam & eximiæ notæ viros, qui quæ corā ipſi non vidiſſent, ab alijs liquidò diſcere poterant. Dares Phryx & Dictys Cretenſis in bello Troiano plus fidei obtinent quàm Dion & pleriq; alij: illi enim & calamo & gladio manum admouerunt. Corinnus etiā Phryx in ipſo Ilio natus, quia ipſis prælijs interfuit, teſtis pleni teſtimonij habitus eſt: à quo Homerus ſuæ Iliados argumentū mutuatus eſt. Marſyas Pellæus regis Antigoni frater, cū Alexandro ab ineunte ætate educatus, Oneſicritus Ægineta, Calliſthenes Olynthius Ariſtotelis diſcipulus & cōſanguineus, Ariſtobulus Iudæus, Diognetus & Menœchmus Sicyonij, qui Alexandri hiſtoriā (in cuius expeditione & peregrinatione verſati ſunt) alij iam inde ab eius ortu, alij ex quo arma ferre vel regnare cœpit, alij ab eo demum tempore quo exercitū conſcripſit, hiſtoriā texere cœperunt. His fides habetur in ijs quæ de Alexandro tradunt, necnō alijs qui poſt eos ſcripſerūt. Q. Curtio, Arriano Tiberij Cæſaris poetæ domeſtico & familiari, Arriano hiſtorico, qui ſub Adriano conſulatum geſſit, Plutarcho deniq;, qui Traiani ætate conſulari poteſtate Illyrico præfuit, in omnes prouinciæ magiſtratus autoritatē obtinens. Cæterorū, qui nec viſa referunt, nec eorum qui viderunt hiſtoriā ſequuntur, verba leuiſſimæ fidei habētur. Itaq; Palæphatus quum de Niobes ſtatua diſſerere incipit, in primis ſe eam vidiſſe teſtatur. Alibi vt qua decebat fide res narrare poſſet, plurimas regiones ſe perluſtraſſe ſcribit, quòd nollet quæ ab alijs commemorata fuiſſent, proveris habere. Lucianus quum Ægyptiacæ ſacrificia cum Hebraicis conferre vult, ſe cū vtriſq; ver-

satum esse affirmat. Agathyrsides Cnidius quum res Asiaticas recenset, non paucis locis se illic diu militasse perhibet, hac nimirum ratione fidem suæ orationi quærens. Hæc fuit causa cur Philisto Syracusio in sui temporis historia credatur, qui præcipuam regni Syracusani administrationem habuit, ex qua quum à Dionysio maiore pulsus fuisset, postea à minore restitutus & ad regni societatem accitus est. Eratosthenem mẽdacij nemo arguit in sua à Ptolemæi Euergetis ad Ptolemæum quintum historia: nam illorum negotia administrauit. In cæteris non perinde fides ei habetur. Hieronymus Rhodius quia Demetrij Poliorcetæ rerum curam gessit, & negotijs Bœoticis præfuit, veros annales de ipsius vita & rebus gestis edidisse putatur. Herodoti Halicarnassei & Hellanici Mitylenæi historiæ eo facilius testimonij pondus nactæ sunt, quòd summa & prima autoritate apud Amyntam Macedonum regem valerent, qua ratione multarum rerum & maximarum notitiam consequuti sunt. Parem fidem meruit Simonides Magnesius, qui pro summa cũ Antiocho magno consuetudine bellorum quæ gessit, causas, consilia & euenta pernoscere planè potuit, in primis verò belli Galatici, in quo illum ipse comitatus est. Decem libri quos De portubus & plagis maris Demosthenes edidit, ab omnibus admittuntur, quòd ea loca classis præfectus & imperator Ptolemæi exercitus in Ægypto vidisset. Idem Damidi accidit in libris quos de peregrinatione & prodigijs Apollonij Thyanei cõscripsit, item Philostrato, qui Damidis testimonium sequitur.

ENNIVS poeta vera potuit de M. Fuluij aduersus Ætolos & Ambraciotas expeditione narrare, cuius ipse comes fuerat. Idem præstitit L. Lucullus in ea victoria quam contra Marsos à L. Sylla reportatam vidit & scripto testatus est. Qui non multo pòst ipse imperator regnum Ponti Romano imperio adiunxit. Valerium Antiatem & Polybium cæteri historici tanquam præeuntes sequuntur in Punicis bellis describẽdis. Nam alter Scipionis Africani primùm præceptor deinde tota vita comes fuit: alter sub Valerio Leuino consule in eo bello quo Hamonem Pœnum ab eo superatum & Agrigentum vi captum narrauit, ordines duxit. Q. Fabij Pictoris annales eo veriores putantur, quòd ex nobili familia ortus autoritatem habebat, & Romæ cum Q. Fabio Labeone Præturam gesserat. Probant omnes quæ vel Theophanes Lesbius de rebus Pompeij scripsit, vel Pomponius Atticus de consulatu Ciceronis: quòd illis omniũ familiarissimè usi sunt, vt ab eis ipsis omnia exactè discere potuerint. Id de vno satis ex Ciceronis ad illum epistolis constat: de altero ex nominis communione ad quam illius filium Pompeius ascisit, quem M. Pompeium dici voluit. Is est quem postea Cæsar Augustus Asiæ præfecit. Crispus Sallustius Catilinæ coniurationem vera historia potuit complecti, qui eam Romæ spectauit: vt Iugurthinum bellum scriberet, in Africam nauigauit, ibiq; diu commoratus est. Nõ dubitamus vera esse quæ de bello Gallico & ciuili à Iulio Cæsare & post eum ab Hircio siue Oppio traduntur: nã & faciebant & scribebant. Diodoro Siculo in Ægyptiacis fidem habemus: visa enim scribit, & summa Iulij & Augusti Cæsarum consuetudine vsus est: vti Augusti familiares fuerunt Fenestella Romanus, Dionysius Halicarnassæus & Nicolaus Damascenus: quo plus autoritatis habent illorum historiæ. Artemidorus side dignus existimatur, quum Ælij Galli in Arabia victorias celebrat: cuius tota expeditione comes fuit. Quid autoritatẽ, existimationẽ & fidem Iosepho in bellis Iudaicis cõciliauit, Tacito in Germanicis, nisi quòd alter miseriarum

& arum-

& ærumnarũ in patriæ excidio particeps fuit, alter Galliæ Belgicæ quæ ad inferiorem Germaniam pertinet præfuit? Qua denique ratione tantam nominis celebritatem consequuti sunt Suetonius Tranquillus, Dion, Cassius, Gargilius Martialis, Callistus Bemarchius, Iulius Frontinus, Fauorinus Arelatensis, Dionysius Milesius, Ephorus Cumæus, Ælius Spartianus, Iulius Capitolinus, Ælius Lampridius, Volcatius Gallicanus, Trebellius Pollio, Flauius Vopiscus, Herodianus, Festus, Aurelius Victor, Ammianus Marcellinus, Appianus Alexandrinus, Eustathius Epiphaneus, Eusebius Cæsariensis, aliiq; huiusmodi, nisi quòd summum gratiæ locum apud principes obtinuerunt, vt maximæ arcanorũ partis conscij fuerint? Dion Prusieus tanta familiaritate Traiani vtebatur, vt eadem rheda simul in agro & vrbe veherentur. Quinetiam cum eo nondum ad Imperatoriæ dignitatis fastigium sublato in expeditione Germanica & Getica fuit, quas etiam historiæ mandauit. Dion alter & Suetonius ex præcipuis fuerunt a secretis consilij, Fauorinus rempub. gerebat sub Adriano Cæsare, sub quo etiam Dionysius Milesius Orientis satrapa fuit. Iulius Frontinus vir consularis. Alexandri Cæsaris præceptor fuit: cuius vitã Gargilius Martialis intimus familiaris conscripsit. Sic Iulius Capitolinus Diocletiani necessarius erat, Ephorus Cumæus Gallieni, Bemarchius & Eusebius Constantini, Eustathius Anastasij, Callistus Iuliani. Qui ipse quoque Iulianus fide dignus iudicatur in ijs quæ de Gallijs scripsit, quòd illic ante & post Imperatoriam dignitatem versatus est. Non secus Lampridius & cæteri quos suprà recensuimus, sua quisq; ætate omnes in imperatorum & principum de quibus scripserunt, aula non infimum locum tenuerunt.

POST eos Procopij, Agathiæ & Theodoti Gothica historia fidem accepit: qui rebus vel consulendis, vel suscipiendis & perficiendis interfuerunt. Eusebio, cuius antea meminimus, facile fuit, res sibi non visas neque sua memoria gestas in literarum monumenta redigere. Quicquid enim alij commentarijs complexi fuerant, Constantinus Magnus illi afferri & in manum tradi iussit. Talis tum & alijs retro seculis erat cura & diligentia veras historias scribendi: quarum reges ipsi & principes vel dictabant vel descriptos commentarios vberrimos tradebant. Cæsar hoc consilio suos commentarios scripsit: sed tales edidit, vt nemo repertus sit qui vlterius progredi conaretur. Itaque prærepta (vt ait Hirtius) non præbita facultas scriptoribus visa est. Cicero quum L. Luceium patricium Romanum summa doctrina & autoritate virum sui temporis historiam ordiri sciret, commẽtarios sui consulatus ad eum misit, & longa epistola summopere rogauit vt eos suæ historiæ insereret. Agrippina Germanici filia de patris vita & rebus gestis commentarios confecit, quibus fœlices item & aduersos ipsius familiæ successus comprehendit. Zenobia Palmyrenorũ regina, quæ post mariti obitum imperium Romanum in Syria administrauit, sui temporis, & rerum Alexandri Orientisq; historiam in epitomen contraxit, vt alijs materiem præberet quam vberius prosequerentur. Denique tempus me deficeret, si omnes recensere coner qui hanc rationem tenuerunt, atq; ad id æquissima & honestissima causa adducti sunt. Etenim principes & excellentes viri cæteris omnibus ad satietatem abundare possunt, huius rei vnius nimia cupiditate affici non possunt, nempe vt sui fœlicem & præclaram memoriam relinquant. Nemo enim virtutis studiosus esse potest, quin famæ etiam suæ potissima cura tangatur. Ac mihi quidem nihil

videtur

videtur esse quo quisquam suum erga principem officium & summam voluntatem melius testatâ relinquat, quàm si eius res fortiter & præclarè gestas scriptis illustret, illiusq; nomen à temporis iniuria & caliginosæ ignorãtiæ tenebris vindicet. Superiores illos imitati sunt patrum nostrorum memoria Æneas Syluius, postea papa Pius secundus, Iouianus Pontanus, Leonardus Aretinus, Antonius Panormitanus, nostra deniq; ætate Comminæus Argentonius egregium operã hoc in argumento nauauit. Ante eum Ioannes Frossardus & Enguerranus Monstreletus ea scriptis mandauerant quæ diligenter inquirendo reperire potuerant: inquirendo, inquam, diligenter. Nam secundum eos qui visa narrant, proximi sunt ij quibus credatur, qui cũ iudicio & prudentia aliunde inuestigarunt & didicerunt. Sic Iuba Numidiæ rex cosmographiæ scientiam, qualẽ inquirendo reperierat, scripto tradidit: sic Claudius Ptolemæus Ægyptius partim vidit & scripsit, partim certos per omnes orbis plagas nũtios dimisit fide dignos, qui vera certò affirmarent. Nec frustra fide dignos dico: hoc enim opus hic labor est. Strabo Eratosthenem reprehendit, qui infimæ conditionis hominibus usus sit testibus: eandem ob causam Patrocles ab Hipparcho æmulatore dãnatur. Quintilianus in præceptore Seneca id notat, quòd quum multa sciẽdi cupiditate teneretur, opera nonnullorum vtebatur, à quibus, quia negligentiores erant, deceptus est. Atque hic fortasse metus doctos quosdam homines deterruit ne scribendam historiam susciperent, quod libenter fecissent si quidem de rebus certis vera cõperire potuissent: idque iampridem valde dolebam, neminẽ illis hac in re auxilio esse.

QVANQVAM autem multi cum eo sentiunt, qui olim rogatus, tãtum interesse respondit inter eum qui historiam scribit, & eum qui res historia dignas facit, quantum inter præconem & athletam: ego tamen exemplis virorum illustrium adductus quos suprà nominaui, qui quũ digna quæ scriberẽtur facerent, scribendi etiam curam laboremq; non fastidierunt, post adolescentiam & primos pubertatis annos quum armis assuescere cœpi (qui mos est & ordinarium nobilitatis Gallicæ munus, quibus etiam gradibus maiores mei superioribus seculis famam sibi ac dignitates summas comparauerunt) non putaui me rem facturum indignam & alienam à generis nobilitate (licet multos longè aliter sentire non sim nescius) si ad illud literarum genus animum conuerterem, quod non modò tot clarissimi & præstantissimi viri, quorum ante memininus, vsurparunt, verùm etiam quod alij quàm illustri loco nati nunquam attigisse comperiuntur, vsquedum L. Octacilius Pompeij permissu (cuius erat præceptor) id fecit: is enim primus est qui non nobili genere ortus historiam conscripsit. Itaque vt aliqua tandem ratione eorum quæ meæ ætate acciderũt memoriam relinquerem, sæpius animi causa in huiusmodi argumenta dialogos, epigrammata, elegias, satyras, epistolas, syluas & panegyricos pro varietate & ratione cuiusque argumenti meo arbitratu conscripsi: neq; vnquam vel laborem defugi, vel litineris molestiam detrectaui, vel sumptibus peperci, vt ex varijs locis ea conquirerem quæ ad id de quo scribere cogitabam, illustrãdum pertinere videbantur. Eadem me cupiditas, qua ardebam, vt dicta, facta & res Galliæ & Franciæ in lucem aliquando & aliorum populorum conspectum (qui in hoc genere scriptorum diligentia nos superant, nobiscum alioqui non conferendi, si quidem scriptoribus abundaremus) prodire viderem, iampridem perpulerat, vt archiuis perscrutãdis, euoluendis libris, chartis, epitaphijs, collegiorum institutionibus & alijs antiquitatum monumentis, periculũ facerem,

facerem, an duarum istarum gentium origo ex alto repeti & perpetua historiæ cõtinentis serie ad nostra tempora deduci posset.

ID quanuis & à nemine tentatũ sciã & me sæpenumero desperare meminerim, tandem tamen proferre decreui, vt variorum hominum iudicium subeat, lectoribus corrigendum, probandum vel improbandum: simul etiam excepta quædam instar dictionarij alphabetico ordine, omnium huius regni regionum, ciuitatum, oppidorum, arcium, montium, vallium, syluarum, fluminum, & cæterorum locorum: vbi cur sic quodque appellatum sit ratio reddetur, prælia item, hostiles occursus, obsidiones, cæteraq; memoratu digna narrabuntur, vbi quodq; contigisse reperietur. Aliud præterea opus Valerij Maximi exemplo, de factis & dictis memorabilibus. Denique Plutarchum imitatus, quorundam Regum, principum & ducum nostratium vitas & gesta cum totidem Græcorum, Latinorum vel Barbarorum conferre decreui. Ad eas res suscipiendas quum rationibus quas recensui adductus sim, nõ parum mihi profecisse videbor, si hoc meo labore aliorum ingenia excitaro qui tantam rem lõgè melius quàm ego præstare queant. Iam verò quum in hãc aulam studio multa discendi adductus sim, & Regi potentißimo principi meo obseruandißimo visum sit vt non modò in suorum grege esse, illustremq; apud se locum tenere vellet, sed etiam ad maxima maximeq; seria status sui negotia tũ domi tum apud exteros adhiberet: non solùm ea possum verè narrare quæ bellis ab eo tempore exortis acciderunt, quib. magna ex parte terra mariq; interfui: verum etiam facultas mihi subinde data est vt causas bellorum, consilia & euentus intelligere potuerim, idq; tum à nostris tum ab ipsis etiam hostibus.

QVÆ quum ita sint, cẽsui, dum ab armis quies datur, nihil melius aut præstantius esse in quo tempus & otium collocem, quàm vt hac in re aliquid doctis & eruditis historiographis commodi afferam, qui post me maiori dictionis elegantia scribere instituent. Non sum tamen nescius me longè minus calumniæ obnoxium futurum fuisse, si reb. susceptis incumberem, ac non tanti periculi opus aggrederer, quũ viuorum virtutes & vitia scribenda suscipiam: quorum alterum inimicitiam & odium, alterum adulatoris ignominiam parit. Verùm in his omnibus animum iudicẽ & testem habeo: quæ res me præcipuè consolatur, quòd me nec simulasse quicquam nec dissimulasse mihi sim conscius. Quamobrem vt mihi lectorum iudicium (velim, nolim) subeundum esse video, quod vitari nullo modo potest, sic tam candidos mihi lectores contingere desidero, quàm candidè me scripsisse profiteor. Hoc ingenuè fateor, me in hoc scribendi genere non tantum mihi tribuere, nec tam perfectum esse meum stylum arbitrari: nec tantum mihi arrogare audeo, vt aliorum rerum quotidiana occupatione impeditus ea posim scribere, quæ eruditorum hominum iudicio satisfaciant: quam laudem vix consequuntur qui in hoc vno studeant & elaborant. Sed tamen id non dubito affirmare, me omnia summa fide perscripturum, neq; veritatem gratia, ambitione, odio aut studio cuiusquam obscuraturum: verùm hoc meũ esse & perpetuò futurum consilium, vt doctis & peritis historiographis veram historiam scribendi materiem suppeditem, illisq; quoad eius facere potero, ea repræsentem quæ reuera studijs domesticis occupati nosse nequeunt. Quæ in re si hoc obtineo vt vel fidelis ac verus testis habear, aut alium ad melius aliquid præstandum excito, abũdè mihi satisfactum esse (vti modò dixi) putabo, satisq; amplum laboris mei

fructum consequutus videbor: non aliter quàm inter statuarios & sculptores qui non tantum arte valent vt statuam modis omnibus absolutam reddere queant, idoneum tamen lapidem aut lignum deligere, rudere & dedolare item modulatam membrorum magnitudinem designare norunt, quo labore peritiores alios & præstantiores artifices leuant. satis habent si architecti socios operis illos habere & eorũ opera vti, neque honoris parte fraudare volunt. Quin & illud fortasse consequar, vt quemadmodum fabricando fabri simus, exercitatione scribendi stylum ipsum perpoliam & perficiam, vt totum opus ipse tandem in præstantius dicendi genus relambendo reforma rem: reuera enim hoc demum esset oleum & operam perdere, nisi exercitatione assiduè discens plurima doctior euaderem.

NVNC vt instituti nostri rationem reddam, horum commentariorum initium à primis Regis principis mei adolescentiæ annis ducetur. Eos siquis volet cum historijs conferre quæ nuper ieiunæ adeo & exiles cõscriptæ sunt, vt viginti aut triginta annorum acta in eam molem non excrescant, quæ vnius anni res in hisce commẽtarijs habet, vbi potius tamen aliqua memoratu digna præterijsse videbor, quàm superuacaneum quicquam aut inutile attulisse: inde facilè statui poterit multa ab alijs prætermissa fuisse dignissima quæ veræ historiæ mandari debeant. His ego commentarijs, antequam narrationem ingrederer, breuiarium quoddam & summã præfixeram, qua primam Gallorum & Francorum originem, nominis vetustatem, generis propagationem describebam: fœdera item quibus duo populi primùm cõiuncti demum in vnum reipub. corpus coaluissent, vt se in veterem & naturæ conuenientẽ libertatem asserirent, qui antea Romano iugo inuiti subijciebantur. Quam libertatem tum recuperatã adhuc seruarunt, & porro Dei immortalis beneficio sempiternis temporibus seruaturi sunt. Hoc tamen breuiarium postea, quia nonnullis amicorum à loco & historia alienum videbatur, resecui & penitus sustuli: non quòd profectò damnandum esse iudicarem: nisi fortè eadem opera Thucydidem, Sallustiũ T. Liuium damnare placet. Ex quib. vnus vt ad bellum Athenienſium & Lacedæmoniorum narrandum descenderet, vitio sibi fore non duxit si non duarum modò harum ciuitatũ verùm etiã totius Græciæ & finitimarũ insularum originẽ & progressum describeret. Alter priusquam ad Catilinæ priuati ciuis Romani coniurationem narrandam accedat, ab ipsa vrbe condita exordium facit, artes & rationes exponit quibus à minimis initijs ad summum fastigium peruenit, vnde postea retro sublapsa labefactata est. Tertius quum populi Romani res gestas scripturus esset, operæpretium facturus sibi visus est, si originem & succedendi vices Latinorum atq; Albanorum regum Romæ progenitorum præponeret.

NIHILO tamen minus aliorum iudicio satisfacere malui, eoq; magis quòd in isto breuiario illa quæ commemorauimaximo compendio perstringebam, & à citandis autorum nominibus abstinebam: quo fiebat vt multis commenta mea & fabulas narrare viderer. Quod si, vt huic malo mederer, singulis rebus testem citare voluissem, ipsa sola nominum edendorum multitudo totam narrationem excessisset: ita dum Scyllam vitare studerem, in Charybdim inciderem. Quibus causis adductus, simul vt latius de his agerem, & nominandis autoribus verisimilia redderem quæ mihi vera esse videntur, ne etiam vbi ad rerum narrationem vẽtum erit, seriem interrumpere cogar, & molestiam subire, vt prouinciarum, ciuitatum, montium, fluuiorũ,

item

item ministeriorum, dignitatum, officiorum & magistratuum nomina cõmutata exponam (quorum omnium occasio aut etiam opus subinde occurret) ne deniq; idẽ mihi vsueniat quod solet pigris & socordibus nautis, qui in ipso sæuissimæ tempestatis periculosissimo tempore difficultatibus obruuntur, dum coguntur tumultuariè lacera vela consarcinare & consuere, rudẽtesq; veteres astringere & nodare (quod multo antè poterant & debebant præstare, dum quietis facultas in portu aut sinu aliquo dabatur) his, inquam, causis adductus, ex ijs quæ à me variis è scriptorib. collecta esse prædixi, ea in vnam Ogdoadem (hoc enim nomine tomos siue peculiares librorum numeros inscribere placuit) separatim contuli. In qua octo libris collegi & cõplexus sum primùm Gallorum & Francorum antiquitatem, horum ab excidio Troiano, illorum à longioribus retro seculis, atq; id totum ad tempus illud quo duo illi populi in vnum conuenerunt, & coniuncta sunt amborum nomina: vbi etiam annorum supputatione chronologia seruata est, & principum nomina qui inuicem succedentes dominatum illic obtinuerunt. Deinde diuisionem & descriptionem addidi Galliæ tam Cisalpinæ quàm Transalpinæ, & Franciæ tam Cisrhenanæ quàm Transrhenanæ: insuper conuenientiam nominum veterum cum recentioribus, quãtum in re valde obscura perficere potui. Tertio loco mores, consuetudines & leges tam militares quàm ciuiles collegi, nomina insuper officiorum, ordinum, dignitatum & magistratuum, antiqua cum hodiernis conferens, quàm potui proximè & commodissimè, sequutus nimirum vocabulorum notationem & proprietatem. Hæc ergo aliis iudicanda & corrigenda subijciens, ad institutam narrationem accedo.

GVLIELMI BELLAII LANGAEI COMMENTARIORVM LIBER QVINTVS.

Futuri belli indicia.

QVæ toto superiorum annorum cursu à duobus hisce principibus instituebantur, consulebantur & gerebantur (quo sanè tempore tametsi bellum apertum non erat, pacem tamen constare nemo dixisset) satis indicabant quorsum tandem tota res euaderet. Licet enim de pace confirmanda & sanctioribus fœderibus incūdis sermones passim iactarentur, iam tamen omnia non obscurè ad arma spectare videbātur: satisq; omnibus sano iudicio præditis notum erat ab vtroque id vnum captari, quemadmodum erga homines prætextu specioso belli illati crimen à se amoliretur. Regi suppetebāt graues offensionis causæ, quas superioribus libris commemorauimus. Cæsar, quòd iustam hāc doloris causam satis animaduerteret, eamq; ignis instar in excelsi principis animo potius ali & foueri, vt tādem emicet, quàm langueſcere & extingui opertam, omni ratione operam dabat vt aduersus futuros impetus vires compararet, Regem ita opibus, societatibus & finitimorum ne cessitudinibus exarmaret, vt etiamsi maximè cuperet, facultas tamen vlciscendi deesset. Verùm fortuna vel (vt verius dicam) Deus nostris sceleribus irritatus, quum indignos esse nos iudicaret qui firma & beata pace frueremur, permisit, imò voluit, vt quas occasiones Cæsar perusti gabat, quibus Regis cōsilia auertere, aut difficultatibus obiectis à rebus suscipiēdis deterrere conabatur, ijsdem accelleraretur & inflammaretur. Quòd Sabaudus monilia oppigneraſſet, vt Borbonium qui aduersus Regem rebellauerat, pecunia iuuaret, quòd ipso capto per literas gratulatus fuisset, quòd Heluetios à Gallica societate alienaret, quòd comitatum Astensem emisset, quòd Nicæam denegasset, vbi papa cum Rege colloqueretur, quòd nuper denique per suos fines iter facere non conceſſisset, vt indignitatem iniuriæ quam in nece Mervillij legati acceperat vindicaret: omnia hæc satis testabantur quo in eum animo esset. Hæc fuerat causa cur Rex nonnihil impedimenti Sabaudo Geneuam obsidenti afferri pateretur si non omnino palam, sic tamē vt prórsus latere velle non videretur: vt satis ille intelligeret sibi vtile non fore si Rege nō amico vteretur. Neque verò ipsi verisimile esse poterat Veresium Sabaudum genere, licet ad familiam & comitatum Regis pertineret, tantum sibi sumpturum, neque Rentianos equites id ausuros fuisse, vt populo Geneuensi opē aduersus se insciente & non probante Rege, imò absque occulto quodam eius præcepto ferrent. Hæc quum nescire nō posset, quum expendere apud se deberet quanti interſit Regem tam potentem finitimum habere, cui facile est intra breue tempus ducem Sabaudum aut valde iuuare aut lædere, quum item animaduertere deberet hanc tantam potentiam perpetuam censeri posse, filijs patri succedentibus, præ Cæsariana dignitate, quæ suffragijs creatur: his omnibus satis moueri poterat vt cum Rege in gratiam rediret, ac non tam veterem, finitimam & perpetuam coniunctionem, nouæ, longinquæ & parum diuturnæ posthaberet. Sed quum multarum rerum sibi esset conscius, quibus Regem vehementer offenderat,

Geneuæ Regis ope aduersus Sabaudum defensa.

derat, vix fieri posse credebat vt in gratiam cum eo rediret: in qua eum sententia vxor ducissa(cuius hortatu ista inceperat) quàm poterat maximè confirmabat. Iam Heluetij Geneuenſium ſociorum rogatu ducem per nuntium monuerant, ſi illis moleſtus eſſe pergeret, ſe non negleƈturos: neq; illis tamẽ eius reſponſum ſatisfeƈerat. Quare grauiſſimum ſibi bellum imminere ſatis videbat, quod ſine dubio non conficeretur, quin Rex ſeſe his turbis immiſceret. His cauſis permotus ad hoc bellum auxilium à Cæſare, qui tum nuper Tunetis rediens Panormum venerat, per nuntium petierat. Quæ omnia nõ tam clandeſtina eſſe potuerunt, quin Rex paulo pòſt certior fieret. Quin & illud nuntiatur, ducem cum Cæſare per nuntios egiſſe, vt illi quicquid eis alpes tenebat, cum alijs in Italia regionibus permutaret. Totum autem illud à Nicæa ad Heluetiorum fines pertinet, vt Geneua ipſa comprehendi intelligeretur. Enimuerò ſi hęc permutatio fieri potuiſſet, non erat dubium quin Cæſar vndique Gallicum regnum cingere & circunſepire cogitaſſet, ſiƈque conata tandem perficere & Regem tot ſubinde obieƈtis difficultatibus intricare potuiſſet, vt multa antè timenda illi ac prouidenda fuiſſent, quàm vindiƈtam expeteret, animiúe ægritudinem oſtenderet. Quæ quum ita eſſent omni iuri atque æquitati conſentaneum erat vt tanto malo obuiam iret, neque huiuſmodi velut ſcalas admoueri pateretur, quibus poſtea inuadere & tranſgredi regni limites hoſti facile eſſet. Voluit tamen nonnihil adhuc temporis differre, tum vt mandata ad Velium mitteret, quem apud Cæſarem legatum habebat, tum vt Sabaudi animum poſtremò pertentaret: à quo non iam vt iter ſibi per eius fines facere liceret, petere inſtituit, ſed vt ſibi magna oppidorum pars traderetur, quæ ſibi vendicabat, & ſua eſſe contendebat ob matris Ludouicæ Sabaudæ mortem: quęquidem deinceps penes hominem tam dubiæ fidei relinquere nolebat, à quo in manus hoſtium venirent. Neque tamen ob hanc dilationem committendum ſibi putauit, quominus comiti Gulielmo Fuſtembergo imperaret vt Germanos pedites conſcriberet, tametſi id antea prohibuiſſet fieri, & Sforzia mortuo centurionibus tantùm ſtipendia dari iuſſiſſet, dum copijs ſibi opus eſſe intelligeret ad perſequendam Mervillij necẽ. Tum igitur feſtinato opus eſſe iudicat, & Germanos in Galliam adduci iubet, eo conſilio vt ſi leniori illa ratione nihil à Sabaudo ſe impetrare videret, copijs iam pararis vti poſſet.

Rex maternũ in Sabaudia hæreditatem ſibi tradi poſtulat.

CVM mandata ad Vellium Rex mittere conſtituiſſet, cauſa hæc fuit. Granvellanus cum Velio dum in comitatu Cæſaris iter faƈerent, quum loqueretur, dixerat Cæſaris conſilium eſſe, vt non prius de Mediolanenſi ducatu quicquã certi ſtatueret, quàm à Rege aliquid audiſſet. In hos ſermones ſæpius inciderat, ſic tamen vt eum moneret nequid niſi mandatis nominatim à Rege prius acceptis, apud Cæſarẽ de his rebus loqueretur. Ad illa Velius exceperat, ſi rem tranſigi Cæſar cuperet, ipſum quidem Regem ſatis apertè quid in animo haberet indicaſſe, quinetiam ſcripto teſtatum fuiſſe, quemadmodum agi cum Norcarmio cœptum fuerat. Dum hæc fiunt, quum Velio occaſio incidiſſet vt Cæſarem conueniret, eumque certiorem faƈeret quemadmodum ipſius rogatu Siciliæ proregi equi eſſent reſtituri, & certus quidam Raguſanus è carcere dimiſſus, orationem hac de re apertius ingreſſus, oſtendit, Regem, ſi quidem ipſe de patrimonio liberis ſuis reſtituendo tandem ſtatuere vellet, libenter ad maiorem & arƈtiorem quandam coniunƈtionem ineundam venturum eſſe. Hanc veram eſſe rationem, qua duarum familiarum voluntates firmiſſimis amicitiæ vinculis copularentur: quò minimè dubium eſſet, quin eorum vtrique res alterius non minori curæ aduerſus quoslibet quàm ſuæ ipſius eſſent: præterquàm quòd iſtud maximo Chriſtianæ totius Eccleſiæ bono futurum eſſet, quum viribus & animis coniunƈtis Turcæ hoſtis communis minas & conatus frangerent. Ad iſta Cæſar reſponderat ſibi periucundum ſemper fuiſſe atque etiamnum eſſe, quòd Regis poſtulata repeti audiret: quibus ſi minus adhuc ſatisfeciſſet, hoc eo accidiſſe quòd nulla omnino facultas tantæ rei data fuiſſet: omnibus enim conſtare Sfortiam à ſe ex Regis ipſius conſenſu & pacandæ Italiæ cauſa Mediolani ducem fuiſſe conſtitutum. Quamobrem videret Rex, & palàm exponeret quid ad hæc & ad ea quæ de pace totius Chriſtianæ Eccleſiæ eſſent, ſibi agendum arbitraretur. Sibi tamen illud in primis neceſſarium eſſe videri, vt quàm fieri poſſet firmiſſimis & tutiſſimis vtrinque rationibus caueretur hæc bona fide ſeruatum iri: ſe quidem operam da-

Velius Regis orator de Mediolanenſi ducatu cum Cæſare agit.

1536. turum nequid Rex meritò desiderare posset. Illa tum respondet: quæ superessent, se Granvellano addenda committere. is rem planius totam exposuerat, siquidem animus cum oratione quadraret, Tria esse ad quæ Cæsar postulabat Regis sententiam perspicu is verbis sibi declarari. Vnum erat de bello Turcico: in quo hanc conditionem ferebat, vt damnum & emolumentum ex æquo vterque perciperet. Alterum de sarcienda Ecclesiæ concordia: qua in re Regem nihil quod æquum esset, repudiaturum confideret, maximè de Anglia reducenda: Cæsarem enim nihil à Rege petiturum esse, quod nõ omni æquitatis ratione imò etiam magno suo cum honore concedere posset. Tertium caput quod publicæ Christianorum pacis erat, ad Italiæ quietẽ referebat: hanc porro constare non posse, nisi Rex negotio Genuensi desisteret, & Aureliæ dux Mediolanensi ducatu excluderetur: libentius proinde de duce Angolismensi agi Cæsarem passurum esse. Nimirum omnia huc ista redibant, vt omnem semel spem præciderent, ne vnquam Mediolanensis dominatus ad regnum Gallicum rediret. Postremum fuit, quòd Granvellanus in primis obnixè Velium rogauit, vt omnia hęc paucis conscijs occulta manerent, neq; pluribus enuntiarentur. Illud quoque addidit, quò magis res tota lateret, optimum factu esse vt cardinalis Turnonius specie itineris Romam faciendi, tanquam pro gradu quem obtinet, apud papam commorari velit, Cæsari, quum illuc veniret, præsto esset. Quò si cum amplis & certis à Rege mandatis veniret, sperare se omnium eam fore rationem, vt re aliquoties iam discussa, ftatim facilè iudicaretur quis esset tandem futurus totius negotij exitus.

Tria Cæsaris postulata.

VELIVS Regem de his ce misso Sperciæo certiorem fecerat, idemq; res in commodissimum locum de ductas (vt quidem existimabat) postea viderat. Itaque conducere in primis arbitrabatur (quod etiam Regi significauerat) vt Galliæ amiralius ad Cęsarẽ mitteretur, qui de omnibus ageret & constitueret. Atq; ea fuit causa quamobrem Rex ad Velium mandata perscripsisset. Tametsi enim quicquid ille scribebat, fausta omnia portendere videbatur, Rex tamen nuntijs certis compertum habebat in Belgio omnia ad bellum parari, magnum exercitum à Comite Nassauio in Germania comparari, Cæsarem Ferrandum Gonzaguam & Hispanos qui in Sicilia remansérant, in Italiam transportari. Quamobrem veritus ne res incommodè cederet, statuit ad ea quæ à Cæsare & ijs qui ipsius negotia curabãt, indefinitis verbis afferebantur, diutius aures nõ præbere: Sperciæum remittit cũ responso ad ea quæ attulerat, Velio per cũ mãdat vt quàm possit celerrimè, in summa vt ante exactum mensem Ianuarium (cuius iam erat initium) quid tandem Cæsar statuat perspicuè & plenè referibat. Porro quę Sperciæo in mandatis dedit, hæc erant: Primùm quòd ad maiorem necessitudinem inecundam attinet, id se non solùm optare, verùm etiã tam firma ratione conficivelle, vt vnius amplitudo & potentia alteri nihil suspicionis aut metus afferret. De duce Angolismensi, cui Mediolanũ concedi vellet, excluso Aurelio, sibi id nullo pacto probari: hoc enim simultatem iam & odium inter fratres, & bellum tandem allaturum esse, quos à pueritia coniunctissimos educauerat, amicitiamque inter eos perpetuam fouere statuebat. De ipso Aurelio, quę sibi comitem Cæsar dari ad expeditionem Argerianam petebat, nihilo id sibi æquius videri: sic enim obsidis potius loco futurum, quam pignus quoddam beneuolentiæ & mutuæ inter ipsos fiduciæ. Non tamen idcirco suam illi opem & auxilium ad hanc expeditionem denegare, imo triremes suas in proximum ver polliceri cum duobus hominũ millibus suo stipendio, quibus virum bellicosum & rei militaris peritũ præficeret. Quòd si ille Constantinopolim mouere anno proximo cogitaret, libẽtissimè se cum omnibus copijs affuturum.

Regis ad Cæsaris postulata responsum.

DE Ecclesiæ reformatione & concordia, se fuisse, esse & porro fore in Germania, Anglia & nusquam non paratissimum atque cupidissimum. Ad Anglum autem quod speciatim attinebat, vt specioſior suppereret prætextus, quo ille ad vniuersam Ecclesiæ sententiam amplectendam vrgeretur, sibi videri vt Papa rogatu Cæsaris omnium Christiani nominis Principum fidem & auxilium imploraret, quibus ille compelleretur vt iudicio ab Ecclesia facto obtemperaret. De Italiæ pace ac quiete, se, modò Aurelio filio Cæsar Mediolanensem ducatum traderet, nihil vnquam de regno Neapolitano litigaturum, curaturum insuper ne ipse filius de Florẽtino & Vrbinensi ducatu litẽ vllam moueret: quarum rerum Cæsarem quam vellet in se fidem accipere concederet.

Qualis

Qualis esset, si fœdus vniuersum fieret, quo omnes obstringerentur, hanc renuntiationem ratam habere, seruare, & collatis viribus eum adoriri qui primus illud violaret. Se tamen non assentiri vt Aurelius filius alia ratione & ritu ducatui Mediolanensi inaugurare tur quàm sui maiores consuessent. His conditionibus se sponte ad quadringenta coronatorum millia daturum, quibus ille ad bellum quod primum susciperet, vteretur. Præterea se in Cæsaris gratiam erga principes & ordines Imperij effecturum (quod etiam impetraturum se confideret) vt Ferdinandus frater omnium consensu Romanorum rex legitimus ac verus haberetur: auxilio illis futurum, vt quicquid domus Austriaca iure sibi vendicat, reciperet: denique operam suam nulla in re, quantum quidem fas & ius permitteret, illi defuturam, vt nullis opibus suis parceret, dum ad ipsum Cæsarem & Romanorum regem fratrem ornandum atque augendnm adiumento esse posset, fœderi cuilibet renuntiare quod illis detrimẽtosum esset. Id solùm exciperet, ne quid contra ius & æquum aduersus veteres socios & fœderatos aggredi cogeretur: quorum in numero ducem Gheldriæ haberet, cui fidem dedisset. Quinetiam nec illud se negaturum, siquidem Cæsar maioris fiduciæ argumentum postularet, vt iuri renuntiaret quod sibi queat sumere ob ipsius ducis Gheldriæ donum: cui integrum volebat esse, vt pro arbitratu de iam datis bonis, vel in ipsius Cæsaris & posterorum vtilitatem constitueret. Et quoniam Granvellanus nonnihil de Germanorum copiis qui Regis nomine conscribebantur, dixerat, se non inficiari sex millium delectum habitum esse, sed eos non aliò mittere statuisse quàm vt à Sabaudo (si ius suum ab eo obtinere nõ posset) possessiones & oppida auferret quæ ad se morte matris redire affirmabat. Quas ad res perficiendas suos se iam legatos misisse, qui ista æquis conditionibus quas ferrent repeterent. Qui si denegaret, se armis ius suum exequi conaturũ, persuasum sibi esse, Cæsarem, qui de cæteris omnibus transegisset, à Sabaudi partibus in causa iniqua contra se non staturum. Hæc fuerunt Regis responsa, qui insuper etiam pollicebatur, simulatque quæ Cæsar ad ista vellet perlata essent, amiralium (quem postulabant) quò celerius iter faceret, Neapolim aut Romam, vt illi mandatum esset, nauigaturum, vt omnibus probantibus res tota componeretur.

Rex sua à Sabaudo petere legatum repetit

His mãdatis confectis Rex animo semper quod inceperat agitans, in intimo concilio controuersiam quam cum Sabaudo habebat, exponit, ex illiusque sententia quo pacto se hîc gereret constituit. Poyetum præsidem ad illũ legatum mittit, qui nihilo plus apud illum quàm superiores profecit: propterea quod ille ab vxore, quæ omnia summa à Cæsare expectabat, in illa sententia confirmabatur. Sperciæus interim Neapolim à Rege dimissus venit. Velius orator mandatis Regijs ab eo acceptis Cæsarem conuenit, ei que ex mandatis illis quantum è re nata communicandum videbatur, exponit: sed nihilo apertius illum sensit ad res inceptas componendas accedere velle. Verbo sam certè quandam pollicitationem reperit, sed quæ intra verba tantùm consisteret, nihil speciatim attingeret: quinetiam Cæsar denuo hæc vt silentio tegerentur obtestari cœpit, ne vel ipsi papæ enuntiarẽtur, qui si ista clam se agitari resciscet, non dudium quin pro eo ac facilè potest, multis ex obliquo interiectis difficultatibus totum cursum retardaret. Quare videndum etiam atque etiam ne ipsi Bellaio cardinali qui apud papam erat (à quo se totum pendere affirmabat) hæc nuntiarẽtur, ne si ab illo fortè papa disceret, nihil perficeretur. Ipse tamen interim papam certiorem fieri curauit, idque Andreæ Auriæ opera, qui partim priuati negotij causa papam adibat, vt priuigno veniam obtineret, qua, lege solutus Antonij Leuæ minorem filiam in matrimonium duceret, cuius antea maiorem habuerat (id quod etiam impetrauit) partim ad eum à Cęsare mittebatur, tum vt Tunetensem expeditionem narraret, tum verò vt hoc negotium aperiret: quod plenissimè declaraui t, fidem illi dans, quanuis Cæsar regiis ea de re agentibus aurem accõmodare præ se ferret, fixum tamen hoc apud se habere, vt nihil omnino, nisi quod ille consuleret probaretque, facturus esset.

Cæsar inscio papa ita se agere simulabat, quæ tamen illi nuntianda curabat.

Non multum temporis intercessit, quum Rex Cæsarem re sciuit & summopere laborare ne ista ad papam emanarent, & ipsum tamen efferenda curasse. Ex quibus suspicari cœpit hoc esse hominis consilium (maximè quum longis verborum ambagibus subinde vteretur, nec ad rem veniret) vt inter se & papam hac in re suspicionis & diffidentiæ scrupulum iniiceret. His causis permotus Velio discrtè mandat, vt diligẽter Cæ-

sari & iis qui à consiliis erant instaret, vt tandem missa isthac oratione perplexa apertius
1536. loquerentur, alioqui suspicari se debere, Cæsarem causis quas illi comminiscebantur, ne Mediolanensis ducatus Aurelio traderetur, id agere vt verbis se, dum copias & arma parat, produceret & ludificaretur. Nam quod afferebant Aurelium ducem nimium ad regni successionem propè accedere, neminem esse, cui Delphinus frater & ex ætate & ex corporis constitutione liberos non potius suscepturus, quàm prole carituras videa-
Alia Regis ad Cæsarem mandata. tur. Deinde rationi minimè esse consentaneum, se, qui vtriusque pater esset, maiori exclusо, minori natu tam ampli ducatus possessionem dare aut dandam curare: quòd hinc dissidia & rixæ inter fratres orituræ essent, quæ grauium olim malorum causam præberent: tantùm abest vt Italiæ pacem & quietem (quod Cæsar se cupere dictitabat) vlla ratione afferrent. E duobus enim alterum omnino fore: aut ducem Aurelium dolore repulsæ commotum bellum fratri illaturum, aut (vt optimè res cadat) consilium simul capturos, vt Aurelius Angolismensi minori natu Mediolanensem ducatum concederet, ea tamen lege vt ab eo, transitu, commeatu, milite, omnibus opibus imò seipso expeditionis socio iuuaretur, quò Florentinum dominatum & Vrbinensem recuperaret: quarum turbarum metu Cæsarem Mediolanum tradere cunctaturum. Quare expeditissimam hanc rationem tum ad Florentinam & Vrbinensem rixam consopiendam, tum ad Italiæ pacem confirmandam sibi videri, vt Aurelio ducatu Mediolanensi tradendo satisfieret, qui præterea cum vxore cæteris omnibus renuntiaret, ad quam renuntiationem confirmandam atque conseruandam fœdus (vti suprà dictum est) initretur. Addebat insuper Rex, velle se vt Cæsar planè & perspicuè explicaret, quum istum ducatum traderet, quo nomine, quibus conceptis verbis, quibus denique conditionibus inauguration em fieri vellet: se quidem postulare vt quam latissimè pateat, atque ad ipsius Ludouici primi ducis Aurelij posteros pertineat. Nam quod ad seipsum attinet, vt Cæsari satisfaceret (qui hunc ducatum in vllius Regis Galliæ manus se traditurum negabat) nō nisi vsus fructus nomine sibi tradi postulare, vt nomine liberorum, quorum posſessio sit, prouentu interim fruer etur.

HÆc fuit mandatorū summa quæ Rex ad Velium mittebat: quibus ad ea respondebat quæ ille ex Sperciæi verbis de iis quæ post Sforciæ mortem acta fuerant, scripserat. Insuper Leidekerkio Cæsaris oratori, qui eadem coram loquutus fuerat quæ Velius per literas significabat, eadem planè respondebat: hæc etiam adiiciens, se, si quid iniquioris erga Cæsarem voluntatis reliquum seruaret, recusaturum non esse quin quauis oblata conditione ducatum istum acciperet, deinde postea vt res ferret facturum: verùm sincerius se velle agere, eas se conditiones cupere quibus vtrique satisfieret, amicitia inter eos bona fide coleretur, neutrius amplitudo alteri suspecta esset, amicitiā enim, quādiu suspicio subesset, firmam nō fore: se quidem Mediolanum velle suæ ditionis ac possessionum limitem esse, Cæsaris amplitudinem non minorem quàm quò ipse promouere eam posset, cupere: ad quam etiam augendam nullas opes, studium & potentiam denegaturum, modò sociorum & amicorum vtriusque interim ratio haberetur, quorum nullum à se alienare vellet. De re Genuensi, se, vt Cæsari gratificetur, assentiri vt in aliud tempus reiiciatur, dum pacatè componi queat. Summa fuit (id quod etiam vt Cæsari per literas significaret rogat) non posse certius de sua fide Cæsari constare, quàm si illud sciat, se potius superiora fœdera violaturum esse, quàm vt inuitus nouum aliquod inire cogatur, quod seruare postea non sit integrum aut nolit.

DVM hæ fiunt vltro citróque itiones, Cæsar fit certior Bellouacum Venetias profectum de noua quadam conditione proponenda cum senatu egisse: ab oratore quem apud Regem habebat, monetur episcopum Wincestrium etiam de nouo fœdere ab Anglo missum esse: à Germania denique intelligit quæ à Langeo Regis iussu acta fuerant. Itaque (vt ferè homines suspicioſi omnia in deteriorem partem rapiunt) efficit vt
Cæsar de Rege cum eius legato conquitur. Pratensis, Cannesius & Granvellanus grauiter de his cum Velio expostularent: in primis de re Germanica, de qua acerbè apud papam ipse conqueritur: qui tamen rem omnem à cardinali Bellaio & episcopo Matisconensi regis legatis audierat: atque hæc causa fuit quòd Cæsaris oratione minus commoueretur. Ad illorū expostulationes respondet Velius, ab æquitate & ratione nō esse alienū, quòd Rex in amicitia & societate cum Cæsare faciēda socios suos & necessarios retinendos esse cēseret. De re porrò Germanica

nica Langæum illic palàm peroraſſe, neque aliud egiſſe quàm vt Eccleſia in eundem de
ſtrinæ conſenſum reduceretur, ſe tamen de ea ſuſpiciũcula quæ Cæſaris animum ſub-
ire videbatur, Regem facturum certiorem: ſperare huiuſmodi reſponſum datum in vt
Cæſar illius planè ſatisfactionem acciperet. At Cæſar tamen illinc cauſam aut certè præ-
textum arripuit, vt remiſſius de Mediolanenſi traditione aliquandiu loqueretur. Praten
ſem in Germaniã mittit, verbo vt quæ illic Rex agitabat liquidò cognoſceret, reautem
vera vt aliquid aduerſus eum moliretur, & nouam Germanorum peditum maſſam cõ-
duceret: quemadmodum poſtea patuit. Auriam item Genuam ad claſſem inſtruendam
mittit, qui famam (quod etiam effecit) de expeditione Argeriana iactaret. Sed vera erat
10 cauſa, vel quòd vanus timor illi iniectus fuerat, vel quòd ex diffidentia ſuſpitio eius ani-
mum occupauerat, Regem de Genuenſi defectione conſilia agitare. Legato tamen Re
gis noluit rem vllo pacto notam eſſe, fuitq; Auriæ profectio clancularia. Qua ex re, vbi
poſtea innnotuit, omnibus cauſam præbuit vt initium potius belli proximi ominarentur, quàm pacis & amicitiæ confirmationem ſperarent.

REX interim à præſide Poyetto fit certior quid Sabaudus reſpondiſſet, nempe ni-
hil ad rhombum, quod aiunt. Ab eo quidem miſſus ad Regem venit comes Chalanus,
qui de equitibus Rentianis ab illius exercitu profligatis ſatisfacere, & malum ſarcire co
nabatur: ſed hoc totum nihil quàm merus fucus erat. Rex quòd nihil à ſe diligentiæ re-
liqui factum eſſe ſciebat, armis decernendum eſſe ſtatuit. Quare Sampaulium cum ex- *Sampaulius à Rege miſſus Sabaudiam occupat.*
20 ercitu in Sabaudiam impreſſionem facere iubet. Quod ea celeritate ab eo factum eſt,
vt antè totam regionem occuparet, quàm ille ſuis rebus proſpexiſſet. Nemo illius im-
petum ſuſtinuit, præter vnum Franciſcum Claromontinum Neapolitanum, qui Mom-
meliani præſidio erat: qui & ipſe quum rei frumentariæ inopia premeretur, neque vlla au
xilij ſpes ſupereſſet, deditionem impedimentis ſaluis facit: ad extremum à Sabaudo cõ-
temptus ad Regem tranſiit, egregiámque illi multis locis operam nauauit. Interea Rex
negotio apud Cæſarem ſuſcepto minimè deſiſtebat, neque vllam conditionem, quæ e-
tiam detrimento, modò ne ignominiæ eſſet, repudiabat, vt amico & pacato Cæſare
Mediolanenſem ducatum Aurelio obtineret. Quamobrem vt illi ſatisfaceret, ab An-
30 glo impetrat, vt quæ cum Wincefrio agi cœpta erant, illius voluntate in aliud tempus
reiicerentur, Bellouacum Venetiis domũ reuocat, de Langæi in Germaniam legatione
ita ſcribit, vt Cæſar illius ſatisfactionem acciperet, aut ſaltem id præ ſe ferret. Itaque die
Februarij decimonono Velius iamiam curſorem ad Regem miſſurus erat, quum Can-
neſius & Granvellanus maximis precibus contendunt vt rem in poſterum diem differ
ret, & attentè apud ſe difficultatem obiectam de fratribus Aurelio & Angoliſmenſi ex- *Cæſar per ſuos ſpem de ducatu Mediolanenſi facit.*
penderet, ſe quidem pro virili vt hæc obſcuritas expediretur, operam daturos. Poſtri-
gie mane eum rurſus accerſunt, quúmque poſt longam altercationem nihil ab eo extor
quere poſſent, Aurelio Mediolanum concedunt, ſic tamen vt videret Rex cuinam Sfor
tiæ vidua, Cæſaris neptis nuptura eſſet. Quam orationem ita temperabant, vt licet per-
ſpicuè non exprimerent, ſuſpicionem præberent cupere ſe vt Scotiæ regi nuberet. Cur
40 porrò eorum verbis plus fidei haberet Velius, eóſq; tanquam de re conſtituta loqui ex-
iſtimaret, hæc fuit cauſa, quòd illi oſtendebant, eúmque vt Regi oſtenderet rogabant,
ſuam hac in re non tam leuem fuiſſe operam, quin ita de Rege meriti eſſent, vt quæ ſibi
à Sfortia Mediolani data fuerant, ſalua retinerent. Qua eorum oratione Velius in maio-
rem ſpem erectus propius de omnibus ſigillatim agendum cẽſuit, maximè rogat quam
ſibi fidem dari poſtularent. Reſpondent ſe nonniſi æquiſſimam poſtulaturos, qualémq;
ipſi viciſſim dare parati eſſent. Sermonem præterea iniecit de inaugurationis formula.
Ibi tum loquentem interpellant, ſatis eſſe in præſentia quod præcipui erat mométi con
feciſſe: amiralium, quum veniſſet, cætera adiecturum. Illi enim iniuriam non exiguam
factum iri, quum tantæ eſſet apud Regem autoritatis, ſi tantùm accerſeretur, vt quæ ab
50 aliis tranſacta eſſent, rata haberet, ac non ipſe ad ea tranſigenda adhiberetur. Cæterùm
ne dubitaret Regi confirmare, amiralij aduentu ſine vlla difficultate fore vt omnia com
ponantur. Interim ante omnia orare vt hæc arcana inter ſe eſſent, neu quicquam ab eis
fieret dicere tũrue, quo cardinalis Bellaius noſſe poſſet exemptum eſſe hunc ſcrupulũ:
ſe quidem curaturos ne quid comiti Siſfuente ſio Cæſaris apud papam legato enuntia-
retur. Huic colloquio præter Canneſium & Granvellanum duo Cæſaris ſecretarij in-

tererant. Horum alter postridie Velio literas ostendit, quibus idem quod pridie in col-
1536. loquio egerant significabatur. Has Leidekerkio scribebat, & Regi vt ad verbum recita-
reiturus iubebat. Addebat autem, pòst expeditam hanc dubitationem Cęsari Sabaudum
à Rege tam iniquè tractari renuntiatum esse, vt, si maturius ista audisset, nunquam illud
vt coacederet de Aurelio adduci potuisset. Verùm quum iam vt infectum id esset, fieri
non posset, iacta sanè esset alea: Cęsarem profecto, quòd eadem opera rem Sabaudicam
componi posse confideret, haud mutaturum.

EOLEM tempore & hæc Regi nuntiabantur, & alia contrà addebantur, quæ ma-
Rex bellum in se à Cæsare parari audit. gna ex parte fidem derogabant, quam alioqui habituras erat. Principiò papam à Cæsa-
rianis sigillitim de tota hac transactione aut (quemadmodum rei euentus comproba- 10
uit) simulatione certiorem factum fuisse: vnde vehementem illius animum suspicionē
subiisse. Prætorea reuocato statim Bellouaco, Venetos summa Cæsaris contentione fœ-
dus nominatim pro Mediolano tuendo iniisse, in eius gratiam cui Cæsar illum tradere
vellet: quinetiam id eum dare operam quò papa hoc fœdus ingrederetur. Accedebat,
quòd Anglū amplissimis pollicitis in suas partes pellicere conabatur. Quarto loco nun-
tiabatur Praetensis in Germaniā profectio, qui Mediolano iter faciens, planè pugnantia
dixerat cum iis quæ Rex à Cæsare petebat & expectabat: in Flandria item cum ipsius
Flandriæ & reliquarum Belgij prouinciarum delectis (quos nominatim concilio coe-
gisset) de maximo bello apparatu egisse atque statuisse. Postremò narrabatur Auriæ ap-
paratus. Quæ omnia eo maiorem Regi suspicionem iniiciebant, quòd Cæsar furtim illi 20
nuntiari iubebat, hæc omnia aliò pertinere, alia ad Argerianam expeditionem compa-
rari, alia vt facilius clam papa esset quòd illam de Aurelio & Angolisinensi difficulta-
tem expediissent. At Rex interim multis ex locis compertum habebat, omnia minuta-
tim papę fuisse exposita. Quæ quum ita essent, exercitum in Sabaudiā & eo vltrius pro-
mouere statuit: ita tamen vt quæ cum Cæsare agebat, quicunque tandem futurus esset
exitus, minimè interrumperet.

Prognostica de libellorum multitudine in vulgus edita. HIC annus prophetias & prognostica maximo numero tulit, quibus mira fœlici-
tas & rerum successus Cæsari portendebatur: ac quo plus ille fidei habebat, eo maior re
centiorum copia spargebatur, vt ille, siquis horum librorum verbis hærere vellet, pla-
nè natus videretur qui fortunæ imperaret. Rex tametsi non dubitabat quin bello duci 30
Sabaudiæ inferendo omnem Cæsarianæ potentiæ molem in se conuerteret, tametsi e-
tiam satis sciebat quemadmodum qui hæc vaticinia ad prosperos successus referebant
quos iamdiu Cæsar, quicquid suscipiebat, habuerat, animis alij ad spem alij ad metum
nutarent, tanquam istis veluti diuinis quibusdam oraculis verissima omnia contineren-
tur, vt multi etiam in Gallia in religionem ista traherent: ipse tamen animo nunquam
perculsus est, neque consilium vnquam mutauit, quantumcunque conflictis istis pro-
gnosticis eum nonnulli perterrefacere conabantur: ipse sui semper similis esse perseue-
rauit, excelso & constanti animo ad superstitiosa hæc vanorum hominum commenta,
vt qui à veri Dei notitia ac fide ne latum quidem vnguem discedebat, quem vnum esse
persuasum habebat qui futura omnia & prænotione tenet, & prouidentia moderatur, 40
quique hoc sibi proprium reseruauit, vt temporum & momentorum gubernationem
habeat: quem sibi denique propitium & auxiliarium fore sperabat, quum sibi conscius
esset quas conditiones subire non detrectasset, non tam vt quod sibi vendicabat recu-
peraret, quàm vt qui illud per vim occupabat, saltem sibi commodaret, ac non quasi sca
larum instar (vti antea dictum est) hostibus illa ad inuadendos & transgrediendos regni
limites, obuia pręberet. Has ob causas exercitum parari iubet numero pridem ad hanc
expeditionem à se destinato, vt quæ Sabaudus per iniuriam tenebat, bello iusto quære-
ret. Imperatorem exercitus Philippum Chabotium comitem Buzancæum, Galliæ ami
ralium, deinde inferioris dignitatis duces alios qui sequuntur constituit. Equitatus fuit
octingentorum decem cataphractorum, turmæ primùm centenis equitibus constan- 50
tes, ipsius nempe amiralij, cui summam imperij detulerat, Iacobi Galioti summi Galliæ
armigeri & rei machinariæ præfecti, Roberti Stuarti Galliæ mareschalli, qui centum
Scotis ex custodia Regia præerat, & Renati Montijani. Turmę deinde quinquagenūm
equitum, Francisci marchionis Salussij, Claudij Annobaldi, Antonij Mompesati, Ioan-
nis Totovillani Villabonij Lutetiæ præfecti, Gabrielis Alegrij, Caroli Tercelini Rupe-
menij

menij:turmæ denique Ioannis Pauli Ceretani ſexaginta cataphracti.Ferentarij equites mille,ex quibus Eſſæus,Termius,Altiſſunus,Vereſius Sabaudus centenos ducebant: vniuerſis autem præerant ipſe Annobaldus eques torquatus, poſtea Galliæ mareſchallus.Pedites Gallicarum legionum ad millia duodecim, Picardorum duobus millibus præerant,Michael Brabanconius Canius, & Antonius Manlius Auchius: Normanorum duobus millibus præerant Sallius & Santalbinus Hermitæus:totidē Campanos ducebāt Anglurrius Iurius & Quintius:mille ex Gallia Ocitana eques Ambrenſis:Delphi natum quatuor millia ducem habebant Breſiçum & alij eiuſdem prouinciæ mille Forgæum ex ordinariis Regis præguſtatoribus. Toti peditatui præerat ipſe Montijanus tũ eques torquatus, poſtea Galliæ mareſchallus. Germanorum peditum ſex millia duce comite Gulielmo Fuſtembergo.Pedites Galli extra legionum cenſum quingenti Artigodio duce,totidem habebāt Blanchus,Algarius, Wartius Nauarrus.Italorũ duo millia duce M. Antonio Cuſano patricio Mediolanẽſi ex Regiæ hippocomię præfectis,& mille duce Chriſtophoro Gaſtone. Machinarum præterea ingens numerus,quibus præfecti tres, obſeruatores duo, tormentorum magiſtri quadraginta, aurigarum magiſtri vndecim,fabri materiarij,carrucarij,& ferrarij conſtituti erant.Præter hunc numerum ad caſus inopinatos conſtituti erant homines ſexaginta, foſſores octingenti,equi ſexcenti octoginta.Toti rei tormentariæ præerat Carolus Cocius Burius,ex turma Regia.

Cremio Delphinatum die Martij ſexto proficiſcuntur tria millia peditum ex ipſius prouinciæ legionibus,cum aliis mille quibus præerat Forgæus. Annobaldus vnà cum his proficiſcitur,& cum eo ſe Ceretanij cataphracti Brigantij coniungunt, quos aliquot poſtea diebus veredaria celeritate aſſequitur Montijanus: Germani pedites bi dui itinere intermiſſo ſubſequebantur.Illic Annobaldo & Montijano nuntiatur comitem Philippum Turniellum & Ioannem Iacobum Medicem marchionem Marinianũ cum quatuor peditum millibus ad occupandas Suſanas fauces properare. Quo audito maturandum ſibi exiſtimant,vt contrà progredientes anteuertere poſſent,quòd verebantur ne ſi hoſtis prior hunc aditum cum veteranis militibus quos habebat,teneret, ipſi ſuis pene vniuerſis tyronibus & numero pari vix ac ne vix quidem irrumpere poſſent. Tanta fuit illorum celeritas, vt antè in ſubiectam planitiem deſcenderent, quàm hoſtes eò perueniſſent:quos quum ſubſiſtere non auderent, noſtri quotidianis deinceps caſtris inſequuntur,donec ad Taurinos,quod oppidum eſt Pedemontanæ regionis caput,peruenirent.Quod oppidum quum hoſtis ingredi non auderet, deditione à ciuibus poſt primam denuntiationem facta,in Annobaldi & Montijani poteſtatem venit,qui ingreſſi in Regiam poteſtatem illud redigunt.Hoſtes Chiuaſum deinde progrediuntur,quò quum tubicinem de deditione noſtri miſiſſent,ſtatim diſcedunt,& Regi oppidũ occupatur.Interim Germani pedites Taurinos veniunt,& amiralius ipſe haud multo pòſt caſtra illic primùm deinde Chiuaſi muniit,vbi reliquum exercitum præſtolari conſtituit,qui turmatim accedebat. Quam rem non defuerunt qui illi vitio verterent,quòd trepidum hoſtem non acrius perſequeretur. Die Aprilis duodecimo machinarum tota multitudo aduenit,quam legiones Auchiana & Caniana ducebant.Die decimoquinto Chiuaſo diſcedit eo conſilio vt ad maiorem Doarã caſtra faceret.Doaram maiorem vocãt,vt à minori diſtinguatur,cuius initium eſt à Coctiis alpibus. Exercitus iam ex quo amiralius aduenerat,auctus erat fere quinque millibus Gallorum peditum,Italis mille quingentis,vt totus numerus eſſet amplius quindecim millium peditum,qui numerus etiam Germanos pedites complectebatur:equites non plures ducẽtis quinquaginta cataphracti, arcitenentes, quos vocant,& ferentarij. Ad alteram fluminis partem aderant Laurentius Emmanuel Cæſaris orator,Ioanes Iacobus Medices & Ioannes Baptiſta Caſtaldus cum peditum fere quinque millibus,& equitibus ad numerum quingentorum,qui ſpeciem præbebant tanquam noſtros tranſitu prohibituri eſſent. Amiralius eo die flumen tranſire non ſtatuerat: verùm ſimulatque noſtri hoſtem in conſpectu habuerunt,tanta ſubitò pugnãdi cupiditate & ardore incenſi ſunt,vt nullo ducis imperio aut oratione,qui pontem nondum confectum eſſe docebat,adduci poſſent,quin tranſeundi poteſtatem fieri maxia contentione vrgerẽt: vt ille coactus tandem tranſitum permitteret.Itaque ſimul cum dicto in flumen alarũ tenus tranſiliũt, & flumine licet vehementi atque rapido, nullus tamen neque ex Gallis neque ex Ger-

Gallis Taurinorum oppidis deditur.

Gallicus peditatus flumen abſque ponte tranſit.

1536. manis ordine se flumen traiiciendo mouit. Ita hosti tanto impetu appropinquant, vt ille sibi minimè expectandum esse duceret, sed summa celeritate se Vercellas recipere contendit. Quòd si nostri equites qui ad hanc rem constituti fuerant, aut etiam plures aduenissent, vt equitatu nostri superiores essent (quo hostes præstabãt) qui aduersarios subinde lacessendo ordine progredi cogerent, dum pedites eos consequerentur: non est dubium quin deleti fuissent, priusquam Vercellas peruenirent. Legionarius quidam flumen tranauit, vt nauiculam è ripa vlteriore caperet, quam inuitis hostibus adduxit: qui tametsi innumeris illum scloporum glandibus peterent, nunquam tamẽ attigerunt. Amiralius vt cæteros ad eandem laudem inflammaret, illum, quemadmodum à Rege imperatum erat, aureo annulo donat. Eodem die nostri ad Sauillianum castra locant, totúmque diem posterum ibidem commeatus causa morantur, qui ponte nondum perfecto, quũ exercitus flumen transiret (vt demonstratũ à nobis est) cõuehi non potuerat.

NIHILO interim segnius Neapoli de pace confirmanda & sanctiori fœdere renouando inter Cęsarem & Regem agebatur: quarum rerum spem eo studiosius alebat Cęsar, quòd sperabat (vt postea cognitum est) fore vt hac colloquij specie Sabaudica expeditio remissius administraretur: sibi contrà plus temporis & facultatis ad parandum bellum daretur, siquidem hæc negotia ex sententia conficere minus posset. Sibi enim à Rege factam iniuriam putabat, quam valde exaggerabant suis quærelis Cannesius & Granvellanus, qui principes Cæsaris negotia administrabant: quorum eò precipuè pertinebat oratio, nefas fuisse Regem, dum de pace colloquia habebantur, bellum inferre. Velius contrà docere hoc bellum ad Cæsarem nihil pertinere, colloquia de pace instituta tantùm esse ad componendum quicquid contentionis illi eum Rege incidisset, de Sabaudo nullo pacto agi, aduersus quem Regis exercitus comparatus esset, & sic quidẽ vt nominatim iussum esset Cæsaris possessionibus parci, neq; quicquã illarum vllo prætextu attingi. Neque tamen fieri non posse, siquidem Cæsari hoc cordi esset, vt Sabaudica illa contentio eadem opera componeretur. Cæsar non planè se à constituenda pace abhorrere ostendit, rémque variis strophis & artibus protrahebat, nunc spem ostentãs, nunc scrupulos iniiciens: vsquedum Neapoli profecturus esset. Tum enim Velio se profectione impeditum negat quicquam certi posse respondere, à Cannesio & Granvellano cum Caietę omnia dilucidè intellecturum. Velius hanc dilationem quam in partem accepturus esset, non satis poterat constituere, esseтne veluti quædam ceremonia vt omnia grauiter fierent, an potius quoddam moræ nectendæ genus, dum de peditatu Germanico nuntium acciperet. Interim Cæsar nihil diligentiæ prætermittebat, quò pacem in suarum partium studium pertraheret. Caietæ Velio, quum instaret, respondetur nisi quid à Rege accepisset, expectandum esse dum Romam ventum esset: interim à Gallia nonnihil allatum iri, Cæsarem porrò illic de re Sabaudica aliquid fortasse dicturum, quam omnino negligere sibi turpe existimaret. Velius rem nequicquam differ ri obiicit quoad à Rege vllæ literæ mitterentur, illum nequaquam prius scripturum esse, quàm sciret quæ illi Caietæ respondenda esse promiserant. Excipit Granvellanus se vereri ne motus aduersus Sabaudum excitati magno essent ad pacem confirmandam impedimento. Præterea quod de Mediolanensi ducatus vsufructu Rex attulerat, quòd item negauerat se quenquam sociorum & fœderatorum deserturum, qua de re ne verbum quidem antea factum fuisset: hæc Cæsarem sic accipere quasi Rex eius facilitate ad maiora postulanda abuteretur. De fœderatis nihil opus esse agi, antequam quæ præcipui sunt momenti conciliata essent, & ipsa Cæsaris nonnisi æquissima postulata fore. De re Gueldrensi, possessionem in totum vitæ tempus cõcessum iri, modò pactis conuentis staret, ad quæ Rex pactione Madriliana astrictus esset: reliquas cum Germanis societates Cæsarem nequaquam turbaturum, modò Rex ne abuteretur. Velio aliquot dierũ interiecto spatio respondetur, Cæsari placere, vt siquid constituatur, ab omnibus Regiis sociis subscribatur, sc à suis idem vt faciant impetratum. Deinde quoniam ducatu Mediolanensi statim excluditur vellet quumprimum cuique regnum Galliæ obtingeret, placere vt id à Galliæ & Mediolani ordinibus iureiurando confirmaretur, edicto publico & immutabili promulgaretur, ad quod pari religione seruandum atque vetustissima quæque iura tum Galliæ Rex tum Mediolani dux in ipso inaugurationis ritu iureiurando adigerentur. Petebat insuper vt sibi fide data cauerетur Lotaringię ducẽ nihil

Cæsar multa præter superiora postulat.

nihil in ducatu Gueldrienſi petiturum, vt Rex matrimonium Scotiæ regis cum Vindocina irritum faceret, cui ipſe neptim ſuam Mediolanenſem duciſſam locare vellet: hæc porrò Vindocina principi Aurãgio nuberet, denique de Lotaringi filia, de cuius cum Aurangio nuptiis agi cœptum fuiſſet, videret Rex, cui rectè pro amplitudine vxor daretur.

AD hunc modum Cæſar ſe Neapoli Marinam vſque geſſit (eſt autem id caſtrum Veſpaſiani Columnæ in agro Romano) conſilia de pace confirmanda non peſſimo loco, ſpe modò maiore, modò obſcuriore facienda ſuſpendens, modò hanc modò aliam conditionem addens, vt quicquid ſentiret, intelligi minimè vellet. De ſe autẽ ſic ab omnibus iudicari volebat, quaſi optima eſſet voluntate ille quidem, ſed vereretur ne à Rege negotium eo conſilio protraheretur, vt interim explorare tad quam tandem conditionem adduci ipſe poſſet, ſibi verò ille integrum eſſe cuperet, vt pro re nata aſſentiretur vel denegaret, quemadmodum ex temporum ratione ſibi conducere arbitraretur. Vtcunque ſit, hoc de ſe iudicium fieri volebat, háſque ſubinde conditiones proferebat, vt hæc omnia nemini videretur facturus eſſe, niſi rem confici cuperet. Ac tametſi Velius Fundis maiorem quàm antea difficultatem obiici viderat, Marinæ tamen omnia in ſpeciem correcta apparebant, vt id duntaxat ſupereſſe videretur, quòd Rex ſibiip ſi vſum fructum tribui poſtulabat. Itaque Velio confirmatur iam nihil obſtare quominus ad Regem de mittendo amiralio ſcriberet, qui totum negotium velut iam compoſitum abſolueret. Hoc tantùm poſtulabatur, vt Rex in primis copias ex agro Pedemontano deduceret. Velius quòd hæc omnia ſeriò agi putabat, Sperciæum propinquum cum mandatis mittit, qui Regem de omnibus ſigillatim moneret, querelas, conditiones & difficultates obiectas, denique optatam ad extremu m (vt ipſi quidem videbatur) pactionem exponeret.

SI Cæſar ſibi metuendum exiſtimabat ne Rex negotium per ſimulationem proferri curaret, ac tantùm illud captaret, quaſnam tandem conditiones ſubire vellet, idipſum Rex multo magis neque ex leuibus coniecturis metuebat, ne Cęſar (quod verum eſſe tandem euentus comprobauit) ſe varia ratione incertum ſuſpenderet, immodicis ſumptibus conficeret, dum ipſe commodè bellum pararet. Quarum rerum ſuſpicionẽ cùm ea quæ commemorata ſunt afferebant, quòd Cęſar eorum conſcientiam in his rebus tantopere ſe reformidare ſimulabat, quibus ipſe omnia, vt cauſam ſuam iuuaret, patefaciebat, tum verò q. per certos nuntios compertum habebat Cæſarem Sabaudo per literas ſignificaſſe ne moleſtius, quicquid acciderat, ferret, paucis diebus ſe vt omnia reſtitueretur effecturum. Id quod fortaſſe ſic accipi poterat, quaſi Mediolano reſtituendo hoc etiam bona venia ſe a Rege impetraturum confideret. Sed huiuſmodi interpretatio quominus quadraret, efficiebat quòd ſumma interim celeritate Germanicum peditatum conſcribi vrgebat, vir alioqui ſumptuum fugitans, vbi ſe abſque ſumptu aliquid efficere poſſe ſuſpicatur: quòd Ferrando Gonzagueꝫ vt ferentarios equites conduceret, imperarat: quæ res etiam abſque ſumptibus fieri nequibat. Accedebat quòd per Germaniam ex oppidis Imperialibus machinas æneas & munitiones expromptas Italiam verſus conuehi iubebat. Ac ne quis hæc ab eo fieri ſuſpicaretur, vt armatus inſtar Regis atque viribus potius ſuperior quàm inferior, de pace nihilo ſecius ageret, obſtabat, quòd ipſe legatis papanis indicauerat (idque opera cuiuſdam cardinalis, cuius nomen iuſta de cauſa in præſentia efferre nolo, ad Regem perlatum fuerat) ſe Regi neque Mediolanum redditurum, neque vel pedem latum ex agro Italico tenere permiſſurum. Quinetiam cum papa, ſenatu Veneto & aliis Italiæ populis ſecretò agebat, vt ex compoſito obſtarent ne Mediolanẽſis ducatus ex gẽte extera cuiquam traderetur. Ac ne iſta in Regis inuidiam fieri appareret, ſiquis fortè ex Italiæ dynaſtis adumbratam hanc intercęſſionem efferret, clanculũ ſermonem iniecerat, vt Luſitaniæ Rex ingenti quadam pecunię ſumma hunc ducatum fratri peteret. Hæc omnia ex illis legatis, vnus papæ, ab eo religioſe ſacramento adactus, vt quæ ex Cæſaris ſermonibus didicerat, clarè enuntiaret, indicauerat, illud etiam atque etiam confirmans, Cæſari amicum nullum ac ne fratrem quidem adeo charum eſſe, cui iſtum ducatum tradere vellet: quicquid tandem accideret, cum ſibi habere conſtituiſſe.

Cæſar quæ ad bellum neceſſaria ſunt, clam parat.

REX quũ ſuos adhuc lentius progredi voluiſſet, acrius rem ab eis geri tandem præcipit. Quare Ludouico Rabodangio, quem in numero præguſtatorum habebat, miſ-

1536. so amiralium quid fieri vellet certiorem facit,nominatim iubet vt si superiore vel etiam æqua conditione in hostem incideret,prælium committere ne cunctaretur: imò rectà Vercellas contenderet,quò eos ad subsidium atque adeo ad certamen eliceret. Rabodangius nostros in procinctu ad Sauilianũ offendit,& ipsum amiralium iam de oppido tentando cogitantem,quod à tribus militum millibus,ex quibus mille erant Germani, Sabaudi iussu tenebatur. Ab eo quatuor passuum millibus Antonius Leua cum sexcentis ferè equitibus & peditum millibus duodecim confederat, qui se non Cæsaris legatum sed principem fœderatorum ducem haberi volebat,gestu tamen præ se ferebat,& oratione significabat se in nostros,si vlterius progredi conarentur,impetum esse facturum. Porrò iam inde quum amiralius ad expeditionem proficisceretur, Galterus Tinteuillanus ad Caguinum Gonzaguam,comitem Rangonem, Annibalem Gõzaguam, comitem Nugolarium, qui omnes annua congiaria à rationario Regio habebant, missus fuerat,qui sex peditũ millia,& quingentos ferentarios equites conscripserant,lectos omnes milites & superioribus in Italia gestis bellis assuefactos. Hi cum amiralio sese cõiungere,nisi cum Antonio Leua decertarent,non poterant. Hanc ob causam aliquot antè dies per nuntios à Leua petierat,vt sibi eius voluntate iter facere liceret, rogauerátque amico an hoste illo vti deberet. Respondet Antonius tutò licere, modò fœderatis auxilio venirent,quorũ se imperatorem iussu Cæsaris profitebatur. Amiralius Sauiliano quum discederet,quòd memoria tenebat sibi discrtè à Rege vetitum esse nequid quod nomine Cæsaris teneretur attingeret, Antonium Leuam rursus solicitare decreuit. Itaque buccinatorem ad eum,vt illius mentem pernoscere posset, cum literis mittit. Ad eas Leua superbius sed non absque dissimulatione respondet, vt nihil inde certi colligi posset. Quo accepto responso amiralius Vercellas ire contendit. Eo die inter pedites Gallos & Germanos orta seditione, multi vtrinque interficiuntur: multóq; maior clades extitisset,nisi comes Fustembergus,suo interuentu tumultum sedassset. Is enim suos tam facilè cohibuit,vt nemo pedem,simulatque annuit,moueret, licet inferiores antea fuissent,sinúmque aliorum accessione auctum esse numerum cernerent, vt cladẽ acceptam sarcire posse viderentur. Id adeo commemorare libuit, quod documento sit quantopere referat disciplinam militarem seruari,& ducem existere qui in suos imperio vti norit. Secundis castris nostri ad duo millia Vercellis veniunt: ibi Galli & Germani, vt contentionis & rixæ causa tolleretur, separatim castra habuerunt. Sed de his hactenus. Nunc ad pacis negotium quod agebatur, redeamus.

Amiralius Regis iussu vlterius progreditur.

Omnem quum Cæsar Romã ingrederetur.

DVM hæc geruntur, Cæsar Romam peruenit: vbi multo antè parabantur omnia quæ ad eum splendidissimè excipiendum pertinebant. Quamobrem vt via ingrediendi latior & rectior cõplanaretur, cùm multa ædificia diruuntur, tum verò templum pacis euertitur, quod inter cætera vetustatis monumenta, quales illic multæ moles veterum substructionum visuntur, ad hoc tempus seruatum fuerat. Hoc factum plurimorum animos religione occupauit: (magna est enim illic hominum copia, qui huiusmodi curiosa superstitione tenentur) qui portendi affirmabant Cæsarem non ad pacem confirmandam, quod cupere se iactabat, sed ad omnem pacis memoriam tollendam & extinguendam in vrbem ingredi: quam hominum opinionem Cæsar iis quæ paulo pòst gessit, non parum confirmauit. Eodem sexto Aprilis die Cæsar cum papa septẽ fere horarum spatio colloquium habuerat. Postero die Matisconensis episcopus Regis apud papam & Velius apud Cæsarem orator ad papam intromittuntur. Loquendi potestate facta docent, Regem ad hoc vsque tempus pacis componendæ rationem quæsiisse, quòd eam speraret ipsius papæ autoritate & arbitrio tandem constitutum iri: hanc vnam videri rationem superesse, vt suspiciones & omnes diffidendi vtrinque occasiones tollantur, & plena inter eos fides concilietur: proinde rogare se vt operam suam tantæ rei dicare vellet, maximè vt Mediolanensis ducatus Aurelio traderetur: quam ad rem Velius Cæsaris voluntatem summam esse, vtqui cum eo diu hac de re egerat, affirmabat. Tantum hac de re loquutus subsistit, ne plura in hãc sententiam diceret, quòd putabat Cæsarem ne ea quidem cum papa communicasse, de quibus inter eos conueneret, non magis quàm à Rege enuntiari volebat. Cæterùm illud in primis ab eo petunt, vt quæ pridie inter se tam multis de pace & quiete Christianæ Ecclesiæ, diuino cultu & sanctæ sedis dignitate amplificanda egissent, eorum se participes fieri ipsius voluntate lice-

Regis oratorũ cum papa colloquium.

liceret. Papa Cæsaris animum pacis cupidissimum se perspexisse respondet, se ex illius arbitrio & consensu postero die fratrum sanctę sedis cardinalium senatum habere constituisse (quod etiam præstitit) vt quicquid facto opus esset tum ad tempus concilio cogendo indicendum, tum ad firmam inter summos istos principes amicitiam cõciliandam, vnde vniuersæ Ecclesiæ pax sequeretur, inter se viderent. Se quidem in his controuersiis medium manere, neque alterius partes fouere (vt rationi consentaneum esset) consti tuisse. Ibi latius oratione m effundere cœpit, quàm sui esse officij intelligeret, vt ius fasq; seruaret, quemq; ad æquitatem adduci nolle animaduerteret, eius vt pertinaciæ atque iniquitati obsisteret. Interea hoc dissimulãdũ sibi non videri, quantum quidem animaduertere potuisset, Cæsari non esse in animo Mediolanum Aurelio duci tradere. Ad ista Matisconensis & Velius ne verbum quidem proloqui audent, ne Cæsarem, si absq; ipsius venia ea effutirent, quæ arcana seruari tanta diligentia iussisset, offenderent. Postea Velius Granvellanum conuenit, hominem rogat ne Regem cum papa committerent, qui occultum id seruasset quod ipsi Cęsari ita placere videbat. Ac ipsi quidem reuera sic staruebant, quicquid difficultatis à papa obijceretur, inde nasci, quòd Cæsar consultò se morosiorem præstitisset, vt papa sibi gratularetur, quòd ad hanc difficultatem præter cęteras, componendam sequestrum se conciliatorem interuenisse putaret. Granvellanus initiò de iis expostulare quæ aduersus Sabaudum gerebãtur, postea Cęsarem nihilo secius promissis stare velle asserit: quãquam si adeo iniquè tractari Sabaudũ intellexisset, nunquam istud polliciturum fuisse. Denique huic conciliando negotio vnum papam obstare, qui familiæ Medicææ parum æquus erat, atque adeo Mediolani ducissam valde inuitus, quę inde genus duceret, conspecturus erat. Id quò verum esse intelligeretur, Velio permittit vt liberè & seriò papæ diceret, si quidem studioſe à Cæsare contendere vellet vt Aurelio duci Mediolanensem ducatum traderet, illum proculdubio obtemperaturum esse.

Cæsar occasiones accipit ad ur ne Mediolanu tradat.

EODEM quidnam inter papã & Cęsarem arcani consilij intercederet, prorsus nescio, vnum scio, Matisconensem & Velium postridie eius diei papam adijsse. Ibi Velius apertè nuntiat sibi iam inde Neapoli facultatem fuisse datam, siquidem libuisset, vt ducis Aurelij inauguratio transigeretur: Regem tamen ipsi tantum tribuere voluisse, (licet sua magnopere interesse satis videret omnem dissidij causam inter liberos, atque adeo in regno ipso quãprimum tolli) vt eo inconsulto nihil statuendum sibi existimaret. Papa seu fortasse quòd præuaricabatur, seu vera erãt quæ Granvellanus dixerat, respondet de duce Aurelio nullam spem dari, se communẽ vniuersi orbis patrem esse, non minori curæ sibi Italiæ pacem quàm Galliæ esse debere. Excipit Velius inter fratres dissidiũ oriri non posse, vt non in ipsam quoque Italiam tempestas redundaret. Deniq; adeo homini instat, vt tandem se de eo cum Cæsare acturum polliceretur. Cęsarem Velius prior adit, rogat ne se difficilem præbeat: sed ab eo querelas duntaxat & expostulationes audit, nisi quòd tandem in genere pollicetur, se non commissurum vt quicquam à superiori de mutuo consensu sententia alienum faceret. Cannesius tamen & Granvellanus spem illum quum à Cæsare discederet, faciunt, imò confirmant, si papa de Aurelio assentiretur, illum nunquã verbum cõmutaturũ. Qua oratione Matisconẽsis erectus, postridie omnia papæ renuntiat, docet, si Cæsar vbi Romam venisset, & cum eo consilia contulisset, mutasse cõperiretur & denegasse quę antea Neapoli promissa aliquoties postea repetijsset, multos idoneam suspicandi materiem nacturos, cur dicerent hanc varietatem ipso autore contigisse, quum præsertim hæ ipsæ difficultates principio ab eo allatæ essent. Papa quum se tam acriter vrgeri videret, subijcit Cannesium & Granvellanum statim à colloquio quod pridie eius dici habuisset, se adijsse, omniaque dicta responsa & excepta vtrin que narrasse. Itaque suspicari se, siquidem id quod res est verbis apertis eloqui oportet, Cęsarem cum suis hoc negotium data opera ad eos lactandos producere, vt illi vicissim Regem vana spe retinerent, dum interim ipse exercitum compararet. Se tamen vt illis gratum faceret, rursus annisurum vt quod de Aurelio postulabant obtinerent, quantuis se oleum & operã perditurum certò sciret. Id verò nisi concedetur (inquit Matisconensis) Rex nunquam assensurus est. Credo igitur (inquit ille) infecta omnia & irrita fore: neque enim Cæsar vnquam volet, neque si velit, possit Mediolanum nisi de quorundam consensu tradere, quos ego quidem consensuros esse nequaquam puto. Venetos hac o-

Papa Cæsaris consilium aperit.

1536. ratione designabat, quos Cæsar missis legatis vt assentirentur, quemadmodum dictitabat, rogauerat: verùm sicuti passim narrabatur, vt huic rei se reclamare significarent, submonuerat.

EODEM tempore reuertitur Sperciæus, quem antea demonstrauimus missum fuisse ob ea quæ Cæsar cum Velio expostulauerat. Quam ob causam Velius statim intromitti se & audientiam fieri postulat. Intromissus Cæsarem Regis verbis salutat, ad singula vt iussus erat, respondet & excipit. Principiò quòd Cæsar obijciebat Regem satis ostendere quàm à pace facienda alienus esset, qui quum ad eam rem amiralium mittere deberet, aliò & ad aliam longè rem, nempe ad bellum gerendum, misisset: Regis responsum esse, quum expectaret dum ad illam de vsufructu, quem sibi reseruari postulabat, difficultatem responderetur, videret autem rem Neapoli Caietam inde Romam reiici, exercitum porrò quem aduersus Sabaudum (si ius & æquum ab eo non posset obtineri) comparauerat, inutilem sibi interim desidere, iis de causis amiralium à se missum fuisse, qui tâtisper cum Sabaudo armis decerneret, dum Cæsar eum accerseret: id quod nondum fecerat. Quæ quum gerebantur, se rogante & vrgente Cæsare nobilem ex sua turma quendam, quem apud senatum populúmque Venetum habebat, domum reuocasse, interea verò Cæsarem cum Venetis per legatos communicasse. Quo facto tametsi iure queri poterat, aliquid à Cæsare esse nouatum, tamen hoc se in primis amiralio diserte interminatum esse, ne quid eorum quæ à Cæsare quocunque nomine tenerentur ac possiderentur attingeret. Deinde non de ipso nominatim amiralio cautum fuisse, sed petitum vt vel ille vel aliius quispiam qui magnum locum teneret, mitteretur. Imò sermonem de quodam cardinali iniectum fuisse: qua de causa Ioannem cardinalem Lotaringum à Rege huic itineri destinatum fuisse, qui specie eius loci quem apud papam cardinales tenent, occultius hoc negotium obiret, quod tanto studio tegi cupere Cæsar præ se ferebat, cui etiam, quòd princeps esset, & quidem tam Regi propinquus quàm alius quispiam, Cæsar fidem haberet. Ad extremum quum res in optimum locum deducta videretur, tum accersendum esse amiralium, qui cum amplissimis mandatis, quę iam acceperat, illuc se conferret. Res porrò planè sic habebat. Neque à Cæsare neque ab eius ministris initio de amiralio sermo expressis verbis habitus fuerat, imò quum postea eum mitti rogarent, visum fuerat non esse rationi consentaneum imperatorem relicto exercitu proficisci, præsertim tam propinquo Antonio Leua, quem satis constabat, siqua daretur nostros opprimendi facultas, eam non prætermissurum. Verùm quò omnis præcideretur suspicionis causa, tanquam Rex de confirmanda pace seriò agere nollet, cui summopere studebat, ipsum cardinalem mitti placuerat. Amirailo per nuntium nominatim missum hæc significata fuerant, eique imperatum (id quod viris rerum gerendarum peritis simplicius quàm prudentius factum videbatur) ne vlterius, nisi à cardinali monitus esset, progrederetur, copias in locum tutum deduceret, de istis omnibus Antonium Leuam certiorem faceret, ne curiosem qui ista ad Velium perferebat impediret, quemadmodum antea Sperciæum, quum ad Regem proficisceretur, impedierat.

Cæsaris ad Velium Regis oratorem responsum.

HOC responso Cæsar ad primam suam expostulationem audito, loquente Velium interturbat, neque ad alia capita transire patitur. Nihil se apud Venetos noui fecisse, tantùm ea confirmasse quæ Bononiæ gesta fuissent: neque ista ad Venetos legatione impediri quominus cum Rege agat. Deinde se intra verba manere, Regi aliud quàm verba cum Sabaudo intercedere, quum verba rebus præire oporteret. Quod ad mandata amiralio data pertinet, id totum esse extra rem, se ad hunc modum agere nunquam consueuisse: meminisse se, quum aliàs multo inferior Rege esset quàm nunc sit, nihil tamen se illius potentiæ metu fecisse: eum se nunquam fuisse, nedum in præsentia esse, à quo per vim quicquam extorqueri possit. Sabaudo quominus deesse queat, clientelæ fidem ac societatis necessitudinem obstare. De vsufructu, quando Rex ipse responsum expectaret, Velium quodnam esset scire posse, ex scripto quod papæ porrexisset. Ad ea quum exciperet Velius à se conspectum fuisse, sibique immutatum aliquid videri, quòd Angolismensis in ducis Aurelij locum substitutus esset: subiicit Cæsar, quòd antea assensus fuisset, se conditione certa fecisse, modò scilicet ea fide caueretur qua sibi satisfieret, quámque satis tutam ac firmam putaret, quæ omnia prætari iam minimè esset

esset integrum; præterea quam conditionem à se latam Rex antea non acceperat, ei se vt nunc stare cogatur adigi non debere. Velius respondet, conditionem à Rege acceptam esse satis ex ipsius literis perspici, quibus dies octaua mensis ascripta esset, de fide firmanda, Cæsaris ipsius perpetuam fuisse orationem, non postulaturum se vt aliis quàm æquis conditionibus caueretur: quem etiam, si alias sibi dari flagitaret, videri posse omnia hæc ad Regem circunuenièdum excogitasse, cui id promitteret, quod postea alio promisso flagitando, cuius præstandi nulla esset facultas, irritum redderet. Excipit Cæsar se antea promisisse atque etiamnum promittere, nihil præter ius & fas postulaturum, se denique papæ & reliquorum fœderatorum consilio vti decreuisse. Pergit instare Velius, monétque ne semel promissa retractet: affert etiam alia quæ dum ista gerebãtur, aliis atque aliis locis pollicitus ipse fuisset, quibus non parua Regis animũ suspicio de ipsius voluntate subire poterat. Qualia hæc esse, quæ in Anglia ipsius iussu tractabantur, quæ Lusitano per literas de Mediolano eius fratri tradendo significasset: quæ item in ore erant omni populo cùm Romæ tum tota Italia atque Germania, Regi verba dari, quibus deceptus exercitum in ertem consenescere patiatur: deniq; mmutata hæc quæ de Aurelio promissa prius fuissent. Hæc omnia concurrere, quæ attentius considerata effectura omnino vt Rex vel desperaret, vel certè vt ea cum aliis gereret atque pollicereturque postea nec reuocare nec dissimulare honesta ratione integrum esset. Sic conqueri atque altercari Velius, vt pote qui maxima animi ægritudine afficiebatur, quòd tantam earum rerum expectationem Regi concitasset, quas nunc retro ferri inuertique perspiceret: quódque tanti principis quantus esset Cæsar, orationi nimiam fidem habuisset. Cæsar contrà acrioribus se quàm volebat aculeis pungi sentiebat: itaq; iratior factus Velium rogat num quid mandati & facultatis à Rege de summa rei constituenda accepisset. Hoc quum negasset, vellet autem rationes afferre, deinda ad reliqua Regis responsa transire, quibus Cæsaris expostulationibus omnibus satisfaceret: Cæsar interfatus atque ad illum, ne peroraret, conuersus, Ergo quum nulla, inquit, mandata habeas, iam nihil est quòd verba tibi à me dari conqueraris: quin potius tu mihi nihil quàm verba das. In summa te sic habere volo, quæ adhuc à me acta sunt, de iis non amplius me antè acturum esse quàm te mandata accepisse mihi constet.

Cæsaris & Velij altercatio.

Hvivs responsi ea erat sententia, vt si Velius cæterique qui Regis negotia Romę procurabant, persuasissimum habuissent ipsum pacis, quandiu honesta ratione eam assequi posset, studiosissimum esse, satis causæ haberent cur hoc negotio desistendum sibi existimarent, donec aliud mandatum ab eo acciperent. Matisconensis tamen quum à papa intellexisset, sui mentionem à Cęsare, quum simul loquerentur, factam fuisse, qui mirari se dicebat quòd ex quo Romam venerat, se nõdum adiisset: statuit hac occasione vti, & periculum facere num loquendo in eum sermonem incidere posset. Postridie, id est tertio die quàm Cæsar Romam venerat, omnibus ceremoniis in basilica D. Petri perfectis, (his autẽ intererat Cęsar imperatorio ornatu, diademate ẽapiti impositio, quũ quidem Petrus Ludouicus Farnesius corã illo malũ aureum gestaret, marchio Brandẽburgensis sceptrum, Iacobus Longouallanus Bosselus summus armiger gladium manu teneret) Matisconensis ab eo petit qua hora aditum ad se salutandum dari vellet. Tempus in matutinum diem posterum constituitur. V bi hora quam constituerat venit, accedunt simul Matisconensis & Velius, reperiunt oratores Venetos Cæsaris cubiculum iam ingressos, vnde ille statim egressus missam adit. Tum propius accedunt oratores Galli, & Matisconensis prior alloquitur, se, quum Christianissimi fratris optimi apud papam orator esset, committere noluisse quin eum quàm posset officiosissimè salutaret, suámque illi operam, studium & obseruantiam dicaret. Respondet Cæsar sibi pergratũ esse quòd in illius notitiam venisset, quòd laudabile illius vbique studium ex titisse à papa intellexisset, ac proinde se illi ex animo bene velle. Tum oratione ad Velium conuersa, Quantum, inquit, reminisci possum ex iis quæ proximo colloquio dicebas, quum indicarem quæ cum papa egeram, & scripto tradideram, non videtur frater Rex cõditiones accepturus esse, quia de duce Aurelio sententiam mutaui. Quamobrem si quid amplius de illius consilio & voluntate habes, libentissimè audiemus. Respondet Velius tantulum intercessisse temporis ex quo hæc de Aurelio difficultas suborta fuerat, vt ipse satis intelligeret nõdum quicquam à Gallia potuisse afferri, quum vix ad aulam peruenis-

1536. se posset is qui literas perferebat. Quibus quidem literis, inquit, non dubito quin vehementer ille commoueatur, quas tam parum cohærere videbit cum iis quæ perlata ad eum antè fuerant, & quæ ille cum summa læti animi significatione responderat, deniq; cum iis rebus ad quas gerendas suam operam conferre se velle ostenderat, atque etiamnum vellet, si modò quæ de duce Aurelio conuenerant præstare non recusares. Tum ille, Neque illius res gestas, inquit, damnare, neq; meas in abdito collaudare est animus. Itaque gratissimum mihi fuerit, si tu & Matisconenses coràm ista audiatis: sequimini me quæso ad papam, illic quæ mea sit sententia planè accipietis. Hæc loquutus, Venetis etiam oratoribus se vt sequantur iubet. Ita cubiculum consistoriale vnà ingrediuntur, vbi solet papa ornatu pontificali indui. Ibi cardinales offendunt qui papam præstolabãtur: cum iis amplius quadrantem horæ stans & confabulans consumit. Interim certiorem de illius aduentu papam faciũt, cuius adhuc ignarus erat. Papa misso nuntio rogat num velit ad se in cubiculum: ille se præstolari malle respondet. Paulo pòst descendit papa, & vnà profecti ad extremum quendam lectulum qui in cubiculo erat, se applicant & innituntur. Ibi Cæsar se de maximis rebus coram sanctissimo atque amplissimo cardinaliũ collegio agere velle ait. Ad hæc papa reliquos omnes cubiculo excedere iubet, sed ille vt vniuersi maneãt summopere rogat: non recusare se quin omnibus audictibus loquatur. Tum cardinales collecti eos semicirculi instar cingere cœperunt, in quorum media turba stabant oratores Galli, ponè orant Venecti, postremò magna oratorum, antistitum, ducum, comitum, baronum & clarorum hominum multitudo.

Cæsaris apud papam & cardinales oratio

TVM Cæsar manu pileum tenens docere cœpit duas præcipuè causas esse cur hunc venisset. Vnam, vt beatos sanctitatis Romanæ pedes adorantis cultu deosculare-tur, quò se suáque illi dicaret, atque ab eo peteret vt concilium vniuersale conuocandũ curet. Quam ad rem quum cum non modò attentum, sed etiam summa alacritate & cupiditate præditum reperisset, magnam se illi gratiam habere, quòd tam fœlix exordium fecisset, quódque proximo cardinalium vniuerso cœtu coacto id fieri oportere constitutum esset: macte ergo esset tam egregia voluntate, & rem orbi Christiano tam necessariam pergeret promouere: se quidem omni studio & opera tam sancto operi prouehendo libentissimè inseruiturum. Alteram sui aduentus causam esse, vt illi planum faceret quàm semper quod commodo Christiani nominis facere posset, amicitiam bona fide cum Gallo colere cupiisset, neque verò sibi graue futurum fuisse, si nunc demum totum illud negotium fœlici & optato exitu concludi potuisset. Verùm se Galliæ Rege tam iniquo semper vsum fuisse, vt nunc cogeretur tum vitæ suæ totius tum omniũ quæ sibi cum illo interceſſerant, audiente sacro cardinalium collegio, principum & dynastarum oratoribus cæterisque ornatissimis & clarissimis viris qui illic astabant, rationem reddere, vt perspicuum sit vtri iustior causa de altero conquerendi data fuerit: sibi veniam dari, si prolixior in narrando videretur, petere, tum propter magnam rerum varietatem, memoriæ imbecillitatem, tum corporis sui non valde firmam valetudinem. His ad sui purgationem allatis, narrationem iam inde repetit ab eo quũ Maximilianus Cæsar & Ludouicus Galliæ Rex nuptias fieri constituissent, quibus Claudiam Ludouici primogenitam, quæ postea Galliæ Regina fuisset, sibi qui Maximiliani nepos erat, nubere oportebat. Docet quemadmodum quoniam Ludouici culpa hæ nuptiæ factæ nõ fuerant, Cæsar indignatus bello illato Mediolanum illi ademisse. Aliquãto pòst se quindecim annos nato Francisco regno successisset, quicum ipse societatem & fœdus inire cupiisset. Quanquam autem tum primos adolescentiæ annos agebat, tamen satis intelligeret quanta sanguinis propinquitas sibi cum eo ob Mariam Burgundam auiam intercederet. Quibus causis adductus amplissima & nobilissima legatione missa (ad quã consanguincum comitem Nassauium adhibuisset) fœdus cum illo renouasset, atque ampli ficasset, quum quidem de Regis glore à se ducenda actum fuisset. Postea expeditione Mediolanensi Rex victoriam consequutus fuisset, qua nihil sibi iucundius potuisset accidere, atque auo Maximiliano non obtemperasset, à quo vt eum pro virili impediret, iussus fuerat. Nihilo secius postea Rex nouas secum pactiones inire studuisset, dum in matrimonium modò primogenitam Ludouicam, modò (hac sublata facultate) alterã Carolam dare cogitaret, à se tum contendisset, vt coniunctis copiis bellum cum Anglo ad Tornacum Neruiorum recipiendum gererent: id quod illi dissuasisset, atque vt eo

conatu

conatu desisteret, suis precibus effecisset. Haud ita multo pòst quum sibi ob Ferdinandi Arragonię Regis mortē in Hispaniam nauigandum esset, quo sibi à Rege nihil esset metuendum, de integro pacisci coactus fuisset: cuius rei ne iniquissimas quidem conditiones recusasset, vt illi centies millenorum coronatorum annuam pensionem ex Neapolitano & Siciliensi regno persoluerent. Deinde mortuo Cæsare Maximiliano, ambo ad summum Imperatoriæ dignitatis gradum enitērentur & contenderent. Ibi verò verbosa ille admodum oratione demonstrare cœpit, quàm graues sibi ac iustas fuisse causas putasset, cur hanc dignitatem præ cæteris peteret, quam tot ex suis maioribus tenuisse recordaretur, vt fœdam suæ familiæ maculā inusturus videretur, si ad hanc consequendam non omnes ingenij vires & neruos contulisset, quæ iam velut auita & gentilitia facta esset. Neque tamen idcirco grauiter se tulisse quòd competitorem Galliæ Regē haberet: qui etiam oratori quem apud eum habebat non semel dixisset, hanc Imperij petitionem esse velut amatoriam quandam inter riuales contentionem, qui eandem amicam ambirent: vt vno assequuto nihil causæ esset cur alter ad simultatem vllam exercēdam commoueretur, sed primam inter se beneuolentiam & necessitudinem integram nihilo secius tueri deberent: atque hoc idem sibi videri. Illum tamen post blanda huiusmodi verba sibi Cæsari designato amplitudinem perpetuò inuidisse, ad fœdus renouandum etiam mutatis conditionibus & forma compulisse, vt Renatam glorē, hodie Ferrarię ducissam, vxorem ducere cogeret: neque dum satis illi fuisse, verum eò etiam venisse, vt obsidibus datis huic fœderi cauendum esse instaret: id se, quoniam summę iniquitatis esset, recusasse: Regis tum in Germania oratorem multa valde culpanda clàm machinatum fuisse: quæ tamen vtrū ipsius Regis mandato fierent, se nec scire nec affirmare velle. Vnum se certò pronuntiare, oratorem ipsum sibi in os ausum fuisse dicere, Regem, nisi qua ratione postulabat fœdus confirmaretur, nō posse fidem habere sibi in animo esse illud obseruare. Vt cunque tandem esset, tum cœpisse Gallum quàm malo esset in se animo non obscurè demonstrare, atq; de re Neapolitana cogitare: quid porro aut qua ratione, se nihil amplius dicere constituisse. Addebat insuper quemadmodum Rex vna ex parte Robertum Marcanum hominem idoneum ad nefarios conatus perficiendos, & tanquam selectum ex animi sententia organum (qualis etiā esset dux Guelidrienſis in re propemodum eadem, his enim duobus Gallus & maiores vti consueuissent, quorum opera sibi & suis ab omni vetustate negotium facesserent) ad bellum sibi inferendum excitasset. Alia ex parte eodem tempore Albretum impulisset, vt regnum Nauarræ recipere conaretur, tāquam ei auxilium ad eam rem ferre liceret, quòd pacto ab illis inito cautum esset, vt Cæsar cum Albreto decideret. Quod se nunquam recusasse affirmaret, sed ipsi tantundem daturum se promisisset quanti esset ipsum Nauarrę regnum.

ITA bellum exarsisset (quo tempore Lutherana hæresis in Germania cœpit grassari, in Hispania verò, dum abesset, rustici tumultum excitarunt) quod ad Papiensem pugnam gestum est, quum Rex in suam potestatem prælio superatus venisset. Quem postea dimisisset certis tamen conditionibus, quæ dimissionis pacto ad Madrillium inter delectos vtrinque viros facto comprehensæ fuerant. Quod quidem pactum non modò delecti illi accuratè seruatum iri polliciti essent, sed ipse Rex ad Crucifixi quandam imaginem, quam quum iter vnà facerent, obuiam fortè habuerant, iureiurando confirmasset. Qua causa adductus ita fore speraſſet, quanuis antea certior fieret Regem non nemini indicasse, nihil se eorum quæ polliceretur præstiturum esse: atque hæc vna vera eius fuisset oratio, qui nihil omnino præstitit nisi priusquam dimitteretur: quæ omnia tandem leuissimo prætextu eluderet, quum his conditionibus se stare posse negaret. Quum deinde vrgeretur, rediret ergo captiuus in Hispaniam, vti antea fuerat, quandò promissa præstare nequiret: respondere fidem se in hęc verba non dedisse. Tum fœdus a Rege quod sanctum appellarunt, factum fuisset, ex quo sibi denuntiaretur vt liberos Regios restitueret, quasi magicis quibusdam artibus & incātationibus eos allexisset, ac non obsides datos accepisset, quibus de pactionis constantia caueretur. Quos quia non reddiderat, neque sacri fœderis præcepto obtemperauerat, bellum conflatum fuisset: quo Rex vt antea Albaniæ ducem, priusquam bello caperetur, sic tum Lautrecum Neapolim cum exercitu misisset, vbi interijt. Postea Sampaulium misisset qui Insubriam in-

1536. festis copijs ingrederetur, vbi captus est: quo fere tempore ex Italia se in Hispaniam nauigasse reminisceretur. Ibi verò Rex, qui antea semper quiddam tentare solebat, priusquam de pace agendum sibi existimaret, tum demum pacem esse faciendam non omnino denegauisset.

TVM tēporis pactum Cameracense constitutum esset, quod ipsum quoq; parum syncerè seruasset. Quinetiá quum postea fama latè iactaretur Turcam maximo apparatu bellico rursum in Germaniam impressionem moliri, atq; ei ipse obsistere cogitaret, Rex multa in se grauiora dixisset, occasione inde captata q; accersitus nō fuerat, se non indignum esse qui accerseretur dictitasset, affirmasset q; se n ō alia de causa hanc expeditionē nullis adiunctis socijs suscepisse, quàm quòd reliquos principes Christianos asperaretur, ambitioneq; ac studio monarchiæ occupandę teneretur. Quas quidem obtrectationes se in præsentia diluere velle dixit. Ac primū quidē de ipso auxilio quod Rex se laturum esse promisisset, eo se vti noluisse pronūtiauit, propterea quòd Ballanconio, quem eius rei causa miserat, ille respondisset se in Italiam auxilio venturū cum quinquaginta peditum millibus, equitum fere quatuor millibus: quæ omnia ipse nec ad suam vtilitatem priuatam nec ad Italiæ quietem accommodata esse iudicabat. De monarchia, si eam affectasset, affirmauit Regē nunquam impediturū fuisse, qui contrà suum aduersus quosuis auxilium & opem promittebat, dū Mediolanensem ducatū obtineret. Continenti deinde narrādi serie exposuit, se, quum è Germania redijsset, fœdus Bononiæ ad defendendam Italiam percussisse, qua de re ille grauiter conquestus esset, quum tamen nullam conquerendi de se iustam causam dedisset: hoc enim fœdus & bono consilio & cum principib. Christianis initum fuerat. Quib. dicendis eum oris habitū præse ferebat, ex quo & ijs quæ non semel dixerat, appareret Regem ab eo perstringi, quòd fœdus cū principib. non Christianis percussisset. Addidit quēadmodum Rex de nece Mervillij cō questus esset, qui ducis Mediolanēsis iussu rectè cæsus fuerat, vir sceleratorū consiliorū autor & machinator. Has querelas inde ortas esse dicebat, q. ille maximè sibi occasionē præberi vel prætextum optabat, quo pacta proximè inter se constituta violaret, quę etiā iudicari facilè poterat qua fide ille seruaret ac tueretur: qui quum inter cætera nihil se in Germania moturum promisisset, is tamen cùm alia innumera molitus fuerat, tum verò Hassię Lantgrauium ad Wirtembergicum tumultū excitasset. Quod ne ipse quidē inficiari posset, quippe à quo pecuniæ ad rem conficiendam suppeditatæ fuerint. In Italia porro non magis sibi temperasse, quin multa egerit contra quàm pactorum ratio postulabat, maximè paucis abhinc diebus Tintivillani opera, atq; etiam antea quum ipse expeditionem in Africam instituere t. Docebat enim quemadmodum tūc temporis Rex vt se metu suspensum teneret, maximum belli apparatum quasi ex aduerso ipse quoq; fecisset: quanquam illo facilè postea destitisset, non illud quidem vt sibi gratum faceret, sed quòd proprijs rationibus magis accōmodatum putabat, si ipse periculoso bello susceptro maximos sumptus faceret, quo, vt nihil grauius accideret, se postea ille infirmiori vteretur. Adiecit insuper grauissimam querelam, quòd Rex contra pactionem nonnullos ex suis per vim in ergastulo nautico haberet, hanc solùm causam habens quam afferat, quòd ipse nonnullos Gallos repræsentare non posset, qui in suis triremibus à reliqua classe vnà cum Portundo deerassent. Quos tamen ipsos restituēdos statim curasset atq; in sua manu habuisset, nempe post victoriam Tunetensem: vt ex ea hoc saltem boni ad Regem priuatim redierit. In quo ne illud quidem se inficiari velle dixit, quin suos etiam post illam victoriam à Rege redditos habuisset: sed subijciebat tamen quemadmodum ille semper nouam expostulandi occasionem aucuparetur, qui per Velium oratorem à se petijsset alios quosdam captiuos reddi, qui in Antonij & Andreæ Auriæ triremibus detinebantur: qui tamē ob aliam quàm ob belli causam in vinculis erant, quiq; vt dimitterentur multa contentione opus erat.

MORTVO deniq; duce Francisco Sfortia vel sibi vel vni liberorū ducatum Mediolanensem petijsset: cui ita respondisset ipse, facilè vt quiuis intelligeret quantopere paci studeat. Etsi enim Rex prorsus omni iure cesserat, multæq; & grauissimæ extarent causæ cur sibi seruandum censeret, non tamē omnino voluisse denegare. Hoc quidem primo loco scire cupijsse, quid Rex in animo haberet de ijs quæ ad Christianæ rei statum pertinent, de cogendo concilio, de Lutheranis ad sanitatem reuocandis, de firma pace

pace in Italia constituenda, quàm magnas denique vires ad bellum Turcicum conferre statueret: quibus quidem conditionibus de Mediolano duci Angolismensi tradendo se assensum fuisse. Quæ sanè postulata tam æqua esse contendebat vt Regi repudianda videri non deberent, præsertim quum ipse à sorore Galliæ regina certior factus fuisset, Regi nihil esse optatius, quàm vt certa pax bona inter se fide cõstitueretur: quod hac demum ratione perficeretur, si ex liberis Regijs vni ducatus Mediolanensis traderetur. Hoc quidem dissertè scriptum fuisse fatebatur, Regi magis placere Aurelium id consequi, verùm si minus illi obtineret, satis ei futurũ modò alteri daretur. Quibus se reb. adductum, tametsi parum sibi causę dari videbat, cur de Rege bene mereri in animũ induceret, qui legatos de pace ad se mitteret (quo tempore ad regnum Neapolitanum & Sicilię se lustrandum duntaxat venerat) interim maximo apparatu bellum moliretur, quinetiam Sabaudum bello lacessęret, nulla consanguinitatis habita ratione, & pacti conditionib. neglectis, quibus nec illi in Italia quicquam mouere, nec Imperij fœderatos violare licebat: tamen vt planum fiat se optima quæque cupere, nihilq́ue sibi antiquius esse quàm vt Christiana pax cõcilietur, deniq; vt tum diuino tum humano iudicio in posterum purgatus esset, coram papa, sacro cardinalium senatu reliquisq; omnibus qui astabant, tres conditiones Regi se ferre professus est.

VNAM, ducatum Mediolanensem vni ex liberis traditurum se esse, modò ratio reperiatur qua pax firma & perpetua constet: absq; eo enim se nihil facturum. Se porro videre non posse qui hoc fieri queat, quandiu Rex hunc ducatũ Aurelio petere pergeret, quemadmodum velle videbatur: quòd superiorum tẽporum euentus satis doceret Regem id non ambire, quasi eo contentus deinceps ab inuadenda Italia temperaturus sit, sed vt hoc quasi gradu substrato altius conscendẽdi facultatem paret. Aurelium siquidem Florentinum & Vrbinensem principatum tentaturum esse, cuius vxor esset paparum Leonis & Clementis neptis. Quòd si excipiatur ducem Aurelium renuntiaturum esse, huic renuntiationi nihilo plus fidei habendum videri, quàm quum Rex ipse idem de ducatu Burgundiæ fecisset. Quamobrẽ quod in Angolismensis causa tanta cautione facturus esset (& digitum simul cum verbis porrigebat) in Aurelij causa idipsum ne tanta quidem (brachio exerto) se facturum dixit: idque propterea quòd nouam cum Rege pacem facere cuperet, quę vera pax ac non belli seminarium esset. Atq; adeo postulabat etiam vt Rex pacis ędo perspicuè declararet qua in re & quibus opibus sibi adiumento esset ad concilium celebrandum, ad eaq́ue omnia quæ ad remp. Christianam reformandam, ad hæreses tollendas & ad bellum aduersus impios populos suscipiendũ pertineant. Quæ omnia quum nisi omnibus offensis sublatis cõstitui nequaquam possent, postulabat vt Rex primum omnium, atque adeo priusquam de pace ageretur, copias suas è Pedemontana regione deduceret: se enim ni hoc fiat, nec pacisci velle, nec pacem sperare posse.

ALTERAM deinde conditionem ferre cœpit, si quidem Rex priorẽ non acciperet, ad quam intra viginti dierum spatium respondere postulabat (non quò fortitudinem illa tuam iactaret, sed quòd duas acies intra hoc tempus tam ꝓpinquas fore putabat, vt vix absq; conflictu discessurę viderentur) vt quoniam æquum erat eos caput periculo obijcere, quorum causa tota tempestas exorta esset, sicq; humano sanguini parceretur, qui iam nimium multus effusus illorum causa fuerat, hãc litem singulari certamine dirimerent. Id aliàs à quibusdam factitatum fuisse, vt à Dauide & alijs: qui tametsi reges erant, non alij tamen quàm homines fuerunt, licet cæteris politiores & institutiores. Hac in re etiã addidit, quando multis valde videretur difficile hanc theorian in praxin & vsum producere, quòd innumeræ difficultates extarent in deligendo loco communi & apto ad certamen, sibi nihilo difficilius videri quàm quũ locum ad colloquia de pace habenda capere oporteret: deniq; vt illud sit difficilius, iniri tamen aliquã rationem posse, nempe si insula quædam, aut pons, aut nauis in medio flumine ad decertãdum deligatur. De armis se facilè cõstituturos, vt equis vterentur, se quidem nullũ genus detrectaturũ, siue gladio, siue pugione indusijs tectos dimicare oporteret. Sibi tamẽ placere, si de certaminis ratione cõueniret, vt victor suas opes papæ traderet, quib. fretus cõciliũ indicere, habere, rebelles atq; in Ecclesiã cõtumaces ad obsequiũ cogere, & Turcę cõmuni hosti resistere queat. Quas ad res pficiẽdas etiã is qui certamine inferior esset suis omnib. copijs victorem

ctorem iuuaret. Quod se facturum iam tum, tanquam re præsenti, papæ & Romanæ sedi recipit atq; obstringit: id præterea postulans, vti ad certaminis pignus Rex Burgúdiæ ducatum, ipse Mediolanensem deponeret, qui ambo victori cederēt: vtiq; de his omnibus vterq; idoneis obsidibus datis cauerent.

TERTIAM conditionem de bello gerendo adiecit, ad quam se nunquā nisi coactum descensurum esse testatus est, quòd illud tam cruētum fore animo iam cernebat, vt ad victorem parum vtilitatis rediturum esset, hosti verò religionis Christianæ communi hac Cadmæa victoria aditus ad nos lacessendos patefieret, quum non leuis esset coniectura, fore vt propter mutuas clades vltro citroq; acceptas, minus illi obsisti posset quàm Christianæ religionis interesset. Quam causam esse affirmabat cur ad tam iniquā conditionem perinuitus deueniret, & necessitate tandem cogi quam diutius detrectare, si honori suo consulat, non esset integrum, qui à Rege tanta cum iniuria prouocatus esset, quo tempore de pace scilicet secum agebat, neq; tamen quenquam cui mandata vel autoritatem paciscendi daret, mittebat. Itaq; postquam se hac ratione inuitum ad arma compelli videbat, minitabatur se eo animo ad bellum accessurum, vt nulla re posthea deduceretur, quouisq; ex his alter ad extremam rediret inopiam, miserrimusq; totius patriæ redderetur. Quam acerbissimā & turpissimam cladē certò sciret in Regem casurā esse, sibi diuinam opem adfuturam, quemadmodum antea adfuisset. Cuius tantæ spei tres iustissimas & certissimas causas afferebat, vt de victoria minimè dubitaret. Vnam, quòd ius & æquum à se esset, quem nec autorem belli nec aggressorem esse constaret: alteram, quòd Rex eo tempore bellum inferret quo sibi commodius & aptius vllum sumi non potuisset. Tertiam, quòd ciuium omnium, ducum belli & militum eum in se animum & voluntatem esse perspiceret, eaq; rei militaris peritia valere sciret, vt illis maximè de tota re confidendum sibi esse statueret. Quæ omnia in Rege aliter habere affirmabat, cuius ciues, duces & milites eo animo essent, vt si suos illorum similes esse intelligeret, non recusaret quin reuinctis manibus & resti collo innexa supplex ab illo pacem & veniam posceret. Hoc loco perorationis vice testari cœpit, quæ de pace attulerat, nō metu vllo Regis se fecisse, morem suum non esse, vt quum bello inferior sit, ad pacem petendam sese demittat, sed rebus duntaxat secundis: verùm occurri optabat malis quæ inde consecutura esse non dubitabat. Tum prolixa oratione differere cœpit infinitam malorum iliadem illinc orituram esse, præter illam innumerabilē Christiani populi cædem, regionum nempe & oppidorum vastitatem, sectarum & hæresum originem, populorum motus & rebellionem: deniq; indignissimam illam necessitatem in quam principes ipsos incidere necesse est, vt se cupiditati & libidini ciuium suorum eorum etiam qui abiectissimi & improbissimi sunt, submittere cogantur: quum pax cōtrà omnia bona afferat. Quamobrem rursus testari cœpit, siqua honesta pacis conciliandæ ratio daretur, eam se minimè repudiaturum esse, neq; ab ea priuati cuiusquam emolumenti causa abductum iri: sic tamen vt Rex, priusquam vlla de pace ineunda oratio instituatur, legiones ex agro Pedemontano deducat. Atq; tum magna voce quum se pacem suadere, optare, petere dixisset, loqui desijt, capite demisso chartulam intuens quam digito circunuoluerat.

PAPA Cæsaris orationem subsequi cœperat, vt illius sentētiam & cōditiones quas ferebat, verbis amplissimis collaudaret, quum ille inspecta chartula sermonem sic interrumpit. Prætermisetam, inquit, Pater sancte, quum perorarem, te rogare & obsecrare, vt hanc meam purgationem accipias, rationum momenta attentè expendas, & vter nostrum sit in quem culpa conferri debeat. Sic enim te habere velim, si me culpam commeruisse iudicabis, causam me non dicete quin Regem fauore & ope aduersus me iuues. Sinautem contrà vacare culpa videbor, neq; quicquam quod æquum sit subterfugere, à Rege nullum ius obtineri posse, ibi ego Dei opt. Max. tuam, totius huius sanctissimi collegij, omnium deniq; mortalium fidem aduersus eum imploro. Hac absoluta oratione, papa ad interruptum sermonem rediens, Cæsarem collaudare cœpit, quòd eius verba & conditiones ad pacem spectarent: cuius Regem etiam non minus esse cupidū confidebat, qui suam hac de re iam voluntatem patefecisset. Quamobrē sperare se neque ad bellum neq; ad certamen singulare illos esse venturos. Quòd si alterum optandum esset (quod tamen Deus auerteret) sibi tamē ita videri, quum præcipua essent reip.

Papæ ad Cæsaris orationem responsum.

Chri-

Christianæ columina, non tantum calamitatis ex bello etiam calamitosissimo ac funestissimo quàtum ex singulari certamine accidere posse, si quidem alter ex eis (quod metuendum videretur) aut fortasse etiam vterq; interiret. Quæ quum ita essent, suadebat vt relictis duabus istis conditionibus ad tertiam animum conuerterent, vt pacem atque amicitiam inter se constituerent. Ad hanc rem perficiendam se quicquid gratia & auctoritate apud vtrunq; posset, adhibiturum esse, eoq; consilio ex sententia fratrum sanctæ sedis cardinalium medium se, vt in neutrum propenderet, absque partium studio tanquam vtriusq; ex æquo patrem seruaturum, vt sic neutri suspectus rem facilius ad eum finem perduceret: in quo fore speraret vt se æquos, quemadmodum cupiebat, præberent. Hoc quidem testabatur, si alter iniquum se & præfractum præstaret, se omnino factorum vt Ecclesiasticæ disciplinæ censura atque autoritate vteretur. Hoc responso Cæsar sibi abunde satisfactum esse præ se tulit, manumq; illius submisse deosculari gratias agens voluit.

Matisconensis postea ad Cæsarem accedens, eius orationem, quia lingua Hispanica habita fuerat (quam nõ callebat) à se minimè intellectam fuisse ait: itaq; ad pacis caput duntaxat responsurum esse, ad quam faciendam non dubitabat Regem paratissimum & cupidissimum fore. Cætera collegæ suo Velio relinquere, qui propterea quòd diutius in eius comitatu legatione fungẽs versatus fuerat, omnia melius perceperat. Velius interim accedit, sibiq; dicendi potestatem fieri postulat. Cæsar excipit, de pace satis iam multa dicta esse, se non iam verba sed res ipsas quærere: addit etiam, quicquid dixerat, se scripto traditurum esse, in præsentia nullam dicendi potestatem factum iri. Tũ surgunt discedunt́q; papa & Cæsar, secedunt etiam oratores Galli, dũ papa pontificalib. vestibus ornaretur. Vbi indutus est, Matisconensis eum adit, rogat operam det vt Cæsar orationem suam, sicuti pollicitus fuerat, descriptam tradat. Idem Velius à Cæsare petit, qui se facturum recipit. Ille opportunum tempus se nactum arbitratus, quòd papa abesset, ostendit, quòd nemo à Rege cum mandatis nominatim de pace missus esset, nullam in eo culpam esse, quum ipse nunquam significasset sibi in animo esse hanc Romę facere, imò sibi non placere declarasset papæ nuntiari quo loco res essent, donec planè totũ negotium trãsigeretur. Ad ista Cæsar respondet, lampridem, inquit, satis noras me huc venire, idq; adeo te monueram vt Regem tuum certiorem faceres. Hæc loquutus rursus papam conuenit, atq; vnà missam adeunt: qua finita nostrates legati Granvellanum & Cannesium adeunt, qui vultu ipso sibi rem valde displicere significant, se non putasse Cæsarem illuc venisse vt huiusmodi concionem haberet, cuius tamen prima duntaxat pars obseruanda esset. Respondent illi non deesse Regi rationes quibus ad omnes orationis partes respondeat. Ita satis amicè discedunt.

Regis oratoribus reſſonden di poteſtas nõ fit.

Svb noctem papa Matisconensem ad se accersit, velle se, antequam ad Regem scriberet, cum eo loqui. Paret ille, & postridie ambo legati eum ad prandij finem adeũt. Papa vultu vt ad orationem quadraret, composito, affirmat sibi omnia ista præter spem & contra voluntatem planè accidisse, cui Cæsar nunquam antea verbum fecisset, alioqui se nunquam passurum fuisse, vt hæc loqueretur. Verùm quando quę facta sunt, culpari potius quàm emendari possunt, rogare se illos vt paci quantum possent consulant, quas vellent hisce de rebus ad Regem literas dare, tanta prudentia & dexteritate temperent, vt ea prætermittant quæ prætermitti citra perfidiæ notam posse, & quibus illum potius exulceratum iri intelligerent. Excipiunt illi, quum illa à Cæsare palàm in tam celebri hominum cœtu dicta fuissent, vix à se dissimulati, & aliter Regi per literas significari posse: se tamen quàm leniss̃imè fieri posset, omnia perscripturos. Vereri quidem ne ab alijs illa disceret, ac fortasse etiam alio sensu quàm ab ipsis scriberentur. Sibi enim plerosque nuntiasse quemadmodum à multis varię & à quibusdam in pessimam partem illa accepta fuissent: vnde fieri non posse quin à multis & varijs rationibus ad eum perferrentur. Ex his illorum verbis papa occasionem nactus, se purgare cœpit quòd Cęsari ad eum modum respondisset, se enim necopinantem oppressum fuisse, nec vnquam existimasse aut Cæsarem dicturum fuisse quæ dixisset, aut vllos fore, qui quæ ipse dixerat, in malam partem acciperent. Neque enim sibi animum vnquam fuisse ac ne tum quidem esse vt ab ea libertate discederet, qua vti constituisset, vt neutri parti se adictum contineret: sed eam semper atque omnibus in rebus seruaturum. Quòd verò

Regis oratores apud papã eam querũtur.

1533. se potestate Ecclesiastica vsurum denuntiauerat in eum qui æquitati non acquieſceret, id ſe ad exhortandi & monendi rationem referre, quemadmodum ſui eſſe muneris intelligebat. Legati gratias illi multis verbis agunt, hoc ſic habeat rogant, Regem nõ eum eſſe qui æquitatem vllam refugiat. Tandem ſignificant ſe magnopere cupere vt ex Cæſare ipſo audiant, idq; papa præſente, quo ſenſu quædam ſuæ orationis capita velit accipi, vt ſic quàm maxima poterit fieri lenitate omnia ad Regem perſcribantur.

Regis oratores à Cæſare quoriãdam capitum explicationem petiũt.

CÆSAR tum in procinctu erat, qui iſtis loquentibus interuenit, vt papam ſalutaret. Itaq; legati paulum ſecedunt dum iterum accerſerẽtur, vt breui temporis ſpatio interiecto factum eſt: ſed prius à papa monentur ne loquendo Cęſari moleſti eſſent, quòd eo die magnum iter ei conficiendum eſſet. In hunc ſermonem primùm veniunt, quòd Cæſar de duello, ſiquidem pax componi non poſſet, verba feciſſet: ſed an vlla cauſa vel diſſidium interceſſiſſet, cuius dirimendi gratia hoc duellum inſtitui vellet, hoc verò nõ ſatis perſpicuè ab eo fuiſſet explicatum: niſi quòd fortè videbatur id dixiſſe, nequod bellum ex his diſſidijs oriretur, ſatius eſſe ſingulari certamine tolli quicquid controuerſiæ intercederet. Quamobrem optare ſe vt hæc planiora fierent, putarẽtne Cæſar his verbis Regem ſingulari certamine à ſe prouocatũ eſſe. Quod ſi eſſet, non dubitare ſui principis verbis ſpondere eum non eſſe recuſaturum, quin ipſum Cæſarem ſatis reminiſci, tale quiddam antea contigiſſe: nunc verò nihil tale agi, quod ſciant: ac ne Regem quidẽ ipſum in animo habere, aut certè nullam dediſſe ſuſpicionem, quaſi ducatum Mediolanenſem per vim auferre cogitet. Quæ vera eſſe ſatis conſtare ex ijs quæ eorum alter Velius Cæſari etiam certis latis conditionibus dixiſſet: ad quæ etiam Cæſar ea reſpondiſſet, ex quibus Regi eſſet ſatisfactum. Quæ omnia teſtimonio ſatis eſſe poſſe quod ſit Regis conſilium. Huc accedere quòd amiralio iam inde ex quo Gallia exercitum educebat, Rex (vt ſæpe dictum eſt) diſertis verbis vetuiſſet, nequid eorum quæ à Cæſare tenentur omnino attingeret: id autem illum nec feciſſe nec facturum eſſe. Quod porro ad ea attineret quæ inter ſe illi egiſſent, omnia ſcripto comprehenſa eſſe: quæ deinde vtrinque ſequuta eſſent, de ijs papam facilè iudicare poſſe, ſe in hanc ſententiam plura nõ eſſe dicturos: id ſe tantùm nunc à Cæſare petere, num eius mens eſſet, Regi hoc obijcere quòd verbis ſuis non ſteterit, aut fidem ſoluerit, aut quicquam fecerit quo dedecus vllum admiſerit: deinde num putet Regem hac ipſius oratione ad ſingulare certamẽ prouocatum eſſe.

Cæſaris ad Regis oratorum poſtulata reſponſum.

DVM iſta loquuntur, multi in aulam papæ ingrediuntur, ſed tamen ſeorſum nemine acceſſito audiuntur, quouſq; Cæſar ſe ad reſpondẽdum pararet. Is tum ait, quoniam pridie vniuerſis aſtantibus atq; audientibus verba feciſſet, velle etiam ſe tum palàm reſpondere, eoq; magis quòd multa à ſe dicta malè accepta fuiſſe intelligeret. Itaq; propius accedere qui ingreſſi fuerant iubet, & lingua Italica loqui ex orſus narrat quemadmodũ à Gallis oratorib. rogatus eſſet vt planius ſe aperiret in ijs quæ pridie dixerat, quòd multos audiret à ſe dicta malè interpretari: quibus ſatisfacere vellet, & apertius quatuor capita quæ pridie ſua oratione ſe complexum recordaretur, exponere. Primo loco quòd fuſius quæ antea inter ſe & Regem intereſſerant commemoraſſet, id non Regis accuſandi aut culpandi, ſed ſui purgandi cauſa feciſſe: ſe vehementer dolere quòd ſua verba alio quàm quo dicta eſſent animo accipi videret. Nã de Rege ſic ſe iudicare, vt nihil cauſæ ſibi eſſe fateatur, cur grauius quicquam in illum dicere velit. Nonnulla quidem minus ſibi probari quę ille dixiſſet aut feciſſet, quibus facilè quieſcere potuiſſet, pro ea quę inter ipſos intercedebat, ꝓpinquitate, proq; eo ac de illo meritus fuerat, & deinceps mereri cogitaret. Verùm quicquid à ſe dictum eſſet, non ſibi fuiſſe animum vt res acerbiores redderentur, aut amicitia ſolueretur, imò cupere ſe (quod etiam perpetuò cupierat) ab illo nulla in re diſcordare, atq; firmam pacem conſequi & colere: id quod erat ſecundum orationis caput. Hãc ſe optare, quam putaret ſibi omnium rerum maximè neceſſariam & accommodatam, quamq; ſi obtineret, tum magnum diſcrimen publicum vitari perſpiciebat, tum priuatim rerum ſuarum ſtatum, ſuum decus & quietem in tuto ſe locaturum conſideret: illud certè verum eſſe, ſe non paſſurum vt vi ad eam adigatur & compellatur. Quòd ſi ſemel ſuas in Regem copias, vti ſtatuebat, conuertiſſet, nihil omnino poſtea obiectum iri quo à re ſemel ſuſcepta deterreretur, ne ſi quidem Turcam cum vniuerſis copijs in ſuas regiones, quas ponè relinqueret, impreſſionem facere audiret:

quòd

quòd satis intelligeret sibi non tantum esse virium vt ambobus simul obsisteret. Itaq; potius se de Rege debellando cogitare: quam ad rem se in dies quam maximũ posset excercitum conducere, vt totam rem semel tranſigat, ſi quidem ad bellum ſibi veniendum esse intelligeret. Verùm ne eò tandem descendere cogeretur, se omni ratione (vti pollicitus fuisset) operã daturum, omnesq; ex suis ipsius factis facilè iudicaturos quam nullo proprio emolumento à pace facienda alienatus fuisset.

PORRO autem (quod tertio loco dixerat) si nulla ratio ineundæ concordiæ posset inueniri, sibi & magis accommodatum & minus damnosum visum esse, vt inter se priuato periculo depugnarent, quàm vt tot, quorũ culpa nulla est, in capitis diſcrimen vocentur. Id sic accipi se velle, magis quòd ita sentiret cõducere, quàm quòd Regem prouocasse vellet, maxime coram papa, absq; cuius venia tantam rem aggredi nollet. Præterea se non fugere Regem tum animi tum corporis magnitudine præcellere, qui quantos gerat spiritus, non semel demonſtrasset: vt non temerè sibi cum eo congrediendum esse iudicaret: quum præsertim nullam extare necessariã causam perspiceret, nisi vt maiori malo obuiam iretur, si quidem impendere appareret, aut maius incommodum vitaretur, cuiusmodi est bellum Christianæ Ecclesiæ intestinum, cuius probabile esset interitum vel certè labefactationem & inclinationem maximam inde consequi debere. Ibi tum in eam narrationem denuo ingressus est, quam superiori die instituerat, de malis quæ iam contigissent, & contingere deinceps ex mutuo bello possent, contra etiam de commodis quæ ex pace & consensu vero oritura essent. Hãc pacem amplissima verborum congerie cœpit prædicare, dum ostendere conatur quantopere cuperet veram illius constituendę rationem inueniri, idque vt simul dissidium Regis & Sabaudi conciliaretur. Cuius orationis hic fuit exitus, vt diceret, si mutuam inter se, firmam ac tutam fiduciam statuere possent, adeo fœlicem ac fortunatam inde plebem Christianam fore, vt nihil suprà: quemadmodum contrà omnia ex bello infausta & funesta, aditũ Turcæ patefactum & ingressum ad nos adoriendos concessum: sectæ Lutheranæ & aliis hæresibus facultatem datam, vt non solùm impunè maneant, sed etiam in dies augeantur: concilium impeditum, sublatam rationem qua isti hæretici ad Ecclesiasticam vnionem reducantur, tantam rerum omnium perturbationem, vt principes ciuium suorum arbitrio & libidini subiaceãt, antiquitum dignitatem, populi fidem ac religionem, Dei cultum penitus extinctum, præter acerbitates illas & miserias quæ ex ira diuina expectari debent & possunt. Quæ omnia tam perspicuè propinqua esse, vt mirum videri non deberet si ad hunc modum verba fecisset: propterea quòd si duæ acies propius accederent (vt futurum videbatur) tanto vtrinque militum numero, vt nulla alia daretur occasio quàm linguarum varietas & spes prædæ, nihil tamẽ expectari posset quàm pacem solui. Hanc proinde fuisse causam cur postulasset vt intra viginti dierum tempus Rex copias deduceret: quod quartum fuerat orationis membrum. Non quò sanè hoc suum consilium fuisset, aut tãtum sibi sumeret vt Regi certum tempus præscribere vellet, sed quòd satis sciret circaid tempus duos exercitus adeo propinquos fore, vt ægerrimè pacis violationi obuiam iri posset.

PAPA subijcit se quidem boni consuluisse quicquid Cæsar pridie eius diei dixisset, sed multos tamen fuisse qui alio animo interpretati essent. Quare sibi periucundum fuisse quòd ea, vt planius intelligerentur, exposuisset, nequis forte malitioſe ad Regem scriberet, vt acrior simultas existeret, qua mox inter eos pax violaretur. Quain re sperare se vtrunque Regis oratorem fidelem operam nauaturos, se de vno spondere posse, de altero ipsum Cæsarem, (quos iampridem apud se versantes optimè nouissent) omnia illos ad Regem, ne pax dissiliret, moderatissimè scripturos esse. Respondent illi papam sua autoritate his omnibus malis remedium inuenire posse, si se communem ambobus patrem, vt erat, præberet, seq; ex æquo vtrique fauere ostenderet. Id papa se recipit facturum, additque, inter cæteras dotes summas quibus ambo principes illi diuinitus pollerent, hanc esse præcipuam, quod cœlesti summi Dei nutu & autoritate tota res Christiana in eos incumberet: vt quò maiorem sibi laudem conciliarent si recte se gererent, eo grauiore etiam vituperio digni essent, si quæ res illorum tutelæ & fidei mandata sit, eius exitium ipsi & interitum afferrent. Quare Cæsarem rogat vt satis habeat, si quæ de pace grauiter & copioſè disseruerat, reipsa bona fide præstaret: se quidem bona spe esse

Regem Galliæ non fore implicabilem nec morosum, quantum ex ipsius ad se literis cõiecturam facere posset. Huic Cæsar morem se gesturum respondet: atque hîc rursus enumerare cœpit quantum bonorum ex vera inter se fiducia & amicitia emersurum esset, quanto item studio teneretur vtRex sibi fidem habere ne dubitaret, idq; ab eo summopere contenderet.

Velius Cæsarem acriùs vrget.

His dictis papa & Cæsar iam consurrexerant, vt in discessu se salutarent, quum Velius alter ex Gallis oratoribus proximè Cæsarem accedit, summis precibus contendit ne recusaret coram papa & toto illo cœtu dicere, annon aliquando sibi ipsi confirmasset se Aurelio ducatum Mediolanensem traditurum. Hoc quippe se ad ipsum Regem scripsisse, atque adeo, quum Cæsarem videret in eadem sententia non perseuerare, vereri ne in reprehensionem incurreret, haberetuŕque à Rege homo vanus, qui ista confinxisset. Cæsar ipso vultu satis ostendebat libenter se à respondendo abstinere, vt nihil apertius enuntiaret. Tamen agnouit se id pollicitum fuisse, neque id solùm, verùm etiam hoc ipsum ad suum oratorem scripsisse, quem in Gallia habebat, qui id Regi significaret: sed tamen sibi nunquam visum, ac ne tum quidem videri, fieri posse vt satis tuta fide caueatur, neque Regem cõditiones illas accepturum, quas ipse semper postulaturus esset. Subijcit Velius hanc demum esse rationem qua Rex sibi parum fidẽdum esse huiusmodi pollicitis statuat, tantum abesse vt fiducia excitetur & alatur, si hanc conditionem ferret, quam nollet aut non putaret præstari posse. Prætere a se ab eo semper audijsse, nullas conditiones nisi æquissimas adiuncturum, quũ Aurelio ille ducatus traderetur, sed nonnullis in rebus de iure suo, rationibus & nomine decessurum. Ibi Cæsar purgat se, quòd Rex in tempore conditionem non accepisset, quòd etiam copias in Italiam traduxisset, quòd innumera damna Sabaudo intulisset, cuius iniurias negligere sibi nefas esset, nõ solùm propter summã coniunctionẽ, sed etiã quia in sua eum clientela haberet. Esse enim mutuę obligationis ius inter eos qui in clientelã alij alijs se dant & accipiunt, vt alij vicissimaliorum salutẽ etiã capitis periculo tueantur. Postremò de ducatu illo nunquã se cõcessisse, nisi ea lege vt omnes fœderati & socij ratũ haberent: qui quidem totũ illud vehementer imꝑbabant, incendium nouũ Italiam sic occupaturũ esse ob eas causas quas pridie cõmemorasset. Quòd si Rex duci Angolisimensi hunc ducatum tradi vellet, se ab eo non alienum fore ijs partim conditionib. quas iã tulisset, partim quas adijceret quum res conficienda esset. Nam de Aurelio non esse iam q. quis loquatur: in quo præter ea quæ commemorasset, hoc incõmodi esse, quòd omnino Regias partes foueret ac tueretur, quũ Angolisimenſis, vt Regi cupiat & studeat, tamẽ ducta vxore, quæ Cæsarianarũ esset partium (vt pote sua nepte) non magnum haberet pondus, sed res pari propè momento essent. Velius iam os aperire cœperat, vt doceret hac suspicione & mentione studij partium nec statui nec indicari vllam fiduciam: prætere a ipsum, quum Aurelio Mediolanum polliceretur, ne verbo quidem eius conditionis meminisse, vt fœderatis probaretur: quum Cæsar manu silentium imponens ad papam cõuersus, Annon bellum est, inquit, quòd Galliæ Rex mihi orandus est vt ducatum Mediolanensem vni ex suis liberis tradi assentiatur? Annon valde æquum est quòd ifti me cogere volunt, vt illis, tametsi nõ sunt mei ex sorore nepotes, aliorum arbitrio patrimonium hereditatem?

Cæsar tandem se aperit.

Hoc dicto petita venia à papa discedit, neque oratores nostrates amplius loqui passus est. Qui tamen partim vt papæ monenti obtemperarent, partim quòd paci studerent, multa quæ audierant prætermiserunt, neque omnia ad Regem perscripserunt, veluti de singulari certamine, quo gladijs, vel ficis, indusijs tecti pugnarent, gestum, actionem & verba quibus vsus fuerat, dum suorum virtutem magnificè efferret, Regios parui penderet, seque, si suos illorum similes esse intelligeret, vinctis manibus supplicis instar à Rege veniam petiturum esse: item illud, quum Regem diceret monarchiam se illi conciliaturum, quod tamen postea correxerat: aliaque permulta, quæ facilè perspiciet, qui hanc Cæsaris concionem cum capitibus scripti conferre voletquod postea à Rege missum est: is enim tantùm ad ea respondit quæ ab oratoribus suis scripta acceperat.

Cardinalis Lotaringus à Rege in Italiam de pace missus.

Dvm ista gerebantur, cardinalis Lotaringus ad Cæsarem cũ mandatis missus fuerat, sicut antea demonstratum est. Ac tametsi post illius discessum Rex de illa mutatione

perat

perat neq; à suis oratoribus neq; à Cęsariano quem apud se habebat)non tamen idcirco ipsum Cardinalem reuocauit,idq; eo consilio vt quicunq; esset rerũ exitus, causam suã tum Deo tum hominibus probaret, ac nullis nõ constaret se nunquã pacis conditiones recusasse,sed quacũq; potuisset ratione expetijsse. Cardinalis decimooctauo Aprilis die vesperi ad eum locum vbi nostri castra habebant,cum literis fiduciarijs peruenit:amira lio quæ mandata ad eum habebat exponit,caueret ille summa diligẽtia nequid innouaret, locum cõmodum deligeret in quem copias suas turò deduceret, ne deniq; vlterius progrederetur,donec aut à se literas ex eo loco acciperet quò proficiscebatur, aut aliud à Rege mãdatum afferretur. Hoc accepto nuntio amiralius maxima perplexitate affici cœpit,quam rationem in reb. gerendis sibi sequẽdam esse statueret. Nam certis nuntijs exploratum habebat Cæsarem magnos belli apparatus facere,pacis verò spem esse perexiguam:itaq; maximi periculi rẽ esse iudicabat (præterquã quòd existimatio & honos illic agebatur)pedem referre,aut saltem eodẽ loco in ipso victorię cursu exercitum sistere. Rursus verò animaduertebat,idq; ob oculos sibi continenter statuebat,si exercitum promoueret,acceptis illis à Rege literis ac mandatis quibus id facere vetabatur,etiamsi fœliciter omnia cederent,Cęsarem,quod de ducatu Mediolanensi promiserat,si retractare vellet, hunc prætextum allaturum, quòd pactione facta à nostris nouum aliquid designatum esset. Quod factum non dubium esset quin vehementer Regi improbaretur: qui quidem in primis illud cupiebat, vt suum amica potius pactione recuperaret, quàm armis experiri cogeretur:quòd si ferro decernẽdum aliquando esset,cum tã perspicua iuris & æquitatis specie faceret,ne cui obscurum esset nihil non à se tentatum fuisse, ne ad hanc necessitatem veniret. Quamobrem concilium aduocat,vt de re ad omnes ordinum ductores referret. Coacto cõcilio literas recitari iubet,item fiduciaria mãdata quæ ex cardinalis ore scripto excipi curauerat:sententias deniq; rogat. Dicuntur à nonnullis breuissimæ sententiæ,vbi discrtum extaret principis mandatum,non consulto,sed facto & obtemperato esse opus. Addunt alij incertum esse & ancipitẽ rei exitum, qui si parum fœlix esset,nihil fore quod excusaret is qui contra imperium pugnasset. Burius rei machinariæ præfectus, qui Vercellarum situm explorauerat, sententiam rogatus,confirmat sese intra proximum diem tantam muri partem deiecturum esse, vt magno oppidanorum incommodo & iniqua conditione oppugnatio fieri posset.

Amiralius animi dubius ac pendens.

Galli quid facto opus sit deliberant.

OBICIVNT alij non satis esse murum labefactari, rationem habẽdam esse quo numero essent propugnatores,quanta esset nostrorum multitudo, eorum denique qui non procul subsidio erant, quibus freti oppidani acriter propugnarent. In oppido tria hominum erant millia,ex quibus mille erant Germani:nostri non plures erant sedecim peditum millibus, equites septuaginta cataphracti, & centum arcitenentes ex ipsius amiralij turma: ex turmis Ioannis Pauli & marchionis Salussij circiter quadraginta cataphracti, bis totidem arcitenentes: ferentarij ad numerum ducentorum:reliqui nobiles qui nullo autoramento ad famam tantùm & nominis claritatem quęrendam venerant, fere sexaginta. reliquæ copiæ tam equitatus quàm peditatus cæteruatim alijs atque alijs diebus accedebant. Antonius Leua quatuor passuum millia à nostrorum castris castra habebat ad flumen Sesiã cum ferè quatuordecim peditũ millibus & equitib.ad numerũ sexcentorum. Inde facilè poterat oppidanis,si primo impetu non expugnarentur, subsidium & commeatum mittere, nostros verò pabulatores & frumentatores impedire: aut dum nostri muro succederent,aliunde veniens prælium committere, aut denique flumine alibi traiecto Taurinorum oppidum non satis adhuc munitum occupare. Denique vt Vercellæ prima oppugnatione caperentur, ibi imponendum erat præsidiũ, vt exercitus eo infirmior fieret,vnde periculum & iacturę hominum & ignominiæ sequeretur. Ad has difficultates non deerat quod à quibusdam responderetur, posse exercitus parte oppugnari Vercellas, dum reliqui hostem transitu prohiberent. Quod si tam fœliciter succederet vt caperetur oppidum, tum verò,quemadmodum à Rege iuberetur,nostrorum copias illuc & in alia oppida deduci tantisper posse,dũ nuntiaretur quid cardinalis cum Cæsare egisset.

HÆC sententia multis non displicuisset,si res ante cardinalis aduentum aut saltẽ antequam Antonius Leua eum aduenisse audiret,confecta fuisset. Verùm amiralius iã Antonium de cardinalis aduentu certiorem fecerat, & turò transeundi facultatem illi dari

ducemq; itineris præberi postulauerat, à quo ad Cæsarē deduceretur. Quib. reb. fiebat, vt si Vercellarum oppugnationem tentarent, neq; conata perficerent, nihil amiralio su peresset quo se purgaret, Cæsari portò prætextus, seu fœliciter seu malè pugnatum esset, præberetur, vt irritum faceret quicquid esset pollicitus. Quamobrem omniū sententia fuit Regi parendum esse, & exercitum reduci oportere. Annobaldo vlterius progrediendum esse non videbatur, sed nec recedendum etiam suadebat, ne hanc sibi conciliarent ignominiam, neúe gloriaretur hostis id sui metu ab illis factum esse. In eius sententiā omnes discesserunt, vt vbi erant, eodem loco tantisper subsisterent, dū cardinalis ex Antonij Leuę exercitu quid facto opus esset scriberet: vt si tum recedendum esset, id hostis rogatu & consensu factum videretur. Hic nuntius & nuntiantis aduentus magnæ militum parti, qui iam Vercellas animo captas gerebant, & quos prædæ spes erexerat, minimè iucundus fuit. Hi quo magis transire vetabantur, eo ferocius se iactabant, & ad vallū duci postulabant, tantaq; inter se confidentia loquebantur, vt multorum ea sit sententia tum ex nostris tum ex hostibus, illos oppidum, si permissi essent, expugnaturos fuisse.

Cardinalis ad Antonium Leuam accedit.

CARDINALIS ab Antonio Leua summa humanitate exceptus mandata exponit, docetq; quemadmodum Rex roganti Cæsari morem gerere non recusaret, qui vt mutuam amicitiam & pacem ei gratissimam esse constaret, noluisset hoc denegare, vt exercitum suum gradū sistere iuberet, licet id à se vix fieri, tam propinqua spe victoriæ, absque nonnulla existimationis iactura intelligeret. Itaque tametsi hac victoria facilè recuperare & obtinere posset quicquid à Sabaudo per vim & iniuriam occupabatur, noluisse tamen suum ius ita armis exequi, vt rationem ineundæ & confirmandæ pacis tollere videretur, qua ipsum quoque Sabaudum comprehendi in Cæsaris gratiam non recusaret, malletque vltro ijs quæ sibi iure vindicare posset, cedere. Ad ea cardinalis verba satis humaniter respondet Antonius, non tamen vt victoriam tam esse certam fateretur. Simul quædam ab illis constituuntur, ne Leua citra Sesiam transiret, amiralius trans Doariam exercitum reduceret, quod renuntiaretur quid cardinalis Romæ cum papa & Cęsare egisset: illos enim adhuc vnà se reperturum esse cardinalis sperabat. Hęc ad amiralium perferuntur vnà cum literis quibus denuo Regis mandatum perscribeba tur. Is tum vt morem gereret, tum quòd nostrorum exercitus loco valde anguſto consederat, quiquidem tribus aut quatuor oppidis Monferratensis ditionis cingebatur, in quibus hostes præsidium habebant, quibus facile erat maioribus copijs introductis nostris in commeatu ducēdo negotium facessere: optimū factu esse iudicauit vt copias ad Sangermanum reduceret. Illic enim sperabat Ivręam oppidum sibi commodo fore, totamq; illam vallem quę ad Heluetios spectat, vnde milites Regi educerentur, si quidem bellum produceretur, & Taurinis, si opus esset, subsidium mitteretur.

Amiralius exercitum reducit.

Cæsar Roma discedit.

CÆSAR oratione illa habita, qua suam mentē (vt demonstratum est) explanauerat, Papæ valere dixerat, & nulla mora Roma egressus Cannesium & Granvellanum reliquerat, qui à papa subscriptum libellum afferrent, quo se neutri fauere velle nec causæ immiscere testabatur. Cum ijs regij oratores ita suadente papa adhuc de pace egerant, neque omnino de spe deiecti fuerant. Quinetiam quum sibi testificationis illius exemplum (quemadmodum Cæsar fuerat pollicitus) dari postularent, respondērāt Cæsarem grauissimis & iustissimis de causis sententiam mutasse, illudq; exemplum in Galliam ad Leidekerkium misisse, qui Regi illud reciteret, quique, si quid inesset acerbius, oratione mitigaret, vt ne hoc inceptum negotium interrumperetur, sed ad optatum finem perduceretur. Hoc responsum & quæ Cæsar ad sarciendam offensionem adhibuerat, Velio spem faciebant fore vt tandem aliquid melius eliceretur. Itaq; existimare cœpit vel Cæsarem arrogantioribus verbis vsum palàm fuisse, vt ostenderet regiū exercitum sibi non esse formidini, neq; quicquā à se per vim extorqueri posse, & hac oratione heroici animi laudem quærere voluisse, vt hac ratione videretur quasi aduersolibramine bellum Sabaudo à Rege illatum designasse: vel cardinalis adductu (quem propinquum esse sciret, & quocum omnia commodè transigi possent) impulsum hæc dixisse, vt Italicis dynastis & alijs fœderatis occasio daretur, cur existimarēt nullum antea promissum inter ipsum & Regem interc essisse.

HANC Velij spem non mediocriter alebat papa: itaque quòd verebatur ne cardinalis hac in itinere accepta de Cæsaris oratione fama confectim in Galliam reuerteretur,

retur,nuntio obuiam misso suaserat vt inceptum iter absolueret.Regem etiam per literas monuerat & orauerat, vt quanuis illa Cæsaris verba duriora viderentur, moderatè tamen responderet,ne res magis ac magis exacerbaretur. Interim tabulæ afferuntur pacis signo confirmatæ, quibus se neutri parti addictum esse testabatur. Eorum summa hæc fuit: papam vehementer dolere tam exiguum esse Cæsari cum Rege consensum atque fiduciam, tam apertam mox futuri belli significationem præberi. Et quoniam fidus inter eos sequester esse cuperet, palàm se neutrius partes sequi testificari, neutri se nec opibus nec consilio fauere in re bellica decreuisse, neutrius nomine milites ad bellum conscribi in suis possessionibus passurum, apud se neminem vllius ordinis aut conditionis habiturum, qui ad alterius partes se pellicere tentaret, neutrius milites sua oppida munita aut arces ingredi permissurum, sed suorum aut mercenariorum præsidijs se illa firmaturum. Per totum hoc tempus nulli prohibiturum fœdus ingredi quod ad defendendam Italiam initum esset: controuersias interim suas & contentiones dilaturum,nempe cum Ferrariensi in annuum, cum Vrbinensi & filio de ducatu Camerino, in semestre tempus: quod auxilium Clemens papa quinque Heluetiorum pagis promisisset aduersus reliquos qui ab Ecclesia Romana desciuerant, illud se polliceri: pecuniæ quandam non mediocrem summam,quæ ad omnes casus parata esset, iam tunc depositurum. *Papa scripto se neutrius partes sequi velle demonstrat.*

HÆc chirographo confirmata,& sibi tradita Cannesius & Granvellanus accipiunt,Romaque egrediuntur,atque vnà cum eis Velius,& Senas,vbi tum erat Cæsar,veniunt. Illuc etiam venit cardinalis Lotaringus: qui hoc sibi tantùm negotij primo aditu datum iri credebat, vt salutato Cæsare, mandata in pomeridianum tempus reijceret, quòd iam adeundæ missæ tempus esset. Verùm quum illum salutasset, suique aduentus causam leuius tantùm significasset, vt commodissima oratione,quoad poterat fieri, vteretur,neque præcipuam adhuc mandatorum partem attingeret: Cæsar vltro periucundum sibi illius aduentum esse respondet, vt perspicuè magis disceret quænam spes firmæ cum Rege pacis absque vlla diffidentia constituendæ daretur. Cardinalis hac oratione audita occasionem sibi arripiendam esse existimat,itaque sigillatim nûtiat quemadmodum Rex in animo haberet se cum eo quàm firmissimis fœderibus posset vinculis coniungere. Id vt consequatur,& omnibus ostendat quàm syncerè se gerat,non solùm amirailio exercitus Pedemontani imperatori vetuisset, ne vltra eum locum in quo tum castra habebat progrederetur, sed etiam inde pedem referre præcepisset: nequid esset quod pacis spem remoraretur aut tolleret. Hæc si semel constituerentur (vt iam tantum non transacta videbatur, adeo res vsque ad id tempus processerat quum è Gallia mitteretur) nihil illum frustra desideraturum quod in Regis esset potestate. Qui quum audiret illi placere, vt in Argeriana expeditione comitem Aurelium ducem habeat, non esse hoc denegaturus,quin illi dignas tanti Regis filio & pro tanta expeditione copias tribueret. Quum autem omnes quæ adhuc latè fuissent conditiones accepisse se ostenderet,præter illam de vsufructu, quem certis de causis, quas per legatum exposuerat, sibi semper seruari petierat,iam nunc planè desisteret. Hoc tamen interim postularet (quòd omnem omnibus materiem semel præcideret, qua suspicarentur non omnibus numeris absolutam amicitiam inter eos constare)vt vsusfructus ille sibi concederetur,fide data mox Aurelio filio traditum iri. Quibus confectis rebus illi obuiam,si videretur, Mantuam vsque prodituros esse,aut alio quò liberet, vt congressu & fide data atque accepta pacem firmarent, nihilque non faceret quod illi gratum esse & à se ita fieri posse iudicaret, vt sociorum suorum amicitiam minimè violare cogeretur. Quibus omnibus conditionibus tam opportunum ad pacem & mutuam fiduciam aditum patefactum sibi videri affirmabat, vt tametsi in itinere nonnulla intellexisset, quæ ipse Romæ testificans apud papam exposuerat, nihilo tamen secius ad ipsum venire easq; explicare statuisset. Quas quidem tam æquas esse asserebat, vt quicquid interim verborum incidisset, non iudicaret tantilla re summum illud bonum interrumpi debere. *Cardinalis Lotaringi ea cum Cæsare colloquia.*

AD hæc cardinalis verba Cæsar maximam eorum partem commemorare cœpit quæ oratione sua Romæ habita percurrerat, quibus se purgabat,& causam afferebat cur non tutò se cum Rege decidere putaret. Se enim non videre quemadmodum Aurelio ducatum Mediolanensem traderet, atque adeo omnino non facere se constituis- *Cæsaris ad cardinalis oratio memorabilis.*

1536. se: duci tamen Angolismensin non recusare quin traderet, vnà cum sua nepti, quam illi in matrimonium daret, idque certis conditionibus quæ in agendo constituerentur, modò illic Rex nihil quod curaret haberet. Sperare enim se, ducem Angolismensem, præter intimam illam affinitatem valde sibi obstrictum fore, à quo tam amplum munus acceperit, ita summa pace & coniunctione secum victurum: se vicissim tanta illum beneuolentia & studio complexturum, vt summa quiete hunc ducatum obtinere posset absque vllis præsidijs, quibus populus grauaretur. Deniq; vsum fructum nunquam se Regi nec directò nec alia ratione concessurum esse. Cardinalis demonstrat, si cum Rege age re in animo haberet, nõ esse cur hunc scrupulum afferret, aut fidem ab alio quàm ab eo sibi dari postularet, vtpote quicum rem sibi esse intelligeret, & à quo non ab eius liberis, summa omnia iam nunc expectaret. Præterea quũ hic ducatus aliquãdo Regi, à quo iure tenebatur, ademptus esset, æquitati esse consentaneum, vt quoniam ei non erat restituendus, saltem eius esset statuere vtri ex liberis tradi oporteret. Tum Cæsar interfatus, sum esse hunc ducatum non alterius cuiusquam respondit. Subijcit Cardinalis, Regem ipsum quidem, qui renuntiasset (quod firmum esset, an infirmum, se nũc non agere) videri quodammodo sibi non posse vindicare: ad liberos verò ipsius quod attineret, nemini dubium esse posse quin ad eos hæreditatis iure redeat, quibus nisi per iniuriam adimi neqeat. Qui tamen ne ipsi quidem recusarent ab eo traditum accipere, siue dono siue alia quauis ratione, quã ille præscriberet, modò istud eo modo fieret quem ad modum oratori Regis factum iri pollicitus fuisset. Ad hanc vocem Cæsar homini os præcludit, negat se quicquam viua voce concessisse. Cardinalis quòd nollet primo aduentu spem omnem rei conficiendæ abijcere, speciem obtendere cœpit quasi cum Velio oratore colloqui vellet: sicque ab eo discedit. Cupiebat etiam priusquam res planè in desperationem adducerentur, tempus præcipere quo cursorem nominatim ad Regem mitteret, vt quo loco res aduentu ipso esse comperisset intelligeret: simul etiam vt præterieris amiralium certiorem faceret, id adeo ne si tota res possum rueret, ille imprudẽs opprimeretur.

Cæsarius certandi alterius.

Cæsar nouam rationemque vitquemadmodum Regi postulata recusaret.

POSTRIDIE mane quũ Cæsar in cubiculo adhuc indueretur, redit Cardinalis, renũtiat se de suis mandatis accuratè cũ Regis oratore communicasse, atq; ab eo quę prius acta fuerant audijsse. Omnia verò huc redire deniq;, vt nisi de Aurelio quæ cœpta erant, peragi vellet, se nihil iam habere quod præterea agat. Illum enim esse veluti fundamentũ quod suis mandatis substratum esset, quæ perferenda Rex dedisset, pro eo ac ipse antea se facturum esse recepisset. His causis adductum rogare vt eius voluntate papam sibi adire liceret, quem certiorem de Regis voluntate faceret, quibus conditionibus pacem obtinere contenderet: simul quemadmodum ipse æquissima ista recusaret, quęque antea de Aurelio pactus fuerat, retractaret. Cæsar sibi ingratum esse non ostendit quòd cardinalis discederet: tantùm causas repetit suprà commemoratas, cur de Aurelio non assentiretur. Quoniam porro inter cætera negauerat se vnquam disertis verbis quicquam promisisse, Velius, ad quem res pertinebat ne vanitatis apud Regem argueretur, tantam iniuriam multis verbis deprecatur, ne sibi tanta macula hæreat. Ibi tum Cæsar agnoscit Cannesio & Granvellano hac de re mandata se dedisse, scripsisse etiam ad Leidekerkium, qui Regem de illis faceret certiorem. Illum verò conditionem tum quam tulerat, non accepisse: imò planè pugnantia superiori fœderi, si quis verba exactius velit captare, feciſse, qui suum amiralium quo modo omnes norunt huc miserit: quam rem nonnisi indignissimè se ferre posse. Præterea non posse tantam fidem dari, quanta cauen dum esse videret in causa Aurelij, vt nimirum sociorum iudicio satis esse videretur. Rogat cardinalis quasnam tandem conditiones addi postularet, eas enim valde iniquas esse oportere, si Rex subire detrectaret, tanta pacis faciendæ & fiduciæ mutuò constituendæ cupiditate tenebatur. Respondet ille, abunde se quid sentiret, papæ significasse, à quo Regem certiorem esse factum putaret. Excipit cardinalis vix esse verisimile, eum quum de Aurelio assentiretur, non præuidisse qua fide caueri postulaturus esset: rogat ne sibi, qui tam procul huius rei conficiendæ causa venerat, quid consilij haberet occultaret. Tum ille negare sibi in animo esse, nisi mandata & facultatem videat, sociorum quoque sententiam compertam habeat (quibus tamen quod semel probasset, placiturum certò sciret) vt amplius quicquam loquatur. Ad extremum addit, cuicũq; ex Regis

liberis

liberis ducatum traditurus esset, ea se conditione facturum, vt noua & mera esse tradi-
tio intelligatur, tanquam possessionis clientelaris, quæ ad Imperiale ærarium redierit,
cuiusque iustum arbitrium penes se fuerit.

His dictis Cæsar ad proficiscendum paratus Senis mense Aprili discedit. Quem quum extra oppidum cardinalis prosequutus eum valere optaret, rogat eum Cæsar vt rediens ad se iter haberet. Cardinalis domum reuersus, antequam Romam iter susciperet, quid colloquendo profecisset ad Regem perscribit, eum quantum potest monet ne ea ad Cæsaris orationem responderet, quibus pax maturius soluenda esse videretur. Eadem opera amiralio etiam de iisdem scribit, quemadmodum se facturum receperat: monet, quicquid à Cęsare vix elicere potuerat, ambiguum fuisse atque flexiloquum, sic tamen vt mox oriturum bellum potius expectandum quàm diuturnior pax videretur. Amiralius Taurinorum oppida munit. Amiralius propterea quòd literas à Mommorencio tum prætorij præfecto & Galliæ mareschallo acceperat, quibus intellexerat se nihil gratius Regi facere posse (qui tum erat rerum status) quàm si loca quędam munitionibus firmaret, vbi dum subsidium è Gallia mitteretur, copias contineret, si fortè Cæsar grauiore exercitu impetum facere institueret: paulo antè Taurinorum oppidum munire cœperat, & Stephanum Columnam cum centum cataphractis & quatuor peditum millibus miserat, qui tum muniendo oppido operam daret, tum ad octo passuum millia citra Padum locum muniendis castris idoneum deligeret, tum denique ne dum pauci per totum hunc tractũ præsidio erant, Iacobus Scalengius (quod non mediocriter timendum videbatur) qui Genuam venerat, Mondeuisum, Fossanum & Sauilianum ad defectionem solicitaret. Quin ipse quoque amiralius Ivræam inspexerat: quam tametsi muniri non posse reperiebat, (sic enim sita est, vt mons vndique eam impendens cingat) tamen M. Antonium Cusanum cum duobus hominum millibus quos habebat, ibi præsidio reliquerat, vt hostem ad aliquod tempus detineret, dum Taurinorum oppidum muniendum curaret.

Hoc itaque nuntio accepto opus Taurinis inceptum maturari iubet, & locum vallo fossaq; cingi, quo suum exercitum contineret, si Cæsaris tantæ irruerent copiæ, vt cum illis aperto loco pugnare tutum non esset. Regem de his omnibus à Marceneseo certiorem facit, cui confirmat, si vel menstruum spatium intercedat, non dubitaturum se vniuersas Cæsaris copias sustinere, eiúsque vim à Taurinorum oppido defendere. Postea certior fit Cæsarem summa celeritate vti ad copias augendas & coniungendas, Antonium Leuam in Astisanam transire cogitare ad commeatum à tergo impediendum, Fossanios item à Sabaudo ad defectionem occultis consiliis solicitari. Quibus rebus intellectis, vt etiam totum Padi tractum in fide contineret, equestres Mompesati & summi armigeri turmas cum peditibus Gallis ad numerum quatuor millium & Italis octingentis mittit, qui Fossanum, Vigonem, Sauilianum, Conium, Mondeuisum & alia finitima oppida occuparent. Quæ omnia Regi per literas, quas nono & vicesimo mensis die dederat, significat, quáque à cardinali acceperat mittit. Suadet denique, si Cæsaris conditiones accipere non constitueret, tamen dissimulatione rem in mensem protraheret, interim Taurinorum oppidum ita munitũ iri, vt si Cæsar oppugnare aggrederetur, turpe illi ac ignominiosum futurum esset. Eiusdem mensis die postremo & nuntius ad Regem peruenit, & ei simul Leidekerkius Cæsaris orator ipsius orationem allatam ad verbũ recitat, at non illam quidem qualem Romæ habuerat, sed qualis postea emendata fuerat. Huius exemplum dare, quum rogaretur, recusauit, nec causam cur face-
re nollet, indicauit, sed eam postea Rex resciuit, vt alio loco à nobis dicetur. Rex ex iis quæ tum recitari audierat, tum quæ à suis oratoribus acceperat, responsum conficit. Hoc quoniam ipse scribenti dictauit, qui omnium optimè rem suam narrare poterat, verbo tenus huic loco inserere visum est, atque ea quidem fide vt nihil additum, immi-
nutum aut mutatum sit.

Cæsar ad exercitus in dies augetur.

Regi ad Cæsaris orationem responsum.

Vellem res ita tulisset, pater sancte, amplissimi sanctæ sedis cardinales & clarissimi oratores, vt istic tum præsens adesse potuissem, quum Cæsar longa oratione palam quæ inter nos sunt communia narrauit. Ad singula enim coràm respondissem, vt vos animis suspensis hærere non esset necesse, qui alterum duntaxat audistis. Sed quum id assequi non potuerim, quod reliquum est, statui scripto ad ea respondere quæ meus honos & rei veritas flagitat. Quod quàm mihi difficile sit, satis perspicio, quum ne e meis

1536. legatis Cæsar quod dixerat, scriptum dare voluerit, nec ipsius apud me orator vt vel literas quas acceperat, vel, eas vbi recitauit, exemplum traderet, adduci potuerit: vt ad ea duntaxat respondere cogar quę istinc à meis legatis mihi per literas significata sunt. Tua tamen humanitate & iudicij integritate, totiúsque amplissimi istius cœtus (cui quæ scripturus sum, ea nota esse & communicari cupio) existimatione fretus, simplicem ac nudā ipsius veritatis causam vos attentis animis & omni partium studio vacuis intellecturos esse confido. Atque vt inde dicēdi initium faciam, mihi videtur Cæsar mutilos & dimidiatos tantùm quasi quosdam annales contexuisse, dum ea excerpit quæ in rem suam esse putat, ea omittit quę mecum faciunt. Quod vt verum esse intelligatis, quum sic orationem instituit, vt dicere à se Nassauium fuisse ad me, quum regnum excepissem, de amicitia inter nos firmanda missum, id me denegasse credo non reperiet. Ne illud quidem opinor inficiabitur, meam amicitiam & consilium sibi non nocuisse, vt è manibus Margaritæ amitæ & tutoris aui, in cuius potestate erat, liberaretur. Quòd ait meam de Heluetiis victoriam sibi, pro ea quæ inter nos constabat amicitia, iucundissimam accidisse, idem mihi meus apud eum orator significauit: quo quidem facto non mediocriter me sibi deuinxit, nec minus illi gratulatur us eram, si tam insignis victoria contigisset. Quòd prædicat se auo suo non fuisse dicto audientem, à quo solicitabatur vt mihi, dum illud bellum gerebam, in Gallia citeriore molestus esset, id verò fœdere quod pactus fuerat, & iure iurando confirmauerat, minimè illi licebat. Neque verò hoc eum latere potest, me tum ac deinceps totis viribus elaborasse vt illi tota Hispania pacaretur: satisque potest ipse testari quid à meo legato fieri iusserim: meúmque in eum tale studium extitisse puto, ex quo nihil incommodi tum temporis acceperit. De filiarum mearum nuptiis, tametsi earum mortem pro animo paterno grauiter tuli, non minus tamen eo nomine dolui, quòd affinitatis cum eo illarum causa spem mihi excidisse videbam.

De petitione Imperij, quam dicit simultatis originem fuisse, agnoscо sanè mea verba quæ tum ipsius oratori dixi, vt ipse commemorat, perinde id esse ac si riuales eandem amaremus: neque de nostra amicitia, qui tandem esset cuētus, quicquam remissum iri. Hæc, ita me Deus amet, verè ex animo dicebam. Quod addit me, postquam esset Cęsar designatus, ab eo petiisse vt fœdus nostrum renouaretur, datisque ab eo obsidibus confirmaretur, illud quidē quoad potui operā dedi, vt firma & perpetua inter nos necessitudo constitueretur. Nam quum primogenita mea obiisset, altera verò ætate adhuc tam immatura videretur, vt tantæ moræ illum tæderet, redire ad illud fœdus in animo habebam de quo egerat Nassauius, vt glorē illi in matrimonium traderem. Quod quidem nec nouum erat, nec tale ex quo suspicari deberet, me non quibuscunque rationibus possem, ad suam amicitiam aspirare. Ad obsides porrò q. attinet, qui vt darentur me ait postulasse, non eum fugit ita inter nos conuenisse, vt quotannis centena coronatorum millia mihi ex regno Neapolitano penderet: quæ summa quia non persoluebatur, fideiussorē me aut sponsionum sequestros postulasse: quod non eram facturus, si iste pactis stare voluisset. Quòd me in Germania multa molitum fuisse legati mei opera obiicit, est ille nunc apud me, se pernegat quicquam aduersus eum machinatum fuisse. Illud quidem semper meo nomine, qui dux essem Mediolanensis, apud Imperij ordines curasse, vt mihi cum illis optimus consensus & societas, quemadmodum obstringebar, constaret. Siquid amplius tentauit, me inuito fecerit, neque, siquis me docuerit tale quicquam eum cōmisisse, inultum feret. De rege Nauarræ, ipse Cæsar meminit quodnam tempus præfinitum fuerit quo illi fatisfacere debuerat: quod quum non præstaret, licuit mihi Nauarreno opem ferre, neque id circo fœdus violare. Atqui ego tempus illud præfixum aliquot annis elabi siui, quòd illum satisfacturum esse considerem: sed nimia hominis tarditas me promissis stare coegit. Quod verò ad Robertum Marcanū attinet, nūquam ego illi vt bellum inferret autor fui. Id verum esse testimonio est quòd & ipsius legato recepi, me, si rogaret, ex pacto bellum cum Marcano gesturū: & reipsa meos reuocaui, quos ille me imprudente in meo regno conduxerat: quæ causa fuit, vt multa oppida & arces amiserit. Quæ quum ita sint, ipse iudicare potes pater sancte, primo illo bello me perturbatæ pacis crimine non teneri.

De pacto Madriliano toties támque prolixè à me responsum est, vt repeti nihil sit necesse. Vnum illud affirmabo, neminem nescium esse, eum qui captiuus in custodia tene-

tenetur, fide non obligari: ego verò ad Fontirabiam ipsam atque adeo toto itinere dum redirem, diligentius quàm vel in arce Madriliana asseruabar, neq; vnquam custodibus carui. Vnde efficitur, me ex captiuitate, libera fide nullisque obstrictum promissis exisse. Itaque quòd addit quemadmodum antea certior factus fuerit, me illud pactum irritum fore dixisse, agnosco dictum, nimirum quod prestari non debere intelligebã: quòd si fidem dari stipulatus fuisset, conditionem non eram accepturus. De fœdere postea inito ac de iis quæ agi cœpta sunt vt liberos meos restitueret, id totum eò pertinet, vt ad æquam tandem conditionem deduceretur, vtique redemptionis pretium, quemadmodum æquitas postulabat, persoluerem: neque alia fuberat causa. Lautreci expeditio suscepta fuit meo iussu vt papa captiuus liberaretur: qua in re maiorum meorum pietatē imitatus sum. Id ne fieret, quum Cæsarem obstare viderem, neque eum ad vllam æquitatem adduci posse, aut pacis vllam conditionem tutam esse perspicerem, facultate quę dabatur, vtendum esse censui. Lautrecus, inquit, illic obiit: fateor, neque ipse solus, sed maxima pars mei exercitus. Quòd si Deus illos à lue atque pestilentia seruasset, quemadmodū ab hostibus tutatus fuerat, haud scio quorsum ista euasissent. De pacto Cameracensi quod affert, quum multa iniquissima in Madriliano mitigare oporteret, illi cōtrà alia etiam iniquiora addiderunt: quę, quoniam liberorum captiuitatem meam ipsius esse ducebam, recusare non potui. Ac tametsi pactum illud tale erat quale narraui, nunquam tamen constabit à me quicquam contra illud, multis licet datis occasionibus, commissum fuisse.

De Turcica expeditione in Germaniam & de Balanconio, quem hac de re ad me miserat, illum à me petiisse memini, vt pecunias & equitatum suppeditarem. Negaui me mensularium quempiam aut negotiatorem esse, à quo pecunia peti deberet: Cæsarem nuper à me vicies centena coronatorum millia accepisse, quæ satis illi esse deberent. Ac mihi quidem satis causæ tum erat cur quiescerem: sed nihilo secius me tantum auxilij laturum esse recepi quantum maiores mei confuerint, (quibus pretium certum nunquam cōstitutum fuit à Christianis principibus, vt ad bellum aduersum impios religionis hostes compararent) nempe meipsum & vires meas, vt in Italiam & in alias regiones expeditionem susciperem, locum superiorem Cęsari, vt debebam, relinquens: addebam etiam peditatum ex gente Germanica me sumpturum. Quòd si me accersiuisset, copiis ita instructis profectus fuissem, vt honoris & iacturæ particeps essem. Fœdus Bononiense quo consilio initum fuerit, non est quòd pluribus ostendam. De nece Mervillij oratoris mei, vt aliquam in Francisco Sfortiam coniurationem machinatus fit (quod mihi non fit verisimile, quum nihil tale in mandatis haberet) fuit tamen illud factum tam sceleratum & atrox, vt Cæsari ipsi probari minimè credam, quum illi, vtpote principi potentissimo, multis legatis opus sit. Enimuero (illud enim verè dicam) hoc mihi permirum accidit, quòd quum de tanta iniuria apud eum, vt pote sororium conquestus essem, Sfortiæ causam tueri in animum induxerit. Quod obiicit me post pactum Cameracense nouas res in Germania excitare conatum fuisse, hoc sanè verissimum est, nunquam fuisse tempus quum mihi & maioribus meis non optima pax & necessitudo cum sacri Imperij principibus intercesserit. Quin & illud me vidisse memini, quamuis Cæsar & Galliæ Rex inter se bellum gererent, non tamen idcirco illam cum Germanis necessitudinem vnquam desiisse. Verùm quod ad bellum Wirtembergense spectat, nō inficior me à duce Wirtembergensi comitatum Montis pelicardensem emisse, redhibitionis intra anni spatium conditione addita. Is postea mutuum reddidit: quę res non admodum mihi grata fuit, maluissem quippe comitatu illo frui. Quid porrò ille pecunia accepta fecerit, nihil est quòd accuratius inquiram.

Ex suis nonnullos ait in meis triremibus fuisse. At satis nouit, si restituendos curasset meos, qui ipsius iussu ex liberorum meorum comitatu in Hispania capti fuerant, statim suos reddendos fuisse: nam & illos restitui, simulatque mei restituti sunt. Quod ad Schenasium attinet, quem ipse ait aduersus se in Italia aliquid moliri, non possum adduci vt id credam, quum nec vlla huiusmodi mādata habeat, nec ego cum eo bellum gerā. Neq; verò vnquam existimaui aut existimo, siquos ego nobiles Italos in meam aulam & clientelam ascisco, pacem idcirco turbari à me videri. Imò quum Italiæ pacem & libertatem semper in ore habeat, mihi contrà videtur hac ratione seruituris iugum Italię cer-

De hoc Schenasio nihil habeo in superiori illa Cæsaris oratione.

1536. uicibus imponi, si nulli Italo fas sit in alterius principis quàm Cæsaris fidem se dare, idq; demum esset species libertatis seruitute illos premere. De petitione ducatus Mediolanensis, quum à Cæsarianis viuo Sfortia passim audirem illum dolere quòd mihi satisfacere non posset, idque quoniam Sfortiæ cõiunctione impediretur, quum sublatum hoc impedimentum Sfortiæ morte viderem, mihi hunc ducatũ petere institui. Quum malet ab vno ex meis liberis teneri, Aurelium obtuli, causis allatis quæ tum ad res meas priuatim pacandas, tum ad Christianum statum pertinebant. Cæsarem rogare cœpi vt perspicuè sententiam suam aperiret, quemadmodum illius apud me oratori liberè quæ sentirem indicabam. Tandem post crebras itiones assentitur, vt quidem ex eius oratore didici: neque quicquam supererat, præter vsumfructum, quem initio mihi seruari postulabam, postea vltro destiti, illúmq; certiorem fieri curaui. Quamobrem nihil iam obstare video quominus pax constituatur, siquidem Cæsar quæ mihi significari iussit, præstare decreuit. Nam quod ad conditiones attinet quibus caueri oportet, se non alias quàm æquas postulaturum affirmat: & sanè si alias postularet, planè ostenderet se nullam pacem facere cogitasse. Quæ quum ita sint, dici illud verè non potest, per me stare quominus res componantur. Nam quæ illius orator postulauit, ea concessi omnia, vt ab illo non à me dissidium oriatur. Iam verò ne ob ipsum quidẽ ducatum & mihi & liberis denegatum quicquam aduersus illum susceperi: imò quum Turca in Austriam venisset, me non commoui, quin auxilium obtuli quod suprà commemoratum est: quúmque in Africam proficisceretur, pacatum me, vt illi placere videbam, sine vlla belli suspicione cõtinui: quum quidem bello molestus illi longè facilius esse poteram, quàm nunc, quum Italiam tenet: vt tu pater sancte satis nosti. De iis quæ ad Christianum statum bene cõponendum attinent, equidem nulli principi hac in re curanda cedam: id quod ex eo satis intelligi potest quòd pacatè meos contineam.

QVARE quum tanta patientia tot ac tam insignibus iniuriis acceptis vtar, quum meorum liberorum patrimonium per vim occupari videam, exercitum deduci in præsidia iusserim, ne spem pacis perturbaret, amplissima mandata de pace facienda cardinali Lotaringo dederim, vsufructu quem postulabam destiterim, satis hinc quiuis iudicare potest, num quod meum est armis an iure auferre malim. Et verò meam in dicendo libertatem boni debet consulere. Qui enim aliena occupat, si iure conqueri videtur, quid quæso mihi faciendum est, qui mea & liberorum bona contra ius & fas detineri video? In Sabaudi facto nullam video idoneam expostulandi causam, quẽ toties vt mihi satisfaceret rogaui, tũ de iis quæ iniuria mihi ab illius maioribus adẽpta tenentur, tũ de iis quæ hęreditate ad matrem meã redeũt. Nam & illa quũ viueret, cum eo per grauissimos viros aliquoties egerat, & ipse post illius mortẽ complures viros magnę autoritatis monumentis & tabulis abundè instructos misi, qui illum eósque qui à consiliis illi sunt docerent quàm multa mihi iure in agro Sabaudico vindicem, quæ ille per vim & iniuriam occupat: quæ omnia nihili fecit, vt ferro res mihi sit repetẽda. Quod dum facio, nequaquam pacta cum Cæsare inita violare putandus sum, quibus cautum est ne me Italicis rebus immiscẽam, neu cuiusquam dynastæ partes foueam, quod Cæsaris incommodo fiat. Equidẽ videre neque o quũ cõtendere possit hoc bellum ad se pertinere, quum nihil omnino eorum quę possidet violatũ sit, imo diserte semper bonis illius parci iusserim.

NEQVE verò si Sabaudus in pactum Cameracense tanquam fœderatus ascitus est, idcirco lege omni solutus est, ne quod detinet reddat. Nam neq; ille vnus erat ex pacti autoribus, neq; tum de meo iure disceptatum est: quod pacto illo nec cõprehensum nec remissum est. Sperabam porrò fore (quod ne nunc quidem despero) vt Cæsar tanta mihi propinquitate coniunctus in hac causa me Sabaudo anteponeret, meúmque ius, quod potius est, complecteretur. At ex omnibus qui in bona Sabaudi manus iniecerũt, vnus sum cuius factũ dãnet, qui sororius sum, qui iure meo id mihi sumo, qui nisi quod meum est, nihil peto. Quòd si iubes, & tibi est cordi, pater sancte, tabulas idoneæ autoritatis proferam, quibus doceam quæ dico vera esse: ac quum mihi meũ reddetur, quicquid præterea occupaui, restituere paratus sum. Quod denique Cæsar addit ad Reip. Christianæ salutem referre (siquidem pax constare non poterit) omnes controuersias à nobis singulari certamine dirimi, respondeo, quando nihil in quo meus honos agatur, obiectum est, cui non abunde satisfecerim, hanc deferendi certaminis cõditionem volunta-

luntarlam esse, ac non eam ad quam tuendi honoris causa subeundam impelli possim. Quare breuiores mihi quidem nostri gladij videntur, quàm vt tanto locorum interuallo disiuncti decertemus. Quòd siqua nos occasio vt propius accedamus, adducet, (vt sanè hoc vsuuenire poterit si bellum suscipiendum est) in eáq; voluntate Cæsar perseuerabit, vt me ad certamen prouocet, si tum honori meo, vt debeo, non inseruiero, causam non dico quin omnes boni meritò me damnent: id quod longè magis metuo quàm certamen ipsum. Quòd verò Cæsar postea testatus est nihil à se dictum quo honorem meum aut existimationem læderet, quòd item per literas significauit sibi pacem nondum violatam videri, ego verò hanc eius satisfactionem & excusationem libenter accipio. Hæc sunt, pater sancte, amplissimi sanctæ sedis Apostolicæ cardinales atque oratores qui adestis, quæ cupio in vestro cœtu palàm exponi, non quò lædere quenquam in animo habeam: duntaxat purgare me atque omnibus planum facere studeo quàm sincero & integro ad pacem colendã sim animo, quàm vniuersi Christiani populi salutē promoueri cupiã, belli initiũ à me nec ortum nec oriturũ esse. Quod ex eo facilè intelligi potest, quòd nullam non conditionem subire paratus sum, dum illud arceatur. Valete.

Rex de suis rebus Anglum facit certiorem.

Hæc sunt quæ Rex ad Cæsaris orationem Romæ habitam respondit. Et quoniã quo tempore amicitiam & intimam coniunctionem cum Anglo confirmauerat, hoc inter se constituerant, vt quicquid ad alterutrum adferretur, quod quidem alicuius momenti esset, item quid de eo decreuisset, alteri significaret: Polisium Trecarum præfectũ Tinteuillanum cum harum literarum exemplo ad eum misit. Eundem paulo antè miserat cum exemplo literarum quas à Velio & Matisconensi acceperat, & orationem illam à Cęsare habitam fuisse intellexerat. Cur verò hunc Polisium Rex misisset, in causa hæc erant. Anglus episcopo Tarbellensi Regis oratori ex familia Castelnouiana literas communicauerat, quas sumtui studij & amoris plenas à Cæsare acceperat, quarum in summa quinque erant capita. Primo significabatur quo die Cæsar se Romam venturũ speraret, & quid illic agere cogitaret. Altero multa in Sabaudi finibus à Rege occupata esse: in quo Anglum rogabat, sua opera & apud Regẽ autoritate efficeret vt omnia restituerentur. Tertio timere se significabat, neque id absq; maximè probabili ratione, ne Rex vlterius progrederetur, atque in agrum Mediolanẽsem impressionẽ faceret. Quod si fieret, eum sibi vt auxilio esset, rogabat. Quarto petebat vt quicquid superioribus annis simultatis ac dissidij inter eos exortum fuerat ob diuortiũ illud Catharinę amitæ, totum illud è memoria deponeretur, cuius causa illius morte sublata esset. Ac quò bona fide in gratiam redirent, omnisque odij suspicio semel deleretur, vetera amicitię & fœderis pacta renouari postulabat. Postremo certiorem eum faciebat maximum à se exercitum aduersus Turcam ad populi Christiani salutem comparari, ad quod gerẽdum quũ aduersus religionis hostes susciperetur, vt pecunias conferret rogabat.

Cæsar cũ Anglo in gratiã redire studet.

Anglvs eo est ingenio vt homines variis locis alat, à quibus quid à quoque geratur dicatúrve intelligat: multos etiam amplissimis muneribus clanculum missis sibi conciliat, quibus aditus patet ad eos qui apud principes & dynastas exteros præcipuam negotiorum administrationem habent. Quo fit vt dum omnia sibi nuntiari cupit, pecuniã suam malè collocet, simulq; cum vno aut altero vero nuntio multa falsa pro veris & incerta pro compertis ad eum perferantur. Tamen quæ Roma afferebantur, ea ferè non omnino vana aut incerta erant. Quinetiam illud audierat, consilium Cæsaris esse, vt Romæ prorsus diuersa ab iis quæ ad se scribebat ageret, atque moliretur. De altero capite, æquum non esse satis intelligebat, vt id à Rege frater peteret, quũ in re suscipienda consilij particeps non fuisset. De tertio, satis norat Cæsarem non modò nihil Mediolanensi agro metuere, sed etiã cum Regio exercitu prælium in regione Pedemontana primo quoq; tempore cõmittere statuisse. Quarto loco resciuerat à Cæsare se Romæ accusatũ fuisse, q. reginam Catharinã veneno sustulisset, & multos alios sermones de se habitos fuisse. Postremò non dubitabat quo consilio Cæsar exercitum conduceret, nimirum non ad Turcam oppugnandum, populúmue Christianũ defendendum, sed ob causam antè commemoratam. Quibus adductus causis Cęsari eo modo respondérat quem ipsi Tarbellensi episcopo indicauerat.

LIBRI QVINTI FINIS.

GVLIELMI BELLAII LANGAEI COMMENTARIORVM LIBER SEXTVS.

Cæsari ad bellum faciendū apparatus.

CÆSAR dum omnia moliebatur & clam gerebat, interim nihilo secius Velio aliquid spei dabat: non eo quidem illo consilio vt ad aliquid constituendū res deduceretur (quod reuera nunquam in animò habuerat, vti paulo pòst demōstrabitur) sed apertum bellum non prius ingredi volebat, quàm certior fieret comitē Nassauuium paratum esse, vt quo tempore ipse hostem se Regi profiteretur, ille Picardorum fines infesto exercitu intraret. Alium præterea exercitum cogere decreuerat, non tam maturē illum quidē, sed quo demum tempore bellum fœuissimum exarsisset, quem in Campaniam defensoribus nudatam (vt pote abductis præsidiis) immitteret, qui postea cum Picardicis copiis (id quod etiam contigit) coniungeretur. Hanc esse Cæsaris mentem ne Regem quidem latebat, quanuis se scire dissimularet. Etenim præter illa quæ in Italia, Gallia, Germania & Anglia rumore nuntio ferebantur, passim è Germania certior fiebat quos milites Cæsar conscribi iuberet, quis esset ducum numerus, quo tempore, cuius opera, ex quo ærario stipendium accepturi essent, quo denique tempore simul esse possent. Ex Picardia quoque Belgarum aliquam multitudinem cogi audiebat, & pecunias illis Lensij Artesiorum numerari debere. Illud quidem sciebat, fieri non posse, vt hæ copiæ tam citò paratæ essent: quamobrem satis habebat, dum videret quid tempus afferret, si Picardiæ oræ prospiceret, nequid per insidias ac dolum occuparetur, in Pedemontano agro tutò seruaret quæ iam armis quæsierat. Non deerant tamen ex iis qui Regi in consilio quotidie aderant, aliisque quos adesse, quum de illis negotiis ageret, iusserat, qui aliter longè sentiebant. Quinetiam quum nuntiatum fuisset quam dura & aliena cardinali Lotaringo Cæsar respondisset, valde hoc consilium laudabant, vt quemadmodum ille Regem verbis ducebat, Rex ita hominem simili arte ludificaretur: dúmque vltro citróque crebrò ventitaretur, specie aliorum atque aliorum mandatorum quæ cardinali Lotaringo subinde mitterentur, pecunias in Italiam permutādas, aut alia ratione mittendas esse censebant, vt sic Caguini & Rangonis copiæ augerētur: eodem tempore Heluetios quos Rex cōduxerat, in Italiam traducendos esse: vt geminus iste exercitus cum iis qui iam in Pedemontana regione erant sese coniungeret: deinde simulatque facultas dari videretur, eam non prætermitterent. Neque enim tanta religione erga eum ius seruandum esse, quem nullam iuris rationem habere apparebat. Aliis verò hæc sententia probabatur quidem, sed Cæsarianum exercitum adeo nostris iam vicinum esse iudicabant, vt hæc in tempore fieri posse minimè arbitrarētur. Accedit quòd illi intima quadam notitia Regis mentem tenebant, qui se cùm hominibus tum Deo purgatum esse studebat: cui optimo Regis consilio acquiescebant, & iam bello parta tueri optimum esse statuebant, a maioribusque impensis abstinendo præstolari, dum Cæsarem belli autorem & aggres-

Varię in Regis aula de rebus gerendis sententię.

aggressorem esse omnibus constaret. Tum Rex in concilio de tota cõtrouersia in hanc sententiam pronuntiat.

Regis apud suos in concilio oratio.

SI in rebus humanis administrandis vni Deo Seruatori satisfaciendum nobis esset, qui hominum consilia & cogitata explorat atque iudicat, qui compertum habet quo in me animo sit Cæsar, si vt illius in me voluntati occurrerẽ, satis esset iustam conquerendi causam habere: iampridem id efficere potuissem, neque sanè mihi magno constitisset, vel quo tempore bellum in Austria cum Turca gerebat, vel quum siue exercitus Germanici, qui ducem Wirtembergensem in ducatũ restituerat, siue Heluetici, qui postea Geneuẽsibus subsidio missus fuerat, copia mihi nuntiis missis fieret: illius, quum Cæsar Tunetensem expeditionem suscepisset: huius, quum in Siciliam viribus valde acciss & re numeraria mirum in modum labefactata rediisset. Verùm tunc amicis ipsis & iudicibus equissimis causam meam & res gestas, nisi coniecturis quibusdã probare nõ potuissem, alienis & parum æquis ne nũc quidem alia ratione probare queo: vósq; ipsos quid perpetuò me in huiusmodi rebus sentire, quoties in concilio disceptaretur, ostẽderim, memoria tenere arbitror. Sed vobis tamen sic persuadeatis velim, ō nunc demũ mentem subisse, & me quasi diuinasse, Cæsaris in me animum & iam inde priusquam proficisceretur, & postquam ab expeditione Tunetensi reuertisset, continenter eum fuisse quem quidam vestrum deprehendere nunc cœperunt. Quòd si antea in dubio animus mihi fuisset, sic habetote, me tum saltem pro indubitato crediturum fuisse, quum meo oratori, qui se vllum mandatum aut potestatem habere negabat, respondit sibi nihil ab eo quàm verba dari. Quid enim causæ erat cur hanc rationem meo oratori afferret: Nimirum quòd alios ex suo ingenio metitur: & satis meminit, quum Nassauuium comitẽ (qui absq; vllis mandatis venerat) ad me misit, hoc à se eo factũ consilio fuisse vt mihi verba daret, méque vanis sermonibus intẽtum detineret, dum iter suum perageret: vt hac spe delusus, iniuriam quam à Francisco Sfortia acceperam persequi desinerem. Ille verò & suum iter fecit, & in Germania interim clam me opera Nassauuij (qui specie illius bellæ legationis per mediam Galliam itineris compendium quæsuit) hunc exercitum colligebat quem nunc auditis comparari. Ipsi satis nostis quoties à meis necessariis ex Germania factus fuerim certior, qui, licet ipse Nassauuius hanc militum manum cogi dictitaret comitatus Catznelembogij recuperandi causa, me tamen vt mihi cauerem monebant. Certum est tamen, quicquid siue prosperè siue contrà euenturum sit, rem totam administrare pro eorum mag.s ratione quæ nuntiari mihi iubet, quàm quæ contrà ab eo fieri video: quo id prorsus vitem incommodum, ne, si illum adoriar, fama eorum quæ aduersus me parare dicitur permotus, habere videatur quòd dicat, se belli propulsandi causa, non inferendi, illa parauisse: aut me, quòd nimio studio ansam violandæ pacis captabam, incertis rumusculis leuiter fidem habuisse. Ne putetis autem me ideo hoc consilium capere, quòd diffidam meas copias satis maturè parari posse: hoc enim confirmo, antequam Cæsar ea loca occupare possit quæ in Pedemontano agro muniri iussi, facilè illuc peruenturas esse. Sed hoc assequi studeo, vt planè tanquam bellí autor damnari mereatur. Quóque apertius omnem illi fucum & laruam detraham, agite, quando tantopere instat, reducatur sanè exercitus citra alpes, relinquantur duntaxat præsidia in iis oppidis quæ communiri iussi. Quòd si hoc consilio rerum mearum succesSum nonnihil remorari aut rationes perturbare videor, Deo iudice æquissimo & omnis perfidiæ acerrimo vindice fretus spero, quo magis Cæsar belli initio me tardum fuisse sibi gratulabitur, eo plus, quia pacem ab eo violatam & bellum exortum fuisse non dubitabitur, dedecoris & damni illum accepturum ex ea temporis iactura spero, quam postea diligentia, assiduitate & virtute abunde vt sarciam, operam me daturum esse confido.

COMMODVM Rex loqui desinebat, quum à Velio literæ ad concilium afferuntur, quæ cursori datæ fuerant: apertæ palàm coram Rege recitantur. Scribebat Velius Cannesium & Granvellanum ex se quæsiuisse num, quemadmodum conuenerat, amiralius ad Cæsarem venturus esset. Addebat etiam non inutile futurum, si hoc de Angolismensi negotium aliquandiu traheretur, quando Cæsar nullam de Aurelio mentionem fieri patiebatur: vt sic vel temporis quædam vsura produceretur, dum Taurinorum oppidum, quod muniri cœptum erat, absolueretur, etiamsi nihil aliud emolu-

1536. menti posset obtineri. Ibi tum Rex subridens, Etiam, inquit, Cæsar hoc agit, vt aliquid ab illo sperare velimus. Alterum profecto verum esse habendum est: aut Germani illius pedites nondum aduenerunt, aut si illos iam apud se habet, imperatorem mei exercitus tanquam oratorem accersere vult, vt interim exercitum absque duce improuiso adoriatur. Quomodo obsecro erga istum nos geremus? Si mittere recusabimus, prætextum hinc accipiet, vt dicat, quum ad rem vētum est, nos satis argumenti dedisse, cur omnes intelligant nos omnem pacis cendi rationem defugere: sinautem mittemus, nihilo plus efficiet. At ego interim æquitatem meam probauero, illi alia quærenda erit occasio quam prætexat. Iaciatur sanè Deo secundo alea. Id ego iam fixum & constitutum apud me habebam, vt exercitum huc reuocarem, illic tantum militum numerum relinquerem, quantus satis ad oppida præsidio tenenda videretur. Largiamur quod postulat: videamus ecquando fœtum quem iam olim parturit, editurus sit: planum amicis & inimicis faciamus nullam nobis culpam obiici posse, imò nos etiam plus quàm fas & ius postulabat præstitisse.

Amiralius ex arcitum reducere iubetur.

Hoc constituto, amiralio per literas significat ne statiua amplius sub dio haberet, tantùm Taurinense opus perficeret, & alia quædam loca muniret, Carmaniolam scilicet primùm, deinde Fossanum vel Conium, aut etiam vtrunque nominatim illic peditatum ad numerum quindecim millium, equitatus tum grauis tum leuis armaturæ quantum satis esse videretur, collocaret. Quòd si tantus numerus maior esset quàm pro iusto illorum oppidorum præsidio, quod ex illo peditatu superesset, in oppida citeriora deduceret, quæ aliorum vicinia tuta reddere poterat: singulis oppidis vnum præficeret, cui omnes dicto audientes essent, reliquum exercitum in Galliam remitteret: ipse paratus esset vt Cæsarem mox literis à cardinali Lotaringo acceptis adiret: cæterùm de istis omnibus Velium certiorem faceret. Hæc mandata amiralio perfert Rabodangius: alia Rentius Carolo duci Vindocino Picardiæ & Claudio Lotaringo duci Guisio Campaniæ præfecto perfert, quibus iubebantur nonnulla in vtraque prouincia oppida com munire, equites & peditum legiones locis commodissimis, & vnde expeditissimè ad bellum educi possent, disponere. Pecuniam ad eos perferri iubet, ad gregariorum militum quatuordecim millia, primo quoque tempore conscribenda, qui etiam per totius oræ oppida deducerentur: simul aliam etiam pecuniam in stipendia quæ duobus aliis militum millibus tribuerent, quos quū opus esset, cogere oportebat: aliam denique non mediocrem summam, ad muniendas & commeatu præsidiisque firmandas vrbes. Priuatim autem ad Franciscum Mommorencium equitem torquatum scribit, qui Picardiæ præerat auspiciis tamen & absentia ducis Vindocini, vt rectè hæc & attentè curaret, maximè vt ipse adesset dum commeatus Teroanam oppidum conueheretur: denique iter faciens Montrolium inuiseret, ac quicquid necessarium esse videretur, se vt certiorem faceret. Cur autem hæc curanda priuatim Mommorencio demandaret, causa erat, quòd Vindocinum his rebus impediri nolebat, hunc enim sciebat in nuptiis filiæ maioris natu, quam Scotiæ regi locabat, conficiendis occupari.

Per id tempus marchio Salussius iumentis curforiis in aulam venerat. Huic Rex oppida numero decem & septē dat ex agro Pedemontano, quæ ille contendebat antiquitus suo marchionatui attributa fuisse, in his Sauillianum, Conium, Fossanum, Caballimontem, Mondeuisium. Hæc oppida petiturus non venerat quòd se impetraturum speraret, vt res ipsa postea satis ostendit: sed vt si denegarentur, speciosum haberet prætextum, quem suo facto quod sequutum est, obtenderet: iampridem enim (quemadmodum deinde compertum est) ista consilia agitabat, quæ huiusmodi erant. Is marchio cum Antonio Leua comitis Paucopalæi cuiusdam sui œconomi opera agebat, vt eius filiam vxorem duceret. Recipiebat Leua se effecturum vt causam obtineret, qua apud Cæsarem de marchionatu Monferratensi litigabat. Eum enim iure substitutionis sibi vendicabat, quam intercedere ea conditione affirmabat, vt si deesset hæres masculus, à fœmina non adiretur, sed iure gentilitatis ad eum rediret qui marchionatum Salussianū obtineret. Iam marchio Monferratēsis ex sorore ducis Alenconij duos liberos susceperat, marem & fœminam. Filia duci Mantuano nupserat: filius marchionatū adeptus, dum equū calcaribus cōcitat, equo prolapso moritur, nondū ducta vxore.

Vnde

Vnde contendebat Saluſſius ſibi hanc hæreditatem, non ſorori demortui cernendam eſſe. Præterea is Saluſſius vehementer ſuperſtitioni erat addictus, & vaticinia illa conficta pro veris habebat, quibus prænũtiabatur ſcilicet Cæſarem fore orbis monarcham: itaque iam id metuebat, ne ipſo Saluſſiano dominatu ſpoliaretur. Quinetiam quum aliquando Foſſani cum Martino Bellaio loqueretur, amicorum ſe fatum miſerari prædicabat quos in Gallia habebat, qui ſuis bonis ſpoliandi erant: oraculis enim diuinis, quæ à prophetis prænuntiabantur, nulla ratione obuiam iri.

IAM inde à die Maij ſecundo Rabodangius ea mandata ad amiralium quæ commemorauimus, perferenda acceperat. Poſtea quum ille ſuum exercitum, quem caſtris ad Carinianum vallo cinctis continebat, nondum dimittendum eſſe cenſeret, alia à ſuperioribus illis mandata afferuntur, quibus iubetur vt præſidiis Taurinos, Foſſanum & in alia quæ videretur oppida deductis (quibus primus Cæſaris impetus, ſiquidem bellum prior inferret, infringeretur) reliquum exercitum in Galliam remitteret. Niſi fortè Antonium Leuam, qui viribus haud ſuperior videretur, Seziam flumen traducere exercitum velle, contra quàm ille cum cardinali Lotaringo pactus fuerat, appareret. Hoc enim ſi eſſet, iubebatur cum hoſte congredi, ſic tamen vt rationem belli ſeruaret, efficerétq; vt ab hoſte ortam belli iniuriam, iure propulſare omnibus videretur. Quæ omnia niſi clara & perſpicua animaduerteret, ſequeretur quæ primis mandatis à Rabodangio allatis imperata fuerãt, ipſe ſe aditer cõpararet, ſimulatq; à cardinale Lot. accerſeretur.

PISTÆI Velius per literas certior fit quæ mandata Rabodangius ad amiralium pertulerat: quam occaſionem nactus Cæſarem rurſus conuenire & cum eo de pace agere ſtatuerat. Reſpondetur vno verbo eum non antè aurem ad iſta accommodaturũ, quàm Regius exercitus alpibus ſuperatis in Galliam redi iſſet, Sabaudo autem quicquid ademptum erat reſtitueretur. Subiicit Velius id nimirum eſſe quod ſibi & Matiſconenſi à papa prædictum fuerat, ea primo loco poſtulaturum illum quidem, ſed ſatis tandem habiturum, ſi belli offenſis duntaxat ſuperſederetur. Quam conditionem Rex non modò accepiſſet, ſed etiam iuſſiſſet totum exercitum præſidiis exceptis in Galliam redire, Caguini & Rangonis milites dimitti, amiralium ad cardinalem Lotaringum, vbi ab eo accerſitus eſſet, proficiſci. Cæſar his rationibus nihil cõmouetur, nec de poſtulatis quicquam remittit, niſi quòd ſe conſilio capto reſponſurum eſſe addidit. Hoc reſponſum poſt tertium diem ſcripto exhibet, ſed adeo anceps & obſcurum, vt tale de induſtria videretur dediſſe, quòd è re nata, ſiquid aliud vtilitatis ratio ſuaderet, in alium ſenſum torquere poſſet. Interea nihil diligentiæ reliquum faciebat, omnibus temporum articulis imminebat, vt vires ſuas acceleraret. Iam ipſo menſis octauo die Leua violato pacto ſuum equitatum vndecim Germanorum peditum millia, Italorum ſeptem millia, & Hiſpanorum duo Seziam flumen traduxerat, præter eos qui è Sicilia venerant & quos Cæſar ſecum adducebat: iámque inter Taurinos, Vercellas & Sangermanum caſtra habebat. Cardinalis Lotaringus interim Romam venerat, vbi ſermones nullos niſi de bello haberi comperit. Cæſarianos iam paſsim dictitantes eum eſſe Cæſaris animum, vt bel lum Regi non ſolùm in Pedemontana regione inferat, ad repetenda quæ Sabaudo ademiſſet, ſed quàm latè patent ipſius regni oræ, imò in ipſis inteſtinis & penetralibus, tot denique ſimul locis, vt quò ſe verteret Rex planè incertus eſſet. Dicendi poteſtatem miſſo nuntio à papa ſibi fieri poſtulat, tum die & hora conſtituta introмiſſus huiuſmodi orationem habet.

Cæſaris reſpõſa ambigua & conterta.

SI antea dubitandum tibi eſſe putaſti, pater ſancte, vtrius culpa, Cæſaris an Regis, adhuc factum ſit vt tua autoritate permoti pacem inter ſe bona fide & quæ nihil haberet inſidiarum, non facerent, ſi ex iis quæ poſt Cæſaris aduentum partim viſiſti, partim intellexiſti, nondum ea dubitatione liberatus es: certò mihi perſuaſi tibi omnem ſcrupulum exemptum iri, ſimulatq; audieris quas conditiones Regis iuſſu & tuo conſilio, hic apud te Cæſari eram laturus, quáſque quum in illum Senis veredariis ſtationibus iter faciens incidiſſem, expoſui. Hic ego fruſtra tẽpus non abſumã, vt quo pacto abhinc quinquennium vltro citróq; itum ac reditum ſit, conditiones latæ & acceptę, ſimulata pluriма ac diſsimulata, res productæ ſint, dum de pace confirmanda, arctiſsima coniunctione & amicitia verè fraterna conſtituenda agitur: quæ non ſolùm tibi ſignificata atq; declarata ſatis ſcio, verùm etiam, niſi ſtudium pacis Chriſtianæ tibi vires ad tolerandũ ſuffi-

Cardinalis Lotaringi ad papam Paulũ tertiũ oratio.

1536. ceret,te iampridem tædio potuisse affici non dubito. Venio ad ipsum totius rei caput,q Rex,quum illinc discederem,pro indubitato & transacto habebat, Cæsari tandem aliquando placere(vt ipse pater memoria tenes) vt ducatus Mediolanensis Aurelio duci Regis filio secundo traderetur: Regi tamen vtendi fruendi ius, quod postulauerat,concedere nulla ratione velle. Addere etiam, vt Rex interim bello quo Sabaudum lacessiuerat,supersederet,donec illorum controuersiæ causa cognosceretur & statueretur.Super hisce negotiis pater à Rege huc missus sum. Vbi ad nostra castra perueni,primùm à Regij exercitus imperatore obtineo vt re susceptа desisteret,quum quidem à vero non abhorreret,Vercellas nostrorum impetu expugnari posse. Deinde quum Antoniũ Leuam exercitus fœderatorum totius Italiæ imperatorem conuenirem, efficio vt Regius exercitus trans Doariam pedem referret,milites præsidio in oppidis relinqueret,vt nihil hostile prorsus ab eo designaretur.His rebus perfectis rursus Cæsarẽ adeo,Regis verbis & iussu quæ de vsufructu adhuc petebantur remitto,conditionem accipio,vt Sabaudica lis iudicio disceptetur,omnes Regis copias offero, quibus nõ solùm ad salutem populi Christiani,sed etiam ad suas priuatim res ornandas atque amplificandas vteretur, modò illius fœderati & socij eximerentur,quos ille deserere turpe atque ignominiosum sibi esse existimabat.

DVM ista pro legati munere illi expono, tantùm abest ab eo vt eodem illum animo & consilio atque antea reperirem,vt contrà primùm fateri cunctaretur (quod tamẽ ad extremum verum esse agnouit)se vnquam ista conceississe:tãdem quum ingenuè loquendum erat,palàm declararet,saltem coniecturam satis magnam præberet, cur non facturum intelligerem. Nunc quantum ex fama quæ per totum eius comitatum percrebrescit intelligo,rectà ad bellum cum Rege gerendũ festinat. Atqui, pater sanctе,si diligenter attendatur quemadmodum omnia inter eos superioribus bellis acta fuerint,verterque vel in sua,vel in aliena,vel in communi etiam amborum fortuna satis causæ,credo,reperturus est,cur æquas conditiones sibi non esse repudiandas intelligat: & rebus alterna vicissitudine secũdis & aduersis ambo edocti,satis habebunt vnde iudicẽt quàm confidere aut desperare de fortuna debeant. Nam vt demus Cæsarem illa & sæpius & magis præter spem propitia atque amica vsum fuisse,comperiet tamen in omnibus victoriis quas adeptus est,victoris res non minus in periculum,quàm eius quem prælio su peruauerat,venisse. Robertus Marcanus,à quo omnia hæc bella initium habuerunt, aliqua in Cæsaris possessionibus occupandi specie vsus fuerat:ille tum maximam ditionis partem ei ademit. Deinde tanquam hæc iniuria à Rege orta esset, in eius regnum cum exercitu impressionem facit,Musonem capit, Masseriam obsidet:postea à Rege expellitur,aliquot non obscura oppida amittit,profectione nocturna fugæ non absimili se in Hispaniam recipit. Ibi Fontirabiam,vnum ex regni Hispanici claustris & propugnaculis,à Regio exercitu captam esse comperit. Fortuna postea quasi paria faciens, alia ex parte illi fauet, Tornacum Neruiorum per suos occupat, ducatum Mediolanensem à Regis fide abducit. Is nouum exercitum mittit, qui initiò fœliciter pugnat, tandem ad Bicoccam profligatur. Alius porrò à Rege exercitus comparatur,cuius tam læti sunt & prosperi successus,vt vix tota Insubria oppidum vllum in Cæsaris fide atque societate permaneret. Rursus fortunæ subita extat mutatio,Regiæ copię labefactantur, Cæsariani prouinciam ingredi audent, Aquensem ciuitatem totius regionis caput & alia non pauca oppida deserta offendunt, Massiliam obsident & valde infestant: ad famam demum Regij exercitus,quem aduentare audiebant, incompositi & palantes discedunt. Rex vlterius erumpit,alio & breuiori itinere alpibus superatis totam ferè Insubriã subigit. Cæsarianæ copiæ paulo pòst instaurantur,Regię atteruntur,denique delentur, ipse captiuus in Hispaniam abducitur, conditionibus valde duris dimittitur. Quas quum moderati postulantibus vniuersæ Italiæ, Galliæ & Angliæ sociis recusaret,eò propè venit vt non solùm Insubriam sed Neapolim etiam amitteret. Fortuna eum denuo erigit, amissa recipit, papam Clementem captiuum tenet: ad quem liberandum Rex exercitum mittit,qui aliquandiu victoria tum in Insubria tum regno Neapolitano potitur: quoad summa Cæsaris pernicie in speciem proxima, quum copias nauales à Regia classe profligatas non semel amisisset,præcipui belli duces capti essent, facultas tamen illis datur qua Regios corrumperent,& victoriam in eladem conuerterent. Haud

multo

multo pòst viribus redintegratis Italiam ingreditur,& trepidante primùm Italia infœlicem tandem exitum sortitur.

EN tibi pater sancte vera rerum adhuc gestarum contracta in summam historia, cuius ne ipse quidem es nescius. In qua non video Cæsarem tam constanti & perpetuo rerum successu vsum, aut Gallicum robur adeo labefactatum esse, vt hac spe fretus, siquidem recta monentes audiet, rursus fortunæ arbitrio victorias superiores debeat cõmittere: vbi non minus causæ est cur timeat, ne vno die amittat quicquid laudis & famę per tot annos se consequutum esse prædicat, quàm cur illi summum cumulum & fastigium se imposituram esse confidat. Hoc quidem constat, pacem inter illos initam fuisse dum ille secundis rebus superior esset, vt pacem dedisse potius quàm accepisse videretur. Hoc vnum est quo mihi quidem præcelluisse videretur, nisi eam pacem certis nimium duris cõditionibus dedisset, ex quibus iustam habuisse metuendi causam videtur, ne Regis liberorum animis adempti hac pace patrimonij iniuria perpetuò resideret. Quærebatur ratio qua omnis ægritudinis radix euelleretur, & principum istorum amicitia atque pax foueretur. Hæc ratio iam non modò instituta sed eousque prouecta fuerat, vt tantùm non inuentam esse omnes confiderent: quòd statuerent hac reconciliatione Cæsarem eo metu liberatum iri quo se retineri dictitabat, quia Regi diffidebat, quominus summas res aggrederetur, quarum alioqui fœlicem & facilem exitum videret. Quin & illud fore sperabant, quum Christiani populi pars illi studeret, pars Regi, vt omnium solus studia coniunctis sociatisque Regiis viribus & copiis sibi conciliaret: qua opum accessione tam latè Christianæ dominationis fines propagare posset, vt nihil tam magnificum ab vllo post Carolum magnum factum fuerit. Quæ (malum) ista sibi vult mutatio? quid ad Cæsaris fœlicitatem & gloriam accessurum sperare aut comminisci possunt, qui ab hac sententia eum deducunt tam tuta, & quæ tanto illi tum emolumento tum decori futura sit? Deduci eum ab hac sententia dicere non dubito: auertat enim hoc Deus Opt. Max. ne in excellẽtissimi & ornatissimi principis ingenio adeo tur pis simulatio reperiatur, vt contra quàm sentiret, hac oratione vti consultò voluerit. Si Cæsaris vtilitate mouentur, quid ad illum commodi redit ex ducatu quem & magno adeptus est, & pluris seruabit? Interim duas istas potentissimas & inuictas familias, quæ portum & perfugium naufragio Christiano præbere debent, perpetua simultate distinebit, sumptibus immodicis atteret, & vtrique facultatem occasionẽque præciderit, ne res maioris gloriæ & splendoris moliantur.

IAM verò constituamus quæso tanquam in libra quicquid bello vnquam Cæsar quæsiuit: deinde ex aduerso appendamus clades quas interim accepit. Primam ordine collocemus, quòd dum ista fiebant, Christierno Daniæ regi præstare non potuit quæ frater à fratre expectare potest, qui quum nihil auxilij vsquam haberet, & regno & libertate spoliatus est. Neque item Ludouico Vngariæ regi, quicum fraterna propinquitate etiam coniunctus est, subsidio esse potuit, qui bello contra Turcam communem fidei nostræ hostem & vitam pariter & regnum amisit, cũ grauissimo vulnere quo Christianam Remp. omnem acerbissimè affectam atque afflictam scimus. Mediolanensem ducatum amplissimum esse non inficior: sed si omnia rectè æstimentur, cũ damnis quæ accepta esse commemorauimus, non est conferendus, cum tanta sanguinis Christiani copia qui in hac causa fusus est, cum tot fortissimorum ducum iactura, cum tot exercituum terra marique internecione. Quæ omnia si ad sanctiora & iustiora bella contulissemus, nunc Seruatoris nostri Iesu Christi notitia ad maximè exteras & barbaras gentes propagata fuisset. Regem quidem ipsum, pater sancte, qui illo spoliatus est, iura omnia, tum diuina tum humana omni accusationi eximunt in iis quæ hactenus gessit. Siquid porrò hac in re bello tentabit, vt ipsa pactionis formula incusandus videatur, (qua vetatur huiusmodi quidpiam conari) tamen iisdem illis causis quas attuli ad sui purgationem vti poterit, pro eo ac liberis, regno ac populo obstrictus est, vt liberorum suam cuique patrimonij partem attribuat, ne quid tota hæreditas detrimẽti accipiat: qui bus si ita satisfiet, vt quod cuique obtigerit, eo contentus sit, hinc sequutura est totius regni atque populi quies, pax & concordia.

SIN AVTEM isti monitores Cæsaris laude & gloria ducuntur, quam ampliorem quæso gloriam consequi possit, quàm si insigni parta victoria, etiam insigniorem modo-

1536. rationis laudem assequatur: eodémque facto & liberalis habeatur, símúlque maiores illires gerendi materies occurrat, & facultas Regis fœderatorúmq; ope præbeatur? Porrò si hoc illos habet solicitos, quemadmodũ certa fide omnibus caueatur, cuius rationem idoneam ab illis inueniri non posse audio, inter duos principes scilicet, qui ex tam grauibus inimicitiis nuper in gratiam redierint: ego verò contrà, pater sancte, affirmo, si nihil vnquam simultatis intercessisset, neque alteri quicquam aduersi contigisset, quẽadmodum facilius conciliari poterat amicitia, ita facilius posse dirimi: propterea quod quum pares amicitiam inirent, neutrius potiore conditione, æqualis etiam futura erat necessitudinis obligatio. Nunc tanta Cæsaris liberalitate Rex deuinctus, quantum sibi officij sustinendum sit, vt gratiam perfoluat, satis intelligit: nisi fortè se prorsus ingratum haberi volet, omnique auxilio, ope & studio tum diuino tum humano indignum. Audacius loquar: si bene Regem noui, eiúsque generosum animum ex diuturna & familiari consuetudine perspectum habeo, hoc acceptum beneficium aliud posteà vicissim mutuum pariturum est, cum illa grati animi memoria cuius memini. Ita mutua hæc necessitudo duobus maximis & firmissimis vinculis quæ vnquam post hominum memoriam in huiusmodi causa extiterunt, reuincta & constricta esset, communi vtilitate, quæ ad vtrunque pariter rediret, ac fide: cuius quidem hoc ingenium est, vt nemo alterius sibi fidem melius obstringere queat, quàm si illi fidem habeat. Atque hæc, pater sancte, à me dicta sunto partim vt qui a Rege ad te missus sum, partim vt qui princeps sum Christianus, cui salus & quies publica populi Christiani more maiorum charissima sit.

Hoc insuper illius nomine spondere non dubito, eius consilium esse & porrò fore, (vtinam tam fœlix quàm pium) vt nonnihil de iure suo potius remittat, quàm vt summo iure exigens quæ sua esse intelligit, ad bellum cum Cæsare gerendum compellatur. Qua tamen necessitate si tandem vincetur, vt ferro quod suum est repetat, bellum tanta contentione tantóque studio persequetur, vt timendum videatur ne nos (iam enim, pater sancte, loquor vt collega & frater sanctæ huius Apostolicæ sedis) nos, inquam, cõmuni & auito nostræ Religionis hosti nimis lętum huius belli spectaculum præbeamus: néve corporibus fortissimorũ hominum tam funesto bello cæsorum (quę propugnaculi vice eius furori obiicienda erant) pontem faciamus, quo aditum sibi ad nos in ipsis nostris penetralibus inuadendos comparet. Deus meliora, tu verò, pater sancte, quem non latet quo loco tota res sit, quàm potens & terra & mari hostis nobis immineat, vide vt tale studium & operam huc afferas, quò & apud homines immortale nominis tui decus relinquas, & cælo triumphum gloriosum inferas, captiuorum turbam tua innocentia, prudentia & communis salutis cura deuictam abducẽs, odium nempe, simultatem, dissidium, bellum, crudelitatem cum reliqua atrocissimarum calamitatum sentina qua hodie Christiana Resp. mirum in modum afflictatur: quam Deus Opt. Max. tuæ curæ & fidei æterna sua prouidentia commisit. Tuũ est, pater sancte, huc omnes ingenij neruos intendere, atque eo magis (mihi enim liberè loqui per te licèat) quod iam rumusculos nescio quos audiui (quæ est hominum peruersitas) Cæsarem animo non malè ad pacem comparato huc venisse, sed voluntate alienata discessisse.

Hac oratione papa intellecta, tum verbis tum vultu præ se ferre cœpit, quàm illi doleret res aliò non potuisse deduci: quinetiam quæ cardinalis extrema oratione dixerat, ingenuè fatetur, sibi nuntiatum esse quemadmodum hi rumores tota vrbe spargerentur. Ibi tum multis verbis commemorare cœpit, & quantopere in hoc negotio elaborasset, & quàm obfirmato animo Cęsarẽ reperiisset, qui maximè confideret Regi exiguas ad resistendum vires suppetere, se diligentissimè prouidisse ne Germanorum vlla præterea auxilia néve Heluetiorum illi mitterentur. Quæ omnia adeò sibi papa vera esse persuaderi siuerat, propemodum vt Regi autor esset, vt quancunque pacem Cæsar ferre pro suo arbitratu vellet, eam quauis conditione etiam deterrima accipere ne recusaret. Ad extremum tamen duos legatos ad duos illos principes mittere decreuit, vnũ cardinalem Carpensem ad Cæsarem, alterum cardinalem Triuulsium ad Regem, sic tamen vt iter vnà facerent donec ad Cæsarem peruenirent: ita enim postquam ambo cum illo colloquuti fuissent, qui ad Regem profecturus esset, eum certius quæ diceret & quid Cæsar polliceretur, habiturum videri.

Cardinalis à papa his confectis rebus discedit, Venetijs iter facit, tãdem ad Cæsarem

farem Petrosanctũ peruenit. Quẽ denuo partim verbis suis, partim mandatis à papa acceptis dicendo & monendo huc adducere conatur, vt quæ antea pollicitus fuerat confirmaret, & rata haberet. Tandem vbi videt monitis nihil esse loci relictum, sub discessum huiusmodi cum eo verba facit. Tametsi, Cæsar Auguste, ex itinere quod instituis, ex ijs quæ paras & loqueris, satis perspicio, Regi fratri tuo nihil iam esse quòd aliam abs te conditionem quàm armorum expectet: quin & ab ijs quorum fide & diligẽtia res tuę potissimùm administrantur, audio tua consilia non tam cò spectare vt Sabaudum restituas, quàm vt Regem in ipsis regni visceribus adoriaris: non tamen desistam quin te etiam hodie orem, vt animi perturbationibus paululum moderari cogites, neu odium & spem, quibus nihil infidum magis aut minus tutum fieri potest, in consiliũ adhibeas, aut te transuersum rapi patiaris. Bellorum exitus cõmunes sunt & ancipites: quo sæpius victoriam consequutus es, eo te diligentius cauere conuenit, nequid suscipias, quo rerũ gestarum splendor obscurari queat, quoq; detrimentũ maius accipias, quàm causa grauis videretur extitisse, quæ te in hoc discrimen vocare potuerit. Vnde profecto fieret, vt calamitas hæc temeritati & immaturo consilio tribueretur, res secundæ fortunæ arbitrio non tua virtute aut sapientia contigisse putarentur. De Rege fratre tuo hoc non dubitãs affirmare possum, cum, nisi prior arma capies, nisi à te primùm classicum dabitur, nisi prior illum lacesses, bellum non esse tibi illaturum. Sinautem illum adoriri maximè in ipsius ditione & regno institues, quemadmodum passim tui gloriantur, hoc tibi vaticinari & prædicere non dubito (liceat quęso cum bona venia liberè quod sentio eloqui) si illius regni robur & Gallię florem, si populi in vnam voluntatem conspirantis consensum & concordiam, summumq; erga principem studium ac fidem bene noui, si me nõ fallit ipsius Regis (à quo educatus sum & ornatus) animi præsentia & celsitudo, atque indefatigabilis in re præcipui momenti, quam semel susceperit alacritas, non procul iam esse, quum pro maximo beneficio à Deo optabis & petes, vt te saluum ex hoc bello extricare possis. Sic enim habeto, aliam esse Galli militis rationẽ in tuẽda regione bello quæsita, atq; quũ pro patria, oppidis, agris, possessionibus, templis, delubris, focis & aris pugnandum sibi esse videt: pauci eum absq; vel repentina pernicie vel maximo discrimine domi adorti sunt. Quo circa te Cæsar rursus etiam atq; etiam moneo, ne committas vt temerario conatu cuipiã Galliæ loco antea obscuro & incognito, nomen & celebritatem tua calamitate afferas. Verùm vt semel dicã, spero fore vt potius te à sententia deduci hùc patiaris, quàm in Galliam iter facias, vnde nõ parum periculi est ne res tibi tum ignominiæ tum damno sit futura.

Cardinalis Lotaringi ad Cæsarem oratio.

CÆSAR tametsi hanc orationem parum grato animo audierat, non tamen sibi valde displicere ostendit eam loquendi libertatem quã cardinalis sibi sumpserat. Quod vt faceret, nõ tã mouebatur hominis autoritate, digni sanè cuius ratio haberetur, quàm ipsa facundia & venustate, qua in dicendo valebat. Gratias illi pro fideli consilio agit, Deum precatur ne eum verum vatem esse patiatur: addit sibi aures ad æquas pacis conditiones nondum prorsus esse occlusas, modò Sabaudus (cui deesse nisi cum summo decore non posset) in primis restituere tur: sin minus, suorum consiliorum (quæcunque tandem essent) rationes tam aptè institutas esse, vt omnia sibi prosperè euentura esse nõ dubitaret. Ipse tamen postea quum cardinalem cõueniret, humanissimè fassus est, in ijs quę ad Petrosanctum dixisset, ipso rerum euentu didicisse eum vatem non vanum esse. Cardinalis decimo septimo Maij die in aulam ad Sartrambertum Foresianorum venit. Regi renuntiat quicquid ex oratione, vultu atque habitu tum Cæsaris in profectione & reditu, tum papæ in vrbe, deniq; ex fama passim à suo ex Gallia discessu compererat, aut coniectura assequi potuerat. Summa erat, nihil æquitatis à Cæsare iam esse expectandũ, certum esse in Galliã infesto exercitu venire, Cæsarianos prædicare ita omnia esse prouisa, vt nulla Germanorum auxilia Regi sint speranda, neque pagorum qui ex Heluetica rep. papæ adhuc dominium ferrent: qui verò à Romana fede defecissent, tum Germanos tum Heluetios, ita suorum opera Regi esse infensos, vt nihil illinc opis aut auxilij expectandum esset. Nuntiat insuper quemadmodum Antonius Leua (vti suprà dictum est) copias suas Seziam flumen traduxisset, neq; diu dissimulaturus videretur aut cũctaturus, quin nostros prælio lacesseret.

Cardinalis ad Regem in Gallia reuertitur.

HOC accepto nuntio Rex & simul ijs quæ ab ora Picardica & Campania de mili-

1536. tum numero qui cogebatur multi afferebant, rem primùm cum intimis communicat, & ijs quorum prudentiæ in summis negotijs maximè confidebat, deinde concilio conuocato exponit quæ partim trans alpes partim per citeriores regni oras fiebant. Enimuero, inquit, tandem aliquando Cæsar simulandi atq; dissimulandi finẽ faciet: deinceps in consilio capiendo non erit cura in hac difficultate hæreamus, & deliberatio instituatur, num hostis loco iam sit habendus, & bellum aduersus eum parari oporteat, an verò aliquandiu cunctandum, dum factis cum oratione pugnantibus seipsum esse belli autorem demonstret: nunc, quantum ex ijs quæ nuntiari auditis intelligi potest, propediem laruam deponet. Quòd si qui sunt quibus adhuc religione nimia in hac causa duci visus sum, quàm vt regni mei rationes ferrent aut vtilitas postularet, nondũ tamen me vllius rei pœnitet. Nunc enim res eò deducetur quò, secũdum pacem tutam & æquam, in primis venire cupiebam, nimirum ne ad bellum mihi cum illo veniẽdum esset, quod nõ Deo primùm deinde etiam hominibus probaretur. Quamobrem si bellum iustum est quod quis necessitate compulsus gerit, is verò omnium hominum iudicio ad bellum adigitur, & meritò arma sumit, qui omni alia spe excluſus est: profecto humano etiam iudicio, nõ tantùm diuino (quod mihi nunquam in dubium venit) ius & fas à nobis stat, tota iniuria hostis est. Atque vt de Sabaudo primùm agam, testari omnium mortalium conscientiam possum, quàm sæpe licuerit non dico capere aut occupare, sed quum in manibus iam haberem, retinere maximam meæ possessionis partem quam tenet, idq; quum nondũ tantopere socijs atq; fœderatis valeret. Verùm satis perpetuò habui, quandiu me per meas possessiones, quoties vellem, transire non impediebat, quòd eum aliquoties de meo iure monendum curarem, id adeo ne longioris temporis præscriptionẽ obtenderet: in quo etiam perseuerare omnino decreueram, si se mihi commodum vici num semper præbuisset. Omitto dicere (quod satis ipsi memoria tenetis) quemadmodũ postquam ex Lusitanica propinquitate in Cæsaris societatem ascitus est, se erga me gesserit, pretiosa supellectile opp ignerata rebellem & transfugam contra me pecunia iuuerit, me bello captum esse per literas gratulatus, Heluetios à mea societate & fide alienare conatus fuerit, meum & liberorum patrimonium emerit, vt etiam Nicæam (quæ mea est) papæ Clementi, vbi colloqueremur, denegaret. Sed quòd proximè me per meas possessiones iter facere prohibuit, in causa mea persequenda, quum quidem tam indignam in me accipere contumeliam nollem, quam mihi Galliæ Regi minimè fortis ille Sfortia intulerat, qui nomine tenus & precariò Mediolanum tenebat: quis non quæso de suo iure statim armis decernendum sibi esse non putasset? At nihilo tamen secius dum ista paro, rem pacatè & leniter tentare instituì: id quia obtinere non potui, hoc mihi saltem licuit, vt armis, quæ iam in manu habeo, quod æquum fasq; est auferam. Iam verò Cæsar, quanuis consanguinei simus, & eius sororem in matrimonio habeam, voluit tamen Sabaudi causam defendẽdam suscipere. Primùm petijt vt bellum inceptum intermitterem: feci, & indubitatæ victoriæ apertum cursum inhibui. Postulauit vt exercitum ab Vercellis obsidendis abducerem: motem etiam in eo gessi. Rogauit vt exercitus mei imperatorem ad se de pace mitterem: quod quanquam vix vlla æquitate postulabatur, concessi tamen. Voluit præterea vt copias meas cis alpes reuocarem: ne hoc quidem recusaui, sed mei exercitus imperatori iussi, vt dispositis per certa loca præsidijs, reliquum exercitum huc remitteret, nisi quòd Italica auxilia Caguini & Rangonis dimitti præcipiebam. Postremò petijt etiam vt cum Sabaudo in iudicio contenderem: conditionem accepi, & papam iudicem tuli. Denique, vt vno verbo omnia, quid tandẽ à me prætermissum est, quod quidem fieri possit & debeat, vt Deo & hominibus satisfaciam, & causam illis meam probem?

Regis in concilio oratio.

ILLE verò interim exercitum suum extra præscriptos limites deduxit, quantum ex meis copijs detraxi, tantum suis adiecit, neque iam quicquam deest, nisi vt (quod habet prouerbium) oppugnetur Saguntum, dum ego Romæ, hîc & alibi tempus deliberationibus absumo. Imò hoc tantùm inter suos magnificè prædicat, iam hoc se agere vt bello me in Gallia petat, meque ad infimam omnium inter quos regnum obtineo conditionem redigat. Enimuerò vt vniuersi mortales animo planè sint excæcati, non oculis corporis, non potest tamen Cæsar Deum, cuius oculis omnia patent, qui omnia præsentit, decipere. Qui si non alia causa adduceretur quàm vt Sabaudum restitueret, satis illi

illi esse deberet, vt ea recipiat quæ illi bello ademi, ac non vt aliqua ex meo regno oppida occupet. De quibus sanè pretio cum Sabaudo decidere malim, vt quod meum est, belli vitandi causa redimam, quàm penes hominem adeo suspectum & dubiæ fidei relinquere. At enim è duobus ille alterum euenturum esse prædicat, & disiuncti enuntiati antecedens vt verum sumit, deinde bellam suæ ratiocinationi, & quam sibi confinxit, complexionem, si dijs placet, subiungit. Ait enim aut se Galliæ Regem fore, aut me Cæsarem. Equidem Cæsar esse non cogito: neque verò ille, si omni officio erga eum, erga Sabaudum, erga Deum ipsum, omnium pactionum testem & arbitrum, functus sum (quod præstitisse me confido) Galliæ regnum vnquam obtinebit.

IMO Deus ipse omnis superbiæ intolerabilisq; contumaciæ iudex ac vindex, à nobis stabit, nosq; ab eius prauis consilijs & conatibus (quemadmodũ spero) tuebitur, atq; in eum iram suam vltionemq; conuertet, à quo nulla ratio sarciendæ pacis & deponendæ simultatis, quantumuis æqua, impetrari potest. Itaque quum satis sciamus quid interfit inter eum qui Deo propitio amico oque vtitur, & eum qui aduersum & inimicum sibi conciliauit, liceat que nobis animis bene conseijs hoc bellum ingredi: agite, rem aggrediamur nõ solùm ea animi alacritate qua cæteris in bellis vsi sumus, sed iusta ira & indignatione perciti accedamus, qua non iam perduelles, sed fœdifragos & captionum perfidiæ que artifices vlciscamur. Nunc quoniam audimus duos exercitus ab hoste conduci, videndum restat in vtram partem potissimas vires nostras conuertendas esse putemus: vtrumne magis in rem nostram sit (quanquam id ab itinere pendet quod ab illo institui videbimus) alpes, vt illi obuiam procedamus, superare, an expectare dum in Galliam cũ infesto exercitu veniat, eius que aduentũ paratis copijs præstolari, vt tandẽ in patria cum illo congrediamur: nam vtriusq; extant rationes & exempla. Sed quando huc vos conuenire iussi, vt quod quisque sentit, liberè & apertè eloquatur, non vt quod mihi magis placere intelligetis, id sequamini: rationes que vtrinque afferri possunt, non eom memorabo, sed ex varijs sententijs quæ à vobis dicentur, quibus res plana fiat, quod videbitur optimum esse pronuntiabo.

HVIC Regis orationi vniuersi qui in concilio aderant assentiuntur. Etenim præterquam quòd omnes persuasum habebant omnia feciſſe eum & officio abunde satisfeciſſe, priusquam bellum Sabaudo inferret, nonnulli sentiebant eum non minus recte atque ordine factum fuisse, si eadem alacritate perrexisset, quàm quòd toties Cæsarem respexisset. Qui si grauius cõquerereturnon minus æquum quàm facile responsum in promptu fore, dum nihil quod ipsius esset, noster exercitus attingeret, quemadmodum expeditionis initio visum fuerat. Nec deerant qui optassent amiralium non tam citò mandato Regio obtemperasse, sed vt potius Vercellas occupasset, dum Rex denuo bello interdiceret. *Varie in Regis concilio sententie.*

SED quod factum est, fieri vt infectum sit, non potest. Porro quod ad res præsentes attinebat, omnes existimabant (idque valde verisimile erat) quando Cæsaris consilium (quemadmodum ille quidem dictitabat) de Galliæ regno occupando erat, vnde Regem deturbaret, eumque funditus euerteret: vbi ille esset, ibi exercitus totum robur futurum, ibiq; eũ vniuersas vires suas, aut certè maximam partem habiturum esse. Quòd siquid alia etiam ex parte aggrederetur, id futurum duntaxat ad Regias vires distinendas, & maiores sumptus faciendos, non ad vllam rem magni momenti perficiendam. Quum enim Rex muniri & teneri tria aut quatuor oppida in agro Pedemontano iussisset, illucque magna & firma præsidia tum equitatus tum peditatus deduci, belli rationem omnino posse re, vt vel Cæsar illa, antequam in Galliam irrumperet, vi occuparet, aut in Pedemontana regione satis virium ad illa obsidenda relinqueret, aut denique alia pari multitudine præsidia locis finitimis disponeret, quæ nostris imminerent, ne modica accessione aucti sese coniungerent, è præsidijs egrederentur, & facultate quæ fortè daretur, arrepta aliquid magni momenti perficerent. Itaque non esse verisimile, modò omnes in officio erga Regem essent, Cæsarem, si Pedemontanam regionem nostrorum præsidijs liberare & expurgare vellet, antequam in Galliam moueret, eo anno Galliæ magnum damnum inferre posse: neque rursus, si aliquot modò oppida præsidijs firmata, ac non iustum ad nostros qui illic manebant obsidendos exercitum relinqueret, posse eum absq; externis auxilijs eodẽ tempore (maximè quum paulo


image
not
available

cios & amicos, flumina latissima ad comportanda cibaria, facultatẽ promptã & ad mãnũ, vt integri defessis succederẽt: nunc cõtrà alpes editas, cõfragosas, steriles habebunt, aditus obsideri sentient, subinde pugnandum sibi esse postquam hac transierint, idq; parum tutò, rebus præsertim ita comparatis vt ipse apud me constituì: deniq; his impedimentis fiet vt stipendiũ tardius militibus persoluatur. Hæc profecto difficultas, quæ per se maxima est, deinde temporis spatiũ, deprehensiones inopinatæ in hostico, loca ignota, insidijs opportuna, commeatus penuria quæ inde sequetur: hæc omnia huiusmodi mihi quidem videtur, vt numerosum exercitum ad miram hominum paucitatem reducere queant. Nos verò circuniectam vndiq; regionem nostrã habebimus, nihil conspiciemus quo non arbitratu nostro vti liceat, summa omni ex parte vbertas & copia se ostendet, agri feraces & fructuosi, fluminum nostro vsui commodissimorum maximus numerus: res numaria quæ cõgeretur, tutò absque vlla præsidij necessitate aduehetur: tempore hostis labefactabitur & elanguescet, nostri numero & viribus augebuntur, ac belli exercitatione ad virtutem acuentur: iucundo illo, si libebit, spectaculo perfruemur, vt hostem à seipso confici sedendo (quod dici solet) vel in castris amœnis & munitis ambulando cum voluptate conspiciamus. Non quò tamen illud velim, aut consilium meum sit, vt illic desides & ignaui semper torpeamus. Hoc dicere cogito, quoties aliquid susciperе placebit, fore vt iudicio & facultate quę dari videbitur, vtamur, non necessitate aut hostis libidine impellamur. Id est, vt vno verbo omnia, vires habebimus integras & recentes, aeres erimus, impigri & solertes, ne occasiones nobis oblatas negligamus, neúe hostibus opportunas & commodas quas in tempore arripiat, præbeamus.

Hæc in summa sunt quæ facere decreui, quæ iam vt fiant, nullo interposito spatio aggredi oportet. Ego enim iam amiralio per nuntios imperaui, vt dispositis præsidijs, reliquum exercitum huc remittat, copias Caguini & Rangonis dimittat, ductores tantùm ordinum & præcipuos aliquot milites mihi stipendiarios reseruet. Nunc verò ad illos quod attinet, censeo, quum primum Cæsar bellum apertè facere incipiet, eis per nuntios significandum esse, vt suas copias instaurent. De reditu autem amiralij, adhuc in ea sum & ero porro sententia quam ostendi: idque vt sic statuam, duabus moueor rationibus. Vna est, vt tota belli illati iniuria penes hostem apertius residere & illi vni tribuenda agnoscatur. Altera, quòd præsidijs deductis, hosti sub dio impar esset. Stat igitur sententia, vt illum ad me primo quoque tempore reuocem, quum præsertim nihil amplius causæ sit quare expectet, dum à cardinali, qui huc iam redijt, accersatur. Qui illic relinquentur, omnibus edicam, vt, dum abest amiralius, marchioni Salusſio pareant, quem illic (vt illi sum pollicitus) cum imperio velut principem meum legatum esse volo. Delphinatui alium insignem virum præficiam, qui milites illinc redeuntes excipiat, & prudenter locis disponat quæ opportuna & commoda ad alpium transitus obsidendos & impediendos videbuntur, interim dum copias meas vndique comparabo. Quibus omnibus coniunctis si Cæsar apud Pedemontanos diutius cunctabitur, illuc meum exercitum ita instructum traducam, vt illi occurrere non dubitem, & cum magna Gallorum multitudine periculum facere, num mea Gallia adhuc homines procreet, à quibus toto vitæ meæ tempore Hispanos in fugam conijci videre solitus sum, an verò in Hispania alij hodie nascantur ab ijs qui iampridem Gallorum virtute territi fugere consueuerunt. Non inficior eos à certis annis nonnullis in rebus potiore fuisse conditione, conditione, inquam, & loco: cæterùm quoties paribus vtrinque momentis, solá virtute dimicari oportuit, nunquam vidisse me memini, quin Gallus perpetuò Hispanum licet feroculum profligauerit, & porro profligaturum se speret. Equitatui nostro nimis grauẽ iniuriam facerem, si cum eo Cæsarianum conferendum putarem.

Italos habebit, credo: neque nobis deerunt, imò aderunt quantocunque numero placebit, neque ij omnium postremi. Germani pedites Cæsariani si nostros numero superarant, at virtute, animo & vsu non vincunt. Quod numero deest, Heluetijs sarcietur, quicquid Cæsar tãdem suis artibus moliatur & se perfecturũ glorietur. In Germania quidẽ ipsius partiũ homines fortasse meas rationes suis calũnijs & vanitate (qui illorũ mos est) nõnihil turbauerint: sed semper ipso rerũ euentu didicistis, veritati locũ illic, quoties demonstrare licuit, datum fuisse. Qua etiã causa adductus non abs re fore statui, vt illuc hominẽ negotiorũ meorum gnarum mittã, qui quę locum & tẽpus postulare

1536. intelliget, ad ea oratiõem ſuam accommodare ſciat. Quem etiam volo tum meo tum liberorum nomine petere vt ordinum Imperij conuentus in diem certam indicatur, vbi ius noſtrum & rationum quæ à nobis afferuntur pondus exponatur & expendatur, vnde ortum eſt quicquid inter nos & Cæſarem controuerſiæ interceſſit: vt tota cauſa ab Imperij ordinibus cognoſcatur, qui reuera iudices ſunt, & quorum eſt de controuerſijs pronuntiare, quæ inter Cæſarem & eos qui in Imperij clientela ſunt (quales me & liberos meos Mediolani nomine agnoſcimus) incidere poſſunt. Præterea ſimulatq; Lugdunum peruenero (quo me paulo pòſt recipere, vt meis rebus proſpiciam, decreui) cenſeo, quando nunc eſt nundinarum tempus, negotiatores Germanos qui illuc conuenient, accerſendos ad me eſſe, & oratione temporibus data alloquendos, qui vbi opus eſſe videbitur, maximè ſi quid in patria aliter quàm res habet fama nuntiante in me dici reperient, veritati aduerſus mendacium patrocinentur.

Apparatus belli deſcriptio.

QVI in concilio aderant, in Regis ſententiam eunt vniuerſi, & principis tantam in ſuis rebus prouidendis prudentiam & maturitatem ampliſſimis verbis collaudant. Itaque vti viſum fuerat, ipſo Calend. Iun. die Ioannem Humerium equitem torquatum, qui centum equitibus cataphractis Delphini auſpicijs præerat, mittit, qui Delphinatui cum imperio præeſſet. Franciſcum Nocetum comitem Pontremium ex ſua turma ad amiralium exercitus imperatorem denuo mittit, qui diceret ſibi valde probari quæ eodem nuntio ſibi ſignificaſſet, de ijs quos præſidijs Taurinorum, Foſſani & Conij præponendos putaret: iubet rebus ita perfectis ad ſe reuerteretur. Gulielmũ Bellaium Langæum, ipſum etiam ex regia turma nobilem in Germaniam mittit, tum ob cauſas antea commemoratas, tum vt à ducibus Bauariæ centum illa coronatorum millia repoſceret, quæ anno 1533 apud eos depoſuerat, quum id cuius cauſa depoſiti fuerant, iam vrgere deſijſſet, tempus quo mutuum reddi oportebat iampridem præterijſſet, negotium denique valde premeret, vt quicquid vndique opis poſſet, corradere cogerentur. Quæſtorem in Picardiam cum ingẽti pecuniarum ſumma mittit, tum ad militum delectum vbicunque opus eſſet, habendum, tum ad oppida & caſtra amplius munienda, ſimul duos rei machinariæ præfectos, Luſarcium & Magdalenium cum multis tormentorum magiſtris, Ioannem Crequium Canaplium comitem Mantium & Molantium, equitem torquatum & centum regiæ turmæ nobilium præfectum, Odardum item Dubetium quinquaginta cataphractorum ducem Boloniæque ſeneſchallum ad ſe accerſit: hunc verò equeſtris dignitatis inſigni torque aureo donat. Maſſiliam Antonium Rupeſcaldum Barbezium equitem torquatum & quinquaginta cataphractorum præfectum mittit, qui cum imperio præeſſet.

EQVITVM claſſes auget, trecentarum lancearum numero adiecto. Antonio comiti Marleano tum filio primogenito, hodie duci Vindocinenſi, Ioanni Aurelio marchioni Rotelino, Franciſco Cliuio comiti Niuernenſi, & principi Rupeſurionio quinquagenos equites attribuit. Ferentariorum item equitum claſſes & peditum cohortes auget: Ioannem Paulum Ceretanum ducentis ferentarijs equitibus & duobus peditum millibus præficit, Canaplium pari numero, Martino Bellaio totidem ferentarios equites, ducentos hippoſclopiſtas, & duo millia peditum Italorum attribuit: ex quibus Ioannem Taurinenſem, Sampetrum Corſicum, Collium Corſicum & Chinchæum quingenẽtis præfecit. Non multis pòſt diebus Regi nuntiatur in Hiſpania milites conſcribi, quibus impreſſio in Aquitaniam fieret, vt quidem fama ferebatur. Qua re intellecta, tametſi veriſimile illi vix fiebat Cæſarem velle tot locis ſuas copias diſtinere, tamen ne incautus opprimeretur, ſimul etiam vt Hiſpanis ipſis metum incuteret, quò magis grauatè pecunias Cæſari ſuppeditarent, quatuor peditum millia conſcribi iubet, quibus, vtcunque res caderet, & quocunque loco opus eſſe videretur, paratis vti poſſet. Quamobrem Nauarræ regem cum imperio illuc miſit, qui toti Hiſpaniæ non modicam ſuſpicionem iniecit.

Humerius Delphinatus res componit.

APVD Delphinates Humerius Gratianopoli curiæ patres, rationum Regiarum præfectos & tribunos plebis conuocat, docet maximum à Rege belli apparatum fieri, quo non modò hoſti reſiſtere poſſet, verùm etiam aliquid aduerſus hoſtem magni ſuſciperet: proinde animo ne deijcerentur, neu metu corriperentur, ſed in fide & obſequio Regis ſeſe continerent. Progreditur deinde Ambrodunum vſq;, in eandem quoque

que sententiam illos alloquitur. In duobus illis oppidis & in reliquis quoque populum timore non exiguo perculsum reperit illum quidem, sed optimo tamen adhuc in Regem animo: eos omnes oratione sua vehementer confirmauit. De illius sententia & iussu ex senatoribus, rationalibus & nobilibus aliqui per totam prouinciam dimittuntur, qui frumenti, vini & reliquorum cibariorum censum inirent, & locis statis distribuenda curarent. Gratianopoli amplissima horrea constituunt, vt parata illic haberent, quę postea quibuscunque locis opus esse videretur distribuerent. His confectis rebus Humerius summa celeritate Exilias, Castellodelphinũ, Busseriã, Bellocombam, Aualonem & alia tum oppida tum castra oræ Delphinaticæ viris, re machinaria & frumentaria, quã-
10 tũ satis esse visum est, cõmunit. Ad Roccam miluiam defendendã Ioannes Bulerus duumvir Riuẽsis venit: is frater erat Cẽtalij, qui loci ipsius dominatũ tenebat. Humerius ab eo rogatus quinquaginta milites subsidio misit. Sed ista postea acciderũt. Et quoniã Antonius Leua hanc arcem & alias deditionem sibi tradi per buccinatorem iusserat, Humerius præsidia & munitiones, quemadmodum rei gerendę necessitas ac temporis opportunitas poscere videbatur, commutauit & innouauit, vti suis quæque locis demonstrabimus. Ipse fere Ambroduni commorabatur, sic tamen vt totam prouinciam obiret, Brigantium, Exilias, Gapum ventitaret, & quocunque regni rationes cum vocabãt. Eius deniq; summa in Regem officia, singularis prudentia atque diligentia, qua vsus est, non vulgari commendatione & laude digna extitit.

20 LANGÆVS in Germaniam quum peruenisset, Regem illic tanta ob res exacerbatas inuidia laborare tamque male passim audire comperit, vt reipsa didicerit non temere Cæsarianos gloriari, quòd maleuolis sermonibus eum adeo & Romanensibus & Protestantibus inuisum reddidissent, vt à neutris milites habiturus esset. Reperit etiam non abs re fuisse quòd Cæsar, quæ nostratibus legatis Romæ pollicitus fuerat, vt orationis suæ, quam illic coram papa & cardinalibus habuerat, exemplum illis daret, postea retractasset. Tot enim exemplaria ille cum suis tota Germania sparserat, adeo inter se diuersa & discrepantia, pro ingenio eorum ad quos mittebantur, vt tot genera extarent, quot sectæ in religione Mahumetana conspiciuntur. Protestantibus talia destinabantur, ac de illorum negotijs multa eiusmodi scribebantur, vt ex eorum lectione cuiuis
30 promptum esset suspicari, Cæsarem in eorum causa apud papam deprecatorem potius quàm aliud quicquam egisse. Ipse insuper literas priuatim ad non neminem eorum scripserat, quem sciebat cæteris omnibus communicaturum. His significabat se bis aut ter longo & intimo colloquio cum papa egisse, adhibitis etiam aliquot cardinalibus, quos papæ accersiri placuisset: illic causas à se explicatas fuisse, quibus adducti Protestantes in nonnullis capitibus à Romana Ecclesia dissentirent, easque non prorsus à ratione esse alienas se planum fecisse, atque adeo iam non paruam spem tum esse, se impetraturum vt capita illa papæ probarentur & rata haberentur: nisi res tanta, quo temporis pũcto transigenda ac componenda iam videbatur, inopinato nuntio impedita fuisset, quo
40 allatum esset exercitum Regiam ad Vercellas oppidum ducatus Mediolanensis consedisse, eo consilio vt vlterius progrederetur. *Langæus in Germania Reginis famam ea lenitas opprefsam reperit.*

HANC causam extitisse cur non expectata papæ sententia, coactus fuisset venia ilico accepta, copias celeriter in vnum coniunctas aduersus hostem conuertere, non sine magno dolore, quòd non perfecta re de illis discessisset, sed non sine magna spe etiam, qua confidebat illorum auxilio, quod in tam pia & iusta causa imploraret (cuius indicaturam nullam facere vellet, sed eorum arbitrio relinqueret, quantum cuique conferendum esset) hostem pacis turbatorem omniumq; piorum conatuum quos ipse susciperet interruptorem, à se submotum & expulsum iri. Quibus confectis rebus se statim ad negotium interruptum de integro rediturum.

EIVSDEM orationis exempla ad Romanenses etiam dimittebantur, sed longè
50 alia forma. Quanquam enim ad eos demerendos nonnihil de doctrina Lutherana asperfum fuerat, id tamen adeo parcè & summis (quod aiunt) digitis attingebat, vt nihil esset quo Lutheranarum partium homines animis offenderentur. Apud vtrosque his artibus Cæsariani vtebantur: & quò vtrorumque odium in Regem concitarent, rumorem in vulgus efferebant, omnes Germanos è Gallia tubæ præconio publicè pronun- *Libelli in Regem famosi per Germaniam sparsi.*

1536. tiato exulare: quotquot e ditione Regis in Germania versati aliquādo fuissent, omnes indiscriminatim tanquam Lutheranos & impietatis damnatos atrocissimo supplicio afficiri. Hac ratione & Protestantes in Regem instigabant, velut illorum doctrinæ infestissimum hostem, & alios concitabant, quasi eodem ille omnes loco haberet, ac eadem trutina libraret. Vtrisque præterea persuaserant, quòd Rex bellum faceret, id non tam ob priuatam causam facere, quàm ob initam cum Turca societatem, eamque esse hominis mentem, vt Cæsaris & Imperij vires aliò auerteret, dum ille totius Christiani populi hostis alia ex parte eum adoriretur. Quin & similes labris lactucas episcopos quosdam reperiebant, qui vel animi morbo, vel quòd ita esse crederent, invulgus efferre audebant, atque ad hanc rem vel opera rabularum quorundam pro suggestu in publicis concionibus abutebantur, vel programmata typis excusa valuis templorum per suas diœceses affigi curabant. Postremò nequid deesset quod ad fidem faciendam conducere videretur, certam epistolam prouocatorium typis editam cum priuilegio scilicet Cæsareæ maiestatis (nequis de rei veritate dubitaret) euulgarunt, addito fecialis nomine, die ascripta & quo loco Regi in magna principum & nobilium corona exhibita fuisset. Quam quum fecialis porrigeret, manu gladium teneret, cuius lamina vna ex parte in flammarum speciem cusa erat, alia encaustica pictura tota rubebat. Cuius rei hanc interpretationem attulisset, Cæsarem principem suum illi bellum exitiale & cruentum denuntiare, quo omnia ferro & flamma vastaret, nisi à turpi, scelerata & execrāda societate seu coniuratione quam cum Turca in Christianorum & Christianę religionis perniciem inierat, discederet.

Germanis erronibus incendiarij vexata.

HÆC belli denuntiatio ita per totam Germaniam publicata, incredibile dictu quanta hominum odia aduersus Regem concitasset: quòd valde pauci erant qui nō certò statuerent id reuera accidisse. Non erat scilicet suspicandum eam à tali Principe tanto Regi faciendam esse, nisi nefariam illam cum Turca consprationem factam esse constaret. Per id tempus etiam accidit vt nonnulli extarent incendiarij, qui nocturnabulantes multos in Germania vicos & oppidula rusticana incenderunt. Quam occasionem Cæsariani nacti famam sparserant, istos incendiarios à Rege subornatos & dimissos esse. Hac fama & cęteris artibus effectum est, vt qui antea domo nonnisi accepto stipendio egredi nolebant, tum, tanquam aduersus cōmunem quendā totius humani generis hostem pugnandum esset, vltro ad centuriones properarent, rogarentq; vt se ad bellum ducerent. Ea res admodum opportunè Nassauuio cessit ad cogendas Germanorum peditum copias, quas paulo post in Picardiam duxit. Supererat tertius exercitus comparandus, quem Cæsar (vt antea dictum est) in Campaniam deducendum esse constituerat quum maxima esset rerum perturbatio, quique ad tempus præstitutum in procinctu futurus erat, atque id modica Cæsaris impensa, nisi Rex sua prouidentia obstitisset, dum in Germaniam dimisit qui explorarent quid illic turbarum & tragœdiarum excitatum esset.

Langeo maximę difficultatis obiecta.

LANGÆVS vniuersos Germanos ita in Regem animatos reperit, vt qui superiora illa verissima esse crederent. Itaque quum eos adiret quibus plus fidei habebat, & quorum fide, diligentia & opera plurimum antea aliàs in Regis causa vsus fuerat, hi de illo se tum non leuiter mereri putabant, si tantum discriminis adirent, vt eum Cæsaris vel fratris Ferdinandi Regis ministris non indicarent, ac pro amicitia monerent vt reditum maturaret, neq; vlterius progrederetur. Ac profectò reb. ita exacerbatis, homi numq; animis huiusmodi Cęsarianorū artib. inflāmatis, si porrò pergere instituisset, iter illi facere interdiu nullo pacto licuisset, quin vel agnitus vel ex suspicione manu iecta progredi fuisset prohibitus. Nocturna etiam itinera nihilo fuissent illi tutiora, propterea quòd à crepusculo ad lucem vsq; rustici omnes in agris excubabant, qui nullos iter facere sinebant quos non cōpellarent. Quamobrem quendā sibi priuatim amicum natus, qui nō recusabat quin apud se ad aliquot dies delitesceret, dum prudenter interim & quāta fieri posset dexteritate aliquorum voluntatem tentaret & exploraret (quorum maior erat potentia & autoritas vt illum iuuarent, rationemque inuenirent qua rei veritas proferretur, deleretuŕque turpis illa labes quæ Regi ab obtrectatoribus iniusta erat) eo consilio vti statuit. Illius opera de alijs duobus inter cæteros, periculum facit,

facit, qui colloquendo (vt res alia aliam trahit) in eum sermonem veniunt, vt cupere se in primis dicerent, dari aliquem, à quo de tota re, cuius tanta fama ferebatur, vera & prolixa oratione certiores fierent: sibi enim vix verisimile fieri, Regem à Deo in tantam amentiam & furorem ruere permissum fuisse. Ille tum fide silentij inter eos tres data, indicat Langæum domi nemine præter se cõscio latere: quem illi adire eumq; coràm loquentem audire statuunt.

EOS ego, ne debita laude officij careant, alio loco, quem opportuniorem deligam, nominabo: nunc tacere visum est, ne eius odio obnoxios illos reddam, cui factum hoc nimium displicuit. Posteaquam ad eum accesserunt, etsi oratione & habitu ipso præ se ferrent atrocissimis illis in Regem maledictis se fidem non habere, nonnulla tamen esse dicunt in quibus culpam in eum conferrent, idque se magnorum virorum exemplo facere, qui quæcunque dicuntur non temere credant. Langæus ad omnia sic respondet, vt illi satisfactione accepta se nihil iam expostulare dicerent, multis alijs non minus satisfactum iri, si eadem respondere ntur. Quibus causis adductus Langæus quæ coràm diss erat, scripto complectitur, efficit vt clam typis excuderetur, & tota Germania tum Latina tum Germanica lingua efferretur: quin & in Gallicam linguam conuertit, quò à pluribus legeretur, ac rei veritas latius patefieret. Præterea vt protestantibus ostenderet verba illis data esse, & eos ludibrio habitos, qui cùm literis à Cæsare scriptis fidem habuissent, tum verò illius orationis quam Romæ habuerat dispersis exemplis: illa curat vera & fideli ad verbum Germanica interpretatione typis edi, & quoquouersum dimitti.

Langæus simplicitatis nebulas discutit.

EA re effectum est vt Protestantium erga Cæsarem studia valde refrigescerent, odium tamen quod tum illi tum Romanenses in Regem conceperant, non valde remit tebatur. Tametsi enim Langæus ijs quos conuenerat, rei veritatem demonstrauerat, ex ipsius Leidekerkij literis, in quibus manus & signum hominis agnoscebatur, constabatque eum adhuc apud Regem esse, quo satis refellebatur euulgata illa & typis excusa belli denuntiatio: literas insuper negotiatorum Germanorum ostenderat, Lugduno ante paucos dies datas, gratulationis plenas, qui summam in se Regis humanitatem in suis rebus prædicabant, Langæoque, à quo introducti & commendati fuerant, per literas gratias agebant, quod satis commenti illius de exilio promulgato vanitatem arguebat: tamen vulgo ipsi, cuius animis penitus illa ex rumore inhæserant, nondum veritas innotuerat.

PERCOMMODE tum temporis accidit vt negotiatores, qui à nundinis Lugdunensibus redeuntes festinabant, vt in tempore Argentinensibus interessent, singulis subinde diebus aduenirent. Id vbi resciuit Langæus, nonnullos ex suis & qui Regi studebant, quos in aliquot oppidis habebat, sui aduentus certiores facit: eisque iubet vt varijs diebus, cœtibus & locis maximè frequentibus negotiatores illos rogarent ecquid è Gallia afferrent. Respondent vno ore omnes quæ cum superioribus cohærebant. Rogati num bellum denuntiatum esset, affirmabant, quo tempore Lugduno discessissent, nullum esse inter Cæsarem & Regem bellum indictum, amborum oratores adhuc apud eos mutuò esse, sermones de pace confirmanda etiamnum passim haberi, quanquam, si quis ex ijs quæ fiebant iudicium facere vellet, rem ad arma spectare. Quin & illud non dubitabant affirmare, quo tempore ex libello impresso denuntiationem illam Regi, quum Lugduni esset, factam fuisse apparebat, Regem ante hunc diem amplius mense & quindecim postea diebus Sancheri, Sarramberti & Mombrisone versatum fuisse. Rogati super proscriptione & exilio, respondent Regem contrà liberalissimè promisisse, si fortè pax inter se & Cæsarem (quod abesset) violaretur, Germanos tamen non minus tutò in Gallia quàm Gallos ipsos versandi facultatem habituros. Imò quoniam exteri fortasse propter bellum minus liberè se itineri commissuri essent, aut magnas pecuniæ summas negotiandi causa allaturi, illos in suo ipsius ærario, vt nullum à prædonibus itinere faciendo discrimen subire cogerentur, reperturos coronatorum bis, ter, quater aut etiam quinquies centena millia, quæ in merces suo more coemendas insumerent, quæque vel in Gallia bello confecto, vel etiam in Germania belli tempore, si quid illic opus esset, restituerent: cæterùm tanta orationis humanitate vsum fuisse, vt

ſtudent)non crimina ſed calumnioſas obtrectationes purgarent & refellerent. Hac igitur ſpe fretus poſtquam huc aduenj, duas res reperio obſtare quominus quod mihi mã datum erat exequi poſſim: tum quòd conuentus ille, de quo ad eos perlatum fuerat, non habebatur, tum quòd ſi veſtrum ſingulos adire cogitarem, ad id faciendum itinera minimè tuta mihi dari videbam. Accedebat etiam quòd à nonnullis qui principem gradum & autoritatem obtinent, amicè ſed ſeriò etiam monebar, certum mihi imminere ipſius vitæ periculum, quocunque loco in Germania deprehenderer. Hoc ego nuntio (fatebor enim quod res eſt) non leuiter commoueri cœpi. Cuius rei cauſa non ſola hæc erat (quanquam & hæc nonnulla reuera erat) quòd me de ſalute periclitari, & Regis negotia valde lædi videbam, ſed etiam quòd rei tum nouitatem tum indignitatem valde mirabar.

IN hac enim præterquàm quòd Regi iniuriam fieri perſpiciebam, reperiebam etiam huius ſacroſancti Imperij & gentis Germanicæ exiſtimationem non parum labefactari. Nam quum ſuperioribus ſeculis ea in vobis habita ſit animi magnitudo & potentiæ dignitas, vt iniurias non modò vobis ſed alijs etiam illatas vindicaretis: quis non hodie ad commiſerationem moueatur, qui ipſam libertatem veſtram, non ſolùm amplitudinem, adeo opprimi videat, vt illud tolerare ac tacito conſenſu probare cogamini, vt ſit quiſpiam cuius nutu regum & principum legatos vel admittere vel repudiare oporteat? qui vobis præſcribat quibus concedi, quibus denegari aditus debeat? qui etiam nominatim ijs concedi vetet, quorum genus (ſeu Franci ſeu Francogermani ſint) ab iiſdem autoribus atque Imperium ipſum profectum eſt? Quodquidem Imperium vobis ab illis conciliatum eſt, ab illis à Græcis ad Latinos tanquam poſtliminio reſtitutum eſt, qui ſua liberalitate, præter ampliſſimas prouincias, quas ingenti labore, ſudore & ſanguine ad augendum & ornandum hoc Imperium, ad ſtabiliendam atque firmandam veſtram libertatem quæſiuerunt, nomen & limites Germaniæ amplificarunt, ipſum Imperium tot latiſſimis poſſeſſionibus decorarunt, quas antiquo patrimonio ad vtranque Rheni ripam tenebant: qui denique præter vetuſta illa in vos merita, cum veſtro Imperio tanta neceſſitudine, cõſuetudine & conſilio ipſo coniuncti ſunt, vt etiam quum bella maximè inter eorum Reges & veſtros Cæſares (quod non ita pridem factum eſſe ipſi meminiſtis) intercederent, nunquam tamen nec ſocietas inter vos dirempta eſt, nec communicatio intermiſſa.

HÆC quam ita ſint, ſiccine vos Illuſtriſſimi & Clariſſimi principes patiemini ab iſtis ius gentium in vobis labefactari, eorum legatos violari quibuſcum tanta ſocietas vobis in hoc Imperio, quod ipſi vobis pepererunt, intercedit? quorum nomini ſacroſancto tanta debetur reuerentia, vt tutò & extra omne periculum inter ipſa hoſtium arma verſentur? Rex quidem ipſe princeps meus hanc & alias inuſitatæ indignitatis iniurias ſibi illatas diuino iudicio planè committit. Ad me verò quod attinet, qui ab eo & eius liberis non alio conſilio huc miſſus ſum, niſi vt apud vos (quorum eſt vt Cæſarem creare, ita etiam de controuerſijs rerum Imperialium cognoſcere atque pronuntiare) ius exponerem quod illi habent, & ſibi deberi contendunt, vtq; in iudicio veſtro (quod illi ſubterfugere velle vaniſſima calumnia incuſantur) ſiſti eos poſtularem, qui quæ Regis & liberorum ſunt per iniuriam occupata detinent, quibus ſe ſpoliari eo grauius ferunt, quòd dum illis potiuntur (ſunt autem illorum optimo iure) ſe ex numero eſſe principum Imperij poſſunt affirmare: ne mea legatio illis planè inutilis eſſet, non potui hoc meum officium prodere, quin ea per literas & nuntios agam, quæ abſque ſummo & præſentiſſimo periculo coràm exprimere non licet. Itaque Regis principis mei & liberorum literas, cum alijs meo nomine ſcriptis, quibus mandata mea exponebam, ad illuſtriſſimum principem Ludouicum comitem Palatinum dedetam: nam cum illo me agere minore periculo poſſe exiſtimabã, propterea quòd ei, quum Gallię maximè ſit vicinus, facilior mei recipiendi facultas daretur. Ab eo ſummis precibus contendo, vt de Regis & liberorum poſtulatis ad collegas Electores, alioſq; principes & ordines Imperij, quorum intereſſe eos fieri certiores videretur, referret, tum ipſi ex communi conſilio & ſententia reſponderent ac ius redderent. Ille per literas reſpondet ſe omnia ad Sereniſſimum regem Ferdinandum miſſurum, qui ad Cæſarem fratrem perferenda curaret: illum optimè rationem tenere quemadmodum hæc negotia ſint adminiſtranda.

1537. Hoc ego responso accepto (prudentissimi & clarissimi principes) quid à Cæsare & fratre Ferdinando expectare aut possum aut debeo, nisi vt literas & mandata ab ijs supprimantur? Alter enim se spolijs indutum & patrimonio principibus meis ademptо locupletatum nouit: ambo autem id agunt vt Rex princeps meus apud omnes vbique malè audiat: eumque quum accusent, quòd hodie contra ius & fas ducatum Mediolanensem affectet, antea nullo iure aut legitimo nomine tenuerit & occuparit, itinera obsideri & explorari (vti videtis) iubent, quòd verentur, ne quoniam res omnino se aliter habet, falsoque ab illis accusatur, huc mittat qui crimina diluant, atque in eos ipsos accusationem meritò retorqueant.

Hoc profectò sine vlla dubitatione verum esse omnibus constat, Maximilianum Cæsarem, ante aliquot annos causa in iudicio cognita, vtraque parte audita, ex principum Imperij qui aderant sententia, Regem Galliæ Ludouicum de mortuum, deinde Franciscum principem & dominum meum ipsius Ludouici generum in clientelaris fidei professionem accepisse, & ducatum Mediolanensem velut antiquum & auitum patrimonium tenere iussisse.

Idem meus princeps in hac causa disceptanda non modò ordinum huius Imperij subire iudicium non recusat, verùm etiam vltro ipse non semel postulauit: tantum abest vt in hac causa vel in Sabaudica (quam etiam maleuoli homines vobis depraua-runt) vnquam vadimonium deserere cogitauerit. His ego in tot difficultatibus constitutus, quum hoc mihi exprobrari minimè vellem, quasi susceptam prouinciam tanta negligentia administrarim, neque, si officio meo omni ex parte respondere minus licebat, aliquid saltem in principum meorum causa tentauerim, nonnulla spe adduci cœpi, fore vt à vobis aliquid respondeatur, vnde illis ostendere possim, quam perfugij & auxilij expectationem in vestra æquitate locare debeant.

Quæ quum ita essent, expedire mihi visum est vt has ad vos communes literas tum alias ad singulos priuatim per certum nuntium darem, quibus fidem vestram implorarem, à vobis peterem vt sanctæ illius ac vetustæ coniunctionis rationem habeatis, quæ semper nostræ patriæ & nostris Regibus cum vestro Imperio intercessit, antiquæ & toties renouatæ propinquitatis, necessitudinis nunquã interruptæ inter nostrates & vestri Imperij principes: cogitetis quinam sitis, quem locum teneatis, ecquod sit munus veteris illius & germanę Germaniæ libertatis, ecquid huic Imperio, huius autorum & conditorum memoriæ, vniuersæ deniq; ipsi reip. Christianæ debeatis. Ne committatis vt duo potissima huius reipublicæ columina mutuo conflictu atterantur & debilitentur. Cogitate quemadmodum in eorum splendore & robore possit illa ac debeat sperare & quærere suæ gloriæ atque amplitudinis incrementum, sui contra res aduersas & pericula tutelam: quemadmodum vtriusque maiores præter cæteros suas fortunas, potentiam & vitam ad eam tuendam, amplificandam propagandamque perpetuò contulerint.

Hoc ego à vobis potissimùm peto, hoc etiam potissimum à meis principibus negotium datum est, vt petam, si aduersariorum maleuolis sermonibus præiudicata aliquid opinionis vestras mentes occupauit, id vt deponere incipiatis, & qua ex parte ius esse agnoscetis, eò iudicum sententias inclinari & propendere sinatis. Id ego à vobis sanè spero, si quidem ista simul in memoriam reducatis, tum hoc illorum peruetustum ius & hæreditarium publicè declaratum, ac probatum fuisse in causa Ludouici Regis, idque Cæsaris Maximiliani testimonio & iudicio, tum ipsum Regem ab eodem Maximiliano inde per summam iniuriam pulsum fuisse. Qui quum ab eo amplius centum quinquaginta coronatorum millia extorsissent, haud ita multo pòst ac fortasse etiam his ipsis pecunijs quas ab eo acceperat, magna coacta manu cum per vim deturbauit. Hunc quum postea Rex princeps meus recepisset, & ex manibus ijnuisti occupatoris extortum per complures annos tenuisset, Cæsar vester indicta causa eum spoliauit, etiamsi iure ipso oporteret (id quod à maioribus vestris & vobis semper est vsurpatum) potestatem & autoritatem, qua possessiones quæ in Imperij clientela sunt, ad alios dominos transferantur, legis esse, non ab vnius cuiuspiam (quisquis ille sit) arbitrio ac libidine pendere.

Hoc

Hoc ius, hanc legem quum vestra priuatim interfit & vestrum reuera sit cognoscere, vestræ quoque partes sunt diligenter videre quidnam ad æquissima serenissimorum meorum principum postulata respondendum esse putetis. Hi à vobis petūt & obsecrant ne tantopere se fastidiatis, vt suam causam minus quàm aliorum Imperij principum cognoscendam suscipiatis. Mihi quidem minimè dubium est quin, si recordamini quales sitis, principes scilicet libertatis vindices, omnium cōtrouersiarum quæ in hoc Imperio oriuntur, summi iudices, ipsi Cæsari serio instare debeatis, vt ius illi par & æquū possint obtinere, causa disceptetur atque cognoscatur, ipse quoque æquitati se subiici patiatur, vestro iudicio magis stare animum inducat, quā opinione m suam præfracte tueatur, qui gloriatur se (haud scio an salua dignitate) omnes suas copias & opes coacturum, quibus potius aduersus Regem, quàm aduersus Turcam hæreditarium sanguinis & nominis Christiani hostem vtatur: mauúltque quascunque à tergo regiones relinquit, illius prædæ exponere, quàm vt ab hac sententia se deduci patiatur, & ab expeditione legiones abducat, quā ad eum Regē opprimendū semel suscepit, à cuius patribus ac maioribus orta est occasio, qua amplissimæ illæ opes & bona familiæ Austriacę obtigerunt, quæ potissimùm eam in supremum dignitatis fastigium, quo nunc locatam videtis, extulerunt. Quòd si ille in sententia semel instituta perseuerare volet, si semel infestum exercitum in Regis Christianissimi principis mei regiones ducet, quòd se facturum minitatur, atque adeo fortasse iam rē aggressus est, reperiet, scio, & patrē & Serenissimos principes filios ita viribus & animis ad excipiendum irrumpentis impetum nullo minarum metu paratos, vt nihil Deo secūdo eorum omissuri sint quæ ad principes vigilantissimos patriæque ac ciuium amantissimos pertinent.

Verum antequam huc veniatur, antequam tempestas excitetur, qua perniciem & vastitatem vniuerso orbi Christiano importatum iri prospiciunt, visum illis est, vt de iis quæ dicta sunt vos per me certiores fieretis, vóque obsecrarem, vt pro eo loco ac dignitate quam tenetis, de inuenienda ratione cogitetis, ne tantum sanguinis Christiani effundatur, aut saltem vt periculi impendentis atrocitas leniatur. Idque faciunt, vt hac illorum testificatione vobis constet, si bellum cum Cæsare gerendum erit, non sponte sua aut consilio illos hoc suscipere, sed ad iniuriam propulsandam & se tuendos necessitate coactos descendere. Quam ego illorum testificationem mihi demandatam & imperatam, quia coràm exponere, multis licet rationibus apud non paucos principes tentatis, non possum, ad literas & scripta tanquam ad extremum perfugium me contuli. Vestras ego celsitudines supplex oro, ne graue vobis sit, vt hoc ipso nuntio quid ad hæc æquissima postulata respondere vobis sit in animo, cognoscam. Obseruādissimi, Illustrissimi, &c. Deus Opt. Max. vestras celsitudines seruet ac bene fortunet, in hoc verò tanti momenti negotio, quod ad vniuersos reuera pertinet, vobis eam mentem & consilium immittat, quod & vestrum officium & Christiani populi salus flagitat.

Dvm has & alias literas Langæus expedit, veritas per totam Germaniam dimanare cœpit in iis quæ Regi falsò obiecta fuerant, & calumniarum vanitas prorsus patefacta est. Quinetiam in ciuitatibus Imperialibus aliquot negotiatores nuper Lugduno reuersi (vt diximus) bonam operam nauarunt, vt suæ quisque ciuitatis senatoribus commemoraret quàm liberaliter illic habiti fuissent, quàm luculentas conditiones Rex, antequam illinc discederent, tulisset. Quæ res adeo indignationem illam aduersum Regē conceptam diluit ac mitigauit, vt ex tredecim hominum millibus quos rex Ferdinandus in Campanorum fines se missurum sperabat (quique priuato quodam magis studio impulsi coierant, alij prædæ spe, alij vindictæ cupiditate incitati, quàm vt vel illi vel Cæsari obsequerentur) non plures reperirentur quàm ad duo aut tria millia. Reliqui sacramentum militare se nonnisi toto stipendio persoluto dicturos planè negarunt, idque in illo excipi voluerunt, si aduersus Regem arma bello inferendo sumenda essent, in iis regionibus quæ antiquitus Gallici sceptri & possessionis sint. Ita exercitus ille impeditur: qui vt alia conditione sacramento se obligarent, adduci potuerunt, alij in Italiam proficiscuntur, alij cum Nassauuianis se coniungunt.

Apvd Pedemontanos amiralius iam, vt illi imperatum erat, Taurinis præsidium impoſuerat, cui Claudium Annobaldum quinquaginta cataphractorum præfectum, equitem torquatum, cum imperio præesse iussit, & Carolum Cucium Burium, cuius

Amiralius Regius exercitū dimittit.

1553. antè iam meminimus,& Gabrielem Alacrium cum ſuis quinquaginta cataphractis, ſe-
rentariis Alſunus, Termius & Deſſæus centenis præerant. Præter illos multi nobiles ex
inclytis familiis oppido ſe concluſerunt, vt fortitudinis laudem & famam ſibi compara-
rent, Regique ac patriæ ſuam operam dicarent. Ex his fuerunt Piennius cognomento
Halluinus, comes Tonnerrenſis, Liſtenæus, Guido Chabotus Iarnaci primogenitus,
Paulus Chabotus Clareuallenſis, Eſcarius, Ludouicus Bullius comes Sancerranus, Fran
ciſcus Viuonnius, Carolus Coſſæus Briſſacus, Ioannes Doſius, Ioannes Claromontius
Trauius. Pedites collocantur Alchius & Cannius qui millenis Picardis præerant, Sal-
lius cum mille Normanis, Quintius cum pari Campanorum numero, Lartigodius, Blā-
cus, & Anguarus cum quingentenis Vaſconibus, deniq; M. Antonius Cuſanus cū duo- 10
bus Italorum millibus. Toti peditatui cum imperio præerat Burius, vt Regis legatus
vnà cum Annobaldo haberetur. Ipſe amiralius cum ſua centum cataphractorum & ma
reſchalli Albinij totidem equitum turma, item Rupemeniana & Villabboniana quinqua
genūm, aſſumptis etiam comitis Gulielmi peditibus Germanis Pinierolam ſe recipit.
Reliquum exercitum marchioni Saluſſio tradit, quem etiam in ſuum locum impera-
torem relinquit.

SALVSSIVS ab amiralio (is Pinierolæ erat) per nuntium ſupplementum petit,
quòd imparem ſe diceret tantæ multitudini, quam aduentare audiebat. Amiralius tur-
mam equeſtrem Bonoullani abſentis, quam Broſſius legatus ducebat, Rupemenium
etiam & Villabonum cum ſuis quinquagenis equitibus, centum cataphractos Montija- 20
ni, ducibus Vaſſæo & Iallio, & ſexaginta Ioannis Pauli Cæretani equites, equitem Am-
brenſem cum mille peditibus Vaſconibus, Santalbinum cum totidem Normanis, Oar-
tium Nauarrenum cum quingentis mittit. Hi quo die ab amiralio dimittuntur, Vigonē
peruenium, inde Villafrancam: vnde miſſo nuntio à Saluſſio petunt quid facto opus ſit.
Is poſt biduum demum ad Rupemeniū ſcribit, vt ipſe cum Villabono poſtero die ma-
Saluſſius mo- ne Villanouam Solleriorum veniret, ſe illic cum Mompeſato, comite Pontremio & aliis
ras nectit, dū affuturum, vt de rebus adminiſtrandis conſilium caperent. Illi imperata faciunt, mane
ad Cæſarem conſilium ingrediuntur, eôdem etiam tempore meridiano redeunt, neque quicquam
tranſeat. conſtituitur, niſi quòd Saluſſius iubet Montijani equeſtrem turmam à Iallio & Vaſſæo
(is legatus erat Montijani) in Galliam reduci. Nihil præterea ſtatuitur, ſed vnde quiſque 30
venerat, redire iubentur, dum à Saluſio accerſantur.

BIDVO pòſt rurſus eos cum ſuis equitibus Satuillianum venire iubet, ſic tamen vt
Villabonus præiret ad diuerſoria deſignanda, Rupemenius cum equitibus ſubſequere
tur: videret autem diligenter quemadmodum tutò illos duceret, propterea quòd hoſtis
cum multitudine non exigua haud longè abeſſet. Eò poſtridie quum illi veniſſent,
adeſt Monpeſatus Foſſano reuerſus, quò profectus fuerat vt de oppido muniendo ſta-
tueret. Is nuntiat, quanuis mœnia valde infirma eſſent, ſibi tamen huiuſmodi videri, vt
propugnari poſſit, modò tēporis aliquid daretur quo vallo cingeretur, & caſtella ceſpi-
titia quæ inchoari iuſſerat, perficerentur. Saluſius hanc ſententiam ſibi probari negat, 40
& quicquid militum habebat, in Galliam remittendum eſſe cenſet, Vereſium quam-
celerrimè ad Regem mittendum, qui eum tum de ſuo hoc cōſilio certiorem faceret, tū
cauſas quibus adductus eſſet afferret: has eſſe, hoſte cum tanta multitudine adeo pro-
pinquo, nullam rationem videri, qua vllum in regione Pedemontana oppidum muni-
ri ad arcendam eorum vim præter Taurinos poſſet: cæterùm alios milites illic habere
præter eos qui iam aderant, id nihil aliud eſſe quàm conſultò homines neci obiicere.

RESPONDENT centuriones ſe quidem adeſſe vt illi dicto eſſent audientes, qui
iuſſu Regis ſummam imperij tenebat, ſibique hoc eſſe imperatum: ſibi tamen operæ
pretium videri vt præter Taurinos vnum aut alterum oppidum ſeruaretur. Etenim ſi
vnum duntaxat teneretur, id erat nimirum hoſti in Galliam tranſitum præbere, qui aut
leui obſidione interim Taurinos nihilo ſecius premeret: aut tam oportuna facultate da 50
ta, quum vnum videret oppidum expugnandum occurrere, idque nondum ſatis vallo
& aggere munitum, omnes eò vires conuerteret, & multorum licet militum iactura tā-
dem expugnaret, nequid in Galliam progredienti à tergo relinqueretur quod negotiū
faceret. Mompeſatus in ſententia conſtat, Rupemenius cenſebat Conium potius eſſe
muniendum, quòd ampliori oppido maius præſidium capi poſſet, deinde non tantis

muni-

munitionibus opus esset, atque Fossani. Nam si suburbana ædificia cum oppido cingerentur, vallum non maiori spatio quàm quingẽtorum passuum duci oportere. Præterea commeatum, tela & arma illic iam esse, quæ Fossanum, si quidem illud muniri placeret, omnia inde essent cõuehenda. Hoc etiam accedere, quòd circunie ctus Salussianus ager paratissimus esset, item Delphinatus & Prouincia, quòd comes Gulielmus cũ suis peditibus Germanis Barselonæ aut sicubi commodius alibi videretur, locari posset, alia item præsidia ad Demontium, Roccam miluiam & aliis locis disponi, quæ hostibus a tergo essent. Ita hosti multas difficultates obiectum iri, antequam aut de Conio obtidẽdo certò statueret, aut eo ponè relicto montis iugum superare aggrederetur. Cæteri centuriones in eius sententiam frequentes eunt. Mompe satus recipit se in alterum ex his oppidis, vtrum placeret, ingressurum esse. Illud in primis rogat ne deliberando tempus absumatur, iam enim maturè facto non consulto opus esse.

Salussius cum perendinationes subinde excogitat.

SALVSSIVS, quantumuis omnes acriter contenderent, eo die adduci non potuit, vt certi quicquam statueret, nisi vt Rupemenius & Christophorus Vascho postridie Fossanum rursus explorarent, quorum renuntiatione audita, quid fieri operæpretium esset, demum constitueretur. Illi postridie profecti eodem die reuertuntur. Rupemenius pertinacius etiam quàm pridie suam de Conio sententiam vrget, eóque magis quòd Fossani nulla aquæ copia quàm ex quinque puteis esset, præterea ex vnico fonte qui extra oppidum esset, quẽ hostis facilè in obsidione adimeret. Salussius quòd dissimulandi & rem producendi rationem quærebat (vt postea constitit) nihil pronuntiare voluit, tantùm statuit vt omnes & equitatus & peditatus duces postridie vnà secũ in rem præsentem venirent, vbi de toto negotio semel statueretur, suam quisque turmam & cohortem duceret, quæ ibi præsidio relinquerẽtur, siquidem illic placeret manere: sin minus Conium etiam recognoscerent: quod si ne illud quidem defendi posse iudicarent, tum vniuersi in Galliam redirent: ipse recipit se operam daturum, vt machinarum multitudo ponẽ per montium iuga tutò traducatur. Reclamant cẽturiones, turpissimum fore, vt etiam se recipere cogerentur, machinas relinquere: neque verò illis hoc probabatur, vt vniuersi milites Fossanũ contenderent: sic enim cibaria consumpturos, quibus postea carerent, siquidem locum tueri placeret. Marchio contrà instare vt omnes proficiscerentur, non amplius nocte mansuros esse. Qua de re certiorem Regem per Veresium summa celeritate facit (ad quem etiam iam scripserat) conqueritur insuper ordinum ductoribus se parum morigeris vti.

FOSSANVM postridie vbi perueniunt, reperiunt temporis satis esse, siquidem nauiter & diligenter operi instarent, vt quæ cœpta erant perficerentur, id fieri posse si milites ipsi vnà cum amplius octingentis fossoribus, qui inchoauerant, ad vallum ducendum operam suam accommodarent: Mondeuiso (quod non procul abest) cibaria conuehẽda curaturos, vt Conio parcerent. Ita hoc in gratiam Regis effecturos, & vtroque oppido defendendo hostis impetum fracturos & remoraturos, facultatemq; nostris daturos, vt copias in vnum coniungerent. Ea est omnium ducum & centurionum sententia, quam Salussio significant, eum rogant vt protinus certi aliquid statuat. Ne tũ quidem pronuntiare quum vellet, rem in diem sequentem reiicit, interim fossores toto noctis spatio aufugiunt, vt vix quadraginta remanerent: quin illud quoq; postea cognitum est, ab ipso Salussio vt fugerent, monitos fuisse. Id verum esse non tum quidem patefactum est, sed multi erant quorum animis non leuis insidebat suspicio, maximè quũ postero die aperte præ se ferret tenendum sibi oppidum videri: id quod minimè antea assentiebatur, quandiu facultas ad muniendum satis commoda supperebat. Ita quibus in tam nefariæ rei suspicionem nondum venire poterat, ij tantam mutationem leuitati saltem aut animo in certa quadam sententia parum confirmato tribuere omnino cogebantur. Alij deterius aliquid augurabantur, quibus non placebat comitem Paucopalæũ ex eius comitatu, tam crebrò in hostium castra ventitare: verùm ille controuersiam Monferratensem obtendebat, addebatque, illius rei prætextu eum à se exploratorem mitti, quò illorum consilia illustraret. Quibus verbis alij fidem habebant, alij simulatè dicipiebant. Martinus quidem certè Bellaius in ipso cõcilio omnibus audientibus, ei in os dixit Busotum quendam ex hippocomia regia, quum Mediolano veniens Asta iter faceret, eius diuersorium proximè Cæsarianum ipsum inscriptum conspexisse. Ibi sub-

1537. ridens Saluſtius certò ſe ſcire reſpondet, ne ipſi quidem Bellaio nedum vlli ex toto cœtu hoc veriſimile fieri. Ibi omnes aſſentiuntur, ſe de illius candore & probitate ita ſentire, vt tantum nefas in illum cadere poſſe nequaquam ſuſpicarentur, rogare tamen vt de rerum adminiſtratione certi aliquid tandem conſtituat, neu tempus longis iſtis & dubiis deliberationibus fruſtra abſumat. Reſpondet tum Saluſtius, quòd adhuc diſſimulaſſet, & rem traxiſſet, id à ſe factum vt quid animi haberent non ipſi quidem duces (quorum virtus ſibi nunquam in dubium veniſſet) ſed milites qui aderant, cognoſceret. Quos quũ animo tam alacri eſſe conſpiceret, iam non ambigere quin Foſſanum defendere oporteret. Petit vt quod non ſolùm pollicendo, verùm etiam inſtando ſe facturos recipiunt, nunc re diligenter præſtarent, de Conio poſtea conſilium capturos, ſi prius quis militũ numerus Foſſani relinquendus eſſet conueniret. Subiiciunt illi, modò qui tum aderant foſſores, quum id promiſiſſent, exhiberentur, aut alij pari numero, nihil iam ſe cunctari, ſed bona fide perfecturos, vt promiſſi fides conſtaret. Interim docent non leuiter ſe dolere quòd tantum temporis diſſimulando & moras nectendo periiſſet, neque opus vllo pacto inchoatum eſſet. Saluſtius foſſorum fugam, quæ tum incommodè accidiſſet, ſibi inter cætera vehementer dolere dicere, bono tamen eſſent animo iubere, polliceri ſe ex ſuo marchionatu quamprimum duplo plures accerſiturum, & quidem tei militaris non imperitos, vt ſi quid vrgeret, etiam militũ & foſſorum numero eſſe poſſent: verùm ne vnus quidem extabat. Ipſe concilium quotidie apud ſe in cubiculo cogebat, vnde dulces qui accerſebantur, nihil certi in diſceſſu auferebãt, niſi quòd propter multitudinem cibaria in dies minuebantur, Mondeuiſo aut aliunde ne mica quidem aduehebatur.

SVPRA demonſtratum eſt Saluſſium iam inde ab initio & priuſquam Vereſium mitteret (quem conſciis centurionibus miſerat) Regi per literas ſignificaſſe tum quàm magnæ eſſent Cæſaris vires, tum quàm parum ſibi dicto audientes duces experiretur, quas ob cauſas nec Foſſanum nec Conium defendi vlla ratione poſſe videri, atq; adeo nihil magis expedire quàm vt omnes milites, iis exceptis qui Taurinis erant, in Galliam remitterentur. Quo nuntio Rex accepto Schenaſium quam celerrimè ad eos mittit, qui videret quo loco res eſſent. Rogat vt ſiquod erga ſe officioſum obſequium extare ſtuderẽt, operam, quoad eius fieri poſſet, darent, vt iſta oppida præſidio & opere firmarentur, ne tam citò hoſtem in regni penetralibus nondum paratis viribus accipere cogeretur. Id ſi faceret, pollicebatur ſe ante menſis ſpatium ſubſidium eſſe miſſurum, ſiquidẽ ad hoc vſque tempus ſtare & primum hoſtis conatum infringere poſſent: huius ſe tanti officij, quod ad ſummũ decus & regni ſalutem pertinere vehementer iudicabat, nunquam ex animo memoriam depoſiturum. Quæ tamen ſi ſe propugnaturos diffiderent, malle ſe vt cũ machinis ſalui redirent, quàm vt tot fortes viros amitteret. Schenaſius duces ipſos optimè animatos cõperit: qui tamen quoniam Cæſar cum omnib. copiis tam propè aberat, (nam Foſſanum intra octo dies obſeſſum eſt) trepidè admodum illa defendenda ſuſcipere videbantur, quum adeo infirmo vallo cincta eſſent, ipſis nulli foſſores extarent, neque facultas aliunde habendi vlla oſtenderetur. De Saluſſij etiam diſſimulatione grauiter conqueri animaduertit, qui tantum temporis rem protrahendo, neq; certi quicquã ſtatuendo elabi ſiuiſſet. Præterea quã ille de ſe ſuſpicionẽ præberet cõmorãtadeo quidẽ, vt parũ abeſſet quin oppidorũ propugnatione omnino deſperata, de ſeruandis tantùm viris & machinis laborandum ſibi ſtatuerent: eas autem ſaluas auehendi rationem facilem tam propinquo hoſte nullam dari, niſi vnam hanc, vt alicubi deponerentur, vbi tutò eſſent. Saluſſius Rauelum deuehi volebat, quod ſuum caſtrum dicebat eſſe inexpugnabile, ac reuera etiam firmiſſimum eſt, nec facilè capi poteſt. Sed ducibus parum tutum videbatur (quanuis apertè ſignificare non auderent) in illius manibus ac poteſtate eas relinqui. Mentio iniicitur Roccæ milniæ, num rectè illic deponerẽtur, modo locum ſatis eſſe firmum cõſtaret. Exploratũ mittuntur ipſe Schenaſius, Chriſtophorus Vaſcho & plerique alij. Renuntiant id parum tutò factum iri.

DVM inter ſe quid fieri expediret contendunt, adeſt Sanſacus, quem Rex poſt Vereſij aduentum (quem mandata exponentem, & quid præterea ipſe vidiſſet narrantem audierat) ad eos miſerat. Is præter literas quæ ad Saluſſium datæ erant, alias priuatim cũ mãdatis Mompeſato & aliis ducibus reddit, quibus diſertè Rex orat, vt vel ſupra quàm vires ferant, alterum ſaltem oppidum retinere quindecim ad minimum dies conentur:

id

id mirum in modum sibi gratum fore. Itaque id se facturos inter se recipiunt, & Saluſtio quid conſilij habeant oſtendunt, ſe rem, licet periculi plenam, aggreſſuros, & ſingulos foſſorum operam præbituros. Rogat Saluſtius vtri ex duobus oppidis mallent ſe committere, an vtrò vtrunque defendere cogitarent. Reſpondent, illum pro imperio, auditis ſententijs, ſtatuere debere vtrius defenſio ſuſcipienda eſſet: nam vtrunque ſimul præſtari poſſe ſibi quidem tum non videri, quando res tam negligẽter adminiſtrata fuiſſet: ſatius eſſe alterum nauiter defendere, quàm vt hoc periculum adiretur, vt alterius ſalutis ſtudio alterum periclitaretur. Tum ille, Ego verò, inquit, vtrunque defendendum eſſe cenſeo: & quoniam Rupemeni hoc infirmius tibi videtur, ipſe in eo manere decreui. Tum ſeipſum oſtendens, At hic tibi adeſt, inquit Rupemenius, vir non ignauus, qui vnà tecum libentiſſimè manebit, quo ad omnia, vti æquum eſt, obſequentiſſimo vti poteris.

Reliqvi duces vniuerſi reclamare cœperunt. Cauſam afferunt, non æquum eſſe vt Regij exercitus imperator primi oppidi & periculo proximi obſidionem experiretur: ea enim ratione & ſtudium expugnandi hoſti acceſſurum, quòd illo capto totus conatus irritus eſſet, & obſeſſis nullam ſubſidij ſpem, quod ab eo ſubmitti deberet, relictum iri. Longè ſatius & commodius ſibi videri, vt præſidio quantum ſatis eſſe iudicaret, Foſſani relicto, ipſe cum reliquo exercitu Conium ſe reciperet, quod quandiu liceret, defenderet: dum autem circumuallando muniẽdóque oppido darent operam, ipſe interea vini & farinæ copiam ad ſe comportãdam curaret, quarum rerum magnam eſſe Conij & locis finitimis vbertatem, Foſſani penuriam, maximè verò farinæ, vbi nec piſtrina eſſent, nec quicquam vnde confici poſſent. Iſta quidem ab eis obtendebantur: ſed vera cauſa cur eum à ſententia deducere conarentur, alia ſuberat: verebantur enim ne ſi Foſſani maneret, oppidum ſimul & milites in manus hoſtium traderet. Nam & ſuſpicio in dies augebatur, & variis ſubinde nuntiis certiores fiebant, eum cũ Cæſare trãſegiſſe. Verùm hanc ſuſpicionem apertius prodere, niſi Regis ſentẽtia audita non audebant. Saluſtius eo die veſperi (quicquid tandem cauſæ illi obiicerent) ſe Foſſani manſurum eſſe conſtituit, Rupemenium, & alios ad numerum ducentorum grauis armaturæ militum, & ter mille peditum ſecum futuros, reliquos Conium miſſuros: his conſtitutis concilium dimittit. Poſtridie ante ſolis exortum rurſus illos accerſit, vt quid faciendum videretur, deliberarent.

Coacto concilio rogat Mompeſatus quidnam eſſet de quo deliberatio inſtitui deberet, annon pridie ſerò de Foſſano ſententia ſtetiſſet. Reſpondet ille (ſic tamen vt Rupemenium ſua oratione compellaret) veſpertina verba fortaſſe (quod dici ſolet) matutinis non reſponſura. Subiicit Rupemenius ſe quidem ſibi conſtare, & orationem ſuã vbique ſimilem eſſe. At mea, inquit, hoc quidem tempore diſcrepat. Sibi placere oſtendit vt Mompeſatus, Villabonus, & Rupemenius cum ſuis equitibus, Rupcus cum ſummi armigeri turma, peditum duces Anglurius & Santalbinus, quorum alter mille Cam panis alter totidem Normanis præerat, Oartius cum quingentis Vaſconibus, & Sampetrus Corſius cum Italis quos fere quadringentos habebat, Foſſani manerent: ſe poſt prãdium cum reliquis Conium profecturum, vnde equitem Ambrenſem cum peditibus mille Vaſconibus remitteret, qui cibariis, machinis, glandibus, pulueri (hæc enim ſe illis miſſurum pollicebatur) præſidio eſſent. Prandio ſumpto, duces & milites commemoratos Foſſani relinquit, quibus Mompeſatum equitem torquatum cum imperio præfecit, ipſe Conium diſcedit.

Post illius diſceſſum Mompeſato & reliquis ducibus Foſſani nuntiatur, ſed incerto tamen autore, eum iam pridie, quum ſe vnà cum illis oppidum tueri velle diceret, de hoc ſuo conſilio Antonium Leuam certiorem per nũntium feciſſe, monuiſſe vt propere veniret, neque de grauioribus machinis aduchẽdis ſolicitus eſſet, ſe illi oppidum vnà cum viris traditurum eſſe. Præterea Foſſano profectum, quum Conium iter faceret, Leuæ nuntiandum curaſſe cur conſilium mutaſſet, iuſſiſſe maturaret, vt prius ad oppidum adeſſet quàm opus promoueretur, omnes cum milites tum duces manum admouere, vt propediem ſatis ad vim propulſandam oppidum firmũ eſſet. Sin feſtinaret, neminem reperturum eſſe qui obſiſteret: imò potius quum ad vnam è portis caſtra faceret, Gallos alia fugam facturos eſſe. Huic rumori eo plus fidei habendum eſſe videba-

Saluſtij ſtomachus in hoſte conſilia & prodito.

1537. tur, quòd Salussius quæ de vino, farina, machinis ac telis promiserat, nihil præstabat. Quibus causis adductus Mompesatus, Sansacum, Castelpersium legatum cum viginti equitibus assumit, quibus comitatus Conium ire cõtendit, vt sciret quid causæ esset cur hæc non adueherentur. Salussium reperit valde scilicet occupatum, vt hæc rectè curarentur: quippe iam longiorem colubrinam & tres cannas eduxerat, glandes & puluerẽ plausttris imponi iubebat, farinæ ad mille & ducentos saccos, & vini non exiguam copiam. Machinas inspectante Mompesato egredi iubet, pollicetur fore vt ante crepusculum omnia Fossanum perducantur.

Salussius se prodiorem ipse fuga indicat.

MOMPESATVS pollicenti facilè fidem habet, eo magis quòd vnà cum verbis aliquid reipsa præstari videbat: deinde Fossano, cui præfectus fuerat, non diutius abesse decreuerat. Quamobrem bona spe fretus illuc reuertitur, secum equitem Ambrensem & mille pedites Vascones, quibus præerat, habens. Post eum aduehitur duntaxat canna vna, colubrina vna, pulueris quinque cadi, & glandes aliquot, sed eæ & paucæ numero, nec ad machinarum rationem accommodatæ. Reliqua tela totam etiam vini & farinæ copiam Rauelum conuehi iubet, seque eôdem nocte insequenti recipit. Hæc die Iouis Iunij septimo gesta sunt: eo qui sequutus est Martis die prima Antonij Leuæ acies secunda hora pomeridiana aduenit, qui ante quintum diem à Salussio monitus à Taurinẽsi obsidione discesserat, relicto Scalingio Astæ præfecto, qui cum decem hominum millibus oppidum obsidione premeret: eo die Carmaniolam peruenit. Eodem die Annobaldus Ioannem Cameracum legatum in Galliam mittit, qui rei Pedemontanæ statum Regi significaret, vicissimque quo loco res Regiæ essent renuntiaret. Per id tempus moritur Ioannes dux Albaniæ, eques torquatus, centum equitibus cataphractis præfectus, Borbonij, Arverniæ, Foreſtæ & Bellioci prætor. Huic in prætura succedit Ioannes Britannus dux Stampensis, turma eius equestris bifariam diuiditur, dimidiæ præficitur Chabannius Baro Curtonius, reliqua pars Fayettano attribuitur. Moritur etiam Ludouicus Aurelius dux Longouillanus comes Dunensis, qui & ipse eques erat torquatus, & quinquaginta cataphractos ducebat: hos postea duxit eius frater Ludouicus Aurelius marchio Rotelinus. Antonij Leuæ prima acies milites qui ad Fossanum in statione erãt,

Leua Fossani Gallos obsidet

primo impetu loco pellit, parumque abfuit quin eos opprimeret qui in Franciscanorũ cœnobio extra oppidum erant, & campanarium templi aliaq; ædificia euertebant, quæ oppidi propugnatoribus obesse videbantur. Illic hostibus acriter nostri restiterunt, qui eruptione facta tum suis opem ferre tum fossores eripere conabantur, quorum iam aliquot mortui, alij saucij erant. In ea eruptione ex Cæsarianis multi cadunt, non solùm telis, gladiis aut glandibus sclopetariis, sed etiam à bombardis, quæ ex oppido nostris magno erat prælidio: prælium nox interuentu suo dirimit. Antonius Leua cum vniuerso exercitu aduenit, qui ad sclopi iactum ab oppido in ipso Franciscanorum cœnobio castra habuit. Illa enim ædificia propter temporis breuitatem & fossorum paucitatem omnino dirui non potuerant.

INTERIM Schenasius ad Regẽ veredariis equis reuertitur, qui à Salusio discesserat, simulatque sententiam de Fossani defensione placere audiisset. Huic quæ viderat & repererat, renuntiat omnia, maximè Salussij dicessum & suspicionem quæ omnium ferè animos incesserat, narrat: quę res omnium iudicio qui audiebant, aliena ab omni fide visa est. Quum enim apud Regem à puero fuisset educatus, atque ab eo auctus, vt splendidam conditionem & gradum viuo fratre Michaele Antonio teneret, in equitũ etiam torquatorum classem allectus, quum Rex marchionatum sibi iudicio commissæ clientelæ addictum (nam mortuo Michaele primogenitus Ioannes Ludouicus rebellionem fecerat) ipsi dono dedisset, quum præterea ex iis quæ Sabaudo fuerant adempta, ad decem & septem oppida proximè attribuisset, quæ feracissima erant totius agri Pedemontani loca, quorumque vberior prouentus quàm ipsius marchionatus erat, quum denique tantopere illum complecteretur, tantamque fidem haberet, vt suo exercitui, quem illius fidei committebat, Imperatorem præficeret: nouus hic atq; inauditus furor, cuius exemplum apud omnes vetustatis historias nullum extat, factum hoc non modò mirum, sed omnino incredibile cunctis reddebat. Ac profecto nunquam post hominum memoriam aut fando auditum aut legendo compertum est, tam nefarium & perfidiosum facinus ab vllo imperatore aduersus principem optimè meritum

designa-

desiignatum esse, vt in illius fines imò in ipsius regni viscera, quantum in ipso fuit, hostilem exercitum, quo nullis antea seculis quisquam firmiorem, exercitatiorem & diligentius instructum alium viderat, introduxerit, idque rebus satis ex animi sententia cedentibus, & quo tempore minima suspicio dabatur. Fuerit sanè perfidus Cinna, qui Vitellium deseruit, atque ad eius aduersarium transfugit, à quo amplificatus & ornatus fuorat. At non prius id fecit quàm Vitellij rebus planè desperatis: at se ad motũ fortunæ mouebat, quæ iam alteri propitia id videbatur adiudicare, quod vterque per ambitionem affectauerat. Sit sanè simile & par Stiliconis & Narsis seclus: sed illi iustam indignationis causam nacti, quam immeritò ab ingratis iniuriam acceperant, iure videbantur vlcisci. Hic nulla accepta iniuria rebus satis secundis, quo tempore maius ac maius principis in se studium experiebatur, & magis ac magis dignitate, autoritate & fortunis ornabatur, eum turpissimè atque fœdissimè prodidit. Quamobrem mirandum non est Regem hoc nuntio valde fuisse commotum. Neque tamen huic casui voluit succumbere, verùm pro ingenio ac more suo, qui semper rebus aduersis magis erigebatur, & se hosti magis etiam ex his formidandum præbebat, statim Ioannem Paulum Ceretanum cum ingenti pecuniæ summa mittit, qui summa celeritate vel Fossanum vel Conium contenderet, quique si opus esse videret, Italos ad numerum trium millium, & ducentos equites ferentarios conscriberet. Schenasium vnà cum eo mittit, cui literas ad Salussium dat, causas quasdam grauissimas extare cur ad se venire vellet: itaque Ioannem Paulũ & Mompesatum alterum Fossani alterum Conij relinqueret. Ad collem Agnelli qui vocatur, quum venissent, incidunt in ipsum Ioannis Pauli Ceretani equestrem turmam & aliam Bonouallani, Christophorum item Vasconem cum mille Italis quibus præerat, qui in Galliam reuertebantur. Fossanum obsideri narrant, & Salussium palàm aduersus Regem rebellasse, literas ad eum scriptas ad stationem angariæ mississe, quibus (quantum ipsi audierant) Regias partes se deserere significabat, causis allatis quibus vt id faceret adductus fuerat. Quibus intellectis rebus Ioannes Paulus illic gradum sistere decreuit, dum Schenasius Regem adiret, quid ille audito hoc nuntio faciendum videretur intelligeret, Ac ne frustra interim tempus absumeretur, rationem inuenit, qua Annobaldo ad Turinos & Mompesato ad Fossanum cur veniret, cur subsitisset & quæ mandata habebat, significaret.

CAVSAS suæ defectionis Salussius has adferebat, vt quidem Martino Bellaio qui Fossani erat, ipse iam Cæsarianas partes sequutus narrauit, quo scilicet tempore inducias confectis nostri obsessi expectabant dum Rex sibi conditionem faciendæ deditionis probari significaret: marchionatus omnes iure clientelaris fidei ad Imperium pertinere. Quòd si maiores sui contra hanc legem ab Imperio desciuissent, vt Delphini Viennensis autoramẽtum inirent, sibi qui ius & fas sequi vellet, omnino aliter faciendum visum esse, vt antiquum dominium denuo subiret. Ad ea Bellaius subiicit, etiamsi maiores Cæsarem possessionis clientelaris patronum olim agnouissent, quum ipse tamen à Delphinatu se semper obtinuisse reminisceretur, minus causæ ei quàm maioribus fuisse, cur ab eo desciscereret, quem sibi tradidisse, imò dono & gratis dedisse (nam beneficiarium hoc prædium ob perfidiam & rebellionem Ioannis Ludouici in fiscum transiatum Rex isti gratis dederat) memoria teneret: vnde consequeretur illi ipsi nullum ius suppetere, nisi quatenus à Rege tanquam Delphino obtinuerat. Quod si nullum Delphino ius fuerat, ne ipsum quidem vllum sibi meritò vindicare, sed totum Ioannis Ludouici esse. Sed non hinc reuera illæ erant lactymæ. Iste superstitione facinatus vanis nescio quibus futurorum prænuntiis fidem habebat, qui futurum cecinerant vt eo anno Cæsar Regem Galliæ regno exueret. Quinetiam Bellaio ipse promiserat, quum Cæsar Gallia potiretur, de eo se bene mereri velle. Duo erant præcipuè quæ animum illius malè habebant, tum quòd metuebat ne suo marchionatu spoliaretur, tum quòd Cæsarem sibi hac defectione demereri studebat, vt illius auxilio & potentia causam de marchionatu Monferratensi vinceret. Itaque Bellaio ipsi inter cætera dixit Non libet, inquit, in Galliam proficisci, vt illic principis Melphitani personam agam. Quibus illum verbis exhæredatum esse innuebat.

Quæ sui sceleris causa Salussius adferret.

REX Humerio per literas iubet, vt præter quingentos quos è Delphinatu ad trãsitus tutò tenendos coegerat, cohortibus etiam Christophori Vasconis vteretur, cui

1537. imperat vt ad duorum millium numerum illas augeret, cúmque in illa regni ora consistere iubet. Ille enim quoniam verebatur nequâ fortè in suspicionem veniret, propterea quòd Salussio tam esset vicinus (nam multa & diuturna eius consuetudine vsus fuerat, quin quum ad Cæsarem ille perfugeret, aliquot dies cum eo fuerat, quem si autorem audisset, Regias etiam partes deseruisse) alio mitti postulauerat: sed Rex illius fide & constantia fretus illic esse iubet. Mittitur etiam Exilius Turrianus cum trecentis sclopetariis. Humerio præcipitur vt firmum præsidium Susis collocaret, quò de Taurinorum statu crebrius nuntium acciperet. Quò etiam denuo mittitur Cameracus, quē suprà nominauimus, qui stipendia militibus ferebat. Equites Ioannis Pauli & Bonoualani in Prouinciam proficisci iubentur, vt alleuatio quædam Delphinatibus afferretur: comiti Gulielmo Fustembergo, vt cum suis Cisteronem contenderet, impedimentisque illic relictis milites Barselonem & Terranouam duceret, quos illic tantisper moderaretur & absque vlla populi vexatione contineret, dum constaret, num Cęsar alpes exercitum traduceret: quod simulatque certò sciretur, ilico vastitatem regioni inferret, ne Cæsar ex hostico suos alere aut vlla re sustentare posset. Gratianopolim puluerisaliquot cadi mittuntur, & pecuniæ quibus forum vinarium omnibus locis instructius esset. Burio, qui Taurinis præerat, quinquaginta cataphracti equites, quos duxerat Salussius, attribuuntur. Schenasius Fossanum ad Mompesatum denuo mittitur, quem Regis iussu moneret, vt si qua ratione fieri posset, ad triginta dierū spatium duraret, vt subsidium quod mittere cogitabat, firmius esset & maiori diligētia instructum, quàm si tumultuariè & properanter cogeretur. Sinautem fieri id nullo pacto posse videret, ne eò periculi veniret, vt colloqui cum hoste nimium diu recusaret, ne sic tandem turpi quadam conditione pacisci cogeretur. Schenasius nullam turò transeundi facultatem sibi dari quum videret, Christophoro Vasconi literas & mandata manu signata tradit, qui perferenda se curaturum recipit.

NVNC vt ad nostros Fossani obsessos redeamus, sic habendum est: quo tempore hostes aduenerunt, propugnaculum in quo vno totum oppidi robur (si quidem vllum erat) consistebat, nōdum ad sex pedum altitudinem extructum erat, & plerisq; locis solum exterius ipsius altitudinem superabat. Itaque Antonius Leua vt machinas antè admoueret quàm maior propugnādi facultas adesset, postridie quàm aduenit, fossas duci iubet, vbi acriter vtrinque sclopis dimicatur. Hostium magna multitudo cadit, qui fossa ducenda minus considerate se aperiebant: ex nostris etiam nonnulli in ipso opere faciendo interficiuntur & vulnerantur, propterea quòd (vti dictum est) terra exterior ipsum castellum excedebat, vt illic nonnisi magno discrimine versari nostris liceret. Cui malo vt remedium inueniretur, noctu dolia viminea illis locis constituuntur. Verùm quoniam terra arida non autem calcata aut aggesta oppleuerant, simulatque glandes catapultis emissæ attigerunt, in puluerem minutissimum omnia dissilierunt: quæ res maximo nostros terrore affecit. Machinæ nec primo nec secundo die ad concutiendū murum adhuc collocatæ fuerant, dum hostes potissimùm in fossis ducendis & doliis vimineis obuertendis operam suam ponebant, nostri etiam operi accelerando instabāt. Tertio die oppugnatio duobus tormentis maioribus inchoatur, sed satis remissa: oppidum tamen adeo infirmis mœnibus cinctum erat, vt postridie omnia munimenta lateralia diruerentur. Nostri ad vesperum de eruptione facienda cōsilium incunt, qua hinc equites illinc pedites eodem tempore hostes adorirentur. Castellopersio Mompesati legato equitatus ducendus committitur, peditatus Oartio Nauarreno. Equites porta arcis egrediuntur: pedites infimo propugnaculi munimento (quod cazamatam appellāt) egressi in vallem sic satis ab oppido distantem euadunt. Germani pedites, in quibus tota Cęsariani exercitus firmitudo erat, in prato castra habebant, qui quoniam longius à periculo se abesse putabant, excubias negligentius constituerant, contrà tamen quàm gētis mos ferat. Oartius huius rei non ignarus, quique opertus (vti dictum est) eruperat, eò rectà tendit, eóque aduentu suo turbat: tum Castellopersius cum equitibus conspicuum se præbēs, clamorem totis castris excitat. Quamobrē Antonius Leua Hispanorū, quos apud se habebat, magnā multitudinē præmittit, qui nostris reditū intercluderent. Qui fossoribus præsidio erant cōstituti, quū tanto strepitu ad arma cōcurri viderēt, illuc cursu feruntur, fossorésque paucis defensoribus relinquunt. Sampetrus Corsus, qui cū

Fossanum machinis oppugnatur.

Villabono

Villabono castello defendendo constitutus erat, fossoribus tam infirmum præsidium relictum conspicatus, erumpit, & nonnullis tum Campanis tum Normanis alia parte egressis comitatus in hostiũ munitiones tanta vi irruit, vt primo impetu triginta ferè homines interficeret, reliquos in fugam ad Antonij Leuæ ædes cõiiceret: is maximam eorum partem quos seruarat, suis fugientibus subsidio mittit. Hic cõflictus in causa fuit cur primi illi quos ab eo præmissos fuisse demonstrauimus, conuerso itinere suis auxilio accurrerent. Equites interim nostri, qui alia ex parte hostes relicto cœnobio passim vniuersos ad illum cõflictum properare conspiciebant, eò rectà contendunt, tum etiam vt Sampetrum confirmarent, qui ad locum fortiter eos qui munitionibus præsidio erant, compulerat. Cogitur Antonius Leua ex ædibus baiulorũ opera elatus saluti suæ prospicere: cui adeo strenuè nostri instant, vt à baiulis in segete depositus relinqueretur, siue vt illi sibiipsis consulerent, siue vt alio itinere nostros sui insequendi studio, dum interim clinicus ille seruaretur, eliceret. Ille in cathedra sedens in segete delitescit, spicarum altitudine tectus, quæ insequentium oculos, ne conspiceretur, impedierunt. Nostri nemine ex suis desiderato se recipiunt: ex sauciis paucis tres aut quatuor paulo pòst moriũtur. Ambo centuriones Sampetrus & Oartius vulnus sclopetaria glande, alter manu alter pede accipiunt: sed paucis diebus ex vulnere conualescunt. Captiuum secum Neapolitanum quendam adducunt, qui tres centis peditibus præerat.

Leua in segete occultatus delitescit.

HOSTIVM oppugnatio ad hunc vsque diem nõ valde acris fuerat. Quum enim verum esse considerent quod Salustius affirmauerat, oppidum à nostris defensum non iri sibi persuaserant: quæ illorum opinio non parum etiam nostris profuit: hac enim spe adductus Antonius Leua liberum illius exitum porta Coniana reliquerat, atq; etiamnum ad decem aut duodecim dies reliquit, quòd illa abituros eos speraret. Id quod nostris magnam leuationem attulit, quòd ex septem oppidi puteis quinque iam biduo arefactis, hac porta, quam patentem habebant, aquam è fonte qui illa ex parte sub oppido fluebat, sclopetariorum præsidio vsi hauriebant: quod ni fuisset, oppidum nunquam tueri potuissent. Subiit autem Leuæ animum suspicio, obsessos, vt honestiorem sui recipiendi causam nacti viderentur, expectare dum muro deiecto aditus patefactus esset. Quamobrem biduo post illam eruptionem prima luce quatuor cannis murum cœpit quatere (sic tamen vt portam Conianam apertam relinqueret) vt singulis glandibus emissis murus traiiceretur, quod fieri non potuit, quin multis nostrorum vulnera inferrentur. Ante ipsum meridiem deiicitur murus tanta latitudine, vt tricenos homines aditus capere posset: deinde duarum fere horarum spatio intermittunt. Vnde nostri suspicari cœperunt eos ingressum vi iamiam esse tentaturos, quippe quum nulla fossa interesset, & ad conflictum ex æquo veniri ab oppido atque ex castris poterat. Equitibus imperatur, vt in fossam descenderent, quæ post mœnia intra oppidum facta fuerat, ad quos defendendos sclopetarij in labro fossæ collocantur.

HOSTES ipsi speciem præbent tanquam oppidum aggressuri essent. Itaque nostri ad muri ruinam totum diem steterunt, equites nempe galeati, pedites quemadmodum collocati fuerant: vniuersi illuc conuenerunt præter eos qui in platea constituti fuerant, vt laborantibus subsidio mitterentur. Sic præteriit ille dies, neque ad manus ventum est. Hostes tamen ex suis lectos milites magno numero in munitionum fossis locant, qui peruigiles illic noctem transegerunt, si fortè ex improuiso aditum occupare possent: quod ne accideret, nostri itidem quinquaginta cataphractos in excubiis collocant. Præterea continenter vix tempore vllo ad quietem intermisso, ruinæ aditum obstruunt, cui interiorem fossam & aggerem cũ propugnaculis ab vtroq; latere obiiciunt: suo quisque loco nauiter omnes insistunt, neque ab opere desistunt, quanuis hostes illis molestissimi essent, à quibus certis temporum interuallis glandibus tormentariis impetebantur. Duodecim totos dies eodem loco res mansit, neque hostis ad irrumpendum prodibat. Leua Hispanis parcebat, neque ad hanc rem eos adhibendos censebat, sed ad maiorem vsum seruabat, in quibus, quum omnes veterani essent, totam spem posuerat. Itali nisi stipendium persolueretur, aggredi recusabant. Germani se Hispanis inferiores haberi non sustinebant, neque compelli poterant, vt ad oppidi expugnationem soli progrederentur.

IN summa Leuæ omnino consilium non fuit aditum tentare, tum huius contro-

1537. uerſiæ cauſa, tum quòd noſtros fame ad deditionem ſe compellere poſſe confidebat, vt ſuos periculo minimè obiiceret. Illos enim & vino & farina carere perſuaſum habebat: quòd ſi triticum ſuppeteret, at piſtrina nulla eſſe: artifices quos ad ea facienda habuerant, à Saluſſio iam initio vnà cum foſſoribus fuiſſe emiſſos: atque vt ex militum numero quidam artem tenerent, deeſſe tamen inſtrumenta. Denique quantulacunque cuiuſque rei copia ſuppeteret, ipſe Saluſſius cenſum inierat & deſcripſerat, & ad omnia citius abſumenda, quammaximam populi ſuperuacaneam multitudinem quàm poterat diutiſſimè continuerat: hanc{que} deſcriptionem iam tum ad Leuam miſerat. Itaque iam à decimo ſeptimo poſt obſidionem die in eam ſe penuriam rediſſe duces comperiunt, vt etiam duriſſimè victitando cibos in dies quatuor aut quinque ad ſummum haberent, pulueris vix quantum ad vnum oppugnationis impetum ſatis eſſet: auxilium è Gallia ante decimumquintum diem non expectabant, idque certò ſciebant, à Saluſſio nullum omnino: quò enim abiiſſet ſatis ſciebant. Sed ne Antonius quidem tandiu duraturum illis commeatum putabat: quòd Gallicam gentem non paruo cibo contentam eſſe paſſim arbitrantur: quare Saluſſium putabat in deſcriptione facienda hallucinatum fuiſſe, iamq{ue} illum tam diuturnæ obſidionis, ob infirmum oppidulum tædere cœperat. Itaque tormenta ad propugnaculum labefactandum obuerti iubet, quod ſibi maximè impedimento fore videbat, ſi ad irruptionem ſuos accedere iuberet.

Hvivs propugnaculi ſeruandi cura Villabono cum ſuis quinquaginta cataphractis data fuerat, cui additus erat Sampetrus Corſus cum trecentis peditibus: à quo nec interdiu nec noctu diſcedebant. Hoſtes re machinaria expedita non magnam glandium copiam emiſerant, quum iam obſtaculum diruerant, ex materia & canabe ſimul coaceruatis confectum, pauciſſima terra congeſta. Demiſſis machinis infimam propugnaculi partem cõcutere cœperunt. Simul fama per oppidum peruagatur, aggerem editum conſtituendis machinis ab hoſtibus parari, vnde in intimum caſtellum glandes adiicerentur. Quibus rebus commoti duces, ſimul quòd viderent quàm parua illis commeatus & pulueris copia ſupereſſet, Regem per literas (quas Vaſconis opera acceperant) ſignificaſſe meminiſſent, ne tam ſerò de paciſcendo cogitarent, vt turpem conditionem accipere cogerentur: inter ſe agere cœperunt quænam ratio honeſta inueniri poſſet, vt ab hoſte, non à ſe, colloquendi initium fieret: ſic enim æquiorem fore paciſcendi rationem. Quam occaſionem captabant, ea ſe vltro offert. Antonius Leua per tubicinem captiuum quendam ſibi reddi poſtulat: & quoniam Rupemenium nouerat, quem antea pugna Papienſi captiuum habuerat, tubicini iubet hominem ſuis verbis ſalutet, roget num moleſtum illi ſit, quòd vinum tandiu non bibat. Reſpondet ille graue profecto futurum, ſiquidem eò penuriæ redactus eſſet: quam tamen difficultatem & ſui honoris cauſa & in Principis ſui gratiam fortiter ferret. Atque vt ſe nondum eò redactum eſſe oſtenderet, duos vini vtres tubicini tradit, quos ad Leuam ſuo nomine perferret. Tubicen cum ducibus dum loquitur, inter cætera quærit num ſcirent Saluſſium ad Cæſarianas partes tranſiiſſe. Negat Mompeſatus, neq; hoc ſibi veriſimile fieri, quòad vel ipſe, vel ex ſuis quiſpiam illum conueniſſet. Hac de cauſa Leua poſtridie mane eundem tubicinem mittit (cui Auguſtino nomen erat) qui nuntiaret, ſiquem ex ſuis in caſtra ſecum fide accepta vellent mittere, tum effecturum ne dubitarent Saluſſium Cæſari militare: ſimul Rupemenium ſalutat, gratias agit, amygdala, cucumeres, & alios recentes fructus dono mittit, ſe denique illius videndi cupiditate teneri ſignificat. Ibi tum Mompeſato & cæteris commodiſſimum videtur vt cum tubicine quiſpiam mittatur: mittitur nobilis quidam Petragoricus Sammartinus cataphractus eques ex Mompeſati autoramento.

Galli obſeſſi de colloquio habendo cogitant.

Is vbi ad Leuam peruenit, Mompeſati verbis eum ſalutat, commeatum ſibi publica fide dari poſtulat, vt Saluſſium adeat, & rerum illius ſtatum pernoſcat. Tum Leua ſermonem excipiens, Scio, inquit, ô bone, te non huc veniſſe percontaturum de Saluſſio, quòd ſperares te Saluſſis illum reperturum: eſt cum Cæſare Aſtæ. Quòd ſi dubium tibi eſt vera à me dici, eras, ſi huc reuerti voles, tubicinem itineris ducem tibi tradam. Sed hanc tantùm veniendi cauſam tibi eſſe intelligo, vt percontandi ſimulatione ex me poſſis expiſcari quàm leni & æqua conditione a me impetraturi ſitis, vt ſumma penuria, qua vos laborare ſatis noui, leuari poſſitis. Apud me (vt ſis ſciens) cenſum habeo deſcriptum

tum

tum cibariorum tum telorum quæ Saluſſius vobis reliquit: (ſimul autem cum dicto deſcriptionẽ cum ipſius Saluſtij ſigno oſtendit) vnde ſic omnino habendũ eſt, quantacunque fuerit veſtra frugalitas, non multùm ab eo abeſſe, vt omnia conſumpta ſint. Quæ quum ita ſint, mirari ſatis non poſſum cur duces veſtri, rei militaris periti, tam infirmum & miſerum oppidum defendendum ſuſceperint. Enimuero Cæſar ſumma eſt princeps humanitate, non ſæuit in Chriſtianos, tantùm impios & perfidos delere cogitat. Itaq; & vobis & veſtris ducibus autor ſum, ne Saluſſium reſpiciatis, me potius adite, quo deprecatore æquiſſima omnia à Cęſare impetrabitis. In primis Rupemenio nũties velim, me, pro ea notitia quæ mihi cum eo interedit, eius vicem vehementer dolere, illum alibi eſſe me malle quàm ibi vbi eſt: ſiqua in re officium meum & operam petet, non fruſtra petiturum: ſi me audiet, pro meo in eum amore ſuadere, ne meum cõſilium & orationem aſpernetur. Sãmartinus negat ſe de his rebus vel agendi vel audiendi mãdatum vllum habere, neque in oppido ſe vllam occaſionem datam eſſe animaduertiſſe. Se tamen non recuſare quin iſta imperatori & ducibus renuntiet, poſtridie reuerſurum, vt cum tubicine Aſtam proficiſceretur, & quid illi reſponderint renuntiaturum.

Illi rebus diu deliberatis, cenſent Sammartino poſtridie illuc eſſe redeundum, vt tubicinem aſſumeret, ſimul quoque à Leua diſcere conaretur qua tandem cum illis conditione paciſci cogitaret. Is occaſione captata hæc mandata exponit. Reſpondet Leua, ſi quis ſe ex ducibus ea de re conueniret, ſe eam conditionem laturum, quam nihil cauſæ eſſet cur recuſarent. Id ſe ad ſuos perlaturum Sammartinus pollicetur. Illi mittere poſtero die ſtatuunt: mittitur Villabonus eodem tubicine duce. Aduenientem Leua iiſdẽ verbis alloquitur quæ cũ Sammartino fecerat: hoc addit, ſe, tametſi non dubitaret, quin tandem qua placeret conditione oppidum eſſet capturus, ea tamen in duces, nobiles & fortes viros qui illic erant, humanitate & lenitate vti conſtituiſſe, vt ſaluis abire liceat, nullo redemptionis pretio numerato, ſic tamen vt ſcipionem album manu quiſque geſtaret. Subiicit Villabonus ſe huiuſmodi verbis audiendis nondum aſſueciſſe: poteſtatem ſibi redeundi fieri petit, non ea oppidanos egeſtate premi, quam ille ſibi perſuaderet: quæ etiamſi contingeret, tantam tamen adhuc in eis eſſe fortitudinem & animi magnitudinem, vt tam dura conditio dimidiæ exercitus partis interitu prius illi eſſet redimenda, quàm ad eam ſe deduci paterentur. Simul cum dicto nullo expectato reſponſo venia accepta diſcedit, ſuiſque narrat quæ à Leua audierat. Tum illi vno conſenſu fortiter potius occumbere conſtituunt, quàm adeo turpi pacto acquieſcere. Poſtero die mane tubicen Auguſtinus ad portam oppidi adeſt, qui & fructus recentes alios affert, & Rupemenium humaniſsimè ſalutat, Antonium Leuam valde mirari, quũm nemo ab eo ad ſe veniſſet, quẽ non iuſsiſſet renuntiare quanto illius videndi ſtudio duceretur, quid cauſæ eſſet cur nihil reſpondiſſet. Quòd ſi ad prandium in caſtra venire placeret, polliceri ſe operam daturum vt lautè eum exciperet, libentiſsiméque illum conuiuam habiturum.

Mompesatvs & reliqui duces ad portam ſtabant quum tubicen aduenit, aderat etiam ipſe Sammartinus, qui alios rogare cœpit, vt (qui rerum ſtatus eſſe videbatur) & orationem tubicinis attentè audirent, & quæ ex ipſis nonnulli ab Antonio Leua de Rupemenio dici intellexerant. Sibi quidem ita videri, illum, quum feroci & ſuperba oratione nihil eos commoueri ſenſiſſet, tandem mitius cum Rupemenio acturum eſſe. Hæc ſententia vehementer omnibus probatur: Rupemenius ipſe, quum vnus à cæteris nollet diſſentire, tubicinem renuntiare iubet, quando ille ſui videndi tanto deſiderio flagraret, ſe in poſterum diem prandium illi condicere, rogare vt maturè appararetur. Vix ſemihoræ ſpatium interceſſerat, quum rurſus adeſt tubicen, pira ſiſcellis quatuor afferens: qui reſpondet ſe poſtridie hora ſeptima rediturum, vt Rupemenium deduceret. Nec fefellit ille: verùm Rupemenius mane ſe iturum negat, rem in meridianam horam reiicit. Hora conſtituta adeſt tubicen: ille equitem Ambrenſem comitem adhibet. Aduenientes excipiunt eos multi nobiles Itali, Germani & Hiſpani, quos illis obuiam procedere Leua iuſſerat: ipſe in cathedra à baiulis ſe geſtari iubet, eóſque amplectitur. Ibi multis quæ ſolent in congreſſu vltro, citróque dictis, Rupemenius contendit deditionem non alia conditione fieri poſſe, quàm vt eadem ratione egrederẽtur qua ingreſſi fuerant. Subiicit Leua, etiamſi aſſentiretur, ne id quidem ab eis præſtari poſſe: quum à

Rupemenius à Leua vocatus in caſtra proficiſcitur.

1537. Salussio decem duntaxat equi iugales relicti essent, qui totam tormentorum multitudinem vehere nequirent. Respondet Rupemenius saltem quantum possent, se abducturos esse: at ille planè se passurum machinas abduci negat: equitibus & arcitenentibus vnum bellatorem equum duntaxat habere permittit, insignia manere iubet: tandem auferri quidem concedit, sed non explicari. Ad extremum pactio in hanc sententiam transigitur.

Hostiana dedens de conditiones

PRIMVM, vti ducibus Gallis liceret (si quidem ita mallent) oppidum mensis vnius spatio tenere, cuius numerandi initium fieret à die literis quas à Rege acceperant ascripta, cuius temporis quatuor iam dies praeterierant: quo tempore exacto oppidum Leuæ traderetur, cuius rei obsides statim dari oporteret, ex quibus ipse Rupemenius esset, adiunctis duobus tribusve domesticis nobilibus. Vtiq; si maturius egredi placeret, concederetur, seruatis iisdem conditionibus quæ subiicerentur. Vtiq; si per id tempus Rex vel Regius exercitus aut oppidi obsidionem tolleret, aut alia ratione auxilium ferret, Leua obsides restitueret, atque oppidum quo tum erat statu relinqueret. Vtique toto illo tempore oppidum non muniretur, neque vallum aliud quàm quod erat, excitaretur: nisi quòd qua deiectus erat murus, ruinam instaurare liceret, quam ad rem Leua certũ hominem iam tum constitueret, qui locum diligenter inspiceret. Vtique nullum negotium oppidanis aut molestia interim exhiberetur, exercitus quoque trans pontem Sturium reduceretur. De machinis, telis ac munitionibus, vti tum omnia hæc, tum equi quotquot sex palmos & quatuor digitos altitudine superabãt, in oppido manerent: exceptis duodecim equis, quos ex toto numero eximios sibi seruarent duces, legati, antesignani & vexillarij. Cæterùm signis elatis & explicatis egrederentur, cum toto reliquorum equorum numero qui infra hunc modũ essent, vectariis, asturconibus, mulis, mulabus & iumentis. Vtique eis vt turò se reciperent, ille comites adderet, qui eos in ditionem vsque Regiam sine vlla iniuria deducerent, pontes insuper & cibaria toto itinere suppeditaret. Mompesato præterea Leua concedit, vt duos aut tres nobiles ad Regem mitteret, quos ille deducendos ad regni vsque aditum à nonnullis suorum curaret, qui etiam eodem loco quo illos reliquissent, duodecim dierum spatio præstolarentur, nequod in redeundo periculum illis crearetur. Denique permittebat Leua vt stipendium interim turò oppidanis à Gallia adueheretur.

HÆC ita composita & transacta Leua voluit à Rupemenio signo confirmari. Hoc ille facere recusauit, tum quòd ista communicare & renuntiare se velle Mompesato & cæteris ducibus dicebat, tum quòd subiici signum Mompesati oporteret, qui præsidio præpositus & eques torquatus esset: illum se postero die adductũrum ad ædiculam quãdam medio ad oppidum itinere, ibi totum negotium confectum iri. Quod receperat se facturum, præstitit, seque obsidem dedit, vnà secum habens Palissæum vnigenitum maresehalli Chabannij demortui, & Asserium summi Galliæ armigeri vnigenitum. Leua sibi satis esse dixit, sibi hominis fidem & in dictis constantiam semper fuisse perspectam. Tum ille aliquid se habere ait quod ab eo vellet petere: etiam atque etiam orat, quando sibi talem compertum fuisse prædicabat, ne repulsam ferat. Id petit antequam quicquam signo subscripto confirmaretur. Leua quòd putabat eum de obsidibus adolescentibus liberaliter habendis acturum, aut petiturum vt illis inter aulicas puellas versari liceret, libenter se concessurum recipit. Rupemenius hac fide accepta, petit vt toto illo temporis spatio quod conuenerat, oppidanis, tum viris tum equis cibos præsenti pecunia præberi iuberet. Nam alioqui, siquid sibi auxilij mitteretur, eum non eadem conditione redditurum illos esse, qua antea fuerant, quemadmodum conuenerat. Hanc petitionem sibi gratam non esse Leua satis præ se ferre cœpit ille quidem, sed assentitur etiam, ea tamen conditione, vt non plus quàm diurnum demensum acciperẽt: idque caput superioribus addi placuit. His confectis rebus duo scribũtur antigrapha: vnum Antonij Leuæ chirographo & sigillo confirmatum Mompesato traditur: alterum vicissim Leua chirographo & sigillo Mompesati adhibito accipit.

DIE mensis Iunij vicesimo quarto eodem anno 1537 mittitur Sansacus, qui Regi rem totam nuntiaret. Dum menstruum tempus labitur, nonnihil contentionis inter nostros & hostes oritur: sed ducum prudentia res ita componitur, vt nihil mali accideret, & Gallis in castris Cæsarianis non minus liberè quàm in ipso oppido versari liceret

ret. Octauo ferme die quàm hæc tranſacta fuerant, Cęſar qui Aſta Sauilianum venerat, ad caſtra Antonij Leuæ ſpectanda proficiſcitur, multis Principibus & magnis viris comitatus, veluti ducibus Sabaudiæ, Aluæ, Bauariæ, Brunſwicenſi, Principibus Salernitano & Biſiniano, marchione Vaſtio & alijs. Illuc ad horam ſextam matutinam peruenit, vniuerſi exercitus aciem inſtrui iubet, quam ſpectare optabat. Quæ quum illi vehementer placuiſſet, Rupemenium & alios accerſi iubet, quibus eam ſpectandam oſtenderet. Veniunt illi conſcenſis equis, paludamentis induti quę arma ſolebant imponere, crucibus albis conſperſa. Cæſarem ex equo ſalutant: ille porrecto brachio Rupemenium amplectitur, iubet caput aduerſus ęſtum tegat, ſe non cupere vt morbum contrahat, sed ex animo illi bene velle, exercitumque ſuum, quòd illi ſit voluptati, oſtendere.

Respondet ille multum abeſſe vt vllam ex ea re voluptatem capiat, quũ exercitum firmũ & optimè inſtructum ſciret: qui ſi malè acceptus & grauiter attritus exhiberetur, tum verò longè iucundius ſibi fore hoc ſpectaculum, quàm quum ita integrum videret: niſi fortè duo illi potentiſſimi principes voluntatibus & viribus ſeſe coniungerẽt, ac non validiſſimos exercitus magna clade & luctu totius Chriſtiani populi inter ſe committerent. Quòd ſi ſaperent, coniunctis copijs Turcam ipſum & vniuerſos hoſtes facilè domare poſſent: falli autem vtrumque, ſi alterum penitus delere cogitaret. Quantaſcunque enim ille copias oſtendat, Regi adeſſe non inferiores, quas poſſit opponere: quòd ſi primus exercitus profligatus eſſet (quod tamen Deus omen auerteret) alium ante dierum quindecim ſpatium confecturum eſſe. Imò quantus eſſet totus ille Cęſaris exercitus, ex omnibus omnium ordinum viris conflatus, Regem Galliæ ex ſolis nobilibus, qui pedites militarent, pari numero colligere poſſe. Deinde ad inſtitutam orationem reuerſus optimè eos facturos dixit, ſi pace facta coniunctis animis fortiſſimos vtrinque exercitus ad propagandos Chriſtiani Imperij fines ducerent. Subijcit Cæſar neque ſuas neque Regis vires ſibi ignotas eſſe. De pace quod ille addidiſſet, nunquam ſuas ad huiuſmodi orationẽ aures occluſas fore, modò æqua poſtularentur. Marchioni Vaſtio & nobili cuidam Hiſpano iubet vt illi & comitibus vniuerſum exercitum oſtendant, Germanorum Principum prandio adhibeant: poſt prandium ſe illos rurſum conuenire velle. Tum illum rogat ecquid placeret exercitus quem perluſtrarat. Reſpondet ſibi optimè inſtructum videri, vnum id dolendum eſſe, quòd tantæ vires ad aliam rem ſuſcipiendam non conferrentur. Rogat Cæſar quam in partem ſuſpicaretur has copias ductum iri. In Prouinciam, inquit ille. Subijcit Cæſar Prouinciales ſibi eſſe obnoxios, & ſuę ditionis. At valde, inquit ille, rebelles & parum morigeros ſe prębebũt. Ex ipſa porro Cæſaris oratione facilè iudicari poterat, eum hoc ſibi perſuaſiſſe, Regẽ de reſiſtendo nũquam cogitaturum eſſe. Itaque vt aliud ex alio naſcitur, huc tandem euadit, vt interrogaret quot dierum itinere illinc abeſſet Lutetia. Quum autem ex linguæ Gallicæ (qua vtebatur) conſuetudine ſic loqueretur, vt rogaret quot dies hinc eſſent Lutetiam vſq; Rupemenius in ambigua voce ludens, reſpondet, ſi diem pro pugna acciperet (nam & Gallicè ſic loquimur, vt dicamus diem Rauennenſem, aut Papienſem) qui Lutetiã bello contendere vellet, hunc duodecim ad minimum dies habiturum, ſi non etiam ipſo primo caput ei imminueretur. Ad hoc reſponſum Cęſar ſubtridere cœpit. Tum quidam ex ipſo cœtu qui Rupemenium norat, Ego verò Cæſar, inquit, te rectè monueram, Rupemenium, ſi liberet, aliquod feſtiuum ſcomma dicturum eſſe. Cęſar rurſus illam orationẽ ingreditur, vt diceret, ſi quis de pace modo & ratione agere inſtituat, ſe aures clauſas non eſſe habiturum. Quibus dictis humaniter eos à ſe dimittit, ſuiſque vt liberaliter acciperentur commendat.

Marchio Saluſſius cum illis nonnunquam verſabatur, eiſque perſuadere vehementer contendebat vt in Galliam quamprimum reuerterentur, neque expectarent dum tempus conceſſum adeſſet: alioqui rem illis non bene ceſſuram, propterea quòd Cæſar vlterius progredi conſtituiſſet. Itaque ſi poſt exercitum reſtitarent, periculum eſſe ne ruſtici extremo agmini inſtarent, ac delerent, aut certè multis eos damnis afficerent. At illi in ſua ſententia perſeuerant, vt Sanſaci reditum expectarent. Quòd ſi Cæſar cum totis copijs deiecta muri maiore parte quàm opus eſſet, ad oppugnationem tamen non acceſſerat, multo magis ruſticos verituros eſſe neque aggredi auſuros, deniq; & Sanſaci reditum & diem præfinitum expectant. Quæ res magnæ moleſtiæ hoſti-

bus fuit: neq; enim eos ponè relinquere decreuerant, ne instauratis viribus aut nouissimis molesti essent, aut eos adorirentur quos in Taurinensi obsidione relinquere constituerant. Ac ipsi quidem Cæsari magnopere displicebat, quòd tantum spatij Regi daretur, vt se ad bellum pararet.

Fossani deditio à Gallis facta.

POSTEAQVAM & Sásacus redijt, & dies constituta venit, eques Ciconius Medio lanensis ab Antonio Leua & Sammartinus ab oppidanis equis metiendis præficiuntur quos educi oportebat. Qua in re & ipse Ciconius asperiorem se & rigidiorem præbuit, & multi præterea Galli non leuem acceperunt iniuriam, quibus equi adimebantur iam inspecti, & quos modum præstitutum non excedere constiterat, multi item gradarij equi & asturcones, contra quàm ipsis pacti capitibus conuenerat. Sed ferenda fuit vis maior, tam propinquo Cæsaris exercitu. Cæterùm armati exeunt, vexillis explicatis, tum equites tum pedites: quos prætereuntes Antonius ex cathedra duobus à porta sagittæ iactibus spectabat. Quum quingentos ferè passus ab oppido processissent, ex Cæsarianis quidam nouissimos qui sub tarcinis erant, quique iter se tutò factoros ex pacto confidebant, adoriuntur: Villaboni carruca auehitur, & alia non exigua præda agitur. Hoc strepitu sedato, duces, nequid simile posteà accideret, lectos mille & ducentos pedites deinceps ante impedimenta præire iubent, ad latus vtrunque trecentenos, cosque omnes sclopetarios. Postremum agmen claudunt centum quinquaginta equites, qui & armis & equis optimè erant instructi. His ducenti sclopetarij attribuuntur, à quibus fulciri entur. Inter eos equites & impedimentorum multitudinem reliquus tum equitatus tũ peditatus constituebatur. Equitibus qui postremis præsidio subsistebant præerat Martinus Bellaius, peditibus eques Ambrensis.

HOC ordine totum diem iter faciunt, quum: ad latus perpetuò haberent Cæsarianos equites, qui Villafranca egressi, vbi præsidio erant, in nostrorum impedimenta impetum facere decreuerant. Quod quum aggrederentur, decem ferè ex illo numero glandibus sclopetarijs conficiuntur, reliqui perterriti propius accedere non ausi tãdem se recipiunt: nostri ad Cardeum pernoctant. Postridie eodem ordine pergunt, & aduersum quendam sub Pinierolis situm perueniunt, quum quidem Cæsariani equites non aliter quàm superiori die & nouissimo agmini & vtrique lateri instarent, quibuscum nostri subinde, sed nullo accepto damno, velitatione contendebant. Die tertio rustici armati medio mõte occupato, qui inter Pinierolas & Perusam intererat, diuerticulis quibusdam occultis iter facientes nostros à latere premebant, negotium subinde facessentes, & non paucos vulnerantes. Tandem repelluntur tamen, & multis ex suo numero amissis se recipere coguntur. Nostri enim duabus è partibus superato montis iugo, quandam illorum multitudinem circunueniunt, & intercluso ferè centum quinquaginta concidunt: qua cæde perterrefacti hoc tantùm reliqui quærere cœperunt, quo pacto suæ saluti consulerent. Nostri sub noctem Fenestrellas Regiæ ditionis oppidum salui & incolumes perueniunt. Inde mittitur maxima celeritate ad Regem Martinus Bellaius, qui omnia ei quemadmodum acciderant narraret, sciretque ex eo quam in partem illos abire iuberet.

Rex Cæsaris oratorem dimittit, suumq; accersit.

DVM obsideretur Fossanum, & deditioni faciendæ dies præfixus nondum venisset, Rex tametsi neque feciali misso neque literis scriptis Cæsar se adhuc pro hoste haberi velle denuntiarat, tamen tam apertè illato bello iudicat oratores iam inter sese habendos non esse. Qua causa adductus, cunctis totius oræ regni præfectis per literas iubet vt deinceps omnes cursores sisterent, qui vel Cæsarem adirent, vel ab eo aut ab eius ministris profecti essent. Velio oratori suo imperat, vt à Cæsare discederet, oratorem Cęsarianum itidem à se dimittit: cui Ludouicum Perræum Castillionensem ordinarium suę cohortis nobilem attribuit, à quo extra regni limites saluus deduceretur: munere etiam illum amplissimo donat, vti mos est principum & populorum, vt suos viciſſim oratores honorificè dimittant. Is quum ex Velio, quem iter faciens obuium habuit, intellexisset cum à Cæsare oblatũ munus repudiasse, illud etiã quod à Rege acceperat, ad Humerium, qui Regis iussu Delphinatui præerat, remittit. Paulo pòst ad eũdem literas dat Susis quinto & vicesimo die mensis, se à Cæsare mandata de pace accepisse, si Rex illi parem autoritatem & potestatem dare non detrectaret. Rex primùm se missurum negare, rem vlterius iam processisse quàm vt de pace iam mentio inijcienda videretur: suspicabatur

Cæsar rursus de pace agere se simulat, alioqui in animo habens.

cabatur enim nouam quandam sui iudificandi rationem instituì. Verùm aliquot pòst diebus reuocato decreto, mandata ad Humerium mittit, id nimirum agens, vt omnem à se culpæ suspicionem auerteret. Postea etiam eidem oratori iter per suos fines facere permisit, quum in Belgium pacis causa se contendere dictitaret. Sed nihil prorsus actum est: imò postea cognitum est, Cęsarem (vt ipse aliquando agnouit) hanc rationem ad itineris compendium excogitasse, vt Nassauuium comitem de suis rebus certiorem faceret, simul vt Belgicum statum cognosceret, quò eandem vterque exercitus in rebus gerendis rationem sequeretur.

REX, qui non malè has artes nouerat, istis oratoris itionibus & mandatis se per incogitantiam (quod ille futurum confidebat) lactari & decipi non permittit: verùm reb. suis administrandis operam dare, vt institueret, pergit. Ioannem Bellaium cardinalem Lutetiam (in qua episcopatum gerebat) principis legati nomine & autoritate mittit, qui populum è metu recrearet, & terrore supra modum occupari impediret: quod populis contingere solet qui belli incommodis non assueuerunt, quum patriam tam multis & varijs locis bello peti vident, quemadmodum Cæsar se facturũ minabatur & porro aggrediebatur: qui etiam ærarij rationem haberet, quod ex pecunijs quæ locis vndequaque finitimis coguntur, illic constitutum est, vt hac ratione, siquid opus esset, Picardiæ & Campaniæ subueniretur. Humerio imperat vt nostros Fossano reuersos per montanas regiones ad occupandos & seruandos aditus disponeret. In primis crebertimos exploratores subinde dimitteret, qui de hostium rebus crebrò nuntium afferrent, quæque ex parte Galliam ingredi cogitarent. Quòd si iter alpibus Coactijs eos facere conari appareret, magna fossorum multitudine celerrimè comparata aditum demoliretur, tympanum quod in monte erat perfringeret, ne ad subuehendas machinas illis esset vsui: Castellodelphino Monninum cum militibus præficeret, quorum numerum supplemento addito ad quingentos conficeret. Piquetum recognitorẽ mittit qui Ioanni Paulo, præter eas pecunias quas illi antea tradi præceperat, quibus milites Italos colligeret (quod ille summa fide præstiterat, & magnam eorum partem ex hostium castris eduxerat) stipendia militum qui Taurinis erant traderet, quæ ille sua industria & virtute aditu patefacto perferret. Id quod perfecit ille quidem, sed ægerrimè tamen, propterea quòd hostium præsidia ad Bozzolinum, Santambrosium, Ruolas & Grolianum constituta erant: quę oppida inter Suzas & Taurinos sita sunt, regione angustijs & montibus vtrinque cincta. Perrupit tamen nullo suorum desiderato, præter Sebastianum quendam de Monte cuculo ex ferentarijs Italis. Ipse sclopeto vulnus in humero accepit, ex quo paucis diebus conualuit.

Rex aditumones obstrui iubet & impedi ri.

NOALLIVM insuper cum quæstore quodam & Borrano ordinario recognitore mittit, qui Fossano reuersos recenserent, & stipendium solucrent. Quibus quia fortem operam nauarant, simul vt se ex afflicto statu recrearent, quadrantem stipendij ad cumulum addi iubet. Eidem Noallio negotium dat, vt equitatum Auenionem versus ducendum curaret, vbi totum exercitum colligere decreuerat, vt inde quò videretur opus esse, iter faceret. Deliguntur qui locum ad eam rem idoneum dispiceret, princeps Melfitanus Neapolitanus, Stephanus Columna patricius Romanus, equites ambo torquati, Poto Raffinus seneschallus Agenẽsis, qui centum prætorianis præerat, deniq; paulo pòst Ioãnes Bonouallanus quinquaginta cataphractorũ ex equitatu Regio præfectus. Huic negotiũ datur vastitatis faciendæ qualem infrà cõmemorabo. Mandatis Noallio datis, Rex quia in ea semper sententia fuerat (vti demonstrauimus) vt existimaret Cæsarem in Prouinciam impressionem facturum, noua mandata dimittit. Humerio imperat vt equites Fossano reuersos, quia equis minus erant instructi, recta Massiliam contendere iuberet, quòd illic non adeo multis equis ad oppidi defensionem opus esset. Vn de alij, qui equis magis abundabant, in castra producuntur, Bonouallana scilicet turma cum alijs. Ludouico Angerando Boscorigaldo per literas significat Heluetios quos consripserat, maturare iuberet & Montiluclum adduceret. Quò etiam ipse peruenit quo die iter facturi erant: centurionibus torques aureos quinquies centenos aureos pendentes dono dat. Inde Valentiam contendere illos iubet, ipse postea subsequutus est, posteaquam scilicet Cæsarem in Prouinciam tendere (quod etiam antea suspicabatur) certò perspexit. Quò antequam proficisceretur, Robertum Stuartum Albinium Gallię

Rex copias suas Auenionem conuenire iubet.

1537. mareschallum, equitem torquatum, cētum cataphractorum equitum, & totidem Scotorum ex prætoriana cohorte ducem, & Iacobum Galeotum equitem etiam torquatū, totidem cataphractorum ducem, summum armigerum & rei machinariæ Gallicę magistrum præmittit, qui tum duces tum milites equitatus & peditatus Auenionem conuenientes exciperent. Sed præter illos omnes Annam Mommorencium equitem torquatum, centum cataphractorum ducem, tum præfectum prætorio & mareschallum, nunc Gallię connestablium deligit, cui vni totius imperij summam traderet. Eum tamē ad vicesimum vsq; Iulij diem apud se adhuc esse iubet.

Cæsar ciboria exercitui magna copia parat.

CÆSAR dum nostri deditione facta Fossano migrarent, Salussas profectus fuerat, vt omnia quàm celerrimè pararet. Itaque Sauiliani, Mondeuisij, Conij & Tendæ omnibus pistrinis & clibanis, quotquot extabant ingentem panis rubidi copiā coqui, & quicquid iumentorum vndiq; reperiri poterat, in vnum colligi iubet, quibus tum panis huiusmodi tum reliquus commeatus comparetur. Antonius quoq; Leua, ne tempus frustra absumeret, dum dies adesset, qua oppidum dedi oporteret, iam ipso Iunij die nouissimo Roccam miluiam misso buccinatore sibi dedi iusserat. Huius loci dominatum obtinebat Ioannes Bullerus Centalius, cuius frater duumuir Riuensis illic præsidio fuerat constitutus. Is respondet oppidum Regiæ ditionis ac potestatis esse, huius se esse addictissimum clientem, neminem illuc se viuo ingressurum, qui Regis principis sui amicus & socius non esset. Quod oppidum vt maiori præsidio firmaret, ab Humerio subsidium petit: is milites & tormentorum magistros quanto numero petierat mittit. Itaque Leua nihil amplius in illud oppidum tentauit: suos iter Castelli delphinum conuertere iubet, quod castrum ex itinere occupaturos eos esse confidebat: cuius rei spem illi vbi se fefelliisse animaduerterent, iustam obsidionem instituere cœperunt. Tandem nuntio accepto Christophori Vasconis milites & Turriani cohortem auxilio aduentare, Sampetrum, quod oppidum est in marchionatu Salussiano, se recipiunt. Rex nihilo minus Paulinum Monnini legatum cum supplemēto illuc misit: hunc enim paulo antè Monninus ad eum miserat.

Cardinales à papa missi.

SAVILIANVM veniunt cardinales Triuulsius & Carpius à papa hic ad Cæsarem, ille ad Regem missi, qui illis concilium denuntiarent, quod Mantuæ septimo & vicesimo Maij die anni proximi indicebat, qui annus erat 1537: qui etiā de pace inter eos incunda agerent. Magno illi splendore & apparatu excipiūtur, atq; in multorum principū & aliorum magnæ autoritatis virorum corona audiuntur. Cæsar quod ad concilium attineret, assentitur, secq; interfuturum recipit, neque alia quàm diuina vi se impeditum iri confirmat. De pace, scire eos quid Romæ testificatus esset, se bellum, si semel illuc venire compelleretur (neq; enim nisi inuitum valde suscipere constituisse) tam acriter gesturum, vt nulla vnquam ratione, quæcunq; extaret, nisi perfectis quæ cogitabat, à re susceptā deducturetur. A qua quidem sententia se decessurum omnino negat, nisi Rex in primis Sabaudum planè in dominatum integrum restitueret, damnaq; illata sarciret. Quibus confectis si nuntios postea de pace mitteret, tum se sibi consilium capturū, & quod res poscere videretur responsurum.

Cardinalis Triuulsij cum Cæsare colloquium.

CARDINALIS Triuulsius qui in Galliam ad Regem progredi iubebatur, nō absre facturum se existimauit, si remotis arbitris Cæsarem conueniret. Tametsi enim oratione paulo arrogantiore palàm vsus fuerat, priuato tamen colloquio longè se leniorem præbiturum illum arbitrabatur, & ad quasdam pacis conditiones magis procliuem futurum. Dicendi potestate facta, inter cætera rogat, si Rex de redintegrando Sabaudo conditionem acciperet, aut certè quæ bello occupata erant, apud sequestrum deponi assentiretur, num gratum ipsi esset, vt Regi nuntiaret ducatum Mediolanensem Aurelio datum iri. Cæsar negat placere. Tum cardinalis obnixè illum rogare cœpit, ne quicquid postea accidisset controuersiæ, quod facere constituerat, commutaret, sed in eo perseueraret quod Romæ in celeberrimo & grauissimo cœtu papæ, collegij cardinaliū & coram tot exterarum gentium oratoribus pollicitus fuerat. Negat se Cæsar quod cōstituerat mutare velle, vt qui nunquam in animo habuisset hunc ducatum tradere, consilium duntaxat fuisse Regem blandis verbis delinire, & omni ratione efficere vt arma deponeret, dum ipse exercitum compararet, par pari illi referens, qui Sabaudum verbis lactauerat, simul etiam adortus spoliauerat. Nullum aliud responsum cardinalis elicere potuit.

potuit. Itaq; venia accepta alpibus superatis ad Regem proficiscitur. Collegam Cęsar aliquot dies apud se habuit, deinde Meiolanum misit, illicq; præsse iussit.

Cæsar de exercitus itinere deliberat.

TORVS Cæsaris ad bellum apparatus instituit ad iter in Prouinciam faciendum videbatur. Hoc ipse palàm prędicabat, neq; ab ea sententia deduci se patiebatur. Chartam chorographicam vel in manu vel ob oculos habebat, qua alpiũ & Prouinciæ inferioris descriptio continebatur. Hãc à Salustio datam continenter summa attentione inspiciebat: omnia deniq; ita ad suam cupiditatem referebat, vt ipsam regionẽ non minus quàm topographiam in manibus habere sibi videretur. Hoc vt sibi persuaderet, præterquam quòd vltro sic cupiebat, à multis impellebatur, qui iucundius quàm vtilius cõsilium illi dabant: quicq; eorum instar qui equo sponte currenti calcar addunt, illi autores erant vt exercitũ primo quoq; tẽpore alpes traduceret, vt cœptum victoriæ cursum cõtinuaret: in quo si deinceps pergeret, non dubitare se quin absq; prælio, absq; periculo certè, brevi totam Galliam domiturus esset, si quidem alpes transgredi maturaret. Itaque facultatẽ quæ diuinitus dabatur, quales nec crebrò dantur, nec quoties dantur, diuturnæ sunt, in tempore acciperet atq; vteretur, priusquam Regi spatium daretur ad parandas vires, quib. tantum impetum sustineret. Quod ad postremum hoc attinet, nõ absurda illi sanè affirmabant, si quidem tam facile hoc esset factu, quàm dictu prõptum. Huic sententiæ alij & quidẽ maiori numero, reclamabant, qui operæ pretiũ magis Cæsarem facturũ dicebant, si quæ Rex armis Sabaudo ademerat, pergeret, vti fœliciter cœpisset, bello recuperare. Præstare enim quę iã in manib. erant, ea recuperare, quàm aliena locis adeo dissitis appetere, ac pacẽ quietemq; firmam transalpinis regionib. cõstituere, quàm bellum Galliæ inferre. Hoc consilium, inquiunt, si amplecti placebit, è duob. alterum omnino euenturum speramus. Nam vel quæ supersunt, propediem recipiemus, & loca hęc citeriora hostib. planè liberabimus, & perpurgata reddemus: vel Rex, qui id vere bitur, ne istis deuictis eo potentiores & recenti victoria ferociores Galliam aggrediamur, quique in aliena potius regione quàm in patria bellum sustinendum censebit, vt tãto malo obuiam eat, statuet huc cum omnibus viribus accedere. Si prius illud fiet, nihil erit cur turbæ hîc quicquam oriri timeamus, sed summa alacritate & spe in Galliam mouebimus. Sinautem alterum hoc continget, tum multo potiore conditione eum venientem toto exercitu excipiemus, quàm si pars tantùm copiarum illuc ducenda sit, qua cum illo pugna decertemus, altera hîc relicta (hoc enim omnino faciendum erit) quæ victoriam oppidis recipiendis persequatur. Qua in re hoc etiam periculi metuendum est, ne Rex fide & concordia suorum fretus, ac firmissimis munitissimisque oppidis confisus, satis habeat, si illa clausis portis seruet ac tueatur: deinde totam regionem, qua nobis triduo aut quatriduo iter sit faciẽdum, populatus, quò nihil nobis quàm vastitas & solitudo occurrat, præter aliquot oppida quæ commeatu, militibus, machinis ac telis abundè munierit (vt illa nobis ex belli ratione sint oppugnanda, nequid infestum ponè relinquamus) ille postremò castris loco cõmodissimo & ipsorum oppidorum præsidio positis, in singulis oppugnandis tã diu nos ad minimũ remoretur quàm hîc ad Fossanum consedimus. Quod quum valde infirmum sit oppidum, & ægrè defendi queat, vt omnes nouimus, tam diuturna tamen fuit eius obsidio, quàm si ipsa Lutetia totius regni caput, oppugnanda fuisset.

Exercitum in Prouincianon ęstiuendum quidã censent.

HÆC quum ita habebunt, nõ poterit nobis tale quidpiam incommodum accidere quale illi non semel in Italia vsuenit? Non poterit etiam in Italiam viribus nudatam, si conducere suis rationibus videbit, alium exercitum è Gallia mittere: aut in ipsa etiam Italia (in qua nostri metu liberata facilè hoc perficiet) exercitum conficere, eorum scilicet opera atque ductu qui copias non pœnitendas illi nuper collegerant? Qua re perfecta, non poterit tum viribus tum arte & consilio, quo tempore res ei cum gente erit, cuius ingenium ad res nouas & defectionem est flexibile, & populos & vrbes sibi conciliare, dum nos in oppidi cuiusdam obsidione tempus terentes desidemus? Nostrum profectò, Cæsar inuictissime, consilium minimè est vt sinistrum vllum omen hac in re asseramus, commemorandis magnis summorum principum, ducum & imperatorum cladibus, qui dum aliena nimia cupiditate inuaderent, non solùm aliquid de suo amiserunt, sed etiam tantum damnum acceperunt, vt neque ipsis neque posteris inde emergere licuerit: neque illud etiam ostendere decreuimus, si, quæ semel acciderunt, vt

etiam rursus accidant fieri potest (quoad nempe rerum humanarum ratio & conditio eadem erit) neminem temerario & inconsulto conatu in alterius fines ingredi, quin eãdem fortunæ aleam subeat. Scimus enim, Cęsar, eas tibi vires suppetere, tam iustum bellum suscipi, tanta maturitate omnia esse prouisa, Dei fauorem & fortunæ secũdum successum ita virtutem tuam comitari, vt nihil tibi ab huiusmodi offensione metuendum sit. Verùm vt nostro in te officio satisfaciamus, vtque difficultatibus quas afferimus, pro ea qua semper vsus es prudentia prospicias, faciendum nobis putauimus, vt hęc proferremus, tibiq; in memoriam reduceremus, tibi cum ea gente rem fore, quæ tum domi tum foris valde se bellicosam præbuit illa quidem: verùm quæ domi prudentius se gerit, & cõsilio plus vtitur quàm foris: quæ à nullo vnquam quàm à te superata est, quin victori ipsi grauissima clade accepta victoria magno constaret: quæ tametsi à te sæpenumero profligata est, sic tamen ita res tulit, vt nihil adhuc videamus, quo vel te tot victoriis auctum, vel illam omni iactura attritam esse constet.

NEQVE verò his omnibus causis vllo pacto moueremur, quin tuum consilium Cæsar, & eorum qui tecum summa fide, maiori etiam fortasse quàm nos prudentia sentiunt, sequendum nobis esse iudicaremus, si quidem cum solo hoste nobis esse pugnandum videremus. Superandæ sunt alpium fauces, superandum est longum ac molestum iter. His deuictis, nusquam, nec si progredi conabimur, nec si commorari statuemus, occurret nobis vlla hominum amicitia aut beneuolentia, quibus tutò fidamus. Adhuc per amicorum fines exercitum duximus, qui pacem colere quàm nostras in se vires concitare malunt: ponè habemus populos dicto audientes, aditus expeditos, vt commeatum & militum supplementum, quoties libebit, accipere liceat. Deinceps quaneunq; in partem oculos conuertamus, à fronte, à tergo & vtrinq; infesta omnia & aduersa habituri sumus, cœlum insuper ipsum (quod non parum timendum est) insalubre, & grauissimũ ijs qui non assueuerunt: si modò in Prouinciam mouere certum est, vt constituisse videris. Ita longè nobis difficilius erit certamen cum longo & molesto itinere, cum rei frumentariæ inopia, cum cœli malitia, cum fame atque adeo cum pestilentia quæ inde exorietur: quàm illud quod cum ipso hoste committendum erit. Is enim longè pauciores ex nostris conficiet, quàm vel minimum corũ quæ suprà recensuimus. Id verò est quod nos in primis vereмur, Cæsar, cuius causa in ea consiltimus sententia, non prius alterius regionem inuadendam esse, quàm ille in hac arma sic posuerit, vt nulla rursus sumendi facultas aut ratio illi extet. Qua etiam in sentẽtia persistere nobis esset in animo, nisi certò statueremus tibi aliquid nõ leuis momenti exploratum esse, quod nos lateat, quodq; fortasse nefas sit ab vllo nostrum adhuc intelligi.

EA fuit cùm maximæ ducum partis oratio, tum ipsius Antonij Leuæ, qui eousque illum orabat & obtestabatur, vt è cathedra se deponi iuberet, quò ad illius pedes accideret, summis precibus contendens vt aliquid apud se ponderis eorum orationi esse pateretur, quorum summam fidem & beneuolentiam iampridem perspexerat. Non deerant tamen qui Leuam in ea sententia clanculum esse putarent, vt Cæsar illam expedi tionem susciperet, verùm id sciente illo & volente coram cæteris dissimulasse, vt quum sua ille conata perfecisset (quemadmodum spe non exigua ducebatur, imò sic futurum certò statuebat) tota inde gloria & decus ei tribueretur, passimq; dictitaretur, tanta eum animi magnitudine, tanta in rebus gerendis prudentia & prouidentia excelluisse, vt contra omnium sententiam rem planè desperatam & aggredi ausus esset, & ad fœlicissimum exitum ducere potuisset. Quare qua semel in sententia fuisset, eam quum tueri vellet, huiusmodi verba facere cœpit.

Cæsaris in cõsilio oratio.

NISI & bellum quod suscipimus quale sit, satis scirem, & hostem quicum nobis res futura est, atque adeo nos ipsos, qui hęc confecturi sumus, prælarè nossem, vestrum hoc consilium profecto aut (vt verius dicam) vestram hanc considerationem minimè damnarem, imò probarẽ potius, & sequi me debere iudicarem. Sed quum sciam bellũ aduersus fœdifragum & perfidum hominem suscipi, qui contra quàm fœdere cautum erat, Sabaudiæ ducem (qui in fœdus Cameracense aliorum sociorum instar, ascitus fuerat) bello lacessiuit, quod quidem ad nos spectare non dubitabat: mihi quidem minimè est dubium quin Deus à nobis stet, qui pacis turbatæ & fidei violatæ iudex ac seuerus vindex futurus est. Quin illud quoque addam, nobis negotium cum eo hoste futurum esse

esse aduersus quem annos propè iam viginti perpetua victoria vsi sumus, & quidem ea ex qua(vt contra quàm dixisse vos memini, docebam aliquid extare, quo nos vicissè recordemur, illi se victos fuisse fateantur)etiamnum ducatu Mediolanensi potiamur, qui & gloriosum momentum & opimum spolium illius victoriæ superest. Quo nos ita affici conuenit, vt ad hoc bellum spem & animum victoribus dignum afferamus, illis terrorem & desperationẽ, qualis victos semper comitari solet, relinquamus. Ac mihi quidem præter illa quæ dixi, nostras vires cum illorum copijs conferenti (quas & numero longè maiores, & viris rei bellicę peritissimis instructiores habemus, vt parte hìc relicta, etiam satis virium aduersus hostem nobis superfit) nullum videtur tam extimescẽdum periculum imminere quàm à vobis fingitur, neque si copias partiamur, neque si alpes transgrediamur, & in ipsa Gallia hostem adoriamur. Atque vt de hoc secundo priore loco dicam, quod nostram postea orationẽm ad illud alterum conuertet, innumera possum exempla proferre multorum, qui quum bello in patria premerentur, inde hostem reuocarunt introducto vicissim in illius fines exercitu: ita & patriam seruarunt, & aduersarij regionem occuparunt. Sed malo mei instituti firmamentum habere rationẽ quandam certam, quàm exemplum tantùm, quod vix re omnibus suis partibus pari & simili reperiri queat.

CENSETIS, antequam bellum in Galliam transferatur, tota hac cisalpina regione eliminandum esse, vt hinc, quicquid hostium superest, eijciamus. Ego contrà contendo, idq; non vna tantùm adductus ratione, nobis ex vsu esse vt potius illuc transeamus, quàm hìc bellum in nostris & sociorum finibus alamus, potius in Gallia geramus, quàm in Italia sustineamus. Quæ quum antea per tot annos valde afflicta & vexata fuerit, æquitati maximè est consentaneum illi vt nunc parcamus, eamque, quando licet, quiescere & se ex tam diuturna iactatione recreare sinamus: dum interim Gallia vicissim incursionibus vastabitur, diripietur, conflagrabit, metum, terrorem consternationem & fugam ciuium, ædium populationem, solitudinem, vastitatem & incendium op pidorum experietur, & cæteras id genus clades quæ fere bella comitantur, quæ totos triginta annos penè continenter in Italia grassata sunt. Lutetiam ac ipsum Gallieum diadema, non Taurinorum oppidum aut Pedemontanum agrũ huius nostræ victorię meredem esse oportet. Nimis adhuc Regi in alienis finib. bellum gerere permisimus: nunc quæso hominem eò adigamus, vt de suis possessionibus defendendis sit solicitus. Videamus num Galli tanta sit domi quàm foris virtus. An verò eius ingenium, cuius toties periculum feciſtis, nondum perspicitis, primo duntaxat impetu valere, temporis mora & dissimulatione illius vim segnescere & extingui? Ego præterea Regem tanta esse animi magnitudine aut verius temeritate noui, vt sibi maximè pudendum existimaturus sit, si me in suos fines ingredi & illic morari sineret, vt pugnandi potestatem mihi non faceret. Quod si faciet, quis ex vestro numero est, qui de victoria sibi ambigendum esse existimet? Sic habeatis velim, vnam esse belli sedandi rationem, vt vel ipse, præter id quod tenet, Imperium & Hispaniarum regnum me pulso occupet, vel ego supra ea quæ possideo, Gallię Rex eius loco efficiar. Id vt perficiatur, propius accedendum est, quærendus est in ipsis regni visceribus. Non est quòd hìc consenescamus, præstolantes dum accedat, sicque facultatem ei præbeamus vt suis regionibus parcat, vnde pecuniæ continenter illi suppeditẽtur, & exercitum hìc nostris sumptibus alat, earumque rerum præda locupletet, quibus potius vti nos par est, ad stipendia nostris militibus persoluenda.

QVOD verò metuitis ne in Gallia commodius militum supplementum possit colligere, nihil tam falsum fieri aut dici potest. Etenim si huc adducet exercitum, spes prædæ, quia suis impunè prædari & latrocinari in regione bello quæsita conceditur, nouos illi subinde milites alliciet: id quod in Gallia sat scio non fore. Nam quia suos disciplina militari illic (vt pote in patria) cõtinere cogetur, lautissima militis cõditio erit, vt parcè & duriter suo stipendio victitet. Quo fiet vt pauci reperiantur, qui nulla maioris commodi spe sed ob tantilli stipendij lucellum vulnera aut mortem nobiscum pręliando velint referre. Quòd si militem maiori indulgentia sibi demereri volet, populum vexabit: quæ hostis non poterit iusto bello attingere, socius latrocinio diripiet, commeatum prædabitur, res nummaria contrahetur & imminuetur: vnde tumultus, seditiones & rebelliones exorientur: maximè verò si cò res reditura est, vt Rex nobis hoc spectaculum præ-

1537. beat, quo insigne diuini supplicij & vindictæ exemplum coràm cernamus, vt qui toties alienas terras ferro, flãma & præda diuexauit, is nunc proprios agros vastare, incendere agere & ferre cogatur, quod metuere vos video ne ante meum exercitum faciat: sicq; ipse designet quæ ab hoste nonnisi inuito fierent. Quamobrem neque res quicquam me mouet, neque nos impediet quo minus re frumentaria abundemus. Nam præterquam quòd hæc à me diligenter prouisa sunt, in ipsam penitus Galliam progrediemur, vt cibaria gratis maxima nobis copia suppetant. Quòd autem veremini ne in citeriori hac regione nouas copias colligat, hoc vobis confirmo, satis negotiorum me alijs in locis illi conciliasse, vt ab ea cogitatione animum facilè auocaturus sit. Nam præter hunc exercitum, aduersus quem non dubito quin omnes vires in aciem sit productur us, præter alium item, quem paratum esse auditis, vt ducibus Nassauuio & Roxano in Picardorum fines impressionem faciat: præter tertium etiam qui mihi obuiam Gallia Narbonẽsi processurus est, vt illis iungamur, quẽ Imperatricis rogatu mei in Hispaniatũ regnis ciues cõficiunt (ad quã ego nunc tres & viginti triremes & quendam cum certis mandatis mitto, qui meum consilium illi exponat, doceatque quo tempore proficiscendum sit) alium præterea conducendum curaui, qui flagranti bello in Campanorum deinde in Sequanorum fines ingrediatur, qui in duabus illis prouincijs, eorum opera quos illic mihi studentes habeo, non minus meas res promouebit, quàm quiuis ex alijs tribus, singulis locis facturus est.

ITA tot locis tanto belli apparatu cõstituto, Rege adeo perplexo & occupato, vt vires idoneas satis maturè nequeat colligere, quibus eodem tempore tot exercituum molẽ sustineat, fieri non potest, etiam si nulli sint qui rebus meis clanculum cupiant, quin aliqua saltem ex parte in ipsius regni penetralia vi perrumpamus, quantamcunq; ille manum comparet. Quare nostras copias separare ac disiungere ne dubitemus: quantũ satis est ad Taurinorum obsidionem relinquamus: quod illuc ducemus, valebit ad illũ prælio superandum, præsertim si, quod obiecistis, ille etiam suas separare cogitat, quib. oppida seruet ac tueatur, quæ aduersus me communire decreuit. Accedit, quòd ipsi non minus quàm ego nostris quid peditatus Gallicus possit. Equitatum suum magni fieri volunt, ac reuera huic generi aliquanto magis assueuerunt, & nonnihil valent. Sed hoc satis scitis, quemadmodũ Fossani & Conflandi ducentos quinquaginta cataphractos planè equis spoliauimus. Taurinis ferme ducenti sunt, qui secum melius actum iri non est quòd speremt. Reliquæ turmæ quæ huc venerunt, iam ipsa defatigatione propè dimidia ex parte deletæ sunt, quæ breuissimo temporis spatio alpium iuga bis emensæ sunt. Itaque non iam cum Gallico illo equitatu, sed cũ laceris quibusdam reliquijs vobis est dimicandũ. Tota illorum spes in Germanico & Heluetico peditatu posita erat, quorum quantũ postularent numerum sibi missum iri cõfidebant. Verùm nos Dei beneficio eam adhibuimus diligentiam, vt Germanos nullos sint deinceps habituri: quos autem nunc habent, nõ est quòd rationem exponam, quæ mihi ad manum est, qua magnam eorum partem abalienare possum. Ad Heluetios quod attinet, hoc mihi indubitatò promissum est, nec me falsa spe lactari arbitror, illos suis non permissuros, vt principi cuiquam extra suos fines militent.

QVÆ quum ita sint, idem ego quod antea sentio, vt exercitum quantum opus esse videbitur, ad Taurinos relinquamus, cum eo quem hîc habemus, iunctis etiam ijs quos ex Italia conscribemus, in Galliam transeamus, easque difficultates, quas prudenter obseruastis, nihil morati, iter in Prouinciam ora maritima faciamus. Nam quod de difficili aditu attulistis, non patiemur à Gallis hunc nobis honorem præripi, vt fortius illa quàm nos ferant. Rei frumentariæ satis superque prospeximus, vt mari nobis supportetur: qua etiam via machinas & impedimenta accipiemus, quibus alio itinere vehendis nimium magni sumptus faciendi essent. Cæli porro intemperies quam in Prouincia tãtopere vobis timendi reformidare, non est, opinor, grauior quàm Africana illa: quam tamen nostri tanta virtute pertulerunt. Quare omnibus rite consideratis nihil video cur magis suspicer in hac victoria quicquam esse periculi, quàm putem parum nobis gloriæ fore, vt pote aduersus hostem ita ex improuiso deprehensum, virisque fortibus & strenuis adeo paucis stipatum. Ea est igitur, vt semel dicam, mea sententia: quam tamen præfractè nolim tueri, sed id tandem cõstituere in animo habeo quod milites ipsi cõsulent & suadebunt,

debunt, vtpote quorum opera ad hanc rem nobis vtendum est. Suos quisq; conuenire iubeat, producantur legiones, signa explicentur, vt eos simul conspiciam, & publicè apud eos verba faciam.

Hoc Cæsaris præcepto omnibus significato, statim militum concio conuocatur. Quos ille pauliſper intuitus sic alloquitur.

Cæsarin ad milites concio.

Qvancvnqve in partem oculos conijcio, milites, hilares vndiq; vultus cõspicio, quib. mihi nuntiatur & tantumnon spectandũ proponitur ingens vestrum studiũ, quale in animis geritis. Video florentiſſimum exercitũ, ex viris lectis & fere sigillatim ex quodã aceruo excerptis constantẽ, peditatum egregiũ ex veteranis militib. constatum, equitatum instructiſſimũ, rem machinariam ampliſſimam, omnib. quæ requiri solent refertiſſimam, vt (meo quidem iudicio) nihil iam desiderare possimus, quàm hostẽ dari in cõspectum, qui nostrum aduentum excipiat, qui nobis facultatem non adimat, qua præclarę tanti exercitus virtutis periculum faciamus. In ciſalpinis quidem regionibus talis non extat, qui dignus sit ad quem conficiendum tantę copię adhibeantur. Nam temere huc concurrerant, instar auium quæ gregatim in agrum satum conuolant: vestro aduentu, quem admodũ illæ primo sagittæ ſtridore exaudito, pauore attoniti se receperunt. Hoc nunc in quæstione verſatur, sintne nobis transeundæ alpes, vt hostem minus indignum nostra virtute quæramus: an hîc expectemus, dum ad nos accedat. Si hîc cunctabimur, nostræ huic regioni malè consulimus, & vos vestrum stipendium nequicquam consumitis: vt interim illud taceam, parum esse verisimile eum huc venturum. Galli antequã nostras vires experirentur, bellum temeritate magis quàm constantia (vt ingenio sunt flagranti ac præcipiti) nobiscum gesserunt: deinceps non puto eos aggressuros, postquã nos sibi longè præstare reipsa intellexerũt. Sinautem illuc transeundũ esse censebimus, ne illos quidem nostrum impetum expectaturos esse arbitror, nõ magis profecto quàm hîc sustinuerunt. Nisi fortè putamus eos viribus nunc tertia ex parte labefactatis, maiori animo ac spe duci, quàm quum integras haberẽt. Id modò fortasse efficient, vt speciem quandam præbeant, pedem tamen subinde nunc vnius nunc alterius dici itinere referẽdo, vt nunquã obsistere audeant. Quòd si eò tandem necessitate adducentur, vt prælio illis sit decertandum (nam sponte sua aut animi virtute nunquam huc venturi sunt) proculdubio hoc prorsus statuere debetis, fortunam belli, penes quam iudicium est, victoriam nobis concessuram, qui æquitate & iure nitimur, qui fidei violatæ scelus vlciſci conamur, qui ea recuperare contendimus quæ contra fœderis initi pactiones per vim & iniuriam occupata sunt. Hoc nunc superesset quod sciam, an ij adhuc stris qui aliquando fuistis, an ita vos gerere cogitetis vti adhuc consuestis: id est, vtrum satis vobis sit animi vt alpes superetis, vt non dico dimicetis, neq; Gallię regnum armis subigatis, sed vt ad victoriam ex hoste accipiendam, & ipsius regni possessionem incundam, quæ se ipsa iã offert, properetis. Si deficit animus, hîc restandum est, vt turpiter nostræ fortunæ, quæ se vltro obijcit, desimus. Sin minus, hoc tantum vestræ virtutis, animi & studij testimonium expeto, vt ala criter excitata militari acclamatione, velut iã signa sint inferenda, hoc ipsum significetis.

Ad hanc orationẽ omnes vno animo sublato clamore moueri exercitũ & iter suscipi postulant. Tum ille ampliſſimis verbis eorum voluntatem, fidem & animum collaudare cœpit. Mea, inquit, ô milites, fœlicitas hanc vestram acclamationem comitabitur, & q; suscipiemus, bene fortunabit. Quòd si Gallus eos milites haberet, quales vos video, mihiq; tales essent quales ille habet, hoc iã in grauiſſimo cœtu dixisse me memini, quod nunc ingenuè repetere non dubitabo, mihi manus post tergum vinciri iuberem, & spõte mea dedititias atq; captiuus veniam supplex ab eo petens imperata facerẽ, neq; vllam conditionem recusarem, quã ille mihi vellet imponere. Neq; verò idem illũ facturũ dubito si vos tam ille nosset quàm ego, aliaq; arcana sciret que nunc declarari nihil attinet, quæ mihi adeo facilem Galliæ occupationem & possessionem reddent, vt sperem propediem me Lutetiæ meo arbitratu quicquid libebit pro imperio facturum.

Ita concio dimittitur. Ipse verò orationem ea vultus firmitate & constantia pronuntiarat, vt suis animum addidisse videretur, cisq; nimium iam tum moræ esset, quòd nondum progrederentur. Quænam porro essent illa arcana nondum efferenda, quæ habere se dictitabat, nondum resciui. Hoc quidem paulo pòst patefactum est, nonnihil

1553. de prodenda Lingonum ciuitate tentatum fuisse: qua de re proximo commentario dicemus. Quidam suspicati sunt aliquid occulti consilij & quidem de maximis rebus illi in Gallia cum Salustio intercessisse. Id vt verum putarēt, inusitatum illud rebellionis genus faciebat. Parum enim rationi consentaneum videbant, vt qui rerum humanarum non paruam peritiam & vsum habebat, præter fœdissimam illam turpitudinis notam, quam sibi inusserat, sui principis & veri patroni odiū inimicitiasq; vltro subire auderet, a quo nihil tandem quam certissimum exitium expectare posset, nisi multos haberet cōscios & amentiæ suæ participes, ac sibi, priusquam deficeret, planè persuasisset aliquam Regi tantam & tam vicinam cladem imminere, vt nulla in posterum causa superesset, cur illū sibi timendum putaret. Ac ipse profecto Bauariæ dux Gulielmus, quum mense Iunio superiore Langæo (quem tum in Germaniam profectum fuisse demonstrauimus) quæ de Salustij rebus audierat, narraret, ita statuebat, imò etiā se ab ijs didicisse prædicabat qui non infimum locum apud Cæsarem tenebant (fortasse Ludouicum fratrē Bauariæ ducem designabat) ipso euentu comprobatum iri huius cōsilij ineundi Salustium non esse solum autorem, multos in Gallia alios idem conari, qui in tempore illustrarentur. Alijs Cęsar ista dixisse videbatur, quem admodum à peritis ducibus & imperatoribus fieri superioribus seculis solitum est, vt dicerent se aduersus hostē occultis insidijs aliquid moliri, partim quò suos alacriores redderent, partim vt aduersariorum duci scrupulum injicerent, vt suis ipsi postea diffiderent, eosq; haberent suspectos: id quod nō rarò res maximas susceptas labefactauit. Alij postquam comitis Sebastiani de monte Cuculo confessionem resciuissent, suspicari cœperunt id demum esse quod clàm molitus fuerat, in quo tantam spem collocaret, tanquam Regis & liberorum proximam mortem spectaret, quibus sublatis facilè se totam Galliam peruadere posse confidebat. Sed huiusmodi spes cum tam immani scelere coniuncta est, vt animum meum subire non possit, tantū principem facinorosa ista & turpissima proditione vti voluisse. Qui tamen in ea sunt sententia, suspicionis suæ materiem nacti ex eo videntur, quòd Sebastianus cōfessus est Cæsarem ex se quæsiuisse, num sciret quam rationem in cibo & potu Rex sequeretur. Præterea quum Ferrandus Gonzaga istum Sebastianum Cęsari sisteret, quem paratum esse ad ea perficienda affirmabat quæ sibi & Antonio Leuæ atq; adeo ipsi Cæsari se facturū receperat, Cęsarem, si eorum mentem de vrbe tantùm aliqua aut arce per proditionem occupanda esse putasset (quod afferunt qui tanto furori & scelerisatrocitati locū in Cęsaris animo fuisse non audent pronuntiare) causam nullam habuisse, cur de Regij victus ratione quicquam ab eo sciscitaretur. Hanc etiam suspicionem in nonnullis auxit, quòd Loppius Soria Cæsaris apud Venetos orator quo tempore ista acciderunt, percontabatur quisnam Rege cum liberis mortuo esset ad quem regnum rediret, vt Cæsari cum eo bellum esset gerendum. Id verò quęri omnino absurdum esset & alienum, nisi quadam suspicione moueretur, qua Regem breui cum liberis moriturum esse appareret.

Cæsar à nonnullis immeritò notatur.

Sebastianus Vitelus Delphinum veneno sustulit.

In summa, quisquis tandem huius terrimi veneficij autor fuerit (me quidem clam est, Deus nouit, neque quenquam immeritò velim insimulare) Cęsar in certissimam secundi euentus spem efferri cœpit, qua fretus in Prouinciam exercitum ducere statuit: quod etiam statim aggressus est. Cuius rei sæpenumero ipsum pœnituit, ipseq; coràm apud Regem fateri non dubitauit quàm sibi tum malè consuluisset, quum suo vnius arbitrio staret, qui aliàs suorum consilio vti consueuisset.

LIBRI SEXTI FINIS.

GVLIELMI BELLAII LANGAEI COMMENTARIORVM LIBER SEPTIMVS.

POSTEAQVAM in Galliam ingredi placuit, & constitutum est quis militũ numerus relinquendus esset, qui Taurinos obsiderent, & Pedemontanum bellum conficerent (quod facilius multo Cæsar fore putabat quàm re ipsa expertus est) tripartito copias suas, quò cõmodior esset transitus, diuidit. In primo agmine erant cataphracti equites cum Germanico peditatu, cui præerat Thamisius. Hi secundo flumine Genuensi proficiscuntur, propterea quòd tormenta ænea ducebant, quæ Cæsar, ad itineris difficultates tollendas, nauibus vna cum classe supportari, vt Niceæ sibi præsto essent, constituerat. Hi Iulij mẽsis decimotertio die proficiscuntur. Deinde Ferrandus Gonzaga, qui princeps ferentarijs præerat, nonnulli cum eis Neapolitani cataphracti, Germani cum suis equitibus, Ilselstheinus, Dietrichus Sepchius, Wolfius Dietrichus Kutringhenius. Subsequebatur marchio Vastius cum Hispanis, deinde comitatus Cæsarianus, Antonius Leua, Germani pedites, qui Marco Ebenstenio parebant, Cæsar ipse demum, secum duntaxat sex habens è suis cubicularijs & Hispanorum cohortem: quos sequebantur Germani pedites duce Gasparo Fronspergio. Hi rectà Fossano Nicæam ire contendunt. Tertium agmen fuit Italorum, qui iter Conio facere cœperunt. His imperatur vt primo quoque tempore Nicæam peruenirent, atque ad Sallaurentum & Villanouã, quæ loca sunt Niceæ proxima, considerent.

Cæsar Prouincialem expeditionem agreditur.

REX interim Lugduni concilium subinde cogebat, mandata passim dabat quę superiore libro commemorauimus, omnibus locis prouidebat, quibus hosti aditus in regnum præberi poterat. Vbi certum de hostis consilio nuntium accepit, nihil sibi moræ faciendum censuit, quin ea perfici iuberet, quæ antea ex concilij sententia facienda esse, siquis huiusmodi casus accideret, decreuerat. Itaque Ioannem Bonouallanum quinquaginta equitum cataphractorum ducem iubet cum sua turma (quam se Massiliam recipere ob causas suprà allatas voluerat) ad alios centuriones & belli duces proficisci (qui iam ad Cisteronem erant) vt regionem deuastarent, aditusq; Roccæ miluiæ & Terrænouæ obseruarent. Huic quæ fieri vellet mandat, literas dat ad illos centuriones, ad omnes vrbium præfectos, prætores cæterosq; magistratus, quibus omnes Claudio Sabaudo comiti Tendano & ipsi Bonouallano nõ secus ac sibi ipsi morẽ gerere iubebat, quos quidem & cõiunctè ambos & seperatim vtrunq; suos legatos constituebat. Huic in primis distertisq; verbis, quum à se dimitteret, imperat, cauerent omnes ne quam hostibus rei bene gerendæ primo aduentu occasionem, quæ vice cuiusdam visceratonis esset, præberẽt. Bonouallanus comitem Gulielmum Fustembergum cum suo Germanico peditatu Cisterone reperit, qui magnam iam vastitatem edere cœperant, direpta Barcelona & toto Terræ nouæ tractu, nili quòd in eam partem præter Regis mentem peccarãt, quum nec à templis nec à rebus sacris manum abstinuissent. Cisterone Aquas Sextias venit, vbi tribus exploratoribus sibi vt præsto essent quum Romano eos à se dimitteret,

Rex vastita tem Prouincia inferri iubet.

1537. iusserat. Ibi cum comite Tendano offendit principem Melphitanum, Stephanum Columnam &alios antea nominatos, qui iam oppidum insp exerant, iudicauerantq; non idoneum esse obsidioni sustinendæ. Itaque locum oportunum castris locandis & muniendis disp exerant, quę oppidum tutius tenerent. Quam ad rē certum quendam delegerant vbi ædes sacra erat Ioannis Hierosolymitani: qui capiēdis copijs idoneus erat ille quidem, verum cūm multæ aliæ obstabant difficultates, tū mons altissimus impēdebat, qui despectus in eum locum habebat. Quamobrē Regem his de reb. certiorem faciendum censent: interim Stephanus Columna & Bonouallanus Grassam oppidum perlustrarēt. Bonouallanus dum iter facit, Regias literas oppidis distribuit, Trexij, Sammaximini, Briniolis, Dragutiniani, & cęteris. Iubet, quemadmodū in mandatis habebat, vt cō meatum omnem & pecus in oppida cogant, quicquid Grassa rediens non abactū offenderet, se publicaturum. Draguinianum quum venissent, turmam equestrem Montijani, qui postea Gallię mareschallatum gessit (constabat autem eentum cataphractis equitib. & in ijs locis consederat) simul eam cui præerat Bonouallanus, quam Massilia accersiuerat, assumunt. Grassæ partem quandam equitum cataphractorum comitis Tendani reperiunt, duce ipsius legato Germano Vrręo Miolano, cum quatuor peditum Prouincialium millibus, ducib. Massio, Ioanne Ebenaldo Villanouano, Ioanne Ponteno Carsio & alijs. Hi oppidum exterius & interius obambulantes circūspiciunt, quod nullo præsidio teneri posse iudicant. Cęsar iam ipso Iulij die vicesimoquinto cū duob. primis agminib. non sine magna rei frumentariæ difficultate Sallaurētum peruenit. Id primum ditionis Regiæ oppidum est cis flumē Varum sitū, quo Gallia ab Italia diuiditur. Is dies anno vertente erat, quo Cæsar in Africa exercitum expeditione Tunetana depositurat: siue casu id acciderit, siue Cæsar (vt multis visum est, eo magis q; eo die passuum millia duodecim processerat) consultò id operam dederit, vt eo die illuc peruenirent: quo omen ex ea re arriperet, quasi id non iudicio neq; voluntate accidisset, quod summo studio & meditatione decreuerat. Quamobrē quoniam aliquando vsu ipso cōperit nihil esse quod ad mouendos & impellendos populi animos ad quam quis vellet sententiā, maiorem vim habeat quàm superstitionem, hac occasione ad sua negotia accōmodata vti studuit, præsertim quū is dies Iacobo Apostolo sacer sit, quem tū Hispani antiquitus singulari veneratione prosequuntur, quemq; suæ gentis & patriæ tutelarē & defensorem habent, tum Germani à multis seculis in Hispania salutāt & adorant. Quib. duobus populis, Hispanico & Germanico quum suarum copiarū robur constare intelligeret, maximè verò duo illa prima agmina, horum concionem aduocat. Apud eos orationem vtitur, cuius sententia ea erat, quam quis ab homine sperare & expectare posset, qui totus implacabili in Regem odio flagrabat. Quem omnib. probris & conuicijs, quę possunt excogitari, insectatur, prosciindens cōtumelijs, perfidiosum, fœdifragum, pactorū perturbatorem, impiorum defensorē, Christianæ quietis atq; pacis hostem & euersorem. De se verò suisq; vir tutib. tanta prædicat, vix vt diiudicari posset in vtro plus studij poneret, vel voluptatis caperet, quum suam conditionem dilauderet, an quum hostem vituperaret. Tum fœlix illud fortunatūq; sui aduentus omen celebrare & magnificè efferre cœpit, rem adeo perspicuam esse, vt dubitare nemo posset, quin Dei rerum humanarum moderatoris arbitrio, nutu consilioq; hoc totum iter administraretur. Quo enim die anno superiore in Africam appulisset (qui dies ijs gentib. ex quibus milites in suis copijs haberet, sacrosanctus habetur, qui insuper, quę tandem causa sit, omnibus faustus & auspicatus fuerat insigni victoria quam obtinuerant, quum eo die se duce & suo autoramento in Africam venissent, quam prouinciam ex vi & iniuria Turcæ communis omnium Christianorū hostis eripuerant) eo ipso die in Galliæ fines pedem intulisse.

Cæsaris apud milites oratio.

His ita ordine commemoratis subijciebat illis multo magis non sperandum modò, sed indubitata persuasione statuendum esse fore, quum in Galliā eodem die, eodem duce, eodem Dei auspicio & fauore ingrederentur, vt multo fœlicius bellum hoc gererent, quod aduersus Regem verbo Christianissimum, re nihil minus quàm Christianū susceptum esset: aut verius certò sic illis habendum esse, Deum ipsum religionem sui nominis violatam & cōtemptā vindicaturum esse: eos autem, qui secundum Deum vnà cum ipso iniuria affecti erant, id tantùm spectare oportere, vt se Deo regendos ducendosq; permitterent, qui illorum manu atq; opera rem perfecturus esset. Quòd si in Africa tam illustrem

illustrem aduersus Turcam victoriam adepti fuerant, multo illustriorem & gloriosiorem fore hanc, quam eos relaturos esse nō esset dubitandum. Turcam enim, etsi impius est & nostræ fidei hostis, id errore facere & veri ignoratione: Gallum verò, qui pietatis mysteriis initiatus & institutus est, nonnisi peruersitate & malitia ab ea alienatum, turpi & nefario aduersus eam fœdere se cum impiis cōiungere potuisse. Itáne verò milites, inquit, putatis eum, nisi religionis repudiatæ furore & atrocissimi facinoris infortunio agitatus in exitium rueret, qui toties à vobis, quum Germanica & Heluetica auxilia haberet, prælio superatus est, nunc, quum ab vtrisque deseritur, vt nulla spes subsidij ab illis superst, eò audaciæ aut potius incogitantiæ vēturum esse, vt cum tyronibus raptim conscriptis, sese huic exercitui opponeret, qui ex vobis militibus veteranis constat, qui tot victorias ex eo reportatas numerare potestis, quot prælia cum eo commisistis? Hoc certè, mihi credatis velim, nunquam facturus esset, nisi suo scelere excæcatus in manifestum interitum properaret. Itaque quod nuper aggredi illum vidistis in Sabaudica & Pedemontana regione, licet eos improuiso, quum ab illo nihil sibi cauendum esse putarent, adortus sit, ne illud quidem vnquam suscipere in animum induxisset, nisi falsa sese ipsum spe non minori me hercule impietate quàm temeritate lactasset, qua statuebat nostrum illum victoria clarum exercitum nunquam ex Africa incolumem reuersurum esse: quòd scilicet arbitrabatur (vt ego quidem suspicor) Deum nobis in hoc bello opē non laturum esse, quod pro eius causa & nominis gloria susceperamus. Sed nimium lōgus sum fortasse milites, & nimium multa verba, vbi nihil opus est, profundo, dum ista pluribus cōmemoro & doceo. Nam & vos reipsa satis comperistis, eum, simulatque vos aduentare audiuit, illinc suos excedere, & trans alpes redire iussisse: ex quibus tamē pauci aliquot, qui prædæ studio remanserunt, in tempore adesse, vt se cum reliquis coniungerent, non potuerunt.

NEQVE enim est quòd existimetis vel Fossanios vel Taurinenses alia de causa istis oppidis se concluisse, nisi quòd necessitate eò adigebantur, vt se muris tegerent ac tuerentur, nedū vt sua virtute & fortitudine vim à muris defenderent, & oppida tuerentur. Hoc tantùm agebant, vt aliquantulum temporis prorogarent, quòd sperarent me studio progrediendi (quum præsertim non magnopere interesse viderent me sua causa hic subsistere) facilè eos in deditionem accepturum, vitam cōcessurum, & pactum facturum vt domum salui se reciperent. Hoc verum esse testimonio est, quòd vestra industria & virtute Fossanios compulimus, vt deditionem equis, armis & impedimentis traditis facerent. Taurinenses certè eò iam rei frumentariæ & cæterorum omnium inopia redegimus, maximè ex quo arcem ad pontem Padi cepimus (vnde commeatus habendi præcipua illorum spes pēdebat) vt non obscura neque dubia spe propediem potiundi oppidi teneamur. At in illis erat & est etiamnum regij exercitus flos & lectissimū robur. Et istos nuper in militiam allectos, homines pene inermes, à stiua per vim abductos, qui nec ducibus noti sunt, nec duces norunt, putabitis nō dico præliaturos, sed vel in conspectum vestrum acie instructa proditoros esse? Scitote milites, quicquid inter Alpes situm est, quod à mari ad Oceanum pertinet, quicquid inter Rhenū & Pyreneum saltum intersit, id totum vno prælio, aut (vt verius dicam) vnius prælij specie & simulatione vestrum fore: itineris duntaxat longitudo, non certamen vllum hanc victoriam remorabitur. Hanc vobis Deus mercedem parauit & seruauit, qua tot vestros labores & molestias remuneraturus est, quas illius causa, & ad ornandum illius nomen ac decus perpessi estis. Ea fuit concionis quā habuit summa, nisi quòd plurima alia dictu maximè indigna in Regē effutiit, se verborum mæandris & ambagib. adeo implicans, vt eorum qui aderant, plurimis (quemadmodum ipse à nonnullis audiui) tædium ac molestiam prolixa & insolenti oratione pareret. Extiterunt tamen aliquot (haūd scio vtrum illius auribus seruire studerent, quòd rebus secūdis nihil sibi aliud dici volebat, an reuera ita sentirent, neque vllam fortunæ mutationem illi accidere posse confiderent) qui militari acclamatione se id vnum dolere significarunt, quòd rem cum hoste sibi fore perspicerent, qui suum conspectum non sustineret: atque adeo facultatem sibi adimi viderēt, qua ostenderent quantum industriæ & peritiæ in re militari tam diuturnis bellis & exercitatione sibi compararent. Quum igitur tam optata occasione careremt, neque iam consilium sibi capiendum putarent qua ratione victores efficerentur, iam inter se dispi-

Summa Cæsarianorum de futura victoria spes.

1537. cere cœperunt quemadmodum victoriæ fructum & amplissima spolia partirentur: nec deerant qui præcipuorum ex aula regia vel dignitates & magistratus, vel possessiones & bona peterent. Quibus audiendis Cæsar, tum certa spe & expectatione rei præsentis elatus, tum præteritorum fama, gloria atque fœlicitate inflatus, incredibilem voluptatem capiebat (vt homines facilè quod cupiunt, credunt) iámque mentem ob victoriam animo præceptam, lætitia explebat: quam non minus suam esse, atque si iam contigisset, ar bitrabatur. Itaque toto dierum octo tempore quo illic moratus est, dum aliquot cohortes ex agro Pedemontano operiebatur, nihil agebatur aliud quàm quòd dignitates, magistratus, præfecturæ, præturæ, oppida, arces & possessiones eorum qui apud Regem erant, dono dabantur & distribuebantur.

OCTAVO demũ die Ferrandus Gonzaga ferentarios omnes exercitus Cæsariani equites (quibus præerat) ad iter instituendum produxit, & progredi iubet. Alphonsum etiam Sansuerinum principem Salernitanum cum quatuor peditum millibus assumit. Iter Grassam versus facit, regione montibus valde scabra & aspera: quare magnam hominum multitudinem præmittit, qui viderẽt nunquid insidiarum locis illis lateret. Propius etiam Galliã procedere velle nõ obscurè videbatur, nisi illius præcursores nostros animaduertissent, qui acie instructa cliuo quodam ad illius iter accedebant. Horum numerus erat ferè ad duo hominũ millia: sed verebatur Gonzaga ne plures in insidiis collocati essent, illi autem pauci conspiciendos se præbuissent, quò eum in loca iniquiora ad prælium elicerent: quicquid sit, nulla neque velitatione, neque iusta pugna instituta, eò rediit vnde profectus fuerat. Alia ex parte incedebant ad Antipolim aliquot pedites Hispani, quos duæ legionariorum Prouincialium cohortes acriter adortæ sunt, verùm non diuturno impetu. Nam sclopetariis Hispanis pulsi duces suos in grauissimo periculo deserunt: qui tamen fortiter se inde recipiunt, hostémque insequentẽ sustinent, quoad incolumes in locum tutum peruenerunt. Hæc gesta sunt pridie quàm Columna & Bonouallanus Grassam peruenirent. Qui quum oppidum teneri non posse animaduertissent, statuunt vt alter ad Regem proficiscere tur, quem hac de re certiorem faceret: is fuit Stephanus Columna: Bonouallanus vastationem regionis aggreditur, quicquid eferri aut vehi poterat, auferendum curat, reliqua incẽdio absumit, oppidi mœnia quinque aut sex locis diruit, vt ruina passus ferè quadragenos pateret. Dum ista fiunt, triginta equites Antipolim mittit, vt res hostium cognoscerẽt: hi tres captiuos adducunt, qui narrant hostium multitudinem valde à superiori die auctam esse, eósque ad numerum ferè sex millium esse affirmant. Bonouallanus celeritate opus esse statuit, Miolanum mittit vnà cum equitibus quos ex turma comitis Tendani habebat, cui duo peditum millia attribuit, qui Galliam versus progrederentur, clibanos & pistrina demolirentur, frumẽtum & pabulum incenderent, vinum effractis doliis effunderent, iis qui in loca munita maturè conuehere neglexerant, puteos etiam iniecto tritico corrumperent. Ipse rectà Calienum proficiscitur, cuius dominatum obtinebat Massius, quicquidem primus pistrina diruere, horrea incendere & frumenta cœpit. Idem Caldis fecit is qui dominium loci tenebat. Inde Draguinianum cum suis venit, vnde Gonguetum Vassẽum cũ quinquaginta ferè cataphractis ex turma Montijania (cuius ipse legatus erat) qui Miolano essent subsidio, mittit. Ex ea montis parte quæ Dinam vergit, Maurum Novatum Ioannis Pauli signiferum mittit, cui mille ex Christophori Vasconis peditibus attribuit, qui tum ab Humerio veniebant, his vt toto montis cliuo eandem vastitatem edant imperat: ipse rectà Carsium tẽdit, omnia etiam deuastans. Ipse Carsij dominus frumentis suis quæ aceruis congesta adhuc in agris erant, ignem subiicit, quicquid vini habebat, militibus ebibendum præbet. Tanta omnes omnium ordinum tum locupletes tum tenues publicæ salutis cupiditate ardebant, vt priuata damna nihili facerent.

Prouincia à nostris vastatur.

DVM ista geruntur, ad Cæsarem veniunt ij quos è Pedemontana regione præstolabatur. Tum ille suas copias Auenionem vsque ducere cogitat: id quod non minus sibi facile quàm commodum ad conata perficienda fore iudicabat. Postea tanquam rationibus subductis, sperabat optionem sibi datum iri, vtram in partem Rhodani fluminis exercitum ducere magis ex vsu esse videretur. Hoc illius esse consilium Regi nuntiatur, qui multo etiam antè præuiderat, hostem, si in Prouinciam moueret, nihil commodius aut aptius posse statuere, tum vt re frumẽtaria nullo negotio abundaret, tum vt regionem

glonem per totum Rhodani tractum vtrinque quammaximè infestaret. Nam quum Auenionem teneret, fluminis quoque ipsius compos futurus erat, propter pontem ad ipsa oppidi mœnia ad Rhodanum ædificatum. His causis adductus huic malo semper occurrere omni oratione parabat, vt hostis conatum anteueniret, Auenionémq; prior occuparet. Quas ob res, simul quoniam omnes copias nondum coniunxerat, vt absque damni & ignominiæ periculo hosti obuiam prodire posset, Mommorencium deligit, præfectum prætorio, Marescballum hodie Galliæ Connestablium, cui propter singularem virtutem, prudentiam, consilium & diligentiam, maximam inter eos omnes quibus ad negotia regni administranda vtebatur, fidem habebat. Hunc proregem in vltc-
20 riore & citeriore Gallia creauerat, amplissimámque & plenam autoritatem habere voluerat, qua se absente omnia tum publicè tum priuatim pro imperio non minus acsi ipse adesset, administraret. Verùm quoniam fusius cum illo agere & consilium capere de tãti momenti rebus cupiebat, Robertum Stuartum Albinium ipsum quoque Galliæ marescballum præmittit, qui Auenionem occuparet. Huic octo Heluetiorum millia qui nuper aduenerant, attribuit, simul cataphractos numero quadringentos, sed ex aliis atque aliis turmis coactos, vt quiq; primi, quia proximi, aduenerant, dum reliqui interim accedebant, vt ad diem præstitutũ adessent. Cum ea multitudine Albinius Auenionẽ venit: dúmque Mommorencij aduentum expectat, quicquid consilio & virtute rebus adeo vrgẽtibus prouideri poterat, summa diligentia administrabat. Qua in re omnium
20 grauissima & maxima, non vulgari adiumento illi erãt Gulielmus Poyetus tum curiæ Parisiensis secundus præses, Regis in intimo consessu consiliarius, postea Galliæ cancellarius, Gilbertus Badius & ipse consiliarius, regiique ærarij secretarius, Robertus Martonnius & Ægidius Pomeræus vterque regius cellarius, tum Carolus Petrouiuus vnus ex quatuor summis Galliæ quæstoribus. Hi Auenionem præmittuntur, qui rem frumentariam & reliquum commeatum conuehendum ex iis Galliæ locis vnde commodissimũ erat iter, curarent, quo tam qui iam conuenerat, quàm qui aduenturi erant, alerentur. Id quod tanta diligentia & cura administrarunt, vt in nostris castris non solùm nihil deesset, sed etiam multa superessent.

Rex Auenionem occupari iubet.

REX interim cum Mommorencio de omnibus negotiis consilia inibat, quanam
30 omnia ratione optimè fœlicissimo, nempe exitu & minimo periculo regerentur atque administrarentur: quæ & maximi in præsens tempus ponderis, neque minoris in posterum momenti esse perspiciebant. Mommorencius apud se tacitus quum expenderet quantum ex ea prouincia quam suscipiebat, gloriæ & ornamenti, si ex sententia res cederent, rediturum esset, quantum etiam, si quid offenderet, dedecoris & ignominiæ sibi conciliaret: continenter ob oculos ponebat quanta hostis animi obstinatione ad hoc bellum accederet, tantis viribus instructum esse, quantis nunquam antea Galliam quisquam adortus fuisset, magnum esse militum numerum, & ex fortissimis gentibus conflatum, quicum sibi dimicandum esse videbat, tam insuper vicinum, vt tantumnon præsens adesset: magnam esse virtutis & fortitudinis illorum existimationẽ, diu iam simul
40 militasse, victoriæ, non solùm bello & prælio assueuisse, idque non peregrino quodam duce, sed eo qui natus Princeps eis imperabat. Sibi contrà non tam exercitum quàm exercitus nomẽ & speciem adesse, quos haberet iam, & quos expectaret milites, magna ex parte mercenarios esse, inter se ignotos, quos fortasse prius educere cogeretur quàm vel duces imperare vel milites imperia exaudire & exequi didicissent. Qui si aduersò sorte casu ab hostibus cæsi essent, nullum Lugduno propiorem locum vsquam videbat, vbi vel victoris impetus sisteretur, vel victis perfugium pateret. Iam verò quum ea sit hodie temporum conditio, vt iudicium non ex consilio, sed ex euentu rerum fiat, perspicuè animaduertebat fore, vt quid euenisset, non quid ipse cogitasset, omnes expendendum esse censerent. Regi quoque ipsi eadem illa aliáque huiusmodi in mentem veniebant, quę quum legato suo, cui imperij summam deferebat, proponeret atque communicaret, ad omnem denique euentum quid facto opus esse videretur, præscriberet, ambo in primis spem cum metu, rationem cum euentu comparabant. Quúmq; ista inter se expenderent & conferrent, nihil tale ex sua victoria sperandum esse videbant, vt hostem vel Imperatoria dignitate exuerent, vel Hispanico aut vllo alio ex iis regnis quæ tenet, spoliarent: hostis victoriam non tantùm exercitui quem parabant, interitum alla-

1536. turam, sed toti regno maximum periculum & ingentes turbas importaturam: Rhodani quidem certè transitu & mari mediterraneo hostem potiturum, vt commeatus nunquam illum deficeret, & regnum quacunque liberet parte infestandi ratio in promptu esset. Hæc ad minimum esse quæ hosti ex victoria speranda videbantur. Quamobrem spei & metus non erant paria momenta. Quorum etsi diuersa erat ratio, omnia tamen incerta & dubia erant, magisq; ex fortuna & casu quàm ex consilio & ingenio pendebant: vt quo diutius se inquirendo & consulendo fatigabant, eo minus certi quicquam de rebus gerendis statuere possent.

Rex Mommorencium ad rem fuis; iuuandam cohortatur.

TANDEM multis vltro citróque habitis in vtranque partem sermonibus, Rex ad eum conuersus, Quanta, inquit, fortissime Mommorenci virtute intrepidaque animi præsentia bellis superioribus omnia pericula adieris, satis testatum reliquisti: tuáque in meis rebus administrandis opera summæ fidei, singularis fortitudinis, iudicij, prudentiæ & consilij laudem meruit: quæ dotes potissimùm in eo requiruntur qui imperator ad magnum aliquod bellum suscipiendum delectus est, quibuslibet nō minus quam viribus regna & imperia stare ac seruari consueuerunt: neq; quod in te desiderarem vnquam extitit. Sed postremis istis virtutibus plus hodie vtendum esse quàm audacia aut animo, hæc negotia satis docent. Illud quidem sic statuo, nominis & famæ claritatem quam ex hoc bello te consequuturum certa spe confido, cumulum fore & colophonē, quo gloria omnis & splendor quem anteà tibi conciliasti, ad summum laudis fastigium euehatur. Itaque quod tibi rei administrandæ onus illa spe fretus impono, hoc suscipere te volo, illud interim confirmans, me prospecturum nequid quod in castris vsui sit, tibi vel desit, vel tardius accipias. Quod ad rationem attinet quam sequi debeas, ipse satis nosti quantum fortuna cùm in rebus humanis tum in bello possit, ac sæpe quam ex leui re quàm magna rerum commutatio & inclinatio sequatur. In rem præsentem venies, omnia coràm videbis, vt de omnibus cognoscas ac iudices. Nō dubito quin pro rerum temporumq; articulis & occasionibus, imò ex iis quæ hostes ipsi cogitabunt & tentabunt, consilium vtile & commodum sis capturus.

HÆC Regis verba Mommorencij animum mirum in modum confirmarunt: quibus à Rege dimissus, quarto pòst die Auenionem peruenit. Rebus omnibus cum Albinio communicatis, duces vniuersos tum equitatus tum peditatus conuocat, aliquot etiam veteranos, qui magnum in re militari vsum & autoritatem ex diutina consuetudine habebant, adhibent. Concione illorum aduocata, rem vt erat proponit & ostendit, quàm magnæ essent hostis vires, quantas Rex vel iam haberet, vel adfuturas expectaret, eásque tum domesticas tum exteras, nempe Germanicas vel Helueticas, quàm rei frumentariæ angustia laboraturus esset hostis, nos quam rebus omnibus abundaturi: quid fructus, emolumenti & opum ex victoria nobis accessurum esset, quid contrà dāni, periculi & turbarum ex clade planè metuendum videretur: vnde metus impenderet, vnde spes affulgere posset, quanto studio elaborandum esset vt illi occurreremus ac mederemur, illam caperemus, foueremus & excqueremur, hoc præsertim tēpore, quo (si vnquam aliàs) opus esset vt omnes viribus omnibus & fortunis contenderent, quò egregium aliquod & insigne opus ad liberandam, tuendam & seruandam patriam ederent, hostem inde submouerent & expellerent, qui nimia fortunæ ac virium præfidētia, nostrarum superbo & intolerabili contemptu, pulcherrimum hoc atque opulentissimum regnum spe iam deuorabat. Ibi multa etiam alia, sed pressis verbis orationeq; acuta, breui ac limata docere cœpit, sententias singulorum rogat, vtrum vlterius progrediendum an cōdem loci expectandum esse videretur, dum omnium quos Rex accersebat supplementum & numerus accederet, denique quam rationem commodissimam esse iudicarent, vt bellum hoc prudenter gereretur, ac fœliciter conficeretur.

SED ne hoc quidem illos latere voluit, Regi, si quidem vellet, facile esse, vt ipse præscriberet ac constitueret, qua ratione, quo ordine, & quibus rebus vellet hoc bellum administrari. Se quidem, quum ex eo loco veniret, acceptis mandatis ab eo cuius rem rectè administrari potissimùm interesset, quique tam in his negotiis obeundis iudicio, vsu & peritia quàm alius quiuis polleret, nō valde perplexum hærere, vt quid facto opus esset iudicaret. Voluisse tamen ambos illorum prudentiæ, notitiæ & fidei tantum deferre, vt dum res adhuc integra esset, omnium sententias sibi noscendas existimarent. Sic itaque

que ab eis expectare, vt quid quisque sentiret, liberè & apertè eloqueretur. Ea fuit illius in concione oratio. Quanquam verò id cum Rege omnino constituerat, ne ad prælium cum hoste conferendum venirent, néve de summa rei, nisi necessitate compulsi, aut tutam quandam & certam facultatem nacti periclitarentur: quòd scirent imperatoris eas esse partes, vt quum in patria & pro patria dimicandum est, tardius & prudentius quàm maturius atque audacius omnia gerat: sic tamen orationem temperauerat, sic vultum & os composuerat, vt eum contrà sentire quiuis facilè iudicaret. Idque consultò ita faciebat, quòd hunc apud omnes esse morem sciret, vt ex ducibus aliisque qui in consilium adhibentur, plurimi id fere studeant, vt quam imperatoris esse sententiam suspicãtur, eam sibi probari ostendant, omnésque ingenij vires ad eam rationibus confirmandam ac stabiliendam conferant, quò omnibus anteponenda esse videatur. Quibus causis permotus operam dederat, vt suspicionem illis iniiceret se in alia esse sententia quàm reuera esset. Ita dum sententiam quam probabat, ab ijs confutari videret, qui contrà se agere putabant, se multo liberius rationum inter se momenta expendere & librare posse sperabat.

Sententia bb pertit.

DICVNTVR initiò sententiæ multæ & variæ, sed in duas tandem diuiduntur. Alij longius progrediendum esse censebant & propius hostes accedendum, vt ad ipsas transitus fauces & angustias prælio dimicare cogerentur, priusquam aciem explicare & totis copiis pugnare possent, ac non expectandum esse dum latiori planitie occupata dilatato exercitu simul vterentur. Aliis contrà videbatur satius esse vt vbi constiterant morarentur, vt suorum supplemento & auxiliis spatium daretur, quo cum reliquis sese coniungerent. Qui ita sentiebant, rationibus suprà commemoratis ducebantur, quòd proximus esset Cæsarianus exercitus, magno hominum numero constans, qui diutina militia bellicosissimi habebantur, quòd maximo apparatu expeditionem suscepissent, feroces recenti illa victoria, quam in Africa obtinuerant, quòd longa consuetudine inter se notissimi & coniunctissimi essent, qui multos annos sub eodem duce principe suo stipendia meruerant. Nostri contrà magna ex parte vel exteri mercede cõducti essent, vel Galli nuper tumultuariè conscripti, qui nulla adhuc notitia vel coniunctione inter se coaluerant, denique qui nondum ij essent, quibus tantopere confidendum esse videretur, vt ad prælium produci idque loco fortasse iniquiori, siqua vrgeret necessitas, deberent. Tutius ergo illis esse videbatur, vt dũ milites qui inter se lingua, moribus & religionis institutis differebant, paulatim ex mutuo vsu atque conspectu alij aliis innotescerẽt, disciplinæ militari assuescerent, vt ordines seruare & suum quisque signum agnoscere illúcque se aggregare discerent, quò illis promptioribus postea vterentur: interim locum vbi constiterant, vallo cingerent & munirent, vbi maxima rei frumentariæ copia suppetebat, summáque facultas, dum suorum vndique auxilia conuenirent. Tempori interim seruirent ac dissimularent, interdum etiam leuibus, sed tutis cum hoste dimicationibus periculum facerent, eequid vel audaciæ in suscipiendo vel virtutis in exequendo nostris inesset. Summa illorum orationis erat, siquis temporum rationem & rerum magnitudinem attenderet, valde ad patriæ salutem interesse illos procrastinare ac bellum proferre, morásque iniicièdo ac negotia facessendo, hostis impetum & ardorẽ, quo ferri videbatur, languefacere & extinguere. Sic enim sæpenumero vsuenisse, vtrebus prudentia atque consilio administrandis, prouidendis & dissimulãdis maxima quæque fœlicissimè cederent: quæ si præcipitanter gesta fuissent, alium longè exitum magno imperiorum & ciuitatum malo habuissent.

QVI verò aliter sentiebant (quo ex numero nonnulli magnum in bello vsum habere videbantur) contrà afferebant, satius multo esse vt progrederentur & proximè hostem accederent. Abesse enim adhuc illum ad centum octoginta passuum millia. Quod tantum interuallum apertum & expeditum si eum conficere paterẽtur, nihil hoc aliud fore quàm illi iter sternere, pabulandique atque frumentandi pro arbitrio facultatem præbere. Ita quanto virium illius metu perterriti essent ostensuros, & tacita quasi confessione se ad illum propius venire non audere indicaturos. Qua ex re animi ferociam illis, trepidationem & metum nostris accessurum: iis verò qui adhuc suspensi & ancipites tenebantur, vtri se parti adiungerent, dum rerum quandam commutationem extare cernerent, occasionem datum iri (quippe quibus rei gestæ veritas non esset comper-

1537. ta,neque dissimulandi causas tenerent) cur famæ quæ vulgò ferretur fidem haberent, quæ quidem ad eius gloriam spargi consueuit qui aliis terrori esse putatur: atque adeo in præcepta illa Cæsarianæ fœlicitatis (cui omnia tribuerent) opinione cõfirmarentur, vt tandem vel illius partes amplecterentur, vel certè à Rege alienarentur, & de illius successu minus spei haberent. Quòd si (inquiunt) ad hostem accedemus, ciúsque impetum, antequam pedem in Prouincia fixum ponat, morabimur, ac primam impressionem infringemus: fieri non potest quin, etiamsi neque Freiolium neque Tauroentam teneamus, saltem nobis spatium suppetat, vt Aquensem ciuitatem huius prouincię caput, vel muniamus, vel iuxta positis castris tegamus (vt iam constitutum est) priusquam Cæsar illuc perueniat. Ita defendendo oppido transitu illum prohibebimus, & vlterius accedendi facultatem adimemus. Neque verò est cur quibus tantopere dissimulationes arrident, ij metuant ne ad pugnandi necessitatem, vt signis collatis dimicemus, inuiti adigamur. Quin potius quotidianis insidiis per semitas & cæcos anfractus qui inter alpium cliuos & conualles intercedunt, molestias illi subinde exhibebimus, damna inferemus, nec illi per nos quiescere licebit, vt maius aliquid suscipiendi oportunitatem nunquam sit arrepturus, quod alioqui eum non dubitamus conaturum. Enimuero & belli ratio & rerum nostrarũ necessitas omninò postularet, vt illis locis impeditis ea aggrederemur, quæ hìc locis planis & apertis aggredi aut efficere nefas fuerit. Etenim vt quod res est fateamur, exercitum Cæsar tum numero tum virtute militum, omnium habet potentissimum, quos vnquam quisquam nostra ętate compatauit. Distinentur illi quidem diuersi, neque adhuc simul collecti sunt, intricati locorum difficultatibus atque itinere defatigati, qui Alpium angustias & transitus neque experti sunt, neque norunt. Quos si nullo obiecto impedimento in planitiem euadere sinemus, vel castra in vnum locum conferent, aut locis patentibus atque commodis considebunt, se ex labore recreabunt, nouas vires & animum sument, itinerum peritiam tum inquirendo tum experiendo sibi comparabunt. Si denique supplementum & auxilia ex nostratibus, Heluetiis & Germanis expectamus, id verò Cæsari ipsi multis partibus est facilius. Accedit quòd quicquid apud Pedemontanos virium habemus, nõ adeo tamẽ potens est, vt impedire queat quo minus exercitus, quem Cæsar illic ad victoriæ extrema persequenda reliquit, ante mensem exactum huc transire, & cum iis copiis quæ iam adsunt, se coniungere possit: ibi tũ aduersus vtrosque veteranos & peritos necesse erit vt nostros tirones tumultuario delectu collectos acie instructa producamus. Præterea hostis etiam Auriæ aduentum in dies expectat: is vbi aduenerit, nouũ nobis bellum trans Rhodanum flumen in Gallia Narbonensi excitabit: illuc enim appellere & quo libebit loco milites exponere licebit. Cui si etiam minus validæ erunt copiæ, quàm vt magnum aliquid efficiat, à tergo certè Hispanias habebit, vnde noua in dies tum equitatus tum peditatus supplementa accipiat. Hæc omnia hostis vbi ex sententia administrauerit (quod illi sanè nobis ita procrastinando cessantibus perfacile futurum est) quid postea vel optare & eligere, vel illi commodius euenire possit, nos quidem videre nequimus, quàm vt posteaquam nos gemino vtrinque exercitu conclusos cinxerit, hinc Narbonensem Galliam & Hispaniam patefactam & sibi dicto audientem, illinc Italiam & Siciliam, magnam etiam vndique facultatem habuerit, qua rem frumentariam & omnia quæ ad diuturnum bellum sustinendum sunt vsui, & mari & terra supportari possint, nos in isto differendi & perendinandi instituto pergamus. Etenim ille ex Hispania, Italia, Sicilia, Germania, & iis quæ in Belgio possidet, abunde numorum, qui nerui & artus belli sunt, continenter accipiet. Contrà nulla ratione fieri potest vt regnum hoc nostrum, cùm bellis superioribus, tum nouo isto in Picardorum finibus præsterillud Prouinciale moto, vehementer attritum, Regi satis pecuniarum suppeditaturum sit, quibus diuturno bello tantũ exercitũ alere possit, quantum supplementis omnibus necessariis adiunctis conficere cogitat. Iam verò quemadmodum bellũ absque militibus fieri nequit, sic absque ingenti pecuniarum summa se alere & simul versari nequeunt. Quæ si aliquando, quum maximè opus erit, deficient, quid obsecro profuerit tandiu dissimulasse? Si ista dissimulatione hoc consequuti fuerimus, vt pecunia desit, (cuius fortasse nonnulla hodie copia suppetit, sed quæ à priuatis mutuò sumpta est) quorsum tantam hominum multitudinem coegerimus, si horum nullus erit vsus, quia stipendij penuria discedent? Cæterùm illud etiam considerandum

Rationes cur plerisq; pugnã dum esse conferat.

randum est, nostrum exercitum ferè ex Gallis, Heluetiis & Germanis constare: quarum gentium hoc ingenium est, vt discrimẽ & laborem magis quàm quietem & dilationem ferant. Si quis statim illis vtatur, audent, aggrediuntur, perficiunt etiam supra quàm vires humanæ ferant: si ex hoc primo impetu & æstu reducantur, elanguescũt, delassantur & prorsus euanescũt. Cuius rei ne à longinqua vetustate exẽpla repetamus, nuper si quo animi ardore Vercellas cõtendeba. ius, pergere nobis & progredi cõcessũ fuisset, potiũdi oppidi certissima spes dabatur. Nunc in hostiũ fines victricia arma gereremus, non in ipsa Gallia bellũ sustinere, ac pro patria, pro aris & focis dimicare cogeremur. Quæ quũ ita sint, vtque tu vir clarissime, qui hùc prorex summâ imperij obtines, sine dubio statuas tibi comites affuturos qui excelsam animi tui cogitationem re ipsa perficere conentur, censemus tibi hinc mouendum esse, ibique consistendum, vnde non ita magno interiecto spatio quò iter faciat, aut quid moliatur hostis, certior fieri queas: vt si fortè nonnihil offendet, aut, (quod ipse in oratione tua attigisti) siue nimia suæ potentiæ fiducia siue nostrarum contemptione vel incautiorem se præbebit, vel negligentius sua castra locabit atque communiet (quod fere iis accidit qui hostem nimium spernunt) illic parato exercitu datam facultatem in tempore arripias, & fortunæ beneficio, antequam è manibus elabatur, vtare. Ita est sanè, sæpenumero homines dum audent, dum suscipiunt, dum manum ad rem ipsam adhibent, res grauissimas & maximi momenti confecerunt, quas alioqui desides ac supini neque fieri neque sperari posse vnquam existimassent.

HÆC illi ad suam sententiam confirmandam afferebant. Iámque in eam bona pars illorum discedebat, idque cùm alias ob causas faciebant, tum quia rem imperatori maximè gratã se facere arbitrabantur, & ea dicere quæ cũ illius voluntate valde quadrarent. Hunc enim tum ob natura insitam cupiditatem, qua ducebatur, vt res maximas & principi suo vtilissimas aggrederetur, tum ob recentem proximæ expeditionis Pedemontanæ memoriam (in qua nonnulli vitio imperatori ducebant, quòd cõstantius fortunam suam non fuisset persequutus) nihil antiquius habiturum putabant, quàm vt quę prima daretur facultas atque occasio, ea vteretur, vt & virtutis periculum faceret, & famam rebus bello gestis partam augeret. Ac ipse sanè Mommorencius (vti suprà ostendimus) quò certius sententias liberas ab iis quæ assentatorio animo dicebantur, distingueret, omnibus qui aderant (id quod à multis magnis ducibus & summis imperatoribus sæpe factitatum est) magnam præbuerat speciem cur hanc illi sententiam probari suspicarentur, multáque verba consultò, tanquam sibi imprudenti atque alias res agenti excidissent, enuntiauerat, ex quibus occasio illis iudicandi daretur, eum planè aliter sentire quàm reuera sentiebat. Quamobrem simulatque attentè singulorum non orationem modò, sed gestum, os & vultum obseruasset, dataque opera præ se ferret se cogitabundum memoria quæ vtrinque dicta fuerant repetere, quò vniuersorum animos hac voluptate expleret, quasi pugnantibus licet sententiis, omnes tamen ex æquo firmis & veris rationibus niti comperiret: primùm magnam se Deo immortali gratiam habere dicit, quòd sibi nihil optatius accidere posset, quàm quòd in diuersas diuisi sententias, neutri tamen animi alacritate & magnitudine carerent, imò aliis illa magis superesse quàm deesse viderentur, aliisque freno potius opus esset, quo cohiberentur, quàm aliis cohortatione, qua stimularentur & incitarentur.

Mommorencij ad duces oratio.

VIDEO, inquit, perspicuè ab vtrisque idem statui, vt vincatur hostis, quacunque id fiat ratione: video omnes ad hoc bellum omnem operam, consilium, vires & industriam ad principis & patriæ salutem ac defensionem conferre velle. Omnes eôdem cupitis peruenire: de ratione qua huc perueniri possit, inter vos minus conuenit. Aliorum hæc sententia est, vt hìc subsistamus, nósque castris contineamus, hostis aduentum præstolantes: aliis contrà progredi & castra vlterius locare placet. De hac posteriore sententia priore loco dicam. Qui sic sentiunt, ij (quantum ex eorum verbis assequi possum) duo metuunt, nec immeritò sanè. Vnum, ne si castris munitis maneamus, & quantum hinc ad eum locum vbi hostis nunc castra nabet, regionis interest, totum illum tractum liberum ei & pacatum relinquamus, maiorem illi frumentandi & pabulandi facultatem præbeamus, vt homines & equos longè commodius alat, quàm dum angustias & difficiles alpium transitus exercitum traducit. Alterum hoc vereri videntur, ne Cæsar

1537. noſtram hanc dilationem & cunctationem timoris atque trepidationis confeſſionem, quódque viribus noſtris omnino diffidamus, interpretetur, & huius rei maiorem etiam veritate famam circunferendam ad ſuum decus curet: qua ratione fiat, vt eos à Regis fide abducat quorum mentes incerto adhuc rerum exitu ſuſpenſæ nutant, vtque noſtris metum incutiat, eos cõfirmet quos ſibi ſtudere perſpexit. Ego verò, vt prior ille metus tollatur, nunquam hîc caſtra ponenda atque munienda eenſuerim, niſi prius ex omnibus agris, vicis & oppidis infirmioribus (quemadmodum conſtitutum eſt) quibuſcunque locis iter hoſti faciendum eſt, quicquid efferri, euehi aut abigi abduciq; poteſt, id omne in arces & oppida munitiſſima cogatur. Hac ratione comperietis, quo magis ad nos hoſtem allicientis, id eſt, quo longius à mari abducemus, eo maiore cibario- 10
rum egeſtate illum preſſum iri, vt maiori impẽſa & difficultate commeatum deinceps accipere cogatur.

Ad alterum quod attinet, ſatis equidem perſuaſum habeo, hoſtem, quoad poterit, huiuſmodi artes adhibiturum eſſe. Verùm nihil inde accidere poteſt, quod æquè metuendum ſit, ac ſi cò progrederemur & caſtrametaremur, vt hoſti (quod ſæpe vſu venit) eam oportunitatem afferremus, qua ſuperiore ſua conditione nos inuitos neceſſitate adigeret, vt eius arbitrio, non noſtro, confligendum eſſet, & patriæ ſalutem, quæ ex huius belli euentu maximè pendet, fortunæ aleæ & iudicio committeremus. Hoc quidem veriſſimum eſt, bellum omne, quacunque tãdem ex cauſa inter mortales exiſtat, aut neceſſarium aut ſpontaneum eſſe: atque adeo rationem ſuſcipiendi & gerendi a- 20
liam atque aliam eſſe. Quemadmodum enim qui bellum externum aggreditur, eum, antequam aggrediatur, exercitum omnibus rebus inſtructum habere conuenit, ac prima ſtatim impreſſione, dum hoſtem adoritur, longè latéque ſui metum & terrorem incutere: ſic (diuerſa licet prorſus ratione) noſtræ partes ſunt, qui bellum domi ſuſtinemus, cunctari & diſſimulare, hoſtis impetum & conſilium fruſtrari, temporis longinquitate ardorem reſtinguere, & vires eneruare. Hoc enim ſi faciemus, ſi vbi opus videtur, illius vires nobis maiori eſſe formidini & terrori, quàm reuera ſint, demonſtrabimus, aut illum in tam cæcam ſuæ potentiæ præſidentiam, támque temerarium noſtri exercitus contemptum adducemus, vt eum ad munitiones noſtras oppugnandas & prælium iniquo loco cõmittendum alliciamus: aut certè negotium illi ſubinde fa- 30
ceſſendo ita occupabimus & atteremus, vt animi elationem deprimere, ſpem paulatim abiicere, exercitum denique ipſe ſuum conficere & diſficere cogatur.

Quod afferuis Cæſari exercitum hodie adeo potentia, numero, viris rei bellicæ peritis præſtantem adeſſe, vt vix potentior optari poſſet, qui tamen adhuc ſparſus & ſeparatus, montium cliuis impeditus, itinerum magnitudine deſeſſus, commeatu non valde abundet: hactenus vobiſcum planè ſentio. Quòd autem additis, ſi temporis ſpatium dabitur, illos ſe vnum in locum coniuncturos, locis commodioribus & patentibus conſeſſuros, ſe ex itineris moleſtia recreaturos, animum denique & vires nouas ſumpturos: ego verò contendo fore, ſi qua decet diligentia & induſtria eos pabulari ac 40
frumentari prohibebimus, vt tempus ipſum duplo maiores difficultates afferat quàm nunc ſuſtinent. Quòd ſi etiam Cæſari placebit (id enim vos ſuſpicari ſignificatis) acceſſitas ex agro Pedemontano legiones, quas illic reliquit, cum propinquo exercitu coniungere, neque illi verendum erit ne nouæ copiæ ex vlterioribus regionibus illis à tergo inſtent: (quod tamen non parum metuere debet) hoc tamen affirmo, quo maiorem hîc exercitum colliget, eo citius (ſiquidem illius ſpem fallere & bellum hoc cunctatione producere inſtituemus) rei frumentariæ inopia atque fame laboraturum. Sed reperiat ſanè in aliquot dies cibaria in Prouincia, quòd omnia tam ſubitò vaſtare ac populari nequeamus: at poſtquam profecto tantulum illud abſumpſerit, non eſt quòd ſperet ex regionibus quas ponè reliquit, alia ſupportatum iri. Neque enim vos latet, quicquid vel ſuperiore autumno in horrea congeſtum eſt, vel hoc anno demeſſum, id omne tum 50
à noſtris tum ab illius militibus, loca vacua & defenſoribus nudata nactis, deuaſtatum & abſumptum fuiſſe. Quòd ſi fortè nõnihil ex eo ſeruatum eſt, ſcitote neque in multum tempus, neque tanto exercitui quem ab illo ad tãtam expeditionem adduci auditis, ſufficere poſſe. Hæc denique vt aliter ſe habeant atque à me cõmemoratum eſt (quod vos tamen ne ſuſpicari quidem velim) nunquã tamen tantus iumentorum numerus illi ſuppetet,

petet, qui ad omnia tam procul ferenda satis futurus sit.

IAM verò vt ad copias quas in Pedemontanis finibus reliquit, redeam, hoc vobis etiam atque etiam cõfirmo, nihil esse cur aut metuatis aut ille speret vllum illinc supplementum accessurum esse. Etenim quantum adhuc intelligere potui, nostri nõdum tam arcta obsidione illic premuntur, quin crebris eruptionibus hostem lacessant, vnde sæpissime victores & præda onusti se recipiunt. Quin etiam comitem Rangonẽ & Caguinum Gonzagam se cum illis breui coniuncturos speramus, nouo exercitu quem nuper compararunt, & quidem Cæsariano, qui illic est, non minorem, siue numerum, siue vsum, siue virtutem spectetis. Nolite enim putare Cæsari eos hodie adesse milites qui tot illi victorias pepererunt: hi sunt quos ex omnibus paucissimos habet. Alij bellis Longobardicis, alij Neapolitanis, alij Vngaricis perierunt, complures caloribus & intemperie autumnali in Africa sublati sunt, multi in mari interierunt, multi denique cum lucro & præda bello parta domum se receperunt. Quas nunc habet copias, eas scitote supplemento ex militibus recens conscriptis esse completas, qui labores, molestias & difficultates militares non multo plus quàm nostri experti sunt. De Auria quod obiicitis, non video qui Cæsar in eo magnam spem collocare possit, quum res tanti momenti agitur, vt est bellum hodiernum: satis enim scitis quàm parum tuta & certa sint consilia quæ in re nauali capiuntur. Neque mehercule ipse Auria ita in mari imperium obtinet, vt eũ quispiam ad diem constitutam præsto fore confidat. Quod si in tempore non aderit, sic habeatis velim, Cæsarem cum vniuerso exercitu propediem re frumentaria & pecuniaria laboraturum esse. Sed facite sanè illum secundo vento & prospera nauigatione vti, & ad diem præfixum atque in ipso temporis articulo adesse: at ne illud quidem affirmare poteritis, vel tantas esse illius triremes, vel tanto plures viros quàm nostras capere posse, vt propterea vobis tantopere metuendum sit, ne trans Rhodanum tantam militũ multitudinem in Gallia Narbonensi exponat, quæ vel ad eos expugnãdos satis sit quos ego præsidio oppidis imposui.

NIHILO quoque plus id vobis timendum est, ne in Hispania tanta sit hominum fertilitas aut prouentus, vt illinc supplementum satis magnum in Galliam Narbonensem ad eum mittatur, nudata interim Hispania, quam præsidiis non infirmis muniri expedit, nequid noui à Granatensibus nuper subactis moueatur, qui grauatè & valde iniquo animo iugo seruices submiserũt. Quæ quum ita se habeant, ecquod obsecro, auxilium, si rem diligenter perpendere libet, putatis Cæsarem hoc tam optato Auriæ aduentu acceperturum, nisi commeatus aliquantum, & pecunias in aliquot mensium aut etiam dierum stipendium militibus erogandum? In summa, quicquid afferet, nõ tanta erit copia, quin tandem possit exhauriri: quod vbi acciderit, haud scio (neque vobis certius cõstare arbitror) vnde alios rursus numos quæsturus sit, quibus tot exercitus, quos diuersis & adeo dissitis locis habet, alantur. Illud enim non est profectò quòd dubitemus, illius ærarium, præter bellorum superiorum impensam, postrema illa expeditione Africana valde exinanitum esse: etiamsi somniare libeat in insulis illis recens inuentis, quarum causa tantos sibi sumit spiritus, Pactolos nescio quos & Tagos aurifluos manare, qui nunquam exaresc ant. Quod de gentiũ moribus & ingenio affertis ex quibus nostrę copiæ conflatæ sunt, hoc dico, neque vos fugit, magnam ipsius exercitus partem (si manus cum illo conferenda erit) non minus quam nostri, ex hominibus constare qui lingua Germanica vtuntur. Itaque quum in eodem solo & sub eodem cæli situ nati educatique sint, nunquam mihi fiet verisimile, eos alio esse à nostris ingenio, aut ad inediam, sitim, frigus, æstum tolerandum melius esse comparatos, aut in officio magis, si stipendium desit, contineri posse, aut eos non esse qui temporis progressu tædio afficiantur, animis deficiant, & de illa genuina alacritate atque audacia aliquid remittant.

NEQVE non illud adiicere audebo (ita enim ad alteram sententiam orationem meam conuertam) quæ in hac re nobis metuenda pericula videntur, grauissimam esse causam cur hostis illa multo magis timenda sibi esse statuat. Quippe si tempestiuè, vt decet, dolo & arte hoc bellum administrabimus, multum non solùm ex illius ardore & æstu, sed etiam ex apparatu & numero decedet. Ac profectò multi existent, quorum animos, vbi bellum sua opinione & spe diutius produci videbunt, domus desiderium & memoria subibit. Hi quum omnia itinera à nostris obsideri videbunt, vt longius vagari

1537. ad pabulandum non liceat, quin vel periculum sit ne dedecus & damnum accipiãt, vel tanta multitudo mittenda sit, quæ statim consumat quantamcũque pabuli copiam nacti fuerint: tum necessitate cò adigentur, vt ficubus, vuis aliisque frugibus, quæ circum castra occurrent, latranti stomacho obiiciendis famem expleant. Vnde paulo pòst consequi videbitis, vt quum præter cæli & soli mutationem, quæ suorum corporum constitutioni aduersa experientur, præter calores autumnales, & huius regionis aerem hominibus non assuetis parum salubrem, cibos subitò mutare coacti fuerint, & iis vesci cœperint, quibus referti non multum tamen alimenti accipiant, morbis & porro pestilentia laborent. Nobis contrà, si hic castris munitis nos continebimus, diuturna illa mora ea suppetent & supererunt quæ illis deerunt. Nos enim ad castrorum munitionem in dies aliquid addemus: nouarum in dies copiarum accessio fiet, vt nulla earum quæ iam adsunt decessio contingat, ita vt virium atque adeo animi incrementum sensuri simus. Atque vt hinc initium demonstrandi faciam, hic ad munienda castra quammaxima no bis facultas datur, & tempotis satis ad opus perficiendum suppetit. Sinautem vlterius progredi placuerit, quot dies nos hostem versus procedemus, quóque illi pauciores superserunt, vt nobis loco patenti occurrat, totidem nobis deerunt, & ex eo tempore detrahentur quod ad cingẽda hîc castra vsui nobis fuerit. Deinde hoc video, quo plus progrediemur, eo difficilius & maiori sumptu commeatus nobis supportabitur: cõtrà si ad latissimum hoc flumẽ Rhodanum castris collocatis & munitis commorabimur, cibaria tum ex hac regione tum ex aliis Galliæ prouinciis affatim & absque vllo periculi metu ad nos conuehentur.

QVAMOBREM hoc statuere posse videor, non modò plus periculi esse in progrediendo, quàm tædij aut damni in cunctando: verùm id etiam adiiciam, nostram victoriam magis in eo sitam esse, vt prudenter & lentè, quàm audacter aut fortiter nos geramus. Pone enim habemus (quod non parui æstimandum est) totam regionem auxiliarem & tutam, habemus Regem, qui iam optimè prouidit & deinceps prouidebit, nequis aliunde inopinantibus nobis metus immineat. Memini enim aliquem à vobis scrupulum de bello Picardico iniectum esse: verùm hac cura vos libero, vósque securo esse animo iubeo. Nam vt hostis quicquid est in agris agat & ferat, quid tandem est quod efficere possit aduersus tot munitissima oppida & arces, quibus illa regni ora circundatur, quæ & mœnibus cincta & præsidiis firmata sunt, vt quosuis hostes excipere queant? Quòd si Regi illic prælij aleam subire placeret, habetis indigenas ipsos, qui tanta rei bellicæ peritia valent, & tam singulari in Regem sunt voluntate, Germanos adeo propinquos (quos optimo in Regem esse animo non dubito affirmare) adeo apertum & expeditum iter, quo tum ipsi tum Heluetij in Galliam introducantur, vt nihil causæ videam, quamobrem Rex, si videbitur, id non & possit & debeat facere: præsertim quum hostis vnius certaminis victoria tot oppidis munitis regionem sibi non possit comparare. Verùm quando victoria sine puluere & sanguine obtineri potest, præstat hostem propriis viribus conficere, quum (vt vno verbo dicam) cunctari quandiu libebit, nobis liceat, vt interim (quod tamen mihi timere videmini) res numaria nos non deficiat. Hoc enim vobis persuadeatis velim, plebem ipsam Gallicam id Regi significandum curasse, vt ad bellum hoc sustinendum & regnum propugnandum, omnes tum publicas opes, tum priuatas singulorum fortunas paratas esse intelligat. Quid si autem hoc nunc ad illa vestra exciperem, Regem nondum in arcani thesauri scrinia manum immisisse, quem eximium habet, cuique parcere decreuit, donec ad extremam quandam penuriam rem rediisse videat?

QVÆ tamen non eò dico quò vestrum iudicium reprehendam, aut quæ attulistis, hæc à vobis obseruata fuisse velim culpare, aut denique sententiam vestram improbandam putem: imò idem ego quoq; vobiscum sentirem, si quidem ex prælio id tantùm metuendum esse viderem, quòd inferiores discessuri essemus. Verùm quum in hoc bello administrando totius etiam regni rationem habendam esse perspiciam, cuius salus maxima ex parte in huius exercitus virtute & robore atque in huius rei exitu posita est: tum nostræ deliberationis & consilij capiendi ad hoc negotium administrandum, præcipuum caput & scopum esse statuo, vt initium, progressum, exitum, periculum & vtilitatem rectè æstimemus & expendamus. Iam verò quum ex initio

initio & ratione gerendi exitum pendere, inde etiam periculum & vtilitatem emergere intelligam, vtilitatis porro & periculi æqua nõ esse momenta perspiciam, propterea quòd pulso hoc exercitu hostis nihil non ausurus est, nobis contrà omnia timenda erunt: victoribus autem nobis, neque hosti quicquam decedet, neque nobis accedet: sic in summa statuo, non esse in bello tam formidoloso rem casui & fortunæ committendã, neque spem in offensionibus hostis ponendam esse: sed hoc auspicatissimum initium, prudentissimam rationem, & tutissimam spem nobis iniri, seruari & dari posse, (quò nihil detrimenti hoc regnum accipiat) vt demus operam ne prælio superemur.

NON clam me est, fortunam aliquando tantam fœlicitatem tamque prosperum exitum, velut rebus non meditatis obiecisse, vt nemo maiora, si optio data fuisset, verbis cupere aut animo fingere auderet: at neque rarò hoc etiam vsu venit, vt nõ nemo, quia prudenter non aduerterat quid inter tempora, facultatem datam, spem, periculum & exitum interesset, sua spe deiectus fuerit, cui alioqui nõ modò pares, sed etiam superiores quàm hosti vires adessent. Vt semel dicam, neutram harum sententiarum non grauissimis & apertissimis rationibus niti video: sed altera discrimini obnoxia est, quod facilè contingere potest, altera tuta & ad omnem euentum certa mihi videtur. Equidem illud summopere cuperem, si modò fieri posset, (id enim rationibus illis scitè à vobis allatis permotus optimum esse fateor) ne ciuitatem Aquensem deseramus: sed memini, quo tempore Borbonius Galliam inuasit, iudiciũ factum fuisse, non videri illam munitionibus vllis & opere satis firmã reddi posse, vt aduersus hostis vim seruaretur, nisi post diuturnam demum operam & laborem: itaque desertam fuisse, idque ex multorum fortissimorum & rei bellicæ peritissimorum viro rum sententia, qui regionis situm & aditus optimè callebant. Nequid tamen præpropere statuatur, quod tam inclytæ ciuitatis (quæ regionis caput est) incommodo fiat, censeo eras primo diluculo equos esse conscendendos, vt non minima hominum lectorum manu eò nos conseramus, ibique rem coràm oculis vsurpemus, & de toto negotio constituamus. Quòd si videbitur satis maturè posse muniri, ilico magnam hominum multitudinem opus aggredi iubebimus: sinautem illud ne tentandum quidem esse conueniet, omnia efferri, portas dirui, & quicquid hosti vsui esset (siquidem deseratur) tolli præcipiemus, vt eam apertam, inanem & bello inutilem illi relinquamus.

Aquensis ciuitas Prouincia caput deseritur.

HVIC iudicio omnes belli duces & qui ad concilium adhibiti fuerant, vno animo assentiuntur. Postero die Mommorẽcius prima luce, vti visum fuerat, profectus Aquas Sextias venit: quam prætergressus, situm castrorũ (de quibus antè dictum est) circunspexit, quem locum castris muniendis minimè idoneum esse iudicat. Oppidum circun quaque perlustrat: quod tandem duabus ex partibus facilè communiri posse comperit, ab aliis duabus ægerrimè, ob certos colles à quibus non procul inde in medium oppidũ deiectus & despectus erant, vt hostibus aggeris vsum, ad stauendas machinas & oppugnationem faciendam, præbituri viderentur. Quamobrem plurimi eorum qui aderant, quique accersiti fuerant, vt ex rei præsentis intuitu iudicium fieret, deserendum esse censent, quòd opus illud aliquot mensium non solùm dierum spatium postulare videretur. Non defuerunt tamen qui non modò communiri posse & debere contenderent, sed etiam se defensuros sponte reciperent. Hanc sententiam princeps afferebat Montijanus, vir maximi ad quidlibet susci piendum animi, qui summis precibus conten debat sibi vt huius rei cura committeretur. Mommorencius hominis animum & egregiam volũtatem collaudat, & quanquã eum existimabat plus polliceri & sperare quam vel ipse vel alius quisquam præstare posset, tamen vt illic subsistat permittit, maiorique otio & diligentia videat quantum oneris subire cogitet, apud se etiam atque etiam reputet quidnam audere, quid sperare debeat. Se interim Massiliam iter facturum, inde postea reuersum auditurum quid præterea narraret, ac de tota re ex eius oratione quid fieri expediret imperaturum.

HIS ita constitutis Massiliam ire contendit. Eò postquam peruenit, oppidum intus & toto exteriori ambitu perlustrat, circunspicit munitiones, ac Barbezij diligentiam in his curandis collaudat: maiora etiam præsidia constituit, equites nempe qui nuper ex obsidione Fossania redierãt, & Italicas Christophori Vasconis cohortes: belli ducibus & centurionibus suam cuique prouinciam & stationem, quam curarẽt, attribuit,

1537. Regis nomine & verbis confirmãs, olim fore, quũ tam strenuæ fidei se ille memorem in tempore præberet: addit etiam se erga tantum principem deprecatorem illos liberè vsuros esse. Rebus oppidi ita constitutis classem inuisit, circunspicit quàm diligenter rebus omnibus ad hoc bellum necessariis instructa esset, militum & vectorum censum iniri iubet, remiges explorari, num rectè instituti essent, nunquid ex numero debito desideraretur. Ex tota classe tredecim triremes delegit, quæ maximè expeditæ & viris, cibariis, armis, tormentis, telis omnique nauali supellectile instructæ videbantur. Ex ducibus vnum toti classi præficit, cui cæteros parere iubet (is erat baro Samblacartus) quid denique ab illis fieri, qua occasione atque oportunitate deceret, ostendit: reliquis portum, vt tutò teneant ad oppidi salutem ac defensionem imperat. Eo Massilia decedente præsidio manẽt Barbezius cum imperio, Mompesatus, Villabonus & Rupemenius, qui cataphractis equitibus quinquagenis præerant, Buterius cum quinquaginta cataphractis ducis Aurelij, cuius legatus erat, Roquius cum centum turmæ summi armigeri: Antonius Rupecoardus Cãdenarius tribunus mille peditum ex legione Ocitana, cui cum ipso peditatu portę custodia commissa fuerat: Iacobus Ambosius Albiiugus, Futrallius, baro Scussonnius & Christophorus Vasco, qui millenis peditibus præerant: deniq; Oartius Nauarrenus cum sexcentis, & Sampetrus Corsus cum totidem.

Mommorencivs dum istis omnibus prospicit, omnia curat quæ necessaria aut commoda ad res præsentes videbantur, deque oppidi propugnatione solicitus est, alias res tamen animo nihilo secius versat, illiúsque mentem cogitatio subit de munienda ciuitate Arelatensi. Cuius rei quũ apud se commoditatem incommoditatémque animaduertisset, rem cum ducibus quos apud se habebat, communicandam esse statuit. Omnium ea fuit sententia, vt quoniam per tempus licebat, illuc in rem præsentem veniret, antequam quicquam certi statueretur. Hoc consilio Massilia proficiscuntur, Aquas Sextias primùm veniunt, vbi Montijanum reliquerant. Is aliquot templa atque alia ædificia suburbana dirui iubebat, tũ quòd impedimento erant ne certò iudicari posset, quantum illi colles oppido nocituri viderentur, tum quòd hostibus receptum & ageris vsum machinis subiiciẽdi præbituri essent. Ibi rursus de seruãdo aut deserendo oppido refertur. Montijano nihil dum de animi celsitudine decesserat, pari etiamnum cupiditate accẽdebatur, vt gloriam bello sibi & decus conciliaret. Itaque rursus prodit, sibi vt tradatur custodiendum summa contentione elaborat, hostem nunquam se viuo pedem illaturum confirmat, modò grauis armaturæ equites centum sibi, præter suos totidem quos habebat, attribuerentur, præterea peditum sex millia cũ re machinaria quæ necessaria videretur. Neque quicquam oratione sua præteriit, vt doceret quanti interesset hoc oppidum castodiri si minus in perpetuum, at in aliquod certè tempus, vt tantisper illic hostis occuparetur, dum hyemem sibi infestam videret. At verò Mommorencius quòd operis difficultatem satis animo cernebat, vt vix ac ne vix quidem muniri posse videretur, quicquid etiam esset, opus hoc non paucorum dierum esse appareret, rem maturè fieri necesitas postularet, fossorum autem nõ tanta multitudo quanta requiri videbatur parata esset: statuit tandem deserendam esse. Sic enim secum cogitabat, quem admodum Cæsar si quod primum oppidum oppugnaret, ab eo re infecta discedere cogeretur, ea ratione suorum animos valde imminueret, & causę suæ fœlicique rerum successui hoc quasi præiudicio ac desperatione valde obesset: ita nostros, si primã ac principem Prouinciæ ciuitatem defendere conarentur, quam tamen amitterent, mirùm in modũ rationes suas perturbaturos, animos suis & spẽ labefactaturos, hostibus verò addituros ac confirmaturos esse. Itaq; si hoc cõsequeretur, vt hostes superare nostros superari dedoceret, satis faustũ initium facturus, & futuræ optatæq; victoriæ arrham habiturus videbatur. Quare disertis verbis cõfestim inde migrari, ex oppido omnia efferri quæ hostem iuuare aut subleuare poterãt, portas & fornices solo æquari, & quicquid propugnaculorum reliquum erat, euerti iubet.

Bonovallanvs dum omnia vastare & populari pergit (vti demonstrauimus) interim Briniolas venerat, vt illic Miolanum, Vassæum & alios vel offenderet vel præstolaretur. Illos enim sibi præsto adesse eo loco, postquã imperata perfecissent, iusserat, vt quid deinceps facto opus esset de communi consilio statuerent. Ibidem comitem Tendanum magnum seneschallum & Regis in Prouincia legatum, atque vnà cum

co

eo Claudium Gofferium Bosium, equitem torquatum primumque Regiæ cohortis nobilem reperit, à quibus Mommorencij proregis literas accipit, quibus significat illos à se missos esse, quibus cum communicato consilio Regis negotijs inseruiret. Darent ergo operam, si fieri posset, vt aliquos hostium præcursores opprimerent, ex quibus eorum consilia & rationes discerent, quò denique iter conuertere cogitarent. Interim tamen vastationem quam cœpissent, edere pergerent, eoque diligentius, quòd Cæsarem festinare nuntiabatur. *Cæsaris exercitus progreditur.*

NAM & in planitiem Canne siam iam euaserat, & nostri per exploratores fiebant certiores, Ferrandum Gonzagam postero die progressurum esse: is enim primum agmen ducebat, secum fere duo equitum millia & peditum Germanorum sex millia habens. Nostri quum in concilio essent, nuntium accipiunt, Lucæ ciues (oppidum est exiguum quâ Freiulium itur) milites vastatione facienda prohibere: itaque quingentis peditibus illuc missis incepta vastatio perficitur. Vassæus Freiulio quum veniret, & Lucâ iter faceret, primum illud hostium agmen illac transiturum audierat, metatorem insuper nonnunquam reliquum exercitum octo fere passuum millium interuallo præcedere: itaque petijt sibi liceat illi occurrere, quem si potiore sua conditione offenderet, caperet, vt quemadmodum à prorege imperatum fuerat, hostium consilia discere possent. Verùm hoc illi ab omnibus denegatum est, tum quòd verebantur nequid incommodi accideret, tum quòd diserè à Rege & prorege vetitum illis fuerat, ne hostibus infeliciter pugnando quandam quasi victoriationem lętiore belli primordio pręberent. Illud enim nouerant, imò ipse Bonouallanus à fidis exploratoribus, quos in Cæsarianis castris habebat, à quibus vera semper sibi renuntiari experiebatur, certior factus erat, hunc esse hostis morem, vt quoties exiguum aliquem numerum emittebat, diuerso itinere alios longè plures submitteret, qui prioribus subsidio essent. Cuius rei etiam periculum eo ipso die fecerat: quum enim nonnullos mittere statuisset, qui octoginta equites ex pistrino discedere cogerent quatuor ferè à Freiulio passuum millia (hunc enim locum ad pernoctandum occuparant) ab exploratoribus subinde monitus est noctu ad insidias circa illud pistrinum collocandas amplius sexcentos equites postea venisse. Quibus nūtijs permoti statuunt Sammaximinum postero die proficiscendum esse, ne expectarent dum ingruentib. hostibus discedere ordinibus perturbatis cogerentur. Itaq; iam tum tubâ signum ad equos sternēdos datur, & impedimenta præire, dum Brinjolis omnia vastarent, iubentur.

VASSÆVS vbi se non impetrasse quod de hoste opprimendo petierat videt, celeriter ad Montijanum redit (is tum vnà cum Mommorencio erat) cui omnia narrat quæ ex eo tempore accidisse memoria tenebat quàm ab eo discessisset. Montijanus, qui perpetuam ex eo molestiam animo sentiebat, quòd nullam sibi dari occasionem videbat, qua in ipso belli primordio aliquod suo principi gratum & patriæ salutare facinus ederet, summis precibus à Mommorencio contendit, vt dum ipse Arelatum proficiscitur, sibi per eum ad suam equestrem turmam contendere liceret, vt si qua rei bene gerendæ facultas daretur, eam nactus arriperet: simul rationem itineris faciūdi, qua metator castrorum Cæsarianorum vtebatur, quum ad locum castris ponendis deligendum veniret, exponit. Neque prius petere & rogare desiit, quàm ei Mommorencius licet perinuitus id aggredi concederet. Sedulò tamen hominem monet ne in hostium manus, quos opprimere conaretur, incideret, lentè omnia aggrederetur, subinde restitans, prudentia potius & arte quàm audacia vteretur. Illud diligentissimè videret, ne vnquam eò progrederetur, vnde non eodem die in locum tutum equis non admodum defatigatis se recipere posset, nequid scilicet in discrimen adduceret, vnde ipso belli initio offensio quædam existeret, quæ hominum iudicio (sic enim humanæ mentes consternari solent) infaustum omen habere & triste aliquid in reliquum bellum portendere videretur. *Montijanus hostib. insidias parare capit.*

HAVD multo pòst idem Mommorencius, quòd verebatur ne Montijanus, quem ad omne discrimen adeundum promptum, & ad aggrediendum audaciorem quàm ad dissimulandum prudentiorem nouerat, quæ præscripserat non satis animo teneret (quod etiam accidit) cursorē ex hippocomia cum literis mittit, quib. illum quicquā huiusmodi tentare vetat. Causam mutati cōsilij fingit, sibi in animo esse aliquid aggredi,

1537. in quo perficiendo (quod perfacile erat) longè plus Montijanus gloriæ adepturus, & rē Regi gratiorem facturus esset, quam eo ipso quod facere decreuerat. Verùm res ita tulit vt cursor aliud iter sequutus Montijanum serius quàm expediebat assequeretur. Ille enim simulatque quod petierat impetrasset, nulla interposita mora equum conscende rat, atq; impedimenta obuia habens, quæ Sammaximinum versus (vti dictum est) progrediebantur, reuerti iusserat. Bonouallanus, qui deuastationem perficiēdam curabat, impedimenta reduci non patitur, sed redire rursus compellit, & iter perficere quod in concilio præscriptum fuerat, iubet.

Montijanus & hostius cum hostecongredi statuunt.

MONTIIANVS interea iam Briniolas ingressus ad Tendanum & Bosium accesserat, quibus quid consilij haberet expos uerat, vt hostis gestum propius exploraret, & metatorem illum opprimere conaretur. Cuius rei tentandæ quum Bosium non minus quàm se cupidum, ad gloriam comparandam nactus esset, facilè ab eo obtinet vt facti huius participem se præberet. Placuit tamen rem iterum cum Bonouallano commu nicare, qui ætate omnes antecedebat: itaque hominem accersunt, vt factum illi probare conentur, & eo ingresso, inter se videre instituunt quid facto opus esset, quod Regis rationibus commodum esse videretur. Montijanus commemorat se à prorege missum esse vt vnà cum illis esset, id quod æquissimum quoque videretur, vtpote quum illius turma equestris ibi adesset: sibi permissum esse, hostem, si qua daretur facultas, adoriri: tunc præclaram occasionem ob causas iam commemoratas extare. Bonouallanus contrà, quæ semel constituta fuerant, in ijs manendū esse contendit: ex hoc enim, etiamsi ex sententia gereretur, non tantum commodi redire posse, quantum detrimenti ex offensione acciperetur, si hoc expeditionis quasi præludium hosti tam prosperè cederet: id tum à Rege ipso tum prorege præ cæteris mandatis imperatum esse: itaque parendum esse sibi videri. Subijcit Montijanus nō negare se quin Regi & prorogi obtemperandum sit, verùm illos non iussisse, siquid vtile occurreret, id vt prætermitterent. Bonouallanus tametsi apud se Montijani alacritatem & animi magnitudinem non damnabat, neq; illud studium quo tantopere cum hoste dimicare optabat, aduersus quem bello Pedemontano nuper suæ virtutis specimen ediderat, tamen huius orationis aculeis se peti sentiebat. Itaque sibi temperare non potuit, quin responderet, se iam id operam dediſse vt hostis propius consp iceretur: quòd siquid animaduertisset quod vel ad suum decus vel ad Regis negotia rectè geri referre videretur, id se non prætermissurum fuisse, vt neque illum neque alium quenquam expectandum sibi fuisse iudicaret. Quamobrem quum ista de hostibus nuntiari audirent, quum ea esset principis voluntas, quum deniq; tanti momenti res ageretur, se in ea semper sententia permanere, vt Sammaximinum quarta tione & quibus de causis constitutum fuerat, redeundum esse censeret. Quòd si Montijano quę semel animo agitauerat, ea persequi certū esset (quod quidem se autore nunquam facturus esset) æquum tamen non esse vt reliqua multitudo, quam illic regiorum negotiorum causa habebant (quæ equitibus cataphractis non amplius ducentis quinquaginta & tribus peditum millibus constabat) præsidio illi maneret, qui grauissimum sibi periculum accersebat, vt tota primi hostium agminis moles in eum incumberet: sic grauissimi detrimēti periculum omnino certum esse, leuissimi lucelli spem valde obscuram præberi.

Bonouallanus Montijanum de sententia de docere conatur.

AD hunc modum omnibus inde proficisci & omnia depopulari placuit: regionis incolę primo loco progrediuntur, postremos subsequitur centurio Claudius Vasco, qui reliqua vastaret quibus alij pepercissent. Ille enim minus hoc facere reformidaturus videbatur quàm incolæ ipsi, quibus dolebat propinquorum & vicinorum triticum & ædes vastare. Dum Turbis transeunt, medio fere Briniolarum & Sammaximini itinere, Montijanus, ex cuius turma viginti cataphracti illic confederant, ex equo ibi descendit: idem Bonouallanus ad cibum capiendum facit. Ibi rursus de illa controuersia sermo injicitur: negat se Montijanus eo die vlterius progressurū, se postero die in hostes impressionē facturum. A Bonouallano contendit vt ex suis aliquot subsistere pateretur, quòd regionis situm iam tenerent. Qui quum à semel suscepta sententia illum deduci nō posse videret, tandem assentitur, atque ex suis cataphractum vnum cum duodecim arcitenentibus quos vocant, illi attribuit, rem vt secundo Deo aggrederetur, omnibus votis exoptans. His perfectis rebus reliquos Sammaximinum versus assequitur. Postero die summo

ſummo mane Boſius armatus Tendanum & Bonouallanum accedit, quinq; & viginti cataphractos ex ſuis egregiè inſtructos habens: eos ſalutat, vt quemadmodum Montijano pollicitus fuerat, Turbas reuerteretur. Hìc rurſus Bonouallanus omnia facit quo hominem ab hoc incepto non modò deduceret, ſed etiam illi perſuaderet vt alijs mutandi conſilij autor eſſet. Docet, ſiquid aduerſi illis contingat, eo famam quæ inde percrebeſceret, rebus ſuis magis nociturum quòd ambo equeſtris ordinis eſſent, ambo bus magnus eſſet ad Regem aditus & gratia, alter etiam ex regio cubiculo eſſet, centum cataphractos duceret, & totius Gallicani peditatus præfectus eſſet. Boſius quia fide data iã integrum non erat de itinere conſilium capere, Turbas ſe iturum affirmat: alioqui non pollicituruminiam eſſe, ſi quidem nondum ſe id facturum recepiſſet. Se præterea, quoad eius facere poſſet, daturum operam vt hominem à conſilio dimoueret. His verbis valere illis dicto Turbas ire contendit.

TENDANVS & Bonouallanus Sammaximini morantur, vnde centurionẽ Claudium Maſſiliam verſus ad omnia deuaſtanda mittunt. Peditatum & equitatum cui Ioannes Paulus Ceretanus præerat, Bargello accerſunt, quò antea miſſus fuerat, eumque qua parte montes ad dextram imminent, Bargello Aquas Sextias Maſſilia ad læuam relicta progredi iubent. Poſtridie Montijanum & Boſium captos eſſe audiunt: qua de re poſtea ſcribemus. Quo accepto nuntio equites numero viginti Turbas feſtinare iubẽt, qui rem vt geſta fuerat, explorarent. Hi cataphractum cognomento Burgundionem ex Boſiana turma obuium nacti adducunt, qui prælio ſe interfuiſſe affirmat, ſeque vidiſſe, quum caperentur, & Briniolas reducerentur, narrat. Eadem nocte Ioannes Iallius, vnus ex Montijani legatis ad illos acceſſerat: iſque vehementer cupiebat vt Briniolas ad captiuos hoſtibus eripiendos contenderent. Tendanus & Bonouallanus contrà oſtendunt ſibi tantùm quinque equeſtres turmas, easq; non valde plenas, peditum verò non amplius tria milia adeſſe: eum numerum nõ idoneum eſſe ad profligandos equites mille ſexcentos & ſex Germanorum peditum millia. Itaque Treſſium ire contendunt, quòd quum aduenijſſent, reperiunt Ioannis Pauli milites Porrerijs non procul illinc eſſe, iamque cibo corpora curaſſe: quare viginti equites Sammaximinum ire iubent, qui explorarent num hoſtes illos verſus progrederentur, reliquos in cuſtodia eſſe, dum illi cibum Treſſij caperent. Ibi dum eſſent, illis Claudius Lauallius Boſcodelphinus præſto fuit, qui literas fiduciarias à Mõmorencio afferebat, vt videret num quod imperatum illis fuerat perfecillent. Eum ſtatim remittunt, & Briniolanam cladem quę contigerat, renuntiare iubent.

CIBO ſumpto oppidum diripiiubent, propterea quòd ciues, quantumuis iuberentur, nec cibaria efferre nec vaſtare voluerunt. Poſtea Aquas Sextias ſe recipiunt, vbi quicunque in diuerſas regionis partes ad vaſtationem inferendam dimiſſi fuerant, illis, quemadmodum dies definitus fuerat, præſto ſunt. In ea ciuitate maxima annonæ copia reperta eſt. nam præter id quod ciues ſibi priuatim condiderant, ex multis etiam vicinis oppidis alij, vt iuſſi fuerant, ſua cibaria conuexerant, quòd eam ſeruatum iri aduerſus hoſtes ſperabant, quum muniri animaduertiſſent. Quo grauius & indignius vtrique hoc damnum accipiebant, vt ſuas facultates tum abſumi viderent. Nam & ciues, ni ſi ea ſpe adducti fuiſſent, ſua bona ſeruare poterant, & vicinis antea ſua facilius aliò conuehere licebat. Itaque niſi militum aduentu maior vis adhibita fuiſſet, Bonna & alij quibus hoc fuerat datum negotium, ægrè illos morigeros habuiſſent. In tanta tamen rerum anguſtia quod potuit quiſque ſeruauit: reliquum omne vel incendio corrumpitur, vel in plateis abijcitur, vinum in cellis, effractis dolijs effunditur, piſtrina dituuntur, molæ in fruſta comminuuntur, ferramenta auferuntur, quicunque piſtrini ædificandi ſcientiam habebant, ad caſtra mittuntur, verbo quòd illic eorum opera vti neceſſe eſſet, re autem vera ne hoſtis eos piſtrina inſtaurare cogeret. Ibi tum miſerum & flebile ſpectaculum edebatur, partim ob eos qui patriam repẽte deſerere & migrare cogebantur, partim ob ſubitam ciuitatis ſolitudinem.

Miſerum vaſtitatis inferendæ ſpectaculum.

NEQVE tamen (quanuis magna admodum propter conuectam ex tam multis locis opum vim vaſtatio fieret) ciuitas tam commeatu exhauſta fuit, quàm ſi maturius & maiori otio, ante memoratam cladem acceptam res adminiſtrata fuiſſet. Ibi comiti Tendano & reliquis nuntiatur hoſtium exercitũ iam Sammaximinum aduenijſſe.

Quo

1537 Quo nuntio permoti Aquis Sextijs Salonem Craxiorum veniunt, quò mareschalli Albinij equites ad depopulationem faciendam præmissi fuerant. Sed ipsius mareschalli legatus qui turmæ præerat, cui etiam rei administratio mandata fuerat, plus diligentiæ posuerat, vt loculos nummis, quàm vel cellas granarias tritico vel horrea pabulo euacuaret.

Cæsar Massili am obsidere velle nuntiatur.

MOMMORENCIVS (vt ad eum iam nostra redeat oratio) dum Massilia profectus Arelatum ad explorandum situm contenderet, tum ab exploratoribus, tum ab ijs qui bello capti ad eum ducebantur, certior fiebat, licet multi & varij de Cæsaris itinere rumores disseminarentur, constantem tamen famam esse, eum rectà Massiliam decreuisse contendere, quam mari & terra obsideret, & ex duobus alterum assequi conaturum, vt vel repentina & acerrima impressione expugnaret, vel Regem ad auxilium ferendum, atque adeo ad prælium alliceret: quòd si neutrum perficeret, tum ad Arelatensem obsidionem vires conuersurũ. Ad hanc rem aggrediendam nihil iam nisi Auriæ aduentum præstolari, quòd maximam bombardarum partem, telorum & eorum omnium quæ ad mœnia diruenda vel suffodienda & oppida oppugnanda vsui erant, in classe habebat. Hæc quanquam omnia per hostes nuntiabantur (quorum verbis adeo moueri vt de summa rei, quæ tanti momenti sit, statuere placeret, leuitatis specie non carebat) tamen ita fiebant verisimilia, ita ad belli administrandi rationẽ & officium accedere videbantur, vt Mommorencius tum rationem ipsam tum eorũ per quos

Arelatum Mõmorencius mittere iubet.

ista nuntiabantur, conditionem negligendam non existimaret. Quamobrem de muniendo oppido sibi maturandum esse existimat: quò vbi peruenit, diligenter ipsum tribunis & centurionibus quos adduxerat, comitatus circumspexit. Omnium ea fuit sententia, vt oppidum muniri rei necessitas prorsus flagitaret, verùm perdifficile esse atque adeo nullam propè spem dari vt tam citò communiretur. Ille tamẽ quum videret quanti referret hoc maturè fieri, quamque detrimentosum esset, si hostis oppido ita sito potiretur, opus inchoandum esse statuit, & quicquid difficultatis occurreret, diligentia & labore improbo superare decreuit. Fossores & operas tota regione circumiecta eò colligi iubet, loca & rationem valli ducendi designat, manum operi admoueri præcipit, certos homines constituit qui opus vrgerent, oppido duces præficit, commeatum, machinas & omnis generis munitiones conuehendas curat. His confectis rebus Chandenario, quem in Gallia Narbonensi legatũ habebat, dat negotium vt paratos milites haberet, quorum delectus haberetur, simulatque certis nuntijs hostem illam regionem adoriri velle appareret. Id ab eo prudenter & accommodatè fuisse prouisum, rei euentus haud multo pòst comprobauit. Illinc profectus Tarascone & Belcario iter facit, quæ duo oppida ad vtramque Rhodani ripam sita sunt: vtrumque vallo cingere & munire cogitat, nequem locum negligeret, cui prospici humana prudentia posset. Verùm de ea re nondum planè constituit, sed totam in illud tempus reijcit, quàm Auenionẽ redijsset. Nam & oppido appropinquabat, & illi iter facienti nuntiatum fuerat pulsum esse Montijani & Bosij exercitum, ipsos etiam in hostium manus venisse. Quo nuntio perculsus, vt omnibus incommodis occurreret, Auenionem celeriter properabat, quòd fere hoc fieri non esset ignarus, vt ex primorum prœliorum euentu vel metus vel spes militum animis injiciatur.

Montijani ad uersum cum Cæsarianis prælium

HÆC autem clades hoc pacto illis accidit. Quum suos Turbis, quemadmodum conuenerat, coegissent (erat autem numerus fere centum octoginta equitum tum cataphractorum tum sagittariorum ex duabus illorum turmis, præter eos quos vel ex Tendani turma Torinius signifer adduxerat, vel Bonoualanus attribuerat: aderant etiam Sampetrus Corsus, Qartius Nauarrus & Mola Prouincialis, peditatus duces, cum delectis peditibus quot satis esse iudicauerant) fortè accidit vt hostes Freiulio profecti (ibi enim triduum commorati fuerant, dum quid facto opus esset viderent) ad Argentiam flumen castra haberent, ac ipse Ferrandus Gonzaga flumen transijsset, vt cum equitatu cui præerat, Lucam veniret. Id vbi Montijanus & Bosius per exploratores resciuerunt, mane equos conscendunt, & pomeridiano tempore ad Lucam perueniunt, quò metator ille, aut illius vice alius quispiam cum nonnullis venerat, qui præmissi fuerant ad locum inuisendum & designandum, vbi primi agminis milites castra ponerent. Paulum abfuit quin hi à Vassæo Montijani legato & Torinio caperentur: nam ab istis præcurso-

res

res ducebantur. Tum in vallem subiectam se recipiunt, vbi primi agminis milites confederant: quos non minus perturbatos reddiderunt, quàm si in eos non præcursores tàm sed totum nostri exercitus primum agmen incidisset. Itaque clamor ad arma vniuersum castrorũ ambitum peruasit: vt toto illo vndiq; tractu nihil quàm circumcurrentium huc illuc hominum tumultus, equorum hinnitus, tubarum sonitus, & tympanorum strepitus longè lateq; exaudiretur, quibus ad arma accelerabantur. Quo tumultu tam acri intellecto Montijanus & Bosius receptui canere iubent, reditum parant, vt quàm longissimè fieri posset Arelatum versus progrederentur. Briniolas quum iam cõtenebrascere cœpisset, veniunt, vtrique pedites & equites valde fessi & partim ingenti eius diei calore, partim longi itineris, quod eundo & redeundo confecerant, molestia vexati. Ob eam causam quum pedites, nisi cibo vires recrearent, progredi iam vlterius non possent, eam noctem Briniolis commorari statuunt. Dũ milites locum pernoctando quærunt, duces in equis manent. Vassæo datur negotium vt obices faciendos curaret, & excubitores ad omnes vici illius aditus disponeret. Quibus confectis rebus ad curanda corpora vniuersi se conferunt.

HOSTIVM castra postquam eo clamore personuissent, & omnes primi agminis milites in armis cõstitissent, Ferrandus quum existimaret (aut certè præ se ferret) eos à quibus is clamor exortus per castra percrebuerat, in totum nostrorum agmen primum incidisse, subsequi, facultatemque quærere constituit qua illos nouissimos loco iniquiori adoriretur. Lectos aliquot assumit, quibuscum præire gradu concitatiore cœpit, reliquos ponè sequi iubet, qui mille & sexcenti equites erant, cum sex Germanorum peditum millibus: idque eo consilio, vt siquid grauius ingrueret, ad eos se recipere posset. Quum medio Briniolis Lucam itinere esset, ab eius loci incolis, quos fortè obuios subinde habebat, audit quis esset nostrorum numerus, qui tantum tumultum in castris excitassent.

QVVM tamen rem certius explorare, simul quò se recepissent nosse cuperet, nonnullos præmittit qui procurrerent, itineris duce dato quodam patria Briniolano, qui aliquando apud Borbonium fuerat, eumque post obsidionem Massilienſem comitatus fuerat, cuius etiam studio & gratia Mediolani in senatorium ordinem cooptatus fuerat. Is summa celeritate renuntiat nostros non plures esse centum octoginta equitibus & peditibus trecentis, eosque supramodum defatigatos: atq; ad vires instaurandas & cibum sumendum Briniolis substitisse, & postridie antequam diescret, discessuros. Ferrandus illorum paucitate cognita certum ex suis numerum deligit, quos præire iubet, & Briniolas à latere prætergressos, vltra vicum loco remoto insidias collocare, non procul ab itinere quo nostri postridie progressuri erant. Illi imperata faciunt, ac paulo post mediam noctem vnius horæ fere spatio postquam nostri excubias locassent, iuxta vicum prætereunt, sic vt à vigilibus neque conspicerentur neque audirentur. Canes tamen villatici, qui ruri pabulis incubabant, eos senserunt, & prætereuntibus satis diu allatrarunt. Itaque Montijanus & Bosius suos statim ad arma excitarunt, & excitatos instruxerunt. Aliquanto pòst vbi canes latrare desijssent, & reuertissent aliquot ab illis emissi, qui explorarent vnde hic tumultus ortus fuisset, neque quicquam se vidisse renuntiarent, suos pabulum equis obijcere iubent, ipsosque paulisper se quieti dare, sic tamen ne leuiorem armaturam exuerent, neque sellas equis detraherent. Porrò tum temporis erant breuissimę totius anni noctes: itaque non multo pòst aurora affulgere cœpit.

NOSTRI tamen iam profectionem, dum diluescceret, adornabant: interim nonnullos emiserant qui loca vico proxima lustrarent. Hi in decem ferentarios equites incidunt, qui ex eorum numero erant quos Ferrandus (vti dictum est) ad insidias citra vicum locandas, quà nostris transeundum erat, præmiserat: seque ad suos recipiebant, vt quid gestum fuerat, & quo loco insidiæ latebant, renuntiarent. In eos nostri impetum faciunt, & ex decem octo capiunt: reliqui duo fuga elapsi ad Ferrandum perueniunt, qui iam quingentos duntaxat passus Briniolis aberat. Huic narrant quemadmodum insidiæ locatæ, sui prælio capti essent, & nostri se ad iter accingerent. Quo nuntio ille accepto, nostros suo exercitu & insidijs circumuentos esse (vt cupiebat) intelligens, sperat, se, si paulo maturius accelleraret, nostros superioris diei itinere defatigatos,

1537. imparatos & perturbatos, in vico oppressurũ, cuius minimè obstructos aditus esse, sed vndique apertos arbitrabatur, quemadmodum exploratores die superiore vesperi esse conspexerant.

HAC spe fretus suos iubet cõcitatis equis in nostros, quacũq; ingredi possent, præcipiti impetu ferri, vt eos nondum equis conscensis neque acie instructa adorirentur. Quod profectò facilè perfecissent (erant enim ex nostris qui equos adhuc frenabant, alij vel loricam vel galeã afferri expectabant) nisi obices, vti dictũ est, & ducũ prouidentia & eorum industria quibus negotium datum fuerat, obstitissent. Nondum planè diluxerat: quo factum est vt ab hostibus obices non conspicerentur, donec in eos equi impingerent. Quare nonnulli ex eis deturbantur, alij à nostro equitatu & peditatu qui in excubijs erant excipiũtur, maxime ab Oartio, qui cum præstantissimis sclopetarijs duo aditus latera, quò illi irruebant, obsidebat. Huius enim rei causa vnà cum equitibus illic fuerat collocatus, vt primum impetum sustinerent, dum Montijanus & Bosius suos instructos educerent. Acriter illic & fortiter pro tanta paucitate pugnatur, multique ex illis & quidem viri illustres cadunt. Principes hanc impressionem faciunt Valerius Vrsinus Romanus & Ioannes Baptista Peliacanus Bononiensis, qui inter cæteros illic interijt: Stephanus item Delcampius, qui Ferrando maximè acceptus erat, equi interficiuntur amplius quadraginta. Montijanus & Bosius vbi se eò angustiarum redactos esse intelligunt, vt vel se turpiter recipere & peditos hostium libidini & potestati exponere cogerentur, vel discrimen inter decus & cladem subirent, tametsi sibi multis partibus minus esse virium quàm animi non erant ignari, suos tamen acie instructa producunt. Oartium ad se accersunt, quem & cæteros peditatus duces cum ipsis peditibus ad duas vtrinque alas disponunt, equitatu in media acie collocato. Nouissimum agmen claudẽdũ Vallęo tradunt, si fortè hostes à tergo imminerent, cui duodecim cataphractos, quos deligere ex toto numero voluit, attribuunt. Exiguo interpositio spatio adsunt hostes, qui tamen initio non propius quàm quò sagitta adigi posset accedunt, præter capitaneum quendam Hispanum nomine Sanchium Leuã. Is prodiens Vassæum ad lanceæ certamen prouocat: quod ille non recusat. Itaque confractis lanceis, clauarum ictibus tandiu dimicant, vt Hispanus tandem fidem daret.

NOSTRI interea pedetentim conferti procedunt, peditibus egregiè vtroque cornu cincti. Paulatim certamen initur, quod nostri nunquam detrectarunt, illud interim diligenter cauentes, ne se ab agmine longius auellerent, ne hostes perrumperent. Quare vt quisque procurrerat, & impetum fecerat, statim ad suos ordines se recipiebat. Quam ad rem magno illis pedites adiumento erant, qui hostium non paucos sclopetarijs glandibus interficiebant & vulnerabant. Dum ita arctiore loco progrederentur, vt hostis multitudinem laxare non posset, sed pari numero pugnare cogeretur, nostri fere prælio superiores erant. Verùm postquam in apertam planitiem ventum est, & hostium circunfusa multitudo nostros à postremo agmine & ab altero latere aperto adoriri cœpit, quinocte superiore citra vicum processerant, ex insidijs alterum latus aggrediuntur: ita nostrorum acies vndique circundata tenebatur. Hostium copiæ alijs subinde accedentibus augebantur, Germani pedites iam conspici & appropinquare incipiebant: & præsens auxilium hostibus animum addebat, nostros paucitas & subsidij desperatio perterritos exanimabat. Ita enim vndique premebantur, vt neq; postquam in hostem irruissent, in aciem se recipere (quemadmodum initiò fecerant) liceret, neq; quisquam semel auersus, proprium ordinem repetere posset. Ita nostri pedites (quorum sanè in hoc conflictu & centurionum ipsorum egregia admodum opera & singularis virtus extitit) se equitibus tandem perturbatis ordinibus permixtos reperiunt: vt victoria, quæ aliquandiu anceps & dubia pendebat, ad hostes inclinare, nostros etiam animus, quo magis quam viribus adhuc pugnauerant, deficere inciperet. A prima luce ad nonam fere horam pugnatum est, quo toto temporis spatio nostri non amplius duo passuum millia processerunt.

Montijanus de lecti iuuenum cum paucis capitur.

ILLIC omnino pulsi & profligati sunt: ex peditibus ad centum viginti intereunt, octo ex equestri Montijani turma tum cataphracti tum sagittarij, quatuor ex Bosianis, reliqui magna ex parte saucij: vt ex toto equitatu tres ad summum cataphracti euaderent, reliquis vel interfectis vel captis. Ex hostibus præter saucios circiter centum equi-

tes

tes equi numero ducenti intereunt: verùm multitudine virtus obruitur. Capiuntur Montijanus & Bosius cum cæteris ducibus & aliquot illustri loco natis iuuenibus, qui illos, vt bello assueſcerent, comitati fuerant. Inter reliquos Ludouicus Sillius cognomento Rupeguionius adoleſcens capitur, qui tam conſpicuum fortitudinis & magnitudinis animi ſpecimen edidit, vt & à noſtris & ab hoſtibus vehementer commendaretur. Captiui Briniolas reducuntur, quo paulo pòſt accedunt Germani pedites, qui cum Ferrando profecti fuerant.

Is quum primum illuc peruenit, omnes vici aditus cuſtodijs collocatis firmat, reliquos vt ſe quieti darent, & vires reficerent dimittit. Ipſe dum caſtra diſponuntur, ad ſcribendum ſecedit, & Cæſati quæ acciderant perſcribit. Hanc victoriæ famam ſibi ingenti gloriæ ducere cœpit, non ſecus atque ſi virtute non multitudine parta fuiſſet. Quamobrem huius rei famam quaquauerſus literis ſcriptis diſſeminandam curat, omnia ſupra rei veritatem latius atque inflatius locupletans: vt ex literarum ſententia non aliud legentibus occurreret, quam vt noſtrorum primum agmen internecione deletum eſſe ſuſpicarentur: alij etiam plus dimidiata victoria illi contigiſſe adderent. His artibus ad ſe eos alliciebant qui antea ſuſpenſi hærebant, incerti advtrum ſe applicarent, ſuos confirmabat, & diuerſarum partium homines metu afficiebat.

Hæc poſtquam Auenionem perlata ſunt, ibi magnus omnium noſtrorum inceſſit timor: qui etiam varijs hominum ſermonibus in dies augebatur. Vnuſquiſque enim ad id quod ab alio audierat, ſui aliquid timoris addebat. Mommorencius, qui antea ipſum quod nuntiabatur, ne accideret metuerat, non parua difficultate angi cœpit, dum de tanta offenſione reſtituenda, quod ſibi honori & patriæ ſaluti eſſet, laborat. Hac enim Briniolana clade hoſtes ferociores redditos, noſtros verò terrore perculſos eſſe certò perſuaſum habebat. Noſtrorum etiam paucitatem illis compertam eſſe ſatis ſciebat: quam ob cauſam timendum ſibi exiſtimabat, ne hoc fœlici conflictu elati audacius aliquid ſuſciperent, & noſtros prius adorirentur quàm ſupplementum & auxilia acceſſiſſent. Ipſe porro nolebat, remque nimij eſſe periculi iudicabat, antequã ſatis virium haberet, ſuos tam paucos in certamen ex æquo loco cum tanto numero militum veteranorum, qui tot bella geſſerant, producere, præſertim quum ipſe Cæſar adeſſet. Sin caſtra locare & munire cogitaret, vt illic hoſtis aduentum expectaret, non minus metuendum videbatur, ne hoſtis antè adueniret quam caſtra vallo & foſſa cincta, & viris bombardiſque abundè munita eſſent: quam rem, ſi ita contingeret, quum impares hoſtibus eſſent, & ſibi turpem & Regi damnoſam fore videbat. Porro, ſi Auenione ſubſiſteret, id verò erat obſidendum ſe oppido malè firmo præbere, quod etiam pàruo ſpatio communire vt defendi poſſet, non erat facile. Reliquum erat vt Maſſiliam ſe conferret, quæ vna ciuitas totius oræ videbatur ſatis munita eſſe, vt exercitus Cæſariani obſidionem ferre poſſet.

Clades Monſtijana illata magnũ Gallis timorem aſſert.

Id verò nihil aliud erat quàm expeditum & apertum iter hoſti præbere, qui Maſſilia ponè relicta rectà nemine obſiſtente pergeret, atque ad vtram vellet Rhodani ripam loco munito conſideret. His cogitationibus efficiebatur, vt dum vni malo remedium afferre cogitabat, inde aliud grauius naſceretur. Dum ita alternis curis & difficultatibus æſtuat, hæc tandem vicit ſententia, vt ſuos ex oppido educeret, caſtriſque claderet, vt hoſti victoria ſuperbo audaciæ ſpeciem præberet, velut illi occurrere non dubitaret, atque offenſiuncula illa & primo detrimento ſuis non omnino ſpem & animum deceſſiſſe oſtenderet. Præcipua occurrebat difficultas, qua ratione caſtra communiret. Quanquam non dubitabat quin foſſorum multitudo quos ad hanc rem adhiberet, militum diligentia, quos etiam in opus incumbere iuberet, denique ipſorum ducum ſedulitas, quos continenter imminere & proſpicere vt iſta celeriter fierent imperaret, temporis breuitatem ſatis compenſarent. His cauſis adductus Auenionem feſtinare ſtatuit, vt inde Regem de ijs quæ acciderant, per literas faceret certiorem, ſimul quid ſpei haberet, & qua ratione acceptam illam cladem ſarcire intenderet, per literas ſignificaret: quæ omnia ex ipſo euentu patuerunt. Cuius literæ antequam Regi redderentur, aliud quiddam longè triſtius & acerbius de Delphino primogenito illi renuntiatur. Quod ego in præſens omitto, vt quæ inchoaui narrare, perſequar, ad illa poſtea ſuo loco rediturus.

1537. MOMMORENCIVS vt Auenionem peruenit, concilio coacto capitaneis quod decreuerat communicat, vt milites sub pellibus haberet, quò illos ex terrore illo & iactura nuper ad Briniolas facta colligeret atq; confirmaret. Hoc hominis consilium quum omnibus probaretur, imperat vt suos quisque in planiciem educat, in pratum illud quod inter Auenionem & Druentiam flumen interest. Ibi quum coacti essent, vt quæ dicturus esset audirent, in media illorum corona rem vt habebat, exponit, sed oratione sic temperata vt nihil esset cur illi terrore afficerentur, quòd nostri insœliciter pugnassent, ac Montijanus & Bosius ab hostibus capti essent. Docet huiusmodi casibus (qui fere bellis grauissimis solent accidere) strenuos milites non modò non debere præterreri, sed animum potius illis augeri & cupiditatem sarciendæ iacturæ immittiti, cum prudentia tamen, arte & iudicio, vt nouum discrimen nullum subeatur. Fieri quidem non posse quin maximum ex eo nuntio dolorem percepissent, atque etiam num in animo haberet, quòd ea res imprudentius & incautius, quum nulla fortasse subesset taggrediendi necessitas, administrata fuisset. Verùm eo leuius tantam iacturam à se ferri, quòd nostri, licet virtus multitudini succubuisset, & omnibus quæ cogitari possunt, difficultatibus obsessi fuissent, nunquam tamen animo defecerant, nec quicquam quod viris fortibus & strenuè præliantibus indignum sit, admiserant. Quin potius tanti hanc victoriam hostibus vendidisse, vt ex eorum numero quos vel amiserant vel saucios reduxerant, satis proprio periculo didicissent, nec regnum Galliæ absque damno inuadi, nec quicquam illo inuadendo acquiri posse, quod non multis partibus maiori damno rependatur.

Mommorencius militiu animos confirmat

QVÆ quum ita essent, id iam reliquum esse, vt quoniam tam insigne nostrorum virtutis specimen aduersus hostes editum esset, susciperetur & summa dexteritate atque industria perficeretur aliquid, quo talis clades vindicaretur, neque ignauæ quorundam voces audirentur, qui leues illos primarum velitationum casus ita arripiunt, vt malè de toto belli cuentu inde ominari non dubitarent. Se quidem potius ita statuere, quum res maximæ perfici nunquam possint, quin vel initio, vel medio vel ipso demum exitu aliquid incidat aduersi, hac vna Briniolana iactura, quicquid sinistri casus fortuna nostris copijs parauerat, id omne expiatum & auerruncatum esse: imò id ipsum nobis tantæ vtilitati & bono cessurum, vt eo nostri duces moniti deinceps cautiores & per spicaciores forent, milites quoq; alacriores ad virtutem & industriam ducum imperio & nutu exhibendam. Hanc concionem Mõmorencius ea animi præsentia & vultus hilaritate habuit, vt omnium militum assensionem & acclamationem cum tanta vnius animorum alacritatis significatione excitarit, vt omnes lætissimum totius belli exitũ tantumnon in manibus & ob oculos habere viderentur.

Castrorũ quæ Mommorencius munijt situs & forma.

HAC oratione habita Mommorencius locum castris ponendis, idoneum deligit, paulo supra eum locum qui aliquando ad eam rem captus fuerat, inter Rhodanum & Druentiam: quæ duo flumina hanc illi oportunitatem afferebant, vt altero commeatus & omnia quæ vsui erant in castra supportarentur, alterum propugnaculi vice hosti aduenienti obijciebatur. Flumen porro istud, quod Prouinciam perfluit, & in Rhodanum labitur, alueo est & cursu valde incerto atque inconstanti, vt ægrè ab ipsis incolis locorum peritissimis vado transiri possit, idque paucis admodum locis. Ac præter illam altitudinis inæqualitatem, sæpius & pluribus locis aquis auctum, tanta velocitate secum magna saxa rapit, vt duabus istis difficultatibus impediti tum homines tum equi vestigio fixo hærere vix possint.

HVIC tamen naturali fluminis difficultati noluit ita Mommorencius confidere, vt ex hac vna castrorum salutem & tutum situm pendere sineret: sed præterea quæcunque oppida & castella trans flumen sita defendi posse videbantur, ea impositis præsidijs diligenter firmat, vt hostibus procurrendi & pabulandi facultatem adimeret, impediretque ne ad illos quæ in castris nostris gerebantur perferrentur, neu facilè atque suo arbitratu vadum explorare se posse sperarent, vt nemo illis se oppositurus esset. Dum quæ suprà commemorauimus præscribit & imperat, castrorum etiam formam, spatium & ambitum describit. Circum illa fossam altissimam ducit, quatuor & viginti pedes latam, cuius ima pars ad summum labrum eam habebat rationem, vt triente ar-

ctior

ctior esset. Aliam insuper fossam magna latitudine & altitudine facit, qua riuus fluebat, qui media fere castra perluebat. Eò omnis totius loci colluuies illabebatur, meatibus quibusdam & aquæductibus quos transuersos multis locis duci iussérat. Ita tabernacula loco sicco statuebantur, purgamenta efferebantur, castrorum denique locus mundissimus & saluberrimus seruabatur. Huius ritu & aliorum qui in eum influebãt alucolis, regiones castrorum generatim militibus distinguit, vt suus cuique genti locus ad rixas & controuersias vitandas attribueretur: viarum quibus castra perambulãda essent, locum, spatium & longitudinem describit. Mediis fere castris tumulus erat terreus nõ valde grandis, collis cuiusdam instar, vnde in omnes partes vbi milites tabernacula habebant, despectus erant. Ibi considere & prætorium habere constituit: vbi duces omnes singulis diebus sibi, vt imperia exciperent, præsto esse iubet. Illinc quicquid vndiq; gerebatur, despiciebat, nequevlla contentio aut tumultus oriri poterat, quin statim animaduerteret. Illinc quinam in opere faciendo strenui essent, & quinam cessarent, obseruabat, neque vnquam vel præscribere aliquid desinebat, quod ad eam rem promouendam conduceret.

In Mõmorentio vera imperatoris effigies

QVOTIDIE ad solis ortum (nisi vel literarum vel nuntiorum aduentus horam interdum remoraretur) coram eo missa recitabatur. Hoc peracto circa tabernaculum aliquandiu spatiabatur, summa comitate duces excipiebat, qui ad eum, siquid fieri iuberet, ventitabant, ius dicens omnibus qui illud petebant, denique omnibus dicẽdi potestatem & audientiam facilè præbens, quibus cum eo aliquid rei esse contigebat. Interim adducebantur equi, ac tũ ducibus aliisque illustribus viris comitatus, sermones de rebus gerendis & colloquia cum illis habens, vel castra siue foris siue intus circuibat, vel transuersa etiam obequitabat, opus vtgnauiter perficeretur vrgens, prospiciens quoque nequid tumultus aut rixe excitaretur, itinere faciendo alios subinde atque alios cõpellans. Illud enim certò statuebat, imperatoris cum milite colloquia & consuetudinem non multo minorem vim quàm ipsam exercitationem habere, vt exercitus ex multis & variis gentibus conflatus morem gerere & iussa facere condiscat. Hac confecta deambulatione cibum sumebat, tribunos & centuriones inuitans, aliósque qui vel longo rerum vsu peritiam & nomen sibi quæsiuerant, vel gradum quendã aut dignitatem tenebant, vel qui denique consilio valebant. Sumpto eibo, pro negotiis quæ occurrebant, concilium habebat: deinde idem quod antemeridianis horis factitabat, neque vigilandi aut negotia obeundi laborem vllo pacto defugiebat. Ita dum quæ sibi quisque mandata fuerant diligenter & continenter administrat, castra quindecim diebus fossa foris aggere intus cincta sunt, lateralia munimenta & castella locis oportunis constituuntur: vix vt multas vrbes reperire potuisset, in quibus minori periculo & metu magnum hostis exercitum expectare auderet: tempus tamen & ipse vsus nouam in dies muniendi rationem adiiciebat. His ita constitutis machinæ igniariæ collocantur, quibus hostis impetum faciens vel à fronte exciperetur, vel à lateribus peteretur, vt neque propius ad machinas admouendas accedere, neque ad irruptionem faciendam contendere non graui aliquo damno accepto illi liceret. Cæterùm singulis interualla præscripserat, quibus vigilias ac custodias locarent, certa item loca quibus vel singulos vel vniuersos adesse & consistere oporteret, siquo fortè inopinato casu aut clamore excitato ad arma concurrendum esset. Quod tamen nunquam accidit, tanta ille diligentia omnibus rebus prospexerat. Ita non modò quàm magni & fortis animi esset docuit, qui tam exiguis copiis, quas initio habebat, hosti occurrere auderet, sed etiam prudentiam suam ac prouidentiam incomparabilem declarauit, satisque ostendit se & à Rege præclarè de omnibus monitum discessisse, & mandatorum non immemorem se præstitisse, quicquid denique accideret, omnia quæ opus esset fieri, prouidendi & exequendi non ignarum esse. Ipse Rex Valentiæ non tantùm gubernatoris cuiusdam instar qui ad clauum sedet, cuncta in puppi & prora præscribebat & administrabat, verùm etiam præter supplementum quod Mommorencip in dies submittebat, ipsum oppidum communiebat, & tantas copias comparabat, vt siquid in castris etiam offensum fuisset, Cæsar eum obuium, & ad aliud certamen committendum paratum habituruus fuisset.

1537. DVM hæc in Prouincia & Gallia Narbonenſi geruntur, Henricus comes Naſſauius & Adrianus Croæus comes Roxius, Cæſariano prætorio præfectus infeſto exercitu Picardorum fines ingrediuntur, quacunque iter habent, omnia in agris & infirmioribus oppidis depopulantur. Iam Bibracte ad Somonam & aliquot oppidula vicina ceperant, Sarriquerium tentarant, vt vel inopinato vel irruptione expugnarent: ſed repulſi inde fuerant, aliquot bombardis & hominibus non paucis, vt in re tam leuiter ſuſcepta, deſideratis. Inde profecti, quum aliò ſe contendere ſimularent, paulum ab eo abfuerunt, vt Guiſiam ex itinere occuparent. Carolus dux Vindocinus, Picardiæ prorex præſidiarios milites ex tota regione ad trecentorũ cataphractorum numerum & peditum ſex millia coegerat, quibus copiis non modò illos compulerat, vt milites flumen rurſus traducerẽt, ſed vt cũ iactura accepta paria faceret, illorũ fines ingreſſus oppidula aliquot, arces & vicos ceperat & diripuerat. Marollis (quod oppidum eſt malè cinctũ & apertum) hoſtium duo millia conſederant: illuc exercitum parat ducere, vt eos opprimeret. Qua de re Naſſauuius per exploratores certior factus, cuius exercitus auxiliorum acceſſione auctus fuerat, maturat, vt ſe cum eis coniungat. Hæc Vindocino cauſa fuit quare rurſus tranſmiſſo flumine ſuos reduceret, quos temere periculo obiicere nolebat. Ibi Claudij Lotaringi ducis Guiſij Campaniæ proregis aduentum expectat, vt cõiunctis viribus hoſti reſiſterent: interim iubet vt ex totius oræ oppidis, quæ defendi nequirent, bona & opes efferrentur. Inter cætera deferi Guiſiam iubet, arcem autem præſidio firmari, ne oppidum hoſtis occuparet.

Bellum eodem tempore in Picardia.

Guiſia à comite Naſſauuio capitur.

NASSAVVIO exploratores nuntiant, quanta diligentia ex oppido commeatus, armenta & opes tollerentur, qui autem arci defendendæ relicti fuerant, eos in exhauriendo oppido & munimentis murorum diruendis tam attentè occupari, ne hoſtibus iſta vſui eſſent, vt interim negligentius ipſos aditus obſeruarent. Quo nuntio accepto maturare ſtatuit, vt eos imparatos & perturbatos opprimeret. Id quod etiam accidit: neque tam maturè milites in arcem confugere potuerunt, quin ex eorum nouiſſimis non pauci tardiores ab hoſtibus cæderentur. Reliquos qui fuga ſe in arcem receperunt, miſſo tubicine deditionem facere iubet. Centurio cum nonnullis militibus, quos honoris & famæ aliquod adhuc ſtudium tenebat, arcem defendendam eſſe cenſebant: maiori parti aliud videbatur. Quinetiam ex illis nonnulli extiterunt tam demiſſo & ignauo animo, vt ex muri pinnis in foſſas ſe præcipites darent, quòd mallent vitam cum probro & dedecore perpetuo paululum producere, quàm ſalutis & mortis diſcrimen ad quærendam famam adire. Itaque alij ſe hoſtium voluntati dedunt: qua re non leuem ignominiæ maculam ſibi contraxerunt. Quorum in ea deditione minor fuit culpa, in eos poſtea ita animaduerſum eſt, vt qui nobili familia nati erant, omnibus patriciorum & ingenuorum priuilegiis atque inſignibus abdicarentur. Quæ infamiæ nota ad eorum quoque poſteros tranſmiſſa eſt, vt tributis & vectigalibus pendendis plebeiorum more obnoxij eſſent.

Cladem vtrinque accepta Regi nuntiantur.

REX Valentiæ eodem die de Montiiani & Boſij infœlici pugna & turpi Guiſiæ deditione nuntium accipit. Quæ omnia in aliam atque aliam partem ab aulicis accipiebantur, vt cuique ſcilicet de his iudicare & ſentire libebat. Aliis hæc incommoda leuia videbantur, præut ſuperiores illæ iacturæ fuerant, ex quibus tamen Gallia emerſerat. Alij quanquam hoc damnum non magnum ducebant, nihilo tamen ſecius ex his veluti præludiis de tota re iudicium faciebant. Non deerant, qui non tam ipſam iacturam æſtimabant, quanti referre arbitrabantur quorſum iſta Cæſar raperet, qui iſta omnia, vt ſuæ gloriæ ſeruiret, ſupra rei veritatẽ prædicanda curabat. Rex ſe iſtis nuntiis non magnopere cõmoueri præ ſe ferebat: ſed quũ omnia inter ſe cõferret, ac cogitatione reuolueret, ſimul quæ his malis remedia afferri poſſent proſpiceret, alia lõgè grauior calamitas & iactura ad aulam perfertur: nũtiatur enim mortuum eſſe Franciſcum Delphinum ipſius primogenitum. Qui quùm à patre ſic educatus eſſet, vt incredibilem de ſe expectationem omnibus concitaſſet, fore, vt eximius quidam ac clariſſimus princeps euaderet, Turnone ægrotans reſtiterat, quum patrem Valentiam nauigantem comitaretur. Illic quarto poſtquam decubuerat die mortem obiit: neque abeſt ſuſpicio, imò valde veriſimilis ſubeſt opinio, eum veneno ſublatum fuiſſe. Non modica in delibe-

Delphini veneno ſublati mors.

rando

rando occurrebat difficultas, quum quæreretur genus, exordium & ratio instituendæ orationis, qua res tam dura, tam acerba & luctuosa patri significaretur. Sed tamen & prorsus significari necesse erat, nec diutius, vt omnes cuperent, celari poterat: verùm vt reperiretur qui negotium hoc susciperet vellet, id verò omnium longè difficilimum videbatur. Hoc quidem omnes statuebant, singulari quadam dicendi arte vtendum ei fore, qui luctum & mœrorem, quo paternus animus statim ex eo nuntio corriperetur, lenire studeret: at consolator idoneus nemo extabat, quòd consolatione omnes potius egerent. Tantam enim vniuersi simul & sigillatim omnes dolorem & acerbitatem perceperant, vt nemo ex omnibus esset qui lacrymas contineret, ita omnes vno animo & voce non secus hanc mortem lugebant, ac si ex suis liberis fuisset. Hæc tantùm illi tum humilium tum clarorum hominum omnium studium ab initio conciliauerât, locus vnde natus erat, spes regno succedendi, ætas & similitudo qua patrem exprimebat. Sed sua hoc virtute exiguo tempore assequutus fuerat, vt summi illius amoris quo eum omnes prosequebantur, minima pars his rebus relinqueretur. Nihil enim vnquam consultò prætermiserat, quod in eum cadere posset, qui futurus expectabatur totius orbis maximus & excellentissimus princeps. Itaque conditio infœlix & dura præbebatur, vt patri nuntianda esset filij mors, cuius tanta erat expectatio, mortisque genus tam indignum, vt nullus pater reperiri posset, nedum Rex, qui non extremo animi & ingenij mœrore atque tristitia afficeretur.

Cardinalis Lotaringus Regi filium mortuum esse nuntiat.

Qvvm adeo in deligendo viro ambigeretur, qui tam funestum & luctuosum nuntium perferre auderet, nemo alius idoneus occurrebat quàm Ioannes cardinalis Lotaringus, cuius intima consuetudine Rex vtebatur. At verò quum primum pedem cubiculo intulit, verba eum & vox defecerunt, neque vultum vnquam ad constantiam fingere sic potuit, quin Rex primo intuitu ex ipsa facie aliquid infausti & calamitosum accidisse suspicaretur. Itaque quasi animus illi hoc infortunium præsagiret, statim rogat ecquid filius valeret. Cardinalis linguam palato hærere sentit, & vir alioqui egregiè diserrus & facundus, murmure potius obscuro quàm voce orationem enuntiat, balbutiénsque duntaxat ægrè effatur, grauius quàm antea ægrotare illum quidem, sed valetudinem tamen à Deo sperandam esse. Tum Rex, Teneo, inquit, quid velis: non audes primo statim ingressu eius mortem indicare, sed tantùm proximum esse morti nuntiare cogitas. Ad ista cardinalis ita respondet, vt nutu magis quàm oratione diem obiisse fateretur. Ibi tum nihil quàm lacrymas videres, tum plangore & lamentatione omnes qui aderant compleri audires. Rex edito clarissimo gemitu, vt ex aliis cubiculis exaudiretur, solus & tacitus ad fenestram se confert, animum luctu faucium gerens, quem tamen supra quàm vires humanæ ferrent, reprimere studebat, vsque dum ipse tandem virtutis & naturæ conflictus alium illi gemitum vi expressit. Tum capite aperto, oculis, manibus & mente in cælum sublatis, Non me latet, inquit, summe Pater, æquum esse, vt patienti animo quæ à te proficiscuntur, accipiam omnia. Sed vnde optem aut sperem, nisi abs te vno, hanc mihi constantiam & animi firmitudinem dari? Iam me dominatu imminuendo attriuisti, accessit incomparabilis ex filij morte iactura. Quid iam superest, nisi vt me prorsus deleas? Quòd si ita quoque facere decreuisti, hoc saltem me doce, vt voluntatem tuam hanc esse Iciam, ne aduersari animum meum subeat. In hac me patientia confirma, qui vnus id præstare vales, natura insitam humanæ menti imbecillitatem iuuans atque sustentans.

Regis pia ac breuis ad Deũ oratio.

Hæc fuit precum illius summa, quam tam pia & Christiana clausula finiit. Verùm qui mihi hæc narrabant, qui simul etiam tantâ paterni animi cõstantiâ admirabantur & suspiciebant, reliqua præ lacrymis obortis & gemitu narrare non poterant: quæ mihi quoque causa est cur in his narrandis longior non sim futurus. Hoc tantùm, antequam ad alia transeo, addam, Cæsarem ipsum, cui propter Delphini famam vna cum ætate crescentem ipse pater erat formidolosior, (quanquam nonnulli ex illius intimis huius mortis suspicione non vacant) continere tamen se perlato nuntio non potuit, quin de hominis ingenio ac moribus præclarè & honorificè loqueretur. De quo sanè id sperare & statuere debemus, quum iuuenis iis præditus esset virtutibus, vt in plena viri ætate perfectæ virtutis speciem non effigiem solùm quandam vocaremus, quod in

facienda fuſcepiſſet, pro locorum & temporum ratione vel acceleraret vel differret. Ad Heluetios etiam viros regionum & itinerum gnaros mittit, à quibus breuiſſima via in Prouinciam adducerentur. Duo hæc proxima capita poſtremo loco recenſebo. Nunc de Rangone narrationem inſtituam, & quæ apud Pedemontanos poſt Foſſani deditionem ad hoc tempus geſta ſunt, poſtea ad Picardica & duces Vindocinum ac Guiſiumvenio. Superiore cõmentario demonſtrauimus quemadmodũ Rex quum cardinalem Lotaringium legatum de pace ad Cæſarem mitteret, Rangonem & Caguinum Gonzagam ab exercitu colligendo, quem conſcribi in Italia curauerat, deſiſtere, (nequod paci conciliandæ impedimentum afferretur) atque ob eam controuerſiam quæ illorum cauſa inciderat, quicquid iam copiarum coactum fuerat dimitti, domumque reuerti iuſſiſſet. Poſtea deſperata prorſus pace, quum perpetuus eſſet imò in dies maior fieret bellici apparatus rumor quem Cæſar inſtituebat, quo in Galliam impreſſionem faceret, eo ipſo Rex quo antea nuntio vſus fuerat, Rangoni principis legati autoritatem defert. Is tribunos & centuriones ſuperioris delectus, Cæſarem etiam Fregozam ſororium monet, vt ſuos denuo quiſque colligat, & Mirandulam ducat. Res quindecim dierum ſpatio perficitur, licet non mediocris initio difficultas occurreret, propterea quòd in altera fluminis ripa, è regione Mirandulæ Tamiſius Germanos equites circiter octingentos, peditum ſex millia habebat, quibus delectum haberi impediret. Verùm his difficultatibus prudentia & ſolertia ducum militumque labore atque induſtria occurſum eſt. *Rex exercitũ in Italia colligi iubet.*

Ipse comes Rango princeps legatus & Caguinus bina peditum millia, totidem Cæſar Fregoza cum ducentis equitibus ferentarijs cogit: Palueſinus Viſcontius Mediolanenſis, Petrus Stroſſius Florentinus, Baltaſarius cognomento Eques Aſſalius Ferrarienſis millenos: Beringerius Caldorius Neapolitanus, comes Montenſis, Riſius, & Ioannes Taurinus Florentinus quingẽtenos: Aueroldus Brixianus quadringentos, totidem Bandinus Thuſcus cũ ducentis equitibus ferentarijs. Totidem numero equites habuit Taxius. Is tametſi genere Gallus erat atq; adeo è Regia cohorte, tamẽ quũ in Italia eſſet, quò iampridẽ miſſus fuerat, vt Galiotum comitem Mirandulanum in Regis fidem adduceret, turmam ſuam ex Italis equitibus confecit. Collecta hac manu, Rango omnibus iuber parareat ſe, vt viceſimo Auguſti die proficiſcerentur.

Interea Annobaldus & Burius, qui Taurinorum oppidum tenebant, nihil neque noctu neque interdiu reliqui faciebant, quod ad ſedulos duces & rei bellicæ vſu præſtantes pertineret. Nam & diligenter cauebant, nequam facultatem aut rationem vel hoſtibus vel ciuibus ipſis nuper regno Gallico adiunctis darent, vt res nouas moliretur: & quum id ſibi non ſatis eſſe ducerent, vt excubitores collocarent, crebroque explorarent ac commutarent, paratiſſimi omnibus temporum articulis imminebant, vt ſiqua ab hoſte, audacius per incogitantiam appropinquante, erumpendi & moleſtiam illi faciendi oportunitas daretur, neque temerè periculo ſe nequaquam obijcerent, ea prudenter vterentur: ſeque tutò recipiebant, re tam prudenter fœliciterque adminiſtrata, vt ſæpius & homines bello captos armentique & gregis prædam ſecum agerent. Fabricius Maramus Ciriam (quod oppidum ſatis firmum paſſuum circiter ſeptem millia abeſt) quicquid ex omnis generis commeatu ex vicinis agris cogere potuerat, conuehendum curauerat, quo exercitum Cęſarianum iuuaret, tre centorum hominum præſidio impoſito. Hi quum non admodum diligenti euſtodia ſibi opus eſſe, Gallos porius in defendendo oppido ſatis occupari exiſtimarent, vt nihil foris tentandum ſibi putarent, quaſi nulli tota regione hoſtes eſſent, ſic ſecuri Ciriæ ſe gerebant. Annobaldus hac de re per exploratores certior factus, Eſſæum cum ſeptuaginta fere equitibus, Canium & Alchium cum quingentenis peditibus illuc mittit. Hi vigilum ſtationibus iam collocatis profecti, à nemine conſpecti ad imam muri partem peruenium. Admotis ſcalis prius in ſummum vallum euadunt, vigilesque ſubmouent ac profligant, quàm cæteris qui in lectis iacebant, veſtes & arma induendi, & ad eum locum vbi pugnabatur conuerrendi otium daretur. Ita oppidum occupant, & qui vim parant, omnes eos gladijs conficiunt. Equos & iumenta commeatu ac præda onerant, quicquid pecoris repererant præ ſe agunt: ita incolumes nemine obuio Taurinos ſe recipiunt. Paucis *Galli Taurinũ obſeſſi hoſtes multa facileter ſuſcipiunt.*

1537. pòst diebus oppida capiunt Riuollas, Auellianum & Santambrosium: quanuis Auellia-
ni amplius ducentorum militum non pœnitendum præsidium esset.

LEVICVLA ista quum ex sententia gererentur, maiora etiam audendi & su-
scipiendi cupiditatem illis iniecerunt: itaque Annobaldi animum subit Fossanum inopinatò occupare. Verùm quum ista cogitaret, & ipse temporis vestigio quumviros ad rem administrandam deligeret, Marcus Antonius Cusanus per exploratores fit certior, Sauiliani sedecim machinas tum grandiores tum mediocres à Cæsare relictas esse, pulueres, sphæras, rudentes totamque illam supellectilem, cum non exigua armaturæ copia tum leuioris tum pedestris: qui porro præsidio collocati fuerant, eos securè vicinos vicos absque vllo metu aut cura populabundos & palantes peragrare: itaque illos facili negotio opprimi, oppidum & quæ illic seruabantur omnia, occupari posse. Hæc omnia quum Annobaldo & Burio nuntianda curasset, remque sibi administrandam concedi postulasset, annuunt vt ijs duobus peditum millibus quibus præerat, aggrederetur. Comitem illi & socium addunt Cameracum Annobaldi legatum, cum lectis ex ipsius turma circiter sexaginta equitibus. Quum progredi cœpissent, audiunt aliquot ex hostibus cum ingenti præda se in castellum non procul ab eo loco vbi constiterant, nuper recepisse. Quamobrem conuerso in eam partem itinere, castellum vi expugnant, licet summa contentione & virtute defenderetur: ibi Benestius ex Prouennia gente vnà cum fratre capitur. Dum locum maiori fortè prædæ cupiditate quàm prudentia diripiũt (multorum enim ea est opinio, Sauiliano potiturosfuisse, si quidem nusquam commorati recta illuc perrexissent) hostib. quid facere in animo haberent enuntiatur. Qua illi re intellecta, quàm possunt maximam hominum multitudinem Sauilianum mittunt, dum illi maioribus copijs subsequerentur. Qui primi huc peruenient, pontes attollunt, portas repagulis obiectis obstruunt, suos circum mœnia disponunt, munimentis, quacunque lateta porrecta patebant, sclopos vncinatos, sacretos, falconnellos, & leuiores machinas collocant: se denique ad primam impressionem sustinendam, si opus esset, parant. Quod eo audacius & securius faciunt, quòd auxilium sibi statim submissum iri satis sciebant.

Taurinenses Cæsarianos ad Sauilianũ prælio superant.

NOSTRI ad suburbia quum venissent, suumque consilium patefactum & oppidum defensoribus communitum esse perspexissent, id saltem curarunt, vt hosti quammaximum damnum in suburbio inferrent. Duas grandes cannas, quas illic reperiunt, ascijs & malleis perfringunt & comminuunt, vt nisi in caminum denuo coniectæ nulli iam vsui esse possent: armaturam Cæsarianam inter se vniuersam partiuntur, reliqua suo arbitratu diripiunt. Protinus adsunt ex equitibus nõnulli, quos procurrere duces iusserant, si quid fortè eminus conspicerent, qui aduentare Scalengiũ nuntiant cũ duobus ferè hominum millibus (quantum quidem coniectura assequi poterant) & totidem regionis ipsius incolis, quos passim ex vicis coegerant. Itaque quum sibi necessariò ad pugnam veniendum esse intelligerent, omnem euadendi spem in virtute collocant, suos summa celeritate collectos & confertissimo agmine instructos in agrum educunt, equites vtrinque ad latera disponunt. Rebus ita constitutis, nullo interiecto spatio statim hostes obuios petunt, quorum non parum impeditos ordines offendunt, vt qui mirum in modum festinarant, quòd nostros imparatos & toto suburbio dissipatos, dum prædæ congerendæ incumberent, se oppressuros sperauerant. Hostes primum hunc impetum maiori audacia quàm animi firmitate sustinent: statim pedem referre, & in cuneum illum qui ex incolis temerè collectis constabat, se recipere cœperunt. Vnde tanta perturbatio consequuta est, vt ad iustam profligationem nihil superesset quàm vt auersi fugam caperent. Hanc illorum trepidationem conspicati nostri equites, dum in dubio sunt num pugnare an fugere mallent, tam acriter eos adoriuntur, vt terga vertere compellerent. Fugientibus instant pedites, eosq; ita perturbatos agunt, vt plus cædis quàm pugnæ deinceps fieret.

SCALENGIVS vbi tantam suorum stragem conspicit, neque iam imperia exaudiri aut cohortando quicquam profici videt, quos ex equitibus maximè expeditos habebat, properè ad Ioannem Iacobum Medicem marchionem Marinianum mittit, qui illum quanto in discrimine versaretur, doceant. Is duo Germanorum peditum mil-

lia

lia secum adducebat: qui si statim accessissent, vt nostri iam defatigati tot numero homines integros & recentes in prælio sustinere cogerentur, dubium non est quin ad internecionem deleti fuissent. Cusanus & Cameracus conspecto procul puluere quem aduenientes Germani excitabant, receptui canere, & suos, qui hostes insequebantur, redire iubent. Hi tamen amplius trecentos interficiunt, multo plures vulnerant, septem signa militaria, quum nouem toto numero essent, auferunt: reliqua duo illorum equites fugientes ex signiferorum manibus, nec à nostris itidem arriperentur, extorquent. Nostrorum duces quum puluerem augeri subinde, & appropinquare animaduerterent, atque adeò vererentur ne milites, qui & corporibus itinere faciendo & brachiis cædendo fessi erant, ad eorum qui recentes subsidio veniebant, impetum sustinendum impares essent, suos colligunt, & reditum alio itinere quàm quo venerant, parant: Annobaldum misso quodam expedito equite, quo itinere reuerti cogitarent, certiorem faciunt. Quod sanè consilium fœlicissimè illis cessit, vt exitus ipse comprobauit. Quum enim prædam atque impedimenta quæ præmiserant (quibus etiam sclopetariorum cohortem præsidio præfecerant) subsequerentur, pedetentim incedentes, ne scilicet hostes eos festinando assequuti defatigatione potius quàm virtute delerent, instant illis hostium præcursores, qui eos adoriendo ac per vices subinde se recipiendo, remorari eos & velitando occupare studebant, dum ipsa acies adesset.

Hoc hostium consilium quum nostrorum duces satis intelligerent, id potius agebant vt progrediendo suos è præsenti discrimine eriperent, quàm vt irruentes hostes longius submouerent. Quòd si nonnunquam adeo premebantur, vt auersos in hostem vadere necesse esset, hoc tanta industria & virtute faciebant, vt hostis damni semper aliquid acciperet: ipsi statim peditum agmen assequuti, festinare eos monebant. Accidit tamen vt Cusanus glandem sclopeto emissam capite acciperet, quo vulnere impeditus non ita potuit rem administrare vt adhuc fecerat. Hostium numerus sensim augetur, alijs atque alijs subinde accedentibus: vt nostris exitium adesse appareret, nisi auxilium ab Annobaldo submissum in tempore accessisset. Sed adeo commodè & tempestiuè adfuit, vt eo loci & temporis vestigio quo hostes explicatis cornibus nostros vndique circunuenire instituebant, equites ab Annobaldo submissi promiscuè in illorum pedites sparsos incidunt, agitant, concidunt, fugant, denique ordines repetere cogunt, nostrisq; equitib. sui recipiendi spaciũ & facultatem dant, qui alioqui lassitudine dimidia ex parte iã erant profligati. Equites ipsi numero circiter ducenti erãt, quos ducebat Alacrius, vir strenuus, tantaq; ad suscipiendum alacritate ac prudentia quanta alius quisquã tum temporis: eum pedites mille ducenti subsequebantur. Quo effectum est vt nostri paucis admodum suorum desideratis, cum præda & impedimẽtis Taurinos se incolumes receperint. Cusanus tamen tum itinere defatigatus, tum vulnere debilitatus, Pinierolis resistere cogitur: ibi paucis pòst diebus, clarâ sui nominis famam & viuis magnum sui desiderium mortuus reliquit.

Dvm hæc apud Pedemontanos geruntur, comes Nassauuius postquam Guisiam cæteraq; vndique infirma oppida diripuisset, omnia flamma & ferro vastans, homines, pecora & omnis generis bona agens & ferens, exercitum rectà Sanquintinum versus ducebat. Quare nuntiata mareschallus Marcanus, qui Laudunum munire inceperat, illinc statim proficiscitur, vt Sanquintinum petat. Tanta eius rei cupiditate incendebatur, vt in obsessa vrbe cum imperio esse posset, quò demonstraret quanto animo, cura, industria, virtute & diligentia obsidionem perferret, oppugnantis hostis aggressionem sustineret, & rationem reperiret qua obsessum oppidum fortiter tueretur. Dum iter facit, à suorum nonnullis præcursoribus fit certior hostem relicto Sanquintino, quòd oppidum illud egregiè munitum esse audisset, iter statim Peronam versus instituisse. Hoc enim oppidum etsi natura loci munitum erat, tamen opere & arte nondum satis firmum esse, multo minus etiam defensorum multitudine teneri, qui aduersus tantas copias stare possent, intellexerat. Quamobrem ipse quoque mareschallus mutato consilio iter eôdẽ conuertit. Die mensis Augusti decimo hostium exercitus exiguo quodam vico aut potius villa nomine Catella proficiscitur. Aplincurium castrum exitinere facta deditione capit: quod quum ob infirmitatem defendi nequiret, desertũ fue-

1537. rat. Postero die Somonam flumen paulo supra illud castrum transit, totamque regionem populabundus vastat & incendit, dum proximè Peronam accessit. Eodem die Sercutus illuc ingressus erat cum mille peditibus, quorum propriam præfecturam habebat ex legione Picardica, cui alioqui princeps præerat. Quanquam autem illi Hamo, vnde de media nocte à Vindocino missus fuerat, profecto, viculis & villis iter faciendum fuerat, incendio ab hostibus facto adhuc fumantibus, adeo tamen peritis ducibus vsus fuerat, tantaque diligentia sibi cauerat, vt nullo accepto damno omnia loca peruaderet.

POSTRIDIE eius dici mareschallus ingreditur, cum centum grauis armaturæ equitibus: cui etiam caligo fumi ex vicis ab hoste incensis profuit, ne iter faciens conspicuus esset. Nassauuius vesperi Peronam circumequitans explorat, tandem castra ponit non procul à cœnobio Montis Sanquintini, animo admodum ægrè ferens quòd oppidum non ex improuiso defensoribus nondum ingressis occupasset. Quæ res quanto illi dolori erat, tantam inde voluptatem Vindocinus & Guisius ceperunt, quum mareschallum & Sercutum saluos illuc venisse audierunt. Sperabant enim omnino fore vt nouæ cohortes quas tota Picardia & Campania conscribi iubebant, cum peditatu Germanico (quem duce Nicolao Rustico cognomento Bossulo expectabant) satis maturè paratæ ad tollendam obsidionem adessent. Ac Belgicarum quidem rerum is erat tum temporis status.

Heluetiorum supplementum in castra regia venit.

QVOD ad Heluetios attinet, præter octo eorum millia quos Ludouicus Angueranus Boscorigaldus conscripserat, (qui maxima ex parte iam in castra venerant, reliqui itinere longiore quidem & remoto, sed tutiore multo propter obsessos & impeditos transitus, quàm si recta progrederentur, in dies accedebant) alios etiam pari fere numero Stephanus Aquius Bellouacus & Gulielmus Yzernæus (ex quibus alter è Regia nobilium cohorte, alter Regis etiam cubicularius erat) conscripserant. His quoniam varijs itineribus ad locum quendam constitutum conueniebant (vt quique sigillatim se è patria inscio aut certè conniuente reipublicæ magistratu, furtim subducebant) itineris duces & commeatus præfecti attribuebantur, qui eos per loca certa, quibus forum vinarium institutum erat, quà scilicet breuissimum erat iter Valentiam, deducebant. Quòquum aduenirent, iussu Regis excipiebantur, qui etiam ducibus singulis torques aureos, qui centenos coronatos pendebant, donat, & ad Mommorencium proregem dimittit. Is certam castrorum regionem illis describit, vbi cum suæ gentis hominibus considerent. Vniuersos etiam qui nullo iussu extra castra, casas & tabernacula constituerant, intra munitiones se recipere iubet. Quod dum facit, atque in tanto exercitu disciplinæ militaris seueritatem æquitate temperatam, vt facultas data ferebat, adhibet, hoc intra breue tempus consequutus est, vt quanuis exercitum haberet ex viris non variarum modò gentium, sed etiam sectarum & opinionum diuersarum conflatum, ea tamen ratio & ordo inter eos seruaretur, vt qui ad castra accedebant, potius ciuitatis bene constitutæ quàm exercitus ex tot & tam varijs gentibus comparati speciem conspicere viderentur.

Cæsar vrsus est pte difficultatem eadem angustia.

CÆSAR initio quum expeditionem in Galliam susciperet, has secum rationes deputabat: Regē nullos ex Germania pedites accepturum esse, & Taurinenses obsidionem minimè toleraturos. Nam Belgium iam à suis occupatum esse atque à se possideri persuasum habebat. Verùm paulo postquam Prouinciam ingressus esset, ac per nuntios aliquot subinde Germanicas cohortes ad Regem accedere certior fieret, Heluetios etiam plures quàm petierat venire: collectam iam in Italia manum & ad iter paratam esse, bellum in Belgarum finibus opinione diuturnius & difficilius fore, suos in Oceano fere iacturam facere, nostras in mari Mediterraneo triremes libera nauigatione vti: tum verò se conata perficere & quem sperauerat exitum, obtinere absque externis auxilijs non posse intellexit. His causis adductus omni ratione efficere statuit, vt papam & fœderis Italici socios ad se pelliceret, qui belli impensas & curam vnà secum ferre non recusarent. Ad hanc rem perficiendam Ascanium Columnam cum mandatis & fiduciarijs literis ad papam totiusque Italiæ principes ac dynastas mittit. Testificatur in primis non quæ vera esse, sed quæ suis rationibus conducere intelligebat, quum bello Galliam inua-

inuadere dereuiſſet, id ſe nullius priuatæ contentionis cauſa feciſſe, ſed quod publico totius Italiæ bono ac quieti conſulere cuperet, vt inſatiabilem Regis cupiditatem inde auocaret, qui bello continenter illis moleſtus eſſe pergebat. Hoc ne ipſos quidem fugere, imò apertè ſe eos teſtes appellare non dubitare, à ſe nullam fuiſſe rationem prætermiſſam, quò id à Rege obtineret, vt quicquid erat controuerſiarum, vel iure expe- *Cæſar excitat Italiæ auxilia petit.*
riundo vel pactione ex æquo & bono potius dirimeretur, quàm vt vi & armis decerneretur, vt ne hanc quidem tum conditionem recuſaret, quin ducatum Mediolanenſem Angoliſmenſi minimo natu è Regijs liberis concederet: quem tamen non ſolùm Cæſarei principatus nomine, ſed etiam priuato iure tenebat, primùm iure ipſo belli, armis nempe quæſitum, deinde quòd Franciſcus Sfortia verus & germanus dominus iure ceſſiſſet: hanc porro cauſam veriſſimam & planiſſimam eſſe. Quam etiam pacis in Republica Chriſtiana redimendæ atque conſtituendæ rationem ſiue conditionem ne nunc quidem à ſe repudiari, vt Mediolanum ſuis manibus auelli, remque planè conſtitui ex omnium Italiæ principum conſilio ac ſententia patiatur, nedum vt priuatum commodum publicæ ſaluti anteponeret.

HAS tamen conditiones quas & ferre & accipere, pro eo ac pacis ſingulari ſtudio tenebatur, paratus erat, Regem intolerabili arrogãtia & animo obfirmato recuſaſſe, nihil quantumuis æquum conceſſiſſe, bellum iniuſtum, ſæuum atque anceps, quàm honeſtam, vtilem & certam pacem maluiſſe, & quidem vſqueco, vt iam nouum in Italia exercitum conſcribi iubeat. Hoc verò ſatis perſpicuè declarari, quanto magis Italiæ quietem turbare concupiſceret, quàm regno ipſi ſuo defendendo conſulere, in quo grauiſſimi belli molem ſuſtinere cogeretur. Siqua tamen ratione occurri poſſet ne Rex quas in Italia vires collegerat, ſimul coniungeret, ſibi quidem minimè dubium eſſe quin tam inſignem & claram de Gallia victoriam conſequuturus eſſet, vt Italia in perpetuam quietem & otium vindicaretur, quum nemo eſſet, præter vnum Galliæ Regem, à quo turbæ illi inferrentur.

HIS cauſis Cæſar allatis, mandatorum hanc adhibebat clauſulam, quum ipſe ſtipremus eorum princeps & Cæſar, varijs locis, eodem tempore, terra & mari quatuor grauiſſimos & potentiſſimos exercitus haberet, id adeo magis quòd communis eorum quietis quàm priuatæ vllius offenſæ rationem haberet, Italiæque proſpectum cuperet, ne in alienum dominatum incideret, eorum profecto partes eſſe, vt ſibi ipſorum cauſa laboranti opem atq; auxilium ferrent, aut verius vt communi animo & impenſis ſalutem Italiæ defendendam ac tuendam ſuſciperent. Cui ſi in tanto periculo nunc deeſſent, qua tandem in re quantum erga illam officij ſuſtinerent, demonſtraturi eſſent, quæ fœliciter illos in pulcherrima & amœniſſima totius orbis regione procreauit, aluit, educauit? Ecqua tandem in re ipſorum opera egere poſſet, ſi nunc non in libertate propugnanda ac tuenda egeret?

HÆC Aſcanio in mandatis Cæſar dederat, quæ omnibus generatim & ſigillatim principibus & dynaſtis Italiæ exponeret. Eadem quoque ipſi papæ exponenda ſuſceperat: ſed illud præterea vt adderet imperatum fuerat, Turcam in eo eſſe totum vt expe- *Cæſaris adpapam mandata.*
ditionem omnium quas vnquam ſuſceperat, grauiſſimã pararet: vt vere ſtatim ineunte ipſe in exercitu adeſſet, eo conſilio vt eodem tempore terra & mari Neapolitanum regnum & Siculum bello inuaderet, illicóque locis munitis armamentario conſtituto, quæ ad bellum gerendum vſui eſſent deponeret, deinde quacunq; ratione & facultate poſſet reliquam Italiam atque adeo quicquid Chriſtiani eſt nominis peruaderet. Hæc quo minus papa ita habere dubitaret, hoc etiam Aſcanius in mandatis habebat, vt doceret Barbaroſſam ſua claſſe iam mare Mediterraneum infeſtum reddere, vt Chriſtiani nauigatione arcerentur, aut ſaltem non abſque periculo ſeſe mari crederent: maximè quia Galliæ Rex proculdubio fœdus cum illo inieret, omnemque diſſimulationis ſpeciem & laruam depoſuerat: quem apertè inuitabat atque vrgebat vt expeditionem maturaret. Quas ob cauſas non eſſe iam papæ cunctandum aut diſſimulandum, quin ſuo exemplo omnium Chriſtianæ Reipublicæ ordinum ſtudia excitaret, princeps omnes cohortaretur, princeps ipſe arma caperet, omnes denique ad commune diſcrimen aliquod remedium, & leuationem afferrent, quemadmodum ipſorum in commu-

1537. nem patriam, fidem & religionem Christianam officium ac potius pietas, causæ, temporis, salutis in præsens tempus & libertatis in posterum ratio postulabat, ac etiam flagitabat. Addebat porrò, vt aliquid ex hac re ad papam emolumenti rediret, Cæsarem illi, si hoc fieret, concessurum, idque iam polliceri, vt de Mediolanensi ducatu suo arbitratu planè statueret: quam ad rem tamen constituendam senatus populusque Venetus adhiberetur.

Ascanivs Romam Calend. Augusti. venit. Postridie dicendi potestate facta mandata sua exponit, quum quidem coram adesset comes Sisfuentanus, quem Cæsar apud papam ordinarium oratorem habebat. Post cuius discessum Ascanius papam remotis arbitris conuenit, Cæsarem ducatu Mediolanensi cessurum confirmat, quem etiam vni ex ipsius nepotibus traderet: effecturum insuper vt Ferrariensis de ijs in quibus cum eo dissidebat, Vrbinensis etiam de ducatus Camerini controuersia cum eo ipsius voluntate atque arbitrio transigerent, modò id tantùm concederet, vt fœdus Italicum subiret. id est, vt Regem planè inde eijceret. Hæc mandata etiam Genuæ, Lucæ, Florentiæ, Senis Ascanius quum iter faceret, exposuerat: à quibus responsum in eandem sententiam tulit, se, quicquid opibus, fortunis & potentia valerent, id omne ad liberandam, defendendam, tuendam & seruandam Italiam, quemadmodum papæ & ipsi Cæsari ex communi sententia placeret, libentissimè esse collaturos. Papa Cæsaris voluntate amplissimis verbis collaudata, qui cùm propriam Italiæ tum communem Christianæ Ecclesiæ quietem & pacem quæreret: ad cætera respondet, non posse se nō vehementer ipsius consilium probare, qui bellum ab Italia transferre conaretur, sed sibi hoc multo gratius fore, si nec illic nec vsquam alibi inter Christianos gereretur. Vbicunque enim siue in Italia siue in Gallia acciderit, geri non posse quin sanguis Christianus fundatur, & præcipuæ totius Christiani populi vires debilitentur. De Turca quod afferret, se id satis scire, non posse illum ad iucundius spectaculum inuitari, quàm vt potentissimos Christiani nominis monarchas inter se tam funesto & sæuo bello intestino committi videret.

Facile enim hoc cuiuis persuaderi posse, vter tandem hoc bello superaret aut superaretur, pontem Turcæ hac ratione sterni, & optionem dari, vt alterum ex eis arbitratu suo postea adoriretur: quum minimè dubium esset, quin victoria ipsi victori incommoda valde atque detrimentosa esset. Se tamen hoc Cæsari sine vlla dubitatione confirmare audere, Turcam eo anno nihil aduersus Christianos moturum esse: id enim multis nuntijs ijsque certis & constantibus, ipsorum etiam Venetiensenatus oratorum opera, qui Constantinopoli erant, didicisse, Turcam, quod eo anno supererat temporis, nihil aliud facere decreuisse, quàm vt se ex clade & iactura Africana quoad eius fieri posset, colligeret, quam antea quæsierat, eius rei facultatem postmodum ademptam denuo arriperet, vt Italiam quum liberet, classe aggrederetur. Hoc quidem non inficiari se, Turcam intetim descensionem in annum insequentem adornare, classem nauium numero & toto apparatu maiorem & firmiorem instruere, ærario, commeatui, munitionibus, exercitui denique comparando prospicere, vt toto conatu amplissimo, & validissimo exercitu eam impressionem faceret. Idque verissimum esse quod Cæsar ipse monuerat, potissima illius consilia & conatus ad Siciliam & Italiam spectare. Cui malo vt remedium afferretur & obuiam iretur, non aliam posse aptiorem inueniri rationem, quàm quæ ab ipso Cæsare commemorata fuerat, vt suas quisque controuersias & contentiones salutiae paci publicæ condonaret, simulque omnes eodem animo ad conseruandam & defendendam communem salutem incumberent. Quamobrem quantum ipse Cęsari tam egregiam de renouando illo fœdere & concordia voluntatem gratularetur, tanta etiam se cupiditate teneri, vt non solùm opes impendere sed etiam caput cuiuis periculo obijcere posset, quò tam optatæ pacis arbiter ac sequester fieret. Quam sui animi cogitationem & cupiditatem vt aliquando reipsa præstaret, non alium sibi aditum dari intelligere, quàm vt medium se, neutri studentem aut addictum & neutrius causa damnata perpetuò seruaret: nedum vt sibi aut suæ genti vllum principatum aut dominatum ea arte conciliare in animum inducere t, qua damnum, molestiam aut iniuriam cuiquam inferre videretur. Quòd si tantum à Deo immortali

beneſi-

beneficium sibi conferretur, vt vel minimus esset ex ijs quorum opera ille ad tantam rē perficiendam vti decreuisset, ipsam Dei voluntatem, quam sequeretur, abunde sibi magnum operæpretium fore: vt mori se potius optaret, quàm vt aliam laboris mercedem ac remunerationem quæreret aut acciperet.

CÆSAR commodùm Aquas Sextias venerat, quum hæc ad illum mandata perferuntur. In ipso itinere nonnihil damni acceperat, sed quod reipsa non tam graue erat, quàm ob eorum indignitatem & infimam sortem, qui intulerant, pudori magis quàm dolori erat. Nonnullis enim ex ipsa regione & montosis locis rusticis, occultis semitis & cliuis qui alpium angustijs impendebant, in insidijs collocati, facultatē rei gerendæ nacti, subinde egrediebantur, & nunc in primos nunc in nouissimos inopinatò irruebant, vt legiones nequaquam laxare posset. Neque vllus dies intermittebatur, quin singulis ducentenorum passuum spatijs interiectis subsistere, ac se defendere cogeretur. Ac ne tum quidem tamen multum ipsis rusticis nocebat, quippe simulatque segrauius premi sentiebant, in summa iuga statim se recipiebant, quam ad rem tramites obliquos ac nullis præter se notas diuerticula habebant, vt non tam discedere quàm ex oculis & conspectu euanescere putarentur. Cæsar quum inde castra moueret, ad turriculam quandam iter facere cogitur, quæ à rusticis numero quinquaginta occupata erat, qui sclopetos quoscunque potuerant nacti illuc contulerant, eo consilio vt si Cæsarem in ipsa ex indicijs quibusdam agnoscerent, cum vniuersi peterent, hominemque, quicquid tandem euenturum esset, interficerent. Non enim dubitabant, si id perficerent, quin tantæ audaciæ facinus magno illis staret. Ac paulum sanè abfuit quin quod statuerent perficerent: nam vnum quempiam interfecerunt, quem Cæsarem esse suspicabantur tum ex insigni & ornatissimo paludamento quod armis impositum gestabat, tum ex magno hominum comitatu, à quibus etiam obseruiari & magno honore affici conspiciebant. Cæsar ad hanc turriculam oppugnandam, coactus machinas admoueri, & totum exercitum perincommodè sanè subsistere iubet. Turris oppugnatur, rustici in eius potestatem deditione veniunt: quos omnes tum moræ indignitate commotus, tum ad reliquos exemplo perterrendos, nequid deinceps eiusmodi tentarent, suspēdi iubet. Quum porro planitiem quandam summo montis iugo sitam & syluis vndique cinctam esse audiret, quò milites eniti non possent, eò autem nonullos cum vxoribus, liberis ac pecoribus secessisse, ignem varijs locis secundo vento immitti iubet. Quo factum est vt omnes miserè cremati interirent: pauci quum ex incendio effugere conarentur, in hostes incidūt, qui ne vni quidem pepercerunt. Ea re plebs tantum in Cæsarianos odium cōcepit, vt quisquis in illorum manus postea veniret, non mitiore conditione vtebatur, quàm vt sęuissimo & crudelissimo mortis genere periret.

Cæsar ad turriculam quam rustici tenebāt subsistere cogitur.

CÆSAR ad Aquas Sextias literas per cursorem ab Ascanio accipit, quibus ille quid apud eos perfecisset ad quos missus cum mandatis fuerat, scribit, non esse nimirum huius legationis fructum quem sperauerat. Quo nuntio Cæsar accepto, quum diligentius apud se & attentius quàm antea, rebus adhuc integris, negotij magnitudinem consideraret, intelligere cœpit quid esset Regem Galliæ in Gallia adoriri audere: videt etiam (quanquam paulo serius) supra vires esse, pecunias diutius ad tot exercitus alendos quot varijs locis habebat, suppeditare. Quam ad difficultatem vt remedium aliqua ex parte adferret, (quando illuc semel ingressus erat, vnde pedem leuiter referre non poterat, aut certè nolebat) hæc ei ratio in mentem venit. A mercatoribus Antuerpiensibus ingētem pecuniæ vim mutuò acceperat: his cauerat tum numis quos illi Belgij ordines ad bellum gerendum concesserant, tum ijs qui annuo reditu ex Hispania, Neapoli & Sicilia pendebantur. Eos per nuntium rogat vt restitutionem in annuum tempus prorogent, interim illis numis ad rei præsentis necessitatem vteretur, se damnum, quanti interesset, ex illorū sententia postea repensurū esse, quòd diutius mutuum reddi expectarent. Quos ad hanc sententiam vt adduceret, nihil omnino reliquum facit, preces promiscuè & pollicita, rependendæ longioris moræ adhibet, metum etiam tardioris persolutionis incutit, nempe siquo aduerso casu bellū diuturnius foret quàm initiò speraſſet: quaquidem re fieret (quod tamen ne contingeret, summis votis optabat) vt tantum exercitū stipendij penuria, quod pecunijs persolutis numerari nō posset, dimittere cogeretur. Id verò si accideret, & metuendum nec dubitandum esse, quin hostis adeo acriter

1537. victoriam perſequuturus eſſet, vt ſe inuitum & ſuo magno malo illis in tempore deeſſe grauiter laturus eſſet.

Hoc miſſo nuntio Cæſar mirandum in modum dolere cœpit, quòd quum bellis ſuperioribus, quę per legatos ſolùm geſſerat, toties fœliciſſimè pugnaſſet, nunc quum ipſe intereſſet ac præeſſet cum potentiſſimo & firmiſſimo exercitu, poſt tantam verborum arrogantiam & ferociam qua eum omnes vſum fuiſſe recordabantur, tandiu deſidere cogeretur, vt nihil honorificum vel illuſtre hoc bello deſignaret. Itaque nouum inire cœpit conſilium, aut (vt verius loquar) conſiliũ quod antea animo agitauerat, perficere & exequi ſtatuit, ſed ſerius quàm par erat, vt nimirum fortunã tentaret, hoſtemque acrius inuaderet. Quod quidem conſilium magno ſanè illi bono ceſſiſſet, ſi maturè & quemadmodum belli ratio exigebat, Regis copiis nondum coniunctis, & populo ob repentinum & inopinatum tanti hoſtis aduentum adhuc exanimato, perficere ſtudiſſet. Caſtra habebat ſub Aquenſi ciuitate, vt illis ipſa à tergo eſſet, planitiemque & duos colles ab imo leniter accliues, ex quibus in ipſam planitiem vtrinque deſpectus erãt, occupabant. Larius exiguum flumen, quod oppidi mœnia alluit, per media in longitudinem caſtra labebatur. Illic Cæſar quum decimoquinto Auguſti die eſſet, communicato duntaxat cum ducibus conſilio, tria Hiſpanorum, quatuor Italorum & quinque Germanorum milia lecta de media nocte proficiſci iubet, vt antè ad locum quem deſtinabat peruenirent, quàm noſtri quicquam reſciuiſſent. Ipſe priuſquã diluceſceret, iã equum conſcenderat, comites habens ducem Aluam Hiſpanum, Alfonſum Aualoſium, marchionem Vaſtium & Ferrandum Gonzagam Italos, & comitem Hornium Germanum cum lectiſſimo vniuerſi equitatus flore. Cum hac equitum multitudine pedites paulo poſt ſolis ortum non procul Maſſilia aſſequitur, quum quidem ad conuallem quandam, quæ ad plagam maritimam pertinebat veniſſent.

Cæſar Maſſiliam ipſe explorare cõſtituit.

In illa conualle ſuis ſubſiſtere iuſſis, ipſe vno marchione aſſumpto cum ſclopetariorum non parua manu ad explorandum oppidum progreditur, vt ſalebris ſemper & obliquis itineribus incederet, ne ab oppidanis animaduerteretur, donec ab bombardæ iactum accederet: vbi ſe parietinis ædium quæ modò dirutæ fuerant, tectum continet. Illinc marchionem cum lectis aliquot ſclopetarijs progredi iubet, qui locum comi-nus exploraret quem à nonnullis percommodum eſſe ad collocandas machinas, oppidumque illac infirmius eſſe audierat. Ille dum loci ſitum circunſpicit, ſimul & oppidum diligenter vallo hac parte cinctum videt, & ſe ab ijs qui ad mœnia in ſtatione erant conſpectum eſſe ſentit: complures enim iam oppido egreſſos ſuperiora itinera capeſſere, vt à tergo ſe circunuenirent. Conſpiciendi cauſa hæc fuit. Equi quos Cæſar in conualle, de qua ſuprà diximus, reliquerat, magnum hinnitum edere cœperunt, quo ipſa conuallis hinc mõtibus, illinc mari clauſa reſonare cœpit: vt inde ſtrepitus ad oppidum ipſum peruenirẽt.

Quæ cauſa fuit quamobrem ſpeculatores eo attentius macerias illas & ſalebras, quantum quidem oculorum acies pertingere poterat, circunſpexerant. Quod dum diligenter faciunt, marchionem non procul paucis comitatum deprehendunt. Itaque ſclopetarij illi emiſſi non exiguo numero fuerant, qui cùm eum circumuenirent, ſi quidem nullos haberet comites quàm quos obſeruarant, tum verò, ſi plures fortaſſe in inſidijs ſemitis occultis & implexis laterent, inferiores, vbi res poſtularet, ne eſſent. Marchio vbi ſe conſpectum eſſe animaduertit, alia ſe via quàm qua venerat, ad macerias illam, vnde profectus fuerat, recipit. Ita cauſam cuſtodibus præbet, vt alios præterea ad macerias illas ſtantes deprehenderent. Quamobrem & alios ſubſidio milites emittunt, & aliquot machinis ad eam partem obuerſis ignem continuò immittunt. Emiſſæ in macerias glandes ruderum magnam vim excitant, quibus diſſilientibus multi tum interimuntur tum vulnerantur.

Cæsar ſe quamcelerrimè longius ab oppido extra glandis iactum in vallẽ recipit, quam vndiq; impendens maxima & latiſſima rupes tegebat, vnde fons aquæ perennis ſcatebat: ibi cibum propere capit. Communicato deinde cũ præcipuis ducib. conſilio, ducem Aluam & comitem Hornium circum Maſſiliam manere iubet, qui ſpeciẽ præberent, quaſi oppidũ obſidere cogitarent, Vaſtium cũ equitib. mille ducentis & Paulum

Saxa-

Saxanum cum sex peditum cohortibus mittit, qui Arelatum explorarent. His mandat, si oppidum irruptione facilè expugnari posse iudicarent, Aluæ & Hornio per nuntium significarent, vt copias illi simul coniungerent, dum ipse cum toto exercitu aduenirет. Sinautem ita munitum illis videretur, vt diuturnam obsidionem tolerare posset, se cum Alua & Hornio confestim ad Massiliam reciperent, vsquedum ipse quid fieri placeret, significaret.

His ita constitutis Cæsar in castra quo venerat itinere, reuertitur. Nostri quos oppido exisse demonstrauimus, aliquot ex hostibus capiunt, vt nimirum illi globorum ictibus perterrefacti, quibus parietinas illas dirui animaduerterant, palantes varijs locis, vt quisque locum opportunum nactus videbatur (quippe locorum ignari) diffugiebant. Captos ad Barbezium Regis legatum & alios duces Massiliam adducunt. Ex quibus discunt Cæsarem ipsum paucis comitibus pone maceriam tum fuisse, quum machinarum glandes illuc adigerentur, in capite cassidem Burgundicam cum plumis albis & aureis, & paludamentum Damascenum album armis impositum gestantem. Hac re nuntiata nō est quòd quisquam roget num plurimi tum extiterint quibus in illum eruptionem fieri placeret: tanti esse Cæsarem vel capere viuum vel interficere (qua in re tota victoria posita esset) vt non dubitandū esset vel multorum morte, si casus ita ferret, rem tē tare. Alij, quibus immatura consilia & periculosa minus cordi erant, oppidum militibus exhauriendum non esse censebant. Cæsarem non adeo propè accessisse, quin subsequentem tantam multitudinem haberet, quæ ad dimicandum, si res flagitaret, cum toto Massiliæ præsidio idonea esset: quin ne illud quidem à vero abhorrere, vt totum exercitum ponè sequi putarent.

Ad hanc sententiam duæ illos causæ deducebant: Vna, quòd speculatores longiusculè ab oppido (in ea scilicet valle vbi Cæsar suos reliquerat) armorum emicantem ad solis radios fulgorem videre sibi videbantur. Altera, quòd captiui se, quum è castris proficiscerentur, sciuisse negabant vel quam in partem discederent, vel Cæsarem subsequuturum fuisse. Quibus causis permoti verendum esse illi existimabant, ne si plures ex oppido emitterentur, & prælio commisso hostes maiore multis partibus numero superuenirent, vel cogerentur ipsi suos coràm inspectantes finere trucidari, vel si subsidium ferre conarentur, in oppidum compulsi hostes secum permixtos fortè introducerent. In hac altercatione alij medium quoddam consilium sequuntur, vt qui emissi fuerant, reuocarentur, nec longius abire permitterentur, ne in hostium insidias incurrerent: horum loco alij integri celocibus & piscatorijs scalmis emitterentur, qui oram legentes plagam illam extra hostis conspectum adnauigarent, quoad locum illum superarent, vbi armorum micantium splendor extare videbatur. Hucusq; prouecti, si quam hostium illic multitudinem viderent, à quibus se nequaquam conspectos esse putarent, tùm egressi conuallem quę ad plagam pertinebat, circuirent, donec dumeta peragrantes ad arma eos excitarent, darentque operam vt specie simulati receptus eos ad certam plagam, quam illis designari oporteret, allicerent. Illuc aliquot triremes mitterētur, quæ ad certum temporis spatium cunctatæ eos tandem medios machinarum globis necopinantes turbarent. Hæc si ita administrarentur, non dubitabant quin absque damno & dedecore multos ex hostibus interfecturi essent: quin illud quoque addebant, fortè vel Cæsarem ipsum vel ex primatibus quempiam (vt fortuna summis non minus quàm infimis minatur) illic, vt infortunium ferret, adfuturum.

Massilienses Cæsarianos eruptione facta cedunt.

Hac sententia omnibus probata ad rem perficiendam accinguntur: verùm Cæsar inde iam discesserat. Nostri in litus expositi, vti constitutum fuerat, longo circuitu myrtos, lentiscos & reliqua arbusta, quibus tota hæc regio obsita est, peragrant, deinde se conspectui dant, velut longè alijs è locis venirent. Dux Alua simulatque illos vidit, aliquot ferentarios in eos immittit, quos adeo appropinquare, vt eorum numerum inirent, & ad se rem confestim renuntiare iubet. Equites poste a quam illuc peruenissent, nostrorum paucitate animaduersa, Aluam illico certiorem faciunt, ipsi interim vt eos retinerent, dum receptum parare videbantur, & ad eum locum elicerent, vnde ne vnus quidem cladis nuntius euaderet, impetum in eos facere cœperunt. Nostri qui omnes sclopetarij erant, glandibus emissis sibi eorum impetum non magno esse terrori

1537. præ se ferunt. Id verò summopere equites expetebant, quorum consilium erat nostros tantisper velitando morari, dum suorum confertam multitudinem præstolabantur: quum quidem nostri artem arte deludentes, eam quoque allicere studerent. Qua paulo pòst conspecta nostri velut re inopinata se terrore affici simulant, pedem referunt, sic tamen vt in fugam se planè nondum conijcerent. Quum ad locum ad quem eos allicere iussi fuerant, peruenissent, tum terga vertere, seque contentissimo cursu arbustis propiores ripere cœperunt. Eo temporis vestigio sphæræ è tormentis aperta plaga in mediam hostium multitudinem crebræ emittuntur, quos breui ita exornatos reddunt, vt aliorum corporibus, aliorum cruribus & brachijs stratis, morientium lamentatione & fugientium pauore atque consternatione, reliquis qui integri erant & incolumes, tantum timorè immiserint, vt omnes de fugiendo magis quam experiundo periculo laborarent. Horum fuga subita & terroris plena fit: sed accidit quiddam quod eum valde auxit. Nostri enim qui arbustis & fruticibus se receperant, fugientes tam acriter adorti unt, vt illorum animos hæc opinio subierit, esse eos primæ nostrorum exercitus aciei præcursores, quasi accepto nuntio Cæsarem è suis castris exisse, ipsi quoq; Auenione egressi pugnandi potestatem facturi essent.

ITAQVE nihil ad præsens periculum effugiendum aptius esse reperiunt, quàm vt procul ab ora maritima dissipatam multitudinem in vallem rupibus collibusque circundatam colligerent. Ibi speculatores collocant, qui viderent num qui præterea accederent. Illic Alua dum suos recensèt, cùm multos se amisisse etiam illustres viros agnoscit, tum verò comitem Hornium, aliumq; eius propinquum ex Germanorum ducibus, magno sanè omnium luctu. Nostri perpaucis desideratis Massiliam se recipiunt. Hostes vnum ex nostris viuum captum ad ducem Aluam adducunt: ab eo rem totam, quemadmodum suscepta fuerat, audit, falsum etiam esse rumorem qui percrebuerat nostros castra mouisse. Ipse Dux cum reliquis centurionibus, quòd sibi tot illustres viros perisse indignarentur, hominem per summam immanitatem quatuor equis citatis diserpi iubent. Causam tantæ immanitatis prætexebant quòd Italus esset, qui paulo antè sacramentum apud Cæsarem dixisset, atque adeo transfuga & proditor omnino esse conuinceretur.

Vastius Arelatu ad obsidendum excitat.

DVM hæc fiebant, Vastius & Paulus Saxanus quâ iussi fuerant progressi, totam Craxiorum planitiem pertranseunt (quos Campos saxosos appellant) neque quenquam obuium habent. Ad hanc planitiem paludes versus non longè à ponte Craxiorum subsistunt, vt quid facto opus esset, inter se deliberarent. Saxanus illic cum multitudine manet, marchio triginta tantùm assumptis equitibus ad pontem venit, ad quem seruandum viginti ex illorum numero relinquit, ipse cum reliquis pontem prætergressus ad tumulum vnde oppidum despiciebatur, peruenit: hunc enim valde oportunum esse narratum illi fuerat, vt oppidani mirum in modum obsidione premerentur. Ac res quidem sic habebat. Subductis enim illuc aliquot machinis, deinde oppugnatione alijs machinis labefactato illo muri brachio, quod cum muro huic colli subiecto in angulum coibat, ex eo colle in muri partem deiectam glandes emissæ facilè ciues submouissent, ne ad irrumpentes hostes arcendos concurrere auderent. Illic Vastius gradum sistit, seque pone duo pistrina ventilata occultans, animaduertit solertia ciuium commoditatem illam quam se reperturũ sperabat, fublatam esse, ipse quoque à nostris ex oppido conspectus est.

Arelatum mira diligentia communitum

ENIMVERO si Cæsar initiò, vti constituerat, Arelatum rectà venire maturasset, prius quam Mommorencius prorex oppidum munire inciperet, perfacile illi erat nemine obsistente illo potiri: vnde liberum Rhodani transitum nactus, vel in Prouinciam vel in Gallia Narbonensi nos adoriri potuisset, pro eo ac tempus & occasio in altera harum regionum rei bene gerendæ facultatem præbuissent. Sed ipsius proregis iussu & cohortatione, ducum diligẽtia, militum indefatigato labore, ciuium denique ipsorum industria breui tempore adeo communitũ est, vt decimotertio die postquam inceptum opus fuerat, firmius multo ibi esset, quà ante tredecim dies maximè hosti patere & minimè propugnari posse videbatur.

OPPIDVM ad Rhodanum flumen situm est, ad ipsum fastigium vbi in duo brachia

chia diuiditur: vnde duobus oſtijs in mare influens inſulam triquetram nomine Camarollam complectitur. Calend. Auguſt. illuc ingrediuntur Ioannes Caracciolus Neapolitanus, princeps Melphitanus, & Stephanus Columna Romanus, quorum par erat & & æqua autoritas, vt vterque Regis ibi legatus diceretur. Eodem die ingreditur Antonius Antiuillanus cognomento Villerius rei machinariæ ductor, ſecum duodecim tormẽta tum maiora tum mediocria, ducentos item quinquaginta foſſores adducens. Poſtero die Bonouallanus cum ſua equeſtri turma quæ equitibus cataphractis quinquaginta conſtabat, viginti inſuper equitibus ex turma Boſiana duce Montrolio Bonnino Boſij legato. Hunc Bonouallanum, qui frugum & omnium rerum vaſtitatem faciendam vna cum comite Tendano ſuſceperat, vt ſuprà dictum eſt, Mommorencius per literas Arelatum proficiſci iuſſerat, vt oppidum vnà cum Melphitano & Columna tueretur, atque adeo equitum commemoratam multitudinem ad eum miſerat. Quo ille mandato accepto celeriter ad caſtra ſe confert, vt proregis ſententiam & conſilium plenius ediſceret, quid à ſe fieri vellet, ecquid in muniendo oppido diligentiæ adhibitum eſſet, quod antea ipſe ægertimè defendi poſſe nouerat. Breuiſſima in caſtris mora facta Taraſconem venit: ibi equites ſuos præſto habuit. Huius loci arcem, deinde Belcarium quoque ad alteram Rhodani ripam ſitum explorat, proregi quid ſibi videretur per literas ſignificat: id enim diſcedenti illi è caſtris mandauerat. Prorex ex eius ſententia, quũ nihil omittere vellet quod humana prudentia proſpici poſſe intelligeret, ea loca munirí iubet, ijs Rabodangium Regis ordinarium præguſtatorem & Sarremigium rei machinariæ præfectum cum quingentis militibus præponit.

ARELATVM poſtquam peruenit, literas & mandata principi Melphitano & Stephano Columnæ communicat, qui iam loca infirmiora munire cœperant. Qua tamen munitione inchoata ciues tum viros tum mulieres magnus timor occupauerat, maximè verò vulgus ipſum, propterea quòd complures matronæ nobiles, quæ oppidum antea incolebant (ea eſt enim illius regionis conſuetudo, contra quàm in media Gallia fieri ſolet, vt nobiles viri & mulieres in oppidis non ruri habitent) ſarcinis collectis aliò migrare inſtituerant. Ea res plebi magnum timorem incuſſit, quòd inde oppidum non mediocriter periclitari ſuſpicarentur. Verùm Bonouallani aduentu, quòd & Gallus eſſet, & eius linguam magis quàm aliorum ciues intelligerent, quum denique proregis Mommorencij verbis (cui totius regionis incolæ maximè confidebant) confirmaret nihil illis defuturum quod ad tuendum & defendendum oppidum conducere videretur, matronæ illæ confirmato animo migrandi conſilium abijciunt. Quo factum eſt vt deinceps omnium ordinum homines in opere eſſe inciperent, locupletiores etiam pecuniam ſe collaturos pollicerentur. Illic præſidio erant circiter centum triginta equites ex ijs turmis quas ſuprà commemorauimus, pedites mille Vaſcones, qui tribunum habebant Ioannem Foxium comitem Carmanium, totidem Campani, quos ducebat Ioannes Anglurrius Iurius, præterea ſclopetarij Itali propè quadringenti. Hunc numerum non ſatis magnum iudicarunt ciues, vt vim Cæſariani exercitus & continuas aggreſſiones ſuſtinerent. Tritici magna ſuppetebat copia, farinæ parum admodum, ne vnum quidem piſtrinum: itaque ſtatuitur vt viginti quinque conficiantur, quæ vel hominum induſtria vel equorum vi verſarentur. Vini quidem magna erat penuria, ſed magna ſupportandi Rhodano facultas dabatur: quinetiam tum ducum tum militum is erat animus, vt vel aqua bibenda, ſi neceſſitas cogeret, ſe ſuſtentarent. Quorum enim fortitudine præditus eſt animus, & ad res præclaras bene comparatus, ij ne ex profluente quidem bibere detrectant. Decreuerunt tamen vt vinum aduehendum curaretur. Quod ad carnes attinet, poterant nullo negotio vno die ex Camarolla inſula decem boum millia accipere: hæc enim è regione ſita eſt, ſic vt Rhodani brachium duntaxat interſit. Sale valde abundabant, pulcremverò & reliqua quæ ad rem machinariam pertinent, non ita magna copia habebant.

QVIBVS omnibus diligenter conſideratis optimum factu eſſe viſum eſt, vt princeps Melphitanus (qui hanc curam omnium rogatu, quòd Regis negotia id poſtulare videbantur, libenter ſuſcepit) ad caſtra, quæ ad Auenionem erant, proficiſceretur, Mommorenciumq; moneret vt quæ ad oppidum propugnandum vſui eſſe viderentur, mit-

1537. Arelatiſeditio inter milites.

teret omnia. Dum ille abeſt, rixa inter duos milites cooritur, quorum alter ex Anglurranis cohortibus, alter genere erat Italus. Orta inter eos primùm deinde paulatim inter vtriuſque commilitones contentio ita exarſit, vt pene tota ad extremum multitudo in Italos commoueretur & arma ſumeret, quorum parua erat ſanè pro Campanis multitudo: ſic denique dimicatur vt ferè octoginta numero vtrinque caderent. Itali ad ipſas Stephani Columnæ ædes compelluntur: eò ſe recipiunt, quòd is & conterraneus erat, & regij legati in oppido dignitatem tenebat.

CAMPANI incenſis pugna animis adeo nullam loci quem ille obtinebat, rationem habent, vt non promiſcuè ſolùm cum ipſis Italis in ædes irruere conarentur, verùm etiam non ſecus ac ſi cum perduellibus res eſſet, ſigna eò properè inferrent. Machinam ad fores vſque trahunt, qua alij fores perfringendas cenſent, alij ſclopetarijs glandibus eos petunt qui colloqui ad ſeditionem pacandam cupientes, è feneſtris proſpiciebant, quorum tres aut quatuor occiderunt: alij domos conſcendunt, vt detractis tegulis irrumperent. Res ad miſerrimum exitum ſpectabat, vt magnum regijs negotijs detrimẽtum adeſſe appareret: niſi Bonouallanus audito tumultu, cum decem aut duodecim duntaxat è ſuis equitibus, quos fortè apud ſe reperit, ſtatim accurriſſet, reliquis armatis & equis conſcenſis properè ſubſequi iuſſis. Ipſe præſtinatione, quòd metueret ne malum gliſceret, parmam manu geſtans & gladio accinctus adeſt, quum temporis ſpatium vt alia armatura ſe tegeret, nullum daretur. Vbi ad locum venit, Villerio primùm, quem obuium fortè habet, imperat vt tormentum inde abducat. Ægrè hoc ab eo perfici poterat, propterea quòd vi & tormentarijs inuitis à ſeditioſis aduectum fuerat. Anglurrio inſuper præcipit vt ſuos milites hinc faceſſere iubeat: verùm is nec imperio nec autoritate qua apud illos valebat, quicquam profecit.

EODEM temporis veſtigio Broſſius Bonouallani & Montrolius Bonninus Boſij legatus adſunt cum toto equitatu armis & lanceis inſtructo, quemadmodum iuſſi fuerant. Bonouallanus ex eo numero viginti equites lectos diſcedere iubet, qui ſingulis ædibus Italos inueſtigarent, eosque ad locum remotum & munitum, quem ipſe aliquando deſignauerat, pone Eccleſiam quam Maiorem vocant, ducerent: denique illis vel capitis periculo edicit, videant ne quid illi detrimenti acciperent: reliquos iubet ad Columnæ ædes ſubſiſtere, donec quid fieri vellet oſtenderet. Ipſe cum decem cataphractis, quos ex equo deſilire iubet, ædes obambulans, rationem inuenit qua eos poſtico introduceret, ingreſſos ad feneſtras prodire compellit, vt ſeditioſi tandem illas ædes præſidio non carere intelligerent. His rebus confectis ad ſeditioſos illos ſe confert: qui equites ad feneſtras cõſpicati in ipſum Bonouallanum ſe tumultuari velle præ ſe ferre cœperũt. At ille & vultu & oratione imperioſa atq; minaci eos obiurgans, demõſtrat præter equitatum illum quem à tergo viderent, cohortes Carmanianas iam in platea armatas eſſe (comitem enim Carmanium ipſius ex fratre nepotem eſſe illis conſtabat) quibus ſe accerſitis & alijs viribus quas ad manum haberet, facilè eorum impetum & effrenatam audaciam repreſſurum eſſe. Hac illi oratione perculſi ſe recipiunt, quum præterea Villerium rei machinariæ præfectum, & ſuum etiam ipſorum tribunum, Anglurrium cum Bonouallano ſtare viderent, qui etiam magna fide ac diligentia in ſedando tumultu vſi ſunt. Hos etiam comitabantur ex ipſis Campanis militibus non pauci, quibus hæc ſeditio aduerſus equitem torquatum & Regis legatum mota vehementer diſplicebat.

SEDITIONE pacata Columna Bonouallano per nuntium vt ad ſe veniat, petit. Quò poſteaquam venit, oſtendit ſe tam inſigni accepta iniuria in eo oppido non diutius morari decreuiſſe: ab eo ſummis precibus contendit, vt ſe egredientem præſidio & comitatu iuuare velit, dum in locum tutum perueniret. Bonouallanus contrà docet nefas illi eſſe ita diſcedere, quum & ipſe in oppido Regis iuſſu cum imperio eſſet, & Cæſar loco tam propinquo in planicie Auiliana ſub Aquenſi ciuitate caſtra iam haberet: ſatius eſſe vt tota res vel Regi vel proregi nuntiaretur, vt ſeditioſi iſti exautorarentur, ſupplicioque debito afficerentur, in cuius locum alios poſtea milites ſubmitti magis morigeros & publicæ vtilitatis magis ſtudioſos oporteret. Dum porro reſponſum a Rege acciperetur, nihil cauſæ eſſe cur ſibi metueret, obſequentes milites & numero & viri-

& viribus etiamnum superiores esse. Addit insuper se in ipsis ædibus pernoctaturũ esse, imperaturum præterea vt totus equitatus & dimidiæ comitis Carmanij cohortes excubias illic agerent, nequid denuo seditionis oriretur. His tamen Bonouallani verbis Columna à sententia deduci non potest: sed quum timeret ne prima hæc rixa aliam pareret, quæ res publicis negotiis impedimento, sibi dedecori & probro esset, afferret etiam se oppidum absque præfecto non deserere, ipsum Bonouallanum remanere, qui quoniam lingua Gallica vtebatur, facilè iis ipsis seditionis autoribus morigeris veretur, maximè si Cæsar prius appropinquaret quàm alij milites accederent: quod semel statuerat, in eo perseuerat, neque rogare desistit, quin exoraret. Bonouallanus triginta ex suis cataphractis equos consecendere iubet: horum decem præire constituit, deinde Colũnæ famulos procedere, postea ipsi cum decẽ aliis, quos tandem reliqui decem nouissimo loco sequebantur. Hoc ordine ad portum Trincotallium peruenĩunt: illic Columna flumen transit, Bonouallanum salutat, & ab eo discedit, reliquos Italos qui in oppido non ita magno numero supererant, ei commendat. Quod etiam eadem ratione præsidij ad profectionem dãdi perfecit, & ad eum portum commeatum illis in posterum vsque diem suppeditandum curauit.

REBVS ita administratis Anglurrio disertè imperat vt ex vniuersis cohortibus principes seditionis autores perquirerent, quos sibi sisti vellet. Dum Anglurrius iussa exequi parat, (erat autem vir cum primis honestus & probus, sed milites longè dissimiles habebat) ipse interim ad Mommorencium proregem scribit, de iis quæ acciderant certiorem facit, rogat aliquem primaria autoritate mittat, qui de tota re cognoscat. Mommorencius ilico principem Melphitanum remittit, cui Potonem Rafinum seneschalum Agenensem & vnum ex prætorianorum præfectis attribuit: post illos denique machinaria impedimenta & alia quæ vsui essent magno numero mittit. Cùm enim in vniuersum summa diligentia prospiciebat quicquid hostis conatum infringere, impedire vel retardare posset, tum verò huic oppido in primis prouidendum esse statuebat, non modò quòd magno futurum esset hosti adiumento, si eo potiretur, sed quòd solus ferè cæteris diuersum sentientibus illud muniendum esse censucrat. Itaque singulari quodam studio operam dabat, vt omnia abundẽ, quæ ad propugnandum vsui erant suppeditarẽtur: quòd videbat, si res malè cesssisset, multos obiecturos fatius futurum fuisse hosti apertũ dirutis munimentis relinquere, quàm negligentius muniendo ei postea obiicere, quia se expugnatum illud gloriaretur: vnde & illi maiores spiritus sibi sumerent, & nostris animi virtus & fortitudo labasceret. Anglurrius Bonouallano duos ex suarum cohortium seditiosos in manus tradit, quorum alter se nobilem esse prædicabat. Hi ad imbrices domus publicæ suspenduntur, cohortes in castra remittuntur, ipse Anglurrius grauiter morbo affectus in oppido subsistit. Cohortes postquã in castra venerunt, publica ignominia notantur, vexilla eripiuntur & hastilibus eximuntur, seditiosi omnes publico præconio exautorantur, regiis stipendiis in perpetuum illis interdicitur. Duo hominum millia in eorum locum mittuntur, quibus præerat Ludouicus Lucemburgius comes Rossius. Is tamen paulo pòst vnà cum fratre Ioanne Lucemburgio Chistellio à prorege accersitur, vt apud illum in castris essent. Itaque mille ex iis quos adduxerant illic relinquunt, quingentis præerat Marius Delphinas, totidem reliquis Gutta Bonesius. Reliqui mille numero vnà cum Lucemburgio in castra reuertuntur: quorum in locum mittuntur quingenti duce Palassio patria Foxiano, totidem etiam alij duce barone Rixouio Ocitano.

OPPIDVM interim continenter munitur, vt decimotertio iam die vnde maior metus impendebat, inde minus periculi quàm aliunde appareret, sexque propugnaculorum & castellorum substructiones ad illud defendendum extarent. Illis machinæ imponũtur, aliisque locis collocantur, quibus maximo vsui fore videbantur: præsertim in veteri theatro quod Arenarium appellant. Illinc prospectus in illum tumulum editum, de quo à nobis dictum est, recta ferebatur: vt nulli quantumuis exiguo numero vllaratione tuti illic consistere possent. In hoc theatro duæ machinæ loco maximè opportuno collocantur, vnde in omnes vndique partes globi emitterentur. Has munitiones Vastius ex eo loco prospiciebat, vbi se post pistrina ventilata occultauerat, quemadmodum à nobis dictum est. Illinc opus spectans satis iudicat commoditates illas omnes

Vastius Arelatum explorans conspicitur.

1537. sublatas esse, quibus se in oppugnando oppido vsurum esse sperauerat. Sed rem ita habere ipso vsu non solùm aspectu haud multo interiecto spatio, neq; id sine vitæ discrimine, didicit. A nostris enim conspectus, statim à seneschallo Agenensi, qui vnà cum Bonouallano deambulabat, Villerio rei machinariæ præfecto peritissimo & diligentissimo indicatur. Is tam scita collimatione duas machinas theatro impositas ad illum locum obuertit, vt nisi Vastius accensum ignem conspicatus, subita corporis declinatione è loco excessisset, actum de eo planè videretur. Glandes proximè illum delapsæ magnam terræ copiam excitant, qua sparsa fortè petitus equus cui insidebat, conuersus in illud iter quo venerat tanta rapiditate fertur, vt nulla ratione cohiberi potuerit, donec ad viginti illos equites quos ad pontem custodiendum reliquerat, peruenire. Illinc se cum suis maiori celeritate recipit quàm venerat: quòd oppidanorum ad arma concursum clamore significari audiebat. Itaque verebatur ne prius opprimeretur, quàm ad suorũ multitudinem veniret, quæ ponè illum tumulum condita latebat, quà ad loca palustria itur: qui locus sex ferè hominum millia capere poterat, vt ab oppidanis minimè conspicerentur. Quæ sanè fuerat causa cur sibi ab illo tumulo tantopere metuerent. Etenim si illud tantùm periculi extitisset, quòd illinc in oppidum prospectus dabatur, quódq; machinæ è loco superiori oppidum interius nullo obiecto vallo toto muri brachio nostros prohibiturę videbantur, ne ad irrumpentes hostes arcendos ad muri ruinam concurrerent, ac non etiã patuisset locus, vbi tecti hostes magno numero collocarentur, qui machinis præsidio essent, ne egressi oppidani illas vel occuparẽt, vel clauis adactis obstruerent: non fuisset profecto tantopere ille locus editus pertimescendus.

PRINCEPS Melphitanus, Bonouallanus & seneschallus Agenensis, vt toto oppido magna festinatione ad arma conclamaretur efficiunt, non quò eruptionem vllam facere cogitarent, sed vt militum virtutis & animi periculum facerent. Horum tantam alacritatem experiuntur, vt non minus spes quàm studium strenua illorũ ad propugnãdum oppidum industria deinceps vtendi eis accesserit. Mœnia statim satis conferto hominum numero complentur, certa ex singulis cohortibus multitudo ad locum quò cõclamatione facta coire oportebat, præsto est: signa in loca constituta inferuntur, quæ tãta militum multitudo comitatur, vt qui circum muros in stationibus collocati erant, desiderari non putarentur: vulgò toto oppido erumpendum esse ingenti clamore iactabatur. At duces, ad quos crebri ex hostium castris nuntij afferebantur (maximè monachi cuiusdam ex Francisceanorum grege opera, quem illic Bonouallanus habebat: nuntium acceperant Cæsarem nonnisi de Arelato obsidendo verba facere) suos crumpere non patiuntur, ne totus Cæsaris exercitus nouissimo loco esset. Horum tamen egregiam voluntatem amplissimis verbis collaudant, in ea vt pergãt cohortantur, quam ad illud tempus reseruarent, quod duces opportunitate oblata commodum iudicarent ac præciperent. Decem tantummodo equites cataphractos oppido emittunt: quos cò progredi iubent, dum deprehenderent quanta cum iis esset multitudo qui in tumulo conspecti fuerant, quid denique hostis consilij haberet, cognoscerent. Longè illi procedunt, vt neminem obuium haberent: in ea quidem valle depressa & palustri vbi in insidiis latuerant, equorum vestigia obseruant, tum itineris signa, quo se vnà cum peditatu receperant, agnoscunt. Sed illi maiore festinatione quàm venerant reuersi, se ex nostrorum oculis & conspectu sua celeritate subduxerant. Duo rustici in fruticetis reperiuntur, quò se præmetu abdiderant: ex iis nostri audiunt, & in oppidum renuntiant, hostes tota multitudine illinc se recepisse, omnes simul ad Sammartinum quem vocant transiisse: qui locus ab oppido amplius mille passus abest quà iter est Massiliam.

Cæsariana classis turrim oppugnat.

INTERIM commeatus, machinarũ multitudo, & reliquæ munitiones quæ Melphitanum & Agenensem subsequi debebant, aduehũtur: inter cætera decem aut duodecim vini naues adsunt, qua maximè re ex toto commeatu illi egebant: pulueris tormẽtarij & sclopetarij non exigua copia, rerum præterea è quibus lanceæ, ollæ & malograna ta igniuoma conficiuntur. Horum magnam multitudinem faciendam curant: erat enim quidã in oppido tormentarius huius artis scientissimus: qui aliquando capitibus Rhodiensibus operam suam collocauerat. Eodem tempore aliquot Cæsaris triremes ad turrim ostio Rhodani impositam accedunt, quam tormentis diu concutiunt. Qui turrim custodiebant, nullo se metu affici præ se ferunt, acriter propugnant, in vnam ex

trire-

triremibus glandibus impactis hostes vehementer lædunt, quos ad extremum illinc discedere cogunt, ægrè admodum ferentes quòd conata perficere non potuissent. Cõsilium enim fuerat capta turri Rhodanum ponte iungere, quo in Galliam Narbonensem transire liceret, spe non dubia adducti, fore vt multa oppida eius regionis occuparent, quę opibus ditissima, defensoribus parum referta, & opere minimè munita erant. Rex quòd huic turri metueret, iam Nemausum, Biterras & in alias vrbes præsidia deduci easq; muniri iusserat, præter eos qui à Candenario tota prouincia Narbonensi conscribi & præsto esse, siquid vrgeret, iussi erãt: quorum maximus postea vsus fuit, tametsi tum quidem nihil esset necesse. Itaque Regi mirè grata fuit eius opera & virtus qui turrim defendit: qui quidem præter insitum illud rei fortiter gerendæ studium, eo maiorem adhibebat diligentiam, quòd adolescens in rixa facinus commisisset, cuius culpam & memoriam delere conabatur. Neque spes sanè eum fefellit: Rex enim tam strenuum factum remunerari studens culpam illi condonauit: quin ipse postea (Vicontio illi cognomen erat) ordines duxit, & quingentis peditibus in regiis bellis præfuit.

Alia intermissa Arelatensis seditio.

HAVD multo post oritur alia seditio, non minori scelere neque leuiori periculo quàm illa altera. Cuius hoc fuit initiũ. Arzacus Brixius patria Burdegalensis D. peditibus sub tribuno Carmanio præerat. Ex iis duo quũ in statione essent, duos annonarios prætereuntes (qui arietes in castra ducebant) cõspicati, statim è muro scalis admotis descendunt: nã interdiu mane scalæ erigebãtur, vesperi in oppidũ subducebantur, propter eos qui operi faciẽdo incũbebãt. Egressi quinq; aut sex arietes illis per vim adimunt: qui ad comitẽ Carmaniũ (ex cuius cohortibus eos esse sciebant) hãc iniuriã expostulaturi cõfugiũt, sibi vt satisfiat, petunt. Ille ius non denegat, mox fontes cõprehendi, & Melphitano atque Bonouallano in manus tradi iubet, quos statim in vincula carcere publico coniiciunt. Exiguo interiecto spatio Arzacus Bonouallanum adit, captiuos restitui, & hanc culpam illis ignosci postulat. Respondet Bonouallanus se cum Melphitano principe eam de re acturum, se quidem quicquam constituere in re tanti momenti, nec velle nec debere, quæ periculosa admodum exempli duabus de causis erat, primùm quòd statione relicta muros ad deprædandum transiliissent: deinde si nulla de iis pœna qui huiusmodi latrocinia committunt, sumatur, futurum vt oppidum in egestatem, præsertim Cæsare tam propinquo, incideret. Arzacus cùm alia quæ iratus animus subiiciebat, respõdet, tum verò nisi reddantur captiui, permultos esse quibus hoc factum minimè probaretur. Excipit Bonouallanus, & diserte Regis verbis illi imperat, vt quotquot ex suis esse intelligeret, quibus disciplinæ militaris & institutorum belli violatores castigari non placeret, ipse eos oppido eiiceret. Arzacus nihil ad hæc locutus, vultu & gestu indignabundo egreditur. Eodem die post cœnam quum Melphitanus & Bonouallanus oppido exiissent, vt in agro procubitores collocarent (vigilias iniquas verbo castrensi appellant) & milites quibus ad eam rem vti solebant, variis locis sparsi essent, vt omnis opprimẽdi oppidi facultas tolleretur: Arzaci milites quingenti numero seditionem mouent, ac Vasconiam magna voce inclamantes, vt conterraneos commouerent, rectà in carcerẽ magno impetu feruntur, fores effringere & custodibus vim inferre parant: nequis ad opem ferendam accurrat, ad omnes plateæ aditus quæ ante carcerem erat, sclopetarios & hastarios disponũt. Tumultus rumor ad aures Carmanij peruenit, qui quòd tribunus militum erat, eò properè accurrit, & strictum manu gladium gestans se illorum audaciæ opponit, seditionem pro viribus sedare & domum omnes mittere studet: sed parũ verbis proficit, imò bis aut ter paulum ab eo abfuit vt interficeretur. Melphitanus & Bonouallanus re intellecta magna festinatione accurrunt. Verùm non ita potuerunt tempestiuè accedere, quin fores curiæ municipalis (vbi carcer erat) effractæ, tabulæ & monimenta in ignem conie cta, milites & reliqui quotquot vincti erant, soluti planè ex ergastulo extracti essent.

DVCES tantum hoc facinus eo tamen die dissimulandum esse cẽsent, id veriti, ne dum sceleris autores cõquiri iuberent, deterius aliquid cõtingeret, domus diriperẽtur, virgines ac mulieres per vim constuprarentur, aliáque designarentur quæ ferè solent homines improbi, quibus facultas quædam ædes nocte intempesta (quæ, vt aiunt, pudore caret) perlustrandi obiicitur. Præstare statuunt, vt Bonouallanus accersitis ad se omnium aliarum cohortium centurionibus, cum eis ageret, vt suæ quisque cohortis prima-

1537. rios nulites sibi conciliare studerent, quò auxilio ad exemplum in istos audacia furentes edendum essent, hæc ab omni ratione & æquitate prorsus aliena esse, quanti omniú genere Gallorum qui militabant, apud Regem interesset, eorum culpa huiusmodi seditiones crebrò contingere, quæ causam ei præberent, quamobrem milite externo deinceps non domestico vteretur. Hac oratione Bonouallanus & autoritate quæ valebat, eorũ animos sic affecit, vt se omnes operam daturos pollicerentur, vt in fontes animaduerteretur, & qui aduersari auderent, vniuersi concideretur. Postero die mane Melphitanus & Bonouallanus comunicato prius consilio comitem Carmanium ad se accersunt, hunc iubẽt tympani strepitu & vexillis explicatis suas cohortes ex oppido educere, vt in castra ad Auenionem proficiscerentur, nolle se homines turbulentos in oppido diutius pati, cuius tantum esset momentum, quódque hostis obsessurum se quotidie minaretur. Multa ille tergiuersatus & reluctatus tandem porta Craxiana suos emittere cogitur. Melphitanus & Bonouallanus equitatum omnem, duo peditum millia ex aliis cohortibus & ciues circiter quadringentos (quibus Aquarius oppidi ciuis præerat) porta Tarasconensi exire iubent. His ita constitutis Carmanio imperant vt duas cohortes seorsum instruat, velle se videre quantus in vtraque militum numerus esset. Arzacum vocant eius cohortis centurionem à qua tumultus initium factum fuerat, præcipuos seditionis autores in conspectum dare eum iubẽt. Is duos miseros gregarios producit, hos esse maximè seditiosos affirmat. Quo illi quum sibi satisfactum esse negarent, præciperẽtque, vt alios & quidem præcipuos adduceret, de quibus capitale supplicium cæteris inspectantibus sumere intenderent, respondet Arzacus, si in omnes facti participes animaduertere liberet, ne vnum quidem exceptũ iri. Duo illi in manus latrũculatori tradunt, quos in oculis exercitus suspendi iubet: cæteri omnes vultu & voce significare, grauiori etiam supplicio dignos esse homines contumaces & seditiosos, qui bonorum omnium congressu arcendi essent. Arzaco signum adimitur, ille cum suis ex cœtu deturbatur: hi absque tympano totam multitudinem peruadunt, iubentur ad proregem in castra proficisci, cuius arbitratui committebant, vt aut veniam illis daret, aut debito supplicio pergeret afficere. Carmanius Arzaco signum militare cõmodatò reddit, quo in castra proficisceretur, ea tamen conditione ne illi deinceps explicare absque prorẽgis permissu liceret. Ille aliud iter arripit, neque vnquam reperiri potuit, quantacunque diligentia vndique petuestigaretur. Ipse quidem Mommorencius constituerat ab ipso Arzaco non à militibus facti rationem reposcere. Milites quoque diuersi & palantes alio atque alio itinere dilapsi abierunt: neque vllum postea in eo oppido facinus, contumacia aut tumultus extitit.

His omissis ad Regem nũc reuertamur, qui Valentiæ de illo Cæsaris ad Massiliam aduentu, quem commemorauimus, nuntium acceperat. Quanquam porro statim pòst nuntiatum fuerat eum non diu moratum, parua admodum spe oppugnandi nedũ potiundi oppidi ilico discessisse, tamen huius rei fama breui peruagatur, & tota aula increbresceit: vt non modò de ipso iam hominis aduentu & machinis ad oppugnationem admotis spargerentur sermones, sed etiam narraretur eum octo dierum spatio ipsas nostrorum munitiones aggressurum esse. Hic rumor à tenuibus ortus ad primates ipsos permanauit: nec verò tanquam de re formidabili id disseminabatur (qualiter solent rumusculi cum metu in aurem insusurrari) sed publicè clara omnium voce prædicabatur, velut rei cuius felicissimus speraretur exitus. Hæc quũ palàm enũtiarentur, non est quòd quis roget vtrum Henrici modò Delphini & Britoniæ ducis, qui apud Regem patrem ac dominum colendissimum erat, incredibilis quædam cupiditas animum subierit, vtrum omnibus quos apud patrem gratia & autoritate plurimum valere intelligebat, valde instaret, qui sibi adiumento essent, vt cum patris venia castra adire liceret. Ac tanta sanè ille cupiditate huius rei ardebat, vt præ metu quo afficiebatur ne serius adesset, Cæsaris audaciam & alacritatem ad nos adoriendos vberius multo quàm exitus ipse comprobauit, prædicaret: neque vllos nisi his de rebus sermones inter familiares ac notos habebat. Præcipuè verò quititari solebat, si res infausto casu ita ferret, vt Cæsar prior huc aduenire, nec ipse ad eum excipiendum præsto esset, ecqua in posterum spes superesset fore, vt tam opportuna sibi daretur facultas, qua tyrocinium ederet? ecquando æquius aut glorioſius bellum contingeret, quo postquam diuinitus in hunc gradum elatus

Henrici Delphini mira in castra aduentu cupiditas.

elatus esset, cum tam nobili aduersario comparatus sui periculum faceret? Bellum enim geri pro charissima patria tuenda, à qua submouendus esset, potentissimus hostis Cæsar multis antea victoriis clarus ille quidem, sed nunc, si & apparatus noster spectaretur, & æquitatis ratio haberetur, cladi accipiendæ propositus. Denique eum esse hostem, quo superato victoriam omnium maximam & illustrissimam quæ vnquam homini contigerunt, certò expectari: victore autem offensionem fortiter præliando nullo dedecore contaminatam futuram.

HÆC passim animo agitabat & dictitabat: quæ tamen quia non satis maturè se cõsequuturum sperabat, quandiu eorum duntaxat opera vteretur qui apud Regem erant (sic enim animus magna cupiditate incensus vel breuissimæ moræ impatiens est) omnes alias rationes inire cœpit. Cum Mommorencio per nuntios, quos in castra crebrò mittit, agit, vt ab eo literas ad Regem scriptas quales cupiebat, & certum hominem cum mandatis impetraret. Rex qui reuera summam ex eo voluptatem capiebat, quòd in filio talem ad bellicam gloriam & res præclaras ardorem agnosceret, qualem in seipso fuisse, quum ea ætate esset, recordabatur, quo magis apud se animi summam alacritatem laudabat, eo se difficiliorem in concedendo præbebat: quòd simulatione repulsæ hunc animum iam honestæ cupiditate quærendæ nominis gloriæ in ipso iuuentutis flore flagrantem magis ac magis inflammare vellet. Tandem se precibus expugnari sinit, aut (vt verius dicam) se vinci simulans, quod in primis cupiebat, velut nonnihil inuitus concedit. Iam vires suas coniunctas & paratas videbat, ac tales quidem vt absque temeritatis culpa illis cum hoste cõgredi minimè dubitaret, perficerétque reipsa quod iampridem in animo habuerat, vt ipse rectà eò exercitum prælio decertaturus duceret, quò hostem progredi audiebat. Itaque quum satis sciret filio (quem nunquam profectò fuisset primum belli specimen ac tyrocinium in expeditione nimium periculosa edere) tales futuros comites, vt diuino fauore fretus nec damnum vllum accepturus, nec dedecus admissurus esset, quum insuper ipse breui eum subsequi cogitaret, vt hanc honoris stirpẽ, ex qua incomparabilis virtutis fructus expectabatur, in generoso iuuenis principis corde satam aleret atque educaret: libenter hanc ei gloriæ vsuram concedit, vt illi apud tantum exercitum, tali ætate, aduersus tam potentem hostem, qui ipse aderat, proregis & imperatoris nomen tribueret.

Regis ad filiũ Delphinum oratio.

QVAMOBREM vbi quod petebat concessisset, & animo & oculis in eum conuersus sic alloquitur, Nunc, inquit, Henrice fili, cum bona mea venia cúmque eo animi ardore quẽm in te nequaquam damno, proficiscéris eius artis futurus discipulus, quam te aliquando scire ac factitare (quæ tui ista educatione digna expectatio est) oportet: sic tamen vt tum ea tibi vtendum esse intelligas, quum causam ea ratione tollere te putabis, ne posthac, vel sæpius vel maiore populi damno & regni periculo ea vti necesse sit. Illic Mommorencium & multos cum eo belli duces peritos reperies, quibus equidem pro singulari in me & regni salutem studio debeo plurimum. Huic separatim te eò venire dices non imperandi, sed discendi causa vt in posterum imperes: huic porrò vnà cum cæteris te eos adire dices, vt suam illi te artem doceant, rogabis vt te ei tyrocinio assuefaciant, quod tum tibi tum illis honori sit, ad Dei in primis cultum atque huius regni vtilitatem conducat. Comem te illis & affabilem præbeto, eorum tibi amorem ac studium conciliato, quemadmodum frater optimè inceperat. Potissimùm id operam dato vt talem te omnes experiantur, vt nisi is esses, qui es, eum te esse cur optent causam habere videantur. His ab se eum verbis dimittit, qui minima mora ad iter faciendum accingitur. Ibi verò iuuenes aulici nobiles satis produnt, quàm vehementi voluntate arma capessendi tenerentur. Nemo enim fuit cui non honoris insitum natura studium puncto temporis omnia ad proficiscendum necessaria parata confecerit. Triduo Delphinus in castra venit. Mommorencius obuiam illi citra pontem Sorguium procedit, vt eum magna tribunorum, centurionum, aliorúmq; qui aliquem dignitatis gradum in castris tenebant, multitudine exciperet: quibus eum comitatus in ædes suas deducit, eíque illi cessit, vt illic tanquam imperator prætorium haberet. At Delphinus eum migrare non patitur, satis sibi esse dicens si ædium partem teneret. Itaque simul habitant, vt Mommorencius omnia pro imperio, vt antea fecerat, administraret, Delphinus illius consilio & sententia perpetuò vteretur.

1537. Cæsarianorū ad Massiliam cohortatio.

Cæsarem Massilia discessisse iam ad castra perlatum fuerat. Sed dux Alua & cæteri quos ille reliquerat, oppidum etiamnū obsidebant, specie tamen maiore quàm potiundi spe: aut etiam consilio: nostros duntaxat ad eruptionem quandam temere facien dam elicere conabantur, aut certè efficere vt exercitus Regius subsidio obsessis veniret, quem loci opportunitatem nacti superiore conditione adorirentur: propterea quòd Cæsar castra adeo propinqua habebat, vt statim de nostrorum profectione certior factus illos anteuertere & ad suos venire facili negotio posset. Sed frustra hæc omnia consilia capiebantur. Nam oppidanis præstantissimi duces præerant, qui suos nunquam nisi cōmoditate scitè captata, vt hostibus damnum semper inferrent, egredi sinebāt. De castris porro mouendis Mommorencius, qui iampridem apud se quid agere vellet ac deberet constituerat, quique singulis diebus aut exploratorum opera, aut captiuorum testimonio, aut amborum etiam constanti oratione quæ apud hostes gererentur, quicquid illi susciperent, quicquid in concilio deliberarent intelligebat: etiā illis cessantibus, nec quę constituerant perficientibus, nihil sibi totis copiis tentandū iudicabat, licet victoria iam pene in manibus certa, vt neque Regis neque regni rationes in discrimen vllum adducturus videretur. Idem porro tametsi iam inde à Briniolana clade id potissimum spectabat, vt nostri eo prudentiores & cautiores ad belli fortunam essent, quo hostis ad suscipiendum audacior reddebatur, non tamen prorsus languescere & remitti illorum virtutem patiebatur: sed vt quo de hostium consilium aut iter susceptum ad illum perferebatur, ipsemet (quātum humana iudicij perspicacitas ferebat) præscribebat quos, qua ratione, quoadusque illis occurrere expediret: ipse quo magis aut minus rem progredi animaduertebat, eo magis habenas vel adducebat vel remittebat iis quos ad cōsilia sua exequenda emiserat. Hac ratione damnū Briniolis acceptū absq; vllo offensionis discrimine ita sarciendum curauit, vt nullus vnquam præteriret dies quin hostes vel in castris turbarentur, vel nuntium de aliquo conflictu acciperent, quin nostri cum eis aliquo loco pugnarent, vt Cæsariani perpetuò inferiores discederent. Nec verò illi tanta vnquā diligentia suam profectionem cælare, nec horam & tempus tam alienum deligere, nec itinera tam cæca & insueta tenere potuerunt, quin eunt es aut reuertentes in nostros inciderent. Si paulo plures egrediebantur, quicquid prædæ reperire poterāt, id omne absumebant, neque quicquam ad suos reuersi afferebant. Sin pauciores, vel prorsus delebantur, vel superati capiebantur. Quamobrem neque quod iter insisterent, satis illis cōstabat, neque certò constituere poterant, vtrùm ad penuriam omnem tolerandam se compararent, quòd metus longius à castris euagari prohibebat, an potius se in hostium manus manifesto vitæ discrimine coniicerent, quò mortem desiderosam & probri plenam effugerent.

Mommorencij incomparabilis prudentia.

Non multo antè Ioannes Paulus Ceres cum suis equitibus & nonnullis Italis ferētariis, & Martinus Bellaius cum suis ducentis & tribus Italorum peditū cohortibus, nūtio per exploratores accepto, aliquot ex hostium equitatu ad Lormarinū, quod exiguū est oppidum quā ipsi iter habebāt, pabulatum venisse, suos equites variis locis in insidiis collocant, id eo consilio, vt si alij aberrarent, alij saltem in eos inciderent. Casus ita tulit, vt quo itinere ipsi equitabant, hostes obuios haberent, qui pecoris & armenti magnam vndique collectam prædam præ se agebant. Eos incautos tanto impetu aggrediuntur, vt illi metu exanimati neque suorum neque nostrorum, qui illos adoriebantur, multitudinem animaduerterent. Erant enim illi numero ferè centum optimè armis & equis instructi, quum Paulus secum non plures quatuordecim haberet. Qua tamē adeo exigua manu & prædam eripit, & captiuos circiter triginta abduxit: quin & plures abduxisset, si plures captores adfuissent. Adeo verum est quod dici solet, in prælio aduerso & victum ita pauore consternari, & victorem rei ex sententia euenientis voluptate ita capi, vt neuter suorum numerum inire animum inducat. Hostes quū postea tantū dedecus delere cuperent, aliquot dierū spatio interiecto in eiusdē oppidi arcem cētum sclopetarios introduxerāt, cum vt cursoribus is locus perfugio & receptui esset, tum verò vt nostris cupiditatem illuc veniendi iniicerent, quasi inde deturbaturi essent, eósq; alio itinere conferto agmine accedentes circunuenirēt. Ioannes Paulus hac re nuntiata Fayetto & Cutoni significat, qui se cum eo coniungunt, ac præter lectos ex suis turmis equites quot ac cipere libuerat, ducentos sclopetarios peritissimos adducunt. Cum ea multitudine Cabellio-

bellione proficiſcuntur, ſcalas tumultuatiè confectas ferunt, aditus omnes, ne inopinato hoſtium aduentu opprimerentur, collocatis militibus muniunt, ſcalis admotis tanto animo irruunt, vt omnibus qui vel acerrimè repugnarent interfectis, arcem vi caperẽt. Reliquos omnes captiuos abducunt, neq; redeuntibus quiſquam illis moleſtus fuit. Nã Ferrandus Gonzaga cum mille ducentis equitibus & peditum ſedecim cohortibus iter illis præcludere conatus fuerat: ſed ab iis quos noſtri ad viarũ aditus collocauerant, cõprehenſi quatuor ex ipſius equitatu præcurſores, quonã ille itinere contenderet, ac quo loco noſtros præſtolaretur indicant: quo audito alia ſe via recipiunt.

PER idem tempus hoſtes Cenaſium populabundi veniunt, quod exiguum oppidum octo ab eorum caſtris paſſuum millibus & duobus Cabellione abeſt. Quare Ioannes Paulus intellecta eò ſtatim proficiſcitur, vt illos offenderet: verùm eos iam diſceſſiſſe reperit: itaque quum ſe reciperet, duodecim duntaxat è ſuo comitatu equites mittit, qui iter Salonem vſque Craxiorum reflecterent. Hi quadraginta fere hoſtium pabulatores tum pedites tum equites reperiunt, quos primo impetu adorti prædam relinquere cogunt, quam poſtea ruſtici recuperant: hoſtes captiui omnes Cabellionẽ adducuntur. Tauroentæ Cæſar omnem doſſuariorum iumentorum multitudinẽ collegerat, quę tota regione conquiri ab Aquis Sextiis Nicæam vſque potuerãt, quibus panis nauticus, quem Tauroentæ fieri iuſſerat, in caſtra comportaretur, vt ſuorum penuriæ ſubueniret, qui farina, piſtrinis & clibanis carebant. Ruſtici de profectionis die certiores facti, tanta diligentia ſpeculatores & inſidiatores diſponunt, vt iumenta omnia vel abducerent, vel interficerent, vel vulnerarent, ne vlli poſtea vſui eſſent. His rebus fiebat vt ſenſim caſtra Cæſariana ad extremam ciborum inopiam adducerentur. Hæc aliáq; eius generis multa quæ commemorare prolixum eſſet, ad Mommorencium perferebantur. Ex quibus facilè iudicabat hoſtem fame breui compulſum iri, vt vel noſtros in ipſis munitionibus loco iniquiſſimo adoriretur, vel Prouincia maximo dedecore & dãno excederet. Neque verò quicquam referre videbat, ſi eum abſque pugna & diſcrimine potius confice ret, iis ſubtrahendis ſine quibus conſiſtere nequibat, q̃ ſi periculoſo prælio ſuperaret.

Cæſariani exercitus penuria.

HOC fuerat perpetuum & conſtans eius conſilium. Sed extiterant ſemper apud eũ non pauci, qui quantuis initio, quum de rei ſumma deliberaretur, rationibus vtrinq; expenſis in eam ſententiam pedibus iuiſſent, non tamen eam penitus probabãt: ſiue quòd illius autoritati magis tum deferrent, quàm ſententiam mutarent: ſiue quòd reuera ita tum ſentirent illi quidem, victi rationibus quas contra ſe facere animaduertebant, ſed poſtea ad primam ſententiam redirent, quum Regias copias in dies augeri perſpicerẽt, vt iam ad prælium cum hoſte committendum pares viderentur. Quæcunq; tamen cauſa ſit, ij ipſi plerunque ſermonibus priuatis cunctabundam illam hominis prudentiã non ita laudabant, quin nonnullã tantæ tarditatis partem timori & animo puſillo tribuerent. Verùm poſt Delphini in caſtra aduentum, iuuenes vniuerſos conſentientes nacti, (quorum hoc ingenium eſt, vt pericula eo minus timeant, quin eo dulcius bellum videatur, quo magis inexperti ſunt) quoties poſtea concilium de rerum ſumma habebatur, diſceptabatúrque num ex vſu magis eſſet propius hoſtẽ accedere, an præſtaret cunctando & diſſimulando rem, vt adhuc fecerant, protrahere: toties illi ſententiam ſuam denuo ſuadere cœperunt: vt profectò liberius & apertius hac de re iam cœptum erat agi, multiq; inſtabant, vt promoueretur exercitus, & Maſſilia obſidione liberaretur. Quam ſententiam non ſolùm ſequebantur, qui initio eam ſibi probari apertè oſtenderant, ſed ad eam ex iis quoque qui diuerſum antea ſenſerant, non pauci adducebantur, vel quòd præſentibus Regis viribus confiſi de priore ſententia decederent, vel quòd iuuenili principis animo gratificari & obſequi ſtuderent, quem incredibili cupiditate flagrare videbant, vt ſuæ virtutis dimicando teſtimonium daret, & nominis celebritatem propagaret. Nam cur tandem (ſic enim dictitabant) illi tam honeſta & excelſa cupienti non obtemperarent? Cur illum fallerent, & quadam quaſi malignitate, tam opportuna & aperta facultate famæ ex bello in ipſo iuuentutis flore quærendæ fraudarent, quam diuinitus dare appareret? Quàm rationi conſentaneum eſſet, vt copiis auctis quas Rex immenſo ſumptu conduxiſſet, eodem ſe munitionum vallo deſides continerent, quo ſe in illa paucitate, quum hoſti ſuſtinendo impares erant, cinxiſſent? Satin' hoc ſibi eſſe deberet, quòd tã numeroſo & forti exercitu ſupra hoſtium vires caſtris concluſi, expectarent dum illi ad

1537. oppugnãdas munitiones accederent? Imò (q. longè maiori probro dignũ est) vt in tantũ hostibus contemptum venirent, qui in ipso prope exercitus conspectu oppidum quale est Massilia, obsidere non dubitarent, præsertim tam exigua hominum manu, qui vix satis multi essent, vt pedibus equorum vice straminis subiecti prius calcari consumerentur, quàm Cæsar totis copiis subsidium ferre posset? Minimè verò, inquiũt: id potius nostri honoris dispendio spondemus, neque recusamus quin nobis sempiterno in posterũ probro rei bellicæ imperitia & insciti a obiiciatur, modò copię è castris educantur, si qui Massiliam obsident, è nostris vnquam manibus aufugient.

NON deerant tamen qui in prima sententia nihilo secius perseuerabãt, censebántque tutius esse, vt victoriam sine sanguine & puluere reportarent, vt sanè certa spes dabatur fore vt breui talis victoria consequeretur, commeatu duntaxat vndique intercludendo, quemadmodum adhuc fecerant. Massiliã siquidem viris, re frumentaria & cæteris rebus probè communitam esse perspectum habebant, cæterùm opere ipso adeo firmam, vt humanis viribus aut conatu nulla ratione expugnari aut capi posset. Quamobrem si eandẽ modò belli gerendi rationem sequi pergerent qua vsi antea fuerant, fieri nullo pacto posse quin Cæsaris exercitus à seipso conficeretur & dissiparetur, præsertim quum fames & lues in eorum castris acrior in dies grassaretur. De Mommorencio hoc statuebant, Regem, quum eum à se dimitteret, tam apertis mandatis consilium suum illi patefecisse, quæ ille & memoria tenebat & articulatim sequutus fuerat, vt nollet tam firmis iactis fundamentis reliquum negotium ancipiti infœlicis exitus aleæ exponere. Itaque tametsi maxima diligentia & industria omnia velut ad pugnam postero ipso die futuram parabat, certũ tamen esse nihil quod quidem alicuius momenti esset, toto hoc bello cæco fortunæ arbitrio committere, nisi fortè extrema quædam necessitas occurreret, qua inuitus cogeretur, quámque nullo humano consilio cauere aut præuidere liceret. Cur enim, inquiunt, victoriã, quam tantumnon in manibus iam haberet, vltro in dubium adduceret, quum hostem non minus consilio & arte quàm armis vincere gloriosum sit? Cur suorum sanguine ac vita abuteretur, ex quibus in prælio permultos cõsq; fere omniũ fortissimos cadere necesse esset, etiamsi splendidissimã victoriam cõsequeretur? His rationibus quas vtrique pro se afferebant, Delphinus auditis, etsi dubius nonnunquam nutabat, se quę illo animi insito ardore ac magnitudine in diuersam sententiam propendere sentiebat, sibi tamen ipse moderari, & Mommorencij sententiam cõtrouersiæ definitionem esse voluit. Ac profecto, vt quod res est dicam, tametsi dux Aluę & qui ad Massiliam confederant, non ita magno erant numero, à castris tamen Cæsaris non adeo procul aberãt, quin ille audito statim nostrorum è munitionibus discessu (neque enim hoc vllo pacto cælari poterat) perfacilè vel se inter Auenionem & Massiliam obiecisset, vel cũ iis qui ad Massiliam erant antè cõiunxisset, quàm nostri ad prælium cũ illis committendum peruenissent. Quòd si coniunctis copiis signa in nostros intulisset, incerta admodum erat victoria: quæ si hostibus contigisset, latissima illi patebat in ea regni parte regio: nos contrà etiamsi superiores essemus, nihil non iam nostrum acquirebamus. Quare ita constituit Delphinus, vt omnia ea ratione gererentur quam adhuc sequuti fuerant, nisi fortè noui hostium conatus noui consilij occasionem præberent.

Delphinus Mommorencij consilium probat

LIBRI SEPTIMI FINIS.

MAR-

MARTINI BELLAII LANGAEI COMMENTARIORVM LIBER OCTAVVS.

CÆSAR omnia vndique sibi infausta nuntiari audiebat, ipse in castris nihil præter famem & morbum conspiciebat. Verùm ignominiosa profectio, si inde re infecta discedere cogeretur, qui tanto apparatu venerat, tanta verborum arrogantia vsus fuerat, tam superbè omnem de pace cum Rege conciliãda sermonem repudiarat: odium præterea implacabile quo eum prosequebatur, ipsa propriæ fœlicitatis spes, quam perpetuam & immutabilem fore sibi persuaserat, suorum denique tum ducum tum militum toties spectata virtus magnos illos spiritus, quos sibi sumpserat, alebant. Accedebat etiam quòd Auriæ aduentum in singulos dies expectabat, qui commeatu & numis exercitum iuuaret, & lætum aliquem nũtium afferret: à Nassauuio denique aliquid magni perfectum iri sperabat, quo Rex suas illuc copias conuertere cogeretur. Rex interim Valẽtiæ quum esset, oppidum quammaxima fieri poterat diligentia communiebat, vt nouum hosti obstaculum obiiceret, siquidem desperata Prouincia iter in Delphinatum flectere constituisset. Ad eum vniuersa quæ tum in omnibus regni partibus tum in exercitu Pedemontano, tum apud socios & fœderatos gerebantur, perferri solebant: omnibus pro temporum & occasionum ratione prospiciebat. In primis hoc cõstituerat, ne ad sua castra proficiscereturnisi vel hostis ea adoriri pararet, (tum enim tantæ rei deesse nolebat) vel ipse copiis coniunctis nullo aperto periculo aduersus eum se exercitum ducere posse videret. Non enim eum fugiebat quàm de ipsa rerum summa periclitaturus esset, si in patria & regno à tam potenti & infesto hoste prælio superaretur, cui omnia post victoriam paterent, vt quò liberet progredi liceret: quum Cæsari contrà, etiamsi pugna inferior esset, nihil horum timendum videretur. *Cæsarianis omnia aduersa.*

PER id tempus Andreas Auria cum Cæsarianis triremibus venit, qui commeatum & pecunias ex Hispania conuehebat: eum Cæsar in castris humanissimè & honorificentissimè aduenientem excipit. Statim post illius aduentum concilium sæpius conuocatur, in quo quid actum fuerit, nescio. Cæsar certè præconio publico in castris militibus imperat, vt omnes ad recensendum exercitum & stipendium accipiendum parati essent, certóque denuntiato die quò ipse iuberet proficiscerentur: nequid denique in itinere illis deesset, octo aut decem dierum viaticum secum quisque efferret. Paulo antè machinas omnes in veterem Massiliam miserat, & triremibus imponi iusserat. Ea res suspicionem Regi iniecerat, decreuisse eum aliò nauigare, vt descẽsione facta quædam loca inuaderet, vbi minus diligenter prospectum fuisset. Quamobrem summa attentione circunspiciebat, vt ei quancunque in partem iter flecteret, statim obuium se præberet. Ille postea tamen, siue quòd ventus aduersus incidisset, siue quòd Auriæ aduentu

1537. consilium mutasset, machinas depositas in castra reduci iussit: quæ res suspicionem attulit, vel ad ipsas nostrorum munitiones oppugnandas venire, vel ad obsidendam Massiliam copias cum Albano coniungere decreuisse.

Rex marchionatum Saluſſianũ Ludouico Fráciſci per fugæ fratris clementia ſumma reddit.

REGI nuntiatur quemadmodum tum bona Pedemontani agri pars à transalpino exercitu subacta esset, tum marchionatus ipse Saluſſianus, aliquot castris exceptis. Complures qui illi in consilio aderant, censebant atque adeo suadebant, vt eum legē cō missoria ob Francisci marchionis perfidiam publicatum Delphinatui annecteret: sed ille genuina sua clementia & benignitate quàm eorum consilio vti maluit. Quamobrem cardinali Bellaio, quem Lutetiæ principem legatum constituerat, mandat vt Ioannem Ludouicum Francisci fratrem (is enim marchionatu exutus, & in vinculà coniectus ob aliam noxam commissoriam fuerat) è carcere eductum ad se mitteret. Valentiam adductus coram Rege sistitur: quem ille astantibus Totouillano comite Sampaulio Delphinatus prætore, cardinali Lotaringo, archiepiscopo Mediolanensi, aliisque multis marchionatum tenere, & clientelaris fidei sacramentum apud se dicere iubet, cuius se Vasſallum ipsius marchionatus nomine, qui ad Delphinatum pertinebat, aduersus quemuis Regis hostem profiteretur. Pecunias illi præterea ad comitatum apparandum atque instruendum tradi iubet, in marchionatum dimittit, comitem illi à quo deduceretur, armigerum San-julianum attribuit. Is ex nobili Vasconiæ gente ortus in familia Saluſſiana educatus fuerat, signum militare in Michaelis Antonij marchionis demortui turma equestri gestauerat: postea Francisci legatus fuerat. Huic Rex mandat, vt nouum marchionem diligenter obseruaret, omnes eius profectiones & itinera cognosceret: ne ille per simplicitatem à fratre Francisco, quem multo astutiorem esse nouerat, in fraudem impelleretur.

HOC Regis mandatum San-julianus diligenter curat: ac percommodè sanè accidit quòd hominem tantæ fidei nactus esset. Non multo enim temporis interiecto spatio Franciſcus Carmaniolam venit, fratrem qui in arce erat, de suo aduentu certiorem faciendum curat, cupere se cum eo colloqui. Ioannes Ludouicus tametsi prudenter à suis monebatur, ne fratrem nimia multitudine stipatum in arcem ingredi pateretur, néue illius verbis fidem facilè haberet, imò quidam Regi cupientes rebellionis scelus id esse palam testificarētur, si homo perduellis, qui se Regis hostem aperta perfidia prodiderat, intromitteretur: tamen portam ei aperiri iubet. Aduenienti obuiam procedit, multisque lachrymis & largissimo fletu se mutuò complectuntur. Præcipuè verò Franciſcus huius rei mirus artifex, verborum blanditiis & illecebris, adiuuante vultu & gestu, fratris animum ita sibi paucis diebus conciliat, vt vni illi incautus fidem suo magno malo haberet. Eum Franciſcus, quum fallendi & verba dandi occasionem nullam prætermitteret, Carmaniola elicit, captiuúmque in arcem Valſeneriam ducit: atque adeo totum marchionatum breui in suam ditionem atque potestatem denuo redegisset, nisi Sanjulianus (qui iam antè quorsum illa Ioannis Ludouici simplicitas aut potius stupiditas euaderet verebatur) interim Saluatoris Aguerrij, qui Francisci iussu & nomine Vrezellianæ arci munitissimæ præerat, animum in fide continuisset. Huic enim ostēdit, quum ipso genere & ortu ad Regis ditionem pertineret, non posse illum sacramenti vlla religione quod apud Franciſcum ipsum quoque Regis clientem dixisset, obstrictum ad aliquid præstandum teneri, quod eum aut sponte facturum esse parum verisimile fieret, aut certè facere non esset iuri & æquitati consentaneum. Quamobrem quibus iurisiurandi conceptis verbis marchioni se obligasset, vt pro eo aduersus quoslibet staret, horum verborum formula indefinita comprehēsum Regem, qui supremum dominatum obtineret, non videri. Quibus ille hominem verbis in suam sententiam adducit, arcémque ab illo traditam Regis nomine atque autoritate tenere cœpit. Quæres Franciſco summo dolori & molestiæ erat, vt sæpius Vrezellum sibi fidem in oculo esse diceret, impedimentóque esse conquereretur, quominus pacatum ac tutum marchionatum posſideret.

Rex in caſtra proficiſci conſtituit.

DVM hæc gerebantur, Regi nuntiatur totum exercitum tum equitatus tum peditatus à Cæsare esse lustratum, qui per præconem etiā omnibus edixisset, vt ad proficiscēdum statim atq; iuberentur se accingerēt, viaticum in dies octo vel decē colligerent, vt quò illos ducere cogitaret (quemadmodum diximus) sequerentur: quam autē in partem

cos

eos ducturus esset, nihil certi nuntiabatur: hoc quidem fama ferebatur, eum ad castra Delphini ad Auenionem oppugnanda venturum esse. Hoc Rex nuntio accepto concilium cogit, de summa rei deliberare cœpit. Decreuerat ille copias cum Delphino coniungere, vt quoniam Cæsar ad castra veniebat, ipse quoque pugnæ interesset. Summa enim cupiditate afficiebatur, vt cum eo manum conserereret, & quid virtute posset experiretur, atque ita in potentissimorum exercituum oculis perficeret, quod missо iampridem ad ipsum Cæsarem prouocatorio scripto tentauerat. At contrà maximæ parti videbatur, qui præstare iudicabant, vt hanc filio Delphino rei gerendæ gloriam relinqueret, non esse dubium quin ille sapientissimo Mommorencij consilio, adhibitis etiam peritissimis & prudentissimis belli ducibus vteretur, vt æquitate ac iure belli quod susceptũ erat, fretus Cæsari ostenderet, ei cum Gallis in Gallia rem esse, qui sibi pro vxoribus, liberis, aris ac focis dimicandum esse intelligerent. Demonstrabant insuper ancipitem cùm rerum omnium tum in primis belli exitum esse. Quòd si aduersо Deo Cæsar fortè pugna superior esset, ipsum tamen Valentiæ cum iis copiis tum quæ iam aderant, tũ quę in dies accedebant, reliquos qui ex pugna superessent collecturum, ex quibus iusto exercitu confecto prælium denuo cum hoste inire & victoriam extorquere posset. Multa quoque in hanc sententiam tum externa tum domestica exempla afferebant.

Regem in castra venire plurimis non placet.

AD extremum constituitur, vt in Auenionensia castra missо nuntio Rex scisciteretur quantæ reuera vires essent, quid de Cæsaris rebus noui perferretur, quid denique consilij ad eas res Delphinus, Mommorencius & reliqui duces haberent. Hanc sibi sententiam Rex probari præ se fert: verùm quid faciendum esse intelligeret iam ipse apud se constituerat. Lãgæo hoc negotium datur, qui pridie eius diei à Cæsarianis castris quæ suprà scripsimus attulerat. Is vbi ad Delphinum & Mommorencium venit, multis ſtatim ad concilium belli ducibus conuocatis mandata quæ apud Regem coram disceptari audierat, exponit. Plurimum temporis deliberando absumunt, cunctisque rationibus vltro citróque attentissimè trutinatis, omnibus placet Regi minimè huc esse veniendũ. Qui præter rationes suprà commemoratas hanc quoque causam afferebant, siquidem Cæsar ad munitiones accederet, neque Delphino neque Mommorencio probro datũ iri si se castris continerent, eúmque ad se inuadendos iniquissima conditione compelle rent. Quod quum nunquã ille facturus esset (vt qui castra situ & opere munitissima esse sciret) necesse omnino fore, vt inuitus cum magna gloriæ imminutione tãdem discederet. At si Rex ipse in castris esset, Cęsarem, vbi munitiones tribus modò aut quatuor machinariis glandibus impactis attigisset, illico discessurum, deinde si Rex eum non subsequeretur, gloriaturum esse, se ipsos Regis fines ingressum, & ad bombardæ iactum progressum prælio lacessere ausum fuisse: qui tamẽ præ ignauia sui potestatem non fecisset. Quòd si Rex vt hanc hosti iactantiæ materiem præriperet, etiam è castris, quæ vallo & fossa circundata erant, ęgredi conaretur, periculum fore ne in ipsis castrorum portis propter exitus angustias ordinum perturbatio incideret, vt Cæsari cũ dimidia tantùm exercitus parte decertandum esset.

PRÆTER superiora illa plurimi erant tum in aula apud Regem tum in castris, qui de Regis salute superstitioso quodã metu laborabant, ob certos nescio quos prognosticos libellos, arte & dolo Cæsarianorum in vulgus sparsos, quibus Regi vel mortem vel captiuitatem in eum annum impendere significabatur. Horum siquidem scriptorum vanitas tantum fidei in auribus & animis nõ modò plebis, sed etiam illustrium virorum repererat, vt Romæ etiam pecunia his conditionibus & hac persuasione apud collybistas traderetur. Antequam concilium dimitteretur, nuntium etiam accipiunt quo superior fama de Cæsaris profectione confirmatur: sed quò iter facere decreuisset, ad oppugnandas munitiones, an Massiliam obsidendam, an alio quopiam consilio, nihil poterat affirmari. Langæo vt hoc quoque Regi renuntiaret, imperatur, maximè verò operam daret, vt Regem ab animi illo proposito abduceret, ne in castra veniret. Verùm tantum abfuit, vt vel Langæi vel aliorum qui crebrò cum talibus mandatis mittebãtur, nuntio Rex moueretur, vt sententiam mutaret, vt potius naues confestim parari iuberet, omnibúsque in posterum diem profectionem denuntiaret: se nunquam commissurum, vt id sibi meritò olim exprobari posset, quum Cæsar tam propè dimicaturus accessisset, se Valentiæ tanquam annonarium quendam restitisse. Se satis scire, qui hoc iter

1537. dissuaderent, eos magna ex parte vanis illis & ineptis prædictionibus delusos & fascinatos esse: quibus se, qui Rex Christianissimus esset, nec velle nec debere fidem vllam adhibere. Sperare se fore, vt pro eo ac plena atque indubitata fide Dei verbum amplectebatur, quo huiusmodi superstitiosa vaticinia damnantur & vetãtur, Deus ipse bellator armipotens victoriam sibi & fœlicem exitum concessurus esset, quò omnium hariolorum impiorúmque huiusmodi augurum in diuinando vanitatẽ argueret & refelleret.

Rex in castra venit.

POSTERO die Deum casté & piè adit, cuius opem omnibus votis implorat, vt iter hoc faustum fœlixque esse vellet, nauem conscendit, firmo Valentiæ relicto præsidio. Biduo in castra peruenit cum splendissimo comitatu tum supplemẽti quod secum adducebat, tum magnæ exercitus partis quæ ex castris illi obuiam processerat. Non ita multos dies illic moratus fuerat, dum omnia ad pugnam parabat, quum ipso etiam Martino Bellaio nuntiante audit Cæsarem cum vniuerso exercitu quo venerat itinere secus oram maritimam profectum esse, præter innumeros mortuos, quorum fœtore totius vndique regionis aër inficiebatur, longè maximam ægrotorum multitudinem ponere licẽtam esse, qui exercitũ nec pedestri nec equestri itinere subsequi possent. Ego tametsi summa diligentia inuestigaui, tamen comperire non potui num Cæsar quòd Regem audiret in castra peruenisse, hoc nuntio motus in Italiam reuerti constituisset, an verò iam inde ab initio hoc facere decreuisset. Illud me intellexisse memini, eum, quum exercitum ad Aquas Sextias ante profectionem recognosceret, reperisse ex quinquaginta hominum millibus quos Nicææ habuerat, vix triginta millia superesse, quos in acie ad pugnandum collocaret. Præcipuos & maximè honoratos amisit, Antonium Leuam, Marcum Bustinum, quendam etiam consanguineum ex Germanorum ducibus, comitem Hornium, Baptistam Castaldum cum aliis plerisque. Profectio quidem ipsa primis diebus valde præceps fuit, quam etiam eadem ratione vrgere pergebat, quoad se procul admodum ab hoste abesse sensit. Ipso profectionis die, quo Tressium venit, regionis incolæ qui arma sumpserant, nouissimos adoriuntur: ibi Francisci Estensis qui Ferrariæ ducis frater erat, œconomus cum non paucis aliis interficitur. Neque verò vllus dies præteribat, quin eos rustici lacesserent, iis armis instructi quæ vel ægroti abiiciebant, vel mortuis ipsi adimebant. Omnes aditus atque angustias obsidebant, pontes torrentibus (qui tum magno impetu è locis superioribus ferebantur) impositos subruebant: quibus rebus illi valde vexabantur. Hac re Cæsar animaduersa magnam fossorum multitudinem ad loca instauranda conuenire iubet. Interim quantum per rei difficultatem licebat, omnes saucios & ægrotos colligit, & media acie collocandos curat, vt eos hostis periculo eximeret. Sed efficere tamen sua diligentia non potuit, quin multi singulis diebus ita viribus exhaustis debilitati resisterent, vt per rupium solitudines iacere mallent, ibique expectare dum ab irritatis rusticis conficerentur, quò sic omni semel miseria liberarentur, quàm vt morbo languefacti ægrè itineris molestiam ferrent. Ad eorum impetum sustinendum mittuntur ferentarii, sed tantùm illis molestiæ exhibebatur, vt multa inopia & fame laborarent, quòd parum illis tutum erat extra ipsum iter pabulandi causa vagari. His rebus factum est, vt Aquis ad Freiulium, vbi Cæsar primùm castra collocauerat, itinera passim mortuis, ægrotis, loricis, lanceis, hastis, sclopis aliisque armis strata essent, equi item ab equitibus deserti, quibus ad stándum nullę vires suppetebant. Ibi homines promiscuè & equos aceruis collectos videres, moribundos & animam agentes cum mortuis congestos, tam horrendo & tristi spectaculo, vt ipsos insestissimos & acerbissimos hostes ad commiserationem flecterent. Quod quisquis conspexit, nihilo leuius existimare potest, quàm teterrimam illam cladem quam Iosephus in excidio Hierosolymitano & Tucydides in bello Peloponnesiaco describunt. Ego quæ oculis vsurpaui, ea narro. Ex ea defatigatione quam mihi contraxi, quum equites quibus præerã, vna cum Ioanne Paulo Ceretano & comite illos subsequentibus discerem, Massiliam quum reuertissem, totos dies quindecim vires me ad equum conscendendum deficiebant. Tam exiguo itinere Cæsar (vt quidem ex ipso rei conspectu iudicari satis poterat) Aquis Sextiis Freiulium vsque duo ferè hominum millia amisit. Suadebant nonnulli, vt cum suis Hispanis naues conscenderet: sed quum Germanorum seditionem metueret, ne tumultuarentur, si se hostium periculo relictos exponiuiderent, hoc consilio vti noluit.

Miserrima exercitus Cæsariani conditio

Rex

REX interim exercitum recenseri & stipendium persolui iusserat, eo consilio vt ipse hostem persequeretur, & quocunque loco allequi posset, pugna de certandi occasionem arriperet, eadem opera impressionem in Italiã faceret, vbi iam exercitum potẽtem habebat. Verùm dum hæc facere cogitat, adest Longoualla nus quidam quem ma reschallus Marcanus nominatim miserat. Is nuntiat Peronam gtauissimè ab hostibus oppugnari, mœnia permultis locis diruta & perfracta, vt de propugnando diutius oppido nulla spes superesset: tametsi ipse mareschallus & cæteri duces omnino constituerãt, idque Regi tum per literas tum per nuntium Longoualla num non dubitabant confirmare, nulla se vnquam conditione deditionem esse facturos, neq; hostem nisi omnibus interfectis aut fame enectis ingressurum esse. Hoc accepto Rex nuntio magnam equitatus partem Lugdunum versus progredi iubet cum decem peditum Gallorum millibus: ipse magnis itineribus subsequi statuit: vt vel Peronæ obsessæ subsidium, si in tempore adesset, ferret, vel certè prius eam reciperet quàm hostis munisset, & commeatũ introduxisset. Intelligebat enim quàm multum in hoc esset positum, si ad hãc rem perficiendam otij satis hosti datum fuisset: quòd Cæsar hoc oppidum facilè milite & commeatu firmasset, cui propinqua alia ipse permulta & firma habebat.

Perona grauissimè à Cæsarianis premitur.

LVTETIÆ cardinalis Bellaius (is enim in Vrbe Regis legatus erat) quum Peronam valde vrgeri animaduerteret, vt Vindocinum & Guisium iuuaret, à ciuibus scire instituit ecquid auxilij, si res flagitaret, ferre possent. Mercatorum præfectum, quem vocant, & decuriones in curiam municipalem conuocat, ostendit quantum periculi immineret si Perona in hostis potestatem veniret. Tum illi decem hominum millibus se stipendia daturos recipiunt, quandiu necesse esse videretur, præterea machinariam fusuram cũ pulueris & globorum ingenti copia: postremò ad munienda vrbis loca quæ maximè infirma erant, fossorũ quinquaginta millia, aut eo amplius, si opus esset. Cardinalis machinas tantùm & stipendium militum, quum opus esse videretur, accipere se pronuntiat. Pecuniarum summa statim imperatur & conquiritur: decem illis hominum millib. Stratægus præficitur. Fossores etiam aliquot accipit, ad speciẽ potius muniendæ vrbis, quàm quòd reipsa adhibendos esse iudicaret, quo minus hostis de illa inuadenda cõsilium caperet. His perfectis rebus, scire etiam constituit quanta esset frumenti & eibariorum copia: non enim tum huic rei prospiciendum esse iudicabat, quum hostis ad portas esset. Quare censuit inito cõperit abhinc viginti annos tã exiguam annonã nõ extitisse: cuius rei duas esse causas. Etenim quum Parisini de congerenda annona non valde laborent, quòd omnia in diem ad forum abunde prostare confidant, idq; ob magnã eorũ copiam quæ fluminibus in vrbem supportantur, quæ multa ex feracissimis Galliæ agris in Sequanam fluunt: hyeme superiore aquis gelu concretis nulla nauis toto trimestri tempore adduci potuerat, deinde ea quæ insequuta erat æstate minima fluminis altitudo fuerat, vix vt portitorias nauiculas ferret. Tamen (vt hinc soli vbertas in quo sita est Lutetia, intelligatur) simulatque à cardinali imperatum est, vt quantum suo quisque commodo facere posset, duodenis vndique ab vrbe millium passibus conueheret, nominatim vt tertia tritici pars ex horreo vel cella granaria expromeretur, reperta est octo dierum spatio annonæ tanta copia, quanta non solùm ciues sed præterea hominum triginta millia toto anno alerentur. Hæc omnia vbi cardinalis parasset, ac decem illa hominum millia cõscribi iussisset, Marcanus eum per nuntium certiorem facit comitem Nassauuium obsidione relicta exercitum Perona abduxisse. Regem quoque idem nuntius in castra adit, cui hoc ipsum nuntiaret.

Parisiorũ ad subsidium sup peditandũ iaculatus.

Lutetiani agri feracitas mira.

SVPERIORE commentario ostensum est quemadmodum Nassauuius exercitum Peronam adduxerit, castraq; ad Montem Sanquintinũ locarit: nunc superest vt reliqua ordine percurram. Duodecimo Augusti die hostes circiter mille ducenti equites & peditum nouem cohortes ad villam quandam oppido proximam venint. Postridie flumen ad castrum Haplincurium transeunt: quod deditione statim (vti dictum est) accipiunt, propterea quòd nullum esset præsidium. Hoc tractu aliquot vicos diripiunt, & pecoris prædam agunt.

Perona obsidionis descriptio.

PRIVSQVAM verò ad alia transeo, sic habendum est, miram omnium rerum hoc oppido tum fuisse penuriam, vt ciues de eo deserendo cogitarẽt. Sed paucis antè diebus nobilis quidam nomine Strumelius vicinus oppidum cum vxore & liberis ingreditur,

1537. frumentum tum ſuum tum vicinorum ſuis impenſis eò cõfert, pecuniæ ad militum ſtipẽdium quicquid habebat vel ab amicis corrogare poterat, affert: quo ciuium animos non parum confirmauit. Quam illius fidem Rex poſtea remunerari volens, eum apud ſe cellarium eſſe voluit, atque vnum ex quatuor primis rei æratiæ creauit. Illic præſidio erant mareſchallus Marcanus (vt antè dictum eſt) cum ſuis centum cataphractis. Mediancurius legatus, Philippus Bolinvilerius comes Dammartinus, ducis Angoliſmenſis (qui dux Aurelius poſtea fuit) legatus, qui huius equites cataphractos quinquaginta ducebat: Sercutus item & Saſſeuallius cũ millenis Picardicæ legionis peditibus. Naſſauius vt caſtra liberius dilataret, ſimul ne finitimis locis munitis coirent quidam qui commeatum præcluderent, ad Clarium (caſtrum hoc ad flumen Somonam ſitum quatuor paſſuum millibus Perona abeſt) miſſo tubicine ſibi dedi iubet. Qui loco præerat (nam ipſe dominus in caſtris regijs, ad Auenionem militabat) diem ad reſpondendum ſumit, interim à Marcano auxilium petit. Is centum milites ex Sercuti & Saſſeuallij peditatu mittit, qui hoſtium caſtra prætergreſſi incolumes ingrediuntur, quamuis nouiſſimos ex Cæſarianis aliqui ſubſequerentur. Naſſauius admotis decem machinis mœnia acerrimè concutit: ſed nihil tamen eo die perficit, imò ex ſuis nõnullos amiſit, quos noſtri ſclopis vncinatis interficiunt: poſtridie mane machinariam oppugnationem redintegrat. Res illi adeo commodè cedit, vt eo die Marcanus Peronę ſuburbia incenderet, quòd ex hoſtium caſtris nonnulla peditum multitudo ea occupaſſet. Qua ex re occaſionem nactus Naſſauius obſeſſis narrat Peronam expugnatam, direptam & incenſam eſſe: quibus verbis perterriti, quòd vera eſſe putarent, deditionem faciunt. Is ſeptem ex illis ſuſpendi iubet, reliquos quaternorum coronatorum pretio addicit.

POSTERO die, qui dies erat Aug. decimus ſextus, lecti aliquot ex hoſtium caſtris ad oppidi portas accedunt, vt noſtros ad prælium elicerent: erumpũt milites ferè CXX. Qui aliquandiu præliati, quũ hoſtes ſenſim numero augeri conſpicerent, in oppidũ aliquot captis hoſtibus ſe recipiunt: Rocurius ſignifer Roxij ſaucius capitur. Locus eſt ſatis editus non procul ab oppidi foſſa, in vineis inter arcem & portam Nicolæam, vnde in oppidum deſpici poteſt. Illuc hoſtes quatuor minores machinas ſubuehunt, quibus noſtros vel ad vallum inſtaurandum vel ad propugnandum vagari prohiberent. His ad noctem vſque noſtros infeſtant, ſic tamen vt neminem neque interficerent neque vulnerarent. Poſtero die ſex duplices cannas ad ipſam portam collocant, tribus alijs piſtrina aquaria quæ ad portam Pariſinam erant, petunt, vt noſtros cibaria molere prohiberẽt. Sed parũ ſanè ea ratione profeciſſent (quòd glãdes ad molas & moletrinę rotas adigi nõ poſſent) niſi molitor quidam, qui antea è Cęſaris ditione eò cõmigrarat, ad eos perfugiſſet. Is commonſtrato certo loco foſſam duci iubet, qua piſtrinis aqua adempta, & locus ille paluſtris magna ex parte exiccatus eſt: in quibus maximum oppidi præſidium & firmamentum poſitum erat. Quod niſi fontem quẽdam in piſtrina deduxiſſent, quo tantillum illud aquæ quod adhuc influebat, corroboraretur, farinæ inopia valde laboraſſent. Interim piſtrina in quibus equi vel homines molerent, multa fiunt, quibus dam num illud ab hoſtibus illatum abundè farcitur. Alia ex parte duob. locis maxima vi con tinenter muros toto biduo concutiunt, quâ ad Nicolæam, quâ ad Pariſinam portam: vt muri ſatis magna ad aggreſſionem ruina fieret. Tamen ne ſuos præmaturè periculo obijcerent, toto poſtero die machinas torquere conſtituunt, quod faciunt ab ipſa aurora ad crepuſculum: quo die (vt oppidanis narrantibus cognitum eſt) glandes numero mille octingentas emittunt, quum quidem denæ quinæ ſingulis interuallis eijcerentur. Tota noctem oppidani laceros muros obiectis virgultorum faſciculis, ſimo, terra aggeſta & laneis prægrandibus faſcibus obſtruunt: quam ad rem omnes operam ſuam diligenter conferunt. Nam & milites opus faciunt, duces ipſi deſcriptis oppidi regionibus præficiuntur: & ciues omnium ætatum viri & mulieres nihil diligentiæ prætermittunt. Sic enim & ſingulari ſunt in ſuum principem ſtudio & obſeruantia: & ſimul etiam animo cernebant oppido capto omnes ſibi acerbitates & indignitates perferendas eſſe.

ITAQVE poſtridie mane, qui dies erat Auguſt. viceſimus, hoſtes quum irrumpere cogitarent, ruinas omnes inſtauratas conſpicati machinis denuo vti coguntur, quod ad ſecundam horam pomeridianam faciunt. Diſiectis muris vi irruptionem facere aggrediuntur, Germanorum ſex millia ad portam Nicolæam, ad Pariſinã duo millia Hannoniorum

noniorum, Arteſiorum & Flandrorum. Naſſauuius cum quadringentis equitibus Germanos producit, deinde ad Mõtem Sanquintinum ſe recipit tum vt prælium ſpectaret, tum vt videret quam in partẽ integros feſſis ſubmitti neceſſe eſſet. Comes Roxius prætorio apud Cæſarem præfectus cum trecentis equitibus Hannonios, Arteſios & Flandros producit. Marcanus, Dammartinus, Mediancurius cæteriq́ue duces ſua quiſque in ſtatione non ceſſant, ſed ſuos locis ſtatis ad propugnandum diſponunt. Dammartinus ad portam Nicolæam, Saſſeuallius ad Pariſinam collocatur, Scrutus ruinam defendit quę infra Sanforcinum patebat. Vniuerſi ſe ita viros geſſerunt, vt hoſtes fortiter ſubmouerentur, amiſſis ſuorum fere quingentis. Ex oppidanis nonnulli vulnera acceperũt: ſed nemo qui illuſtrior eſſet, cecidit, præter commendatorem Strepinium cognomento Humerium, cui caput ſphæra machinaria ablatum eſt. Naſſauuius & Roxius ſua ſpe deiecti, rẽce ptui canere iubent.

TRIDVO toto inſequenti ædes oppidi temere iactis glandibus petunt, magnumq́ue damnum inferunt. Die qui Bartholomæo ſacer erat, Naſſauuius tubicinem ad oppidanos de deditione mittit, quam niſi intra diem facerent, oppidum ſe flamma & ferro delecturum comminatur. Marcanus adhibitis in conſilium omnibus centurionibus reſpondet, omnes ita ad propugnandum eſſe comparatos, vt nullum niſi ſe ſupinis calcatis ingreſſum cuiquam datum iri confiderent: imò potius ſperare ſe per media ipſorum cadauera ſtrata egreſſuros eſſe. Quo nuntio Naſſauuius accepto iubet poſtridie acriorẽ quam antea machinarum oppugnationem vndiq; inſtitui. Morem libenter gerit rei machinariæ magiſter, & machinis ſeptuaginta duab. multis locis mœnia diruit, maximãq; oppidi turrim valde labefactat. Tota nocte vallum oppidani inſtaurant tanta diligentia, vt poſtridie mane hoſtes agnoſcerent ſe nequicquam tantam murorum partem tã confertis machinis deieciſſe.

DIE Ludouici machinis admotis quatuor loca acerrimè pulſant. Duarum turrium interſtitium, quæ inter Nicolæam & Scruatoriam portam interſunt, ſex tormentis quatiunt: ipſas portas vnà cum muri brachio quod ad eas pertinebat, decem alijs impetunt. Paulo infra ſex alias ad ruinam ſuperiorem obuerterant, quibus ea continenter diſijcie bant quæ ruinæ obiecta fuerãt, impediebantq́ue ne amplius obſtrueretur. Alijs ſeptem Pariſinam portam, & murum proximum, vt ſuperioribus diebus cœperant, labefactare pergunt. Id nullo intermiſſo ſpatio ad tertiam pomeridianam faciũt. Simulatque deſijt tormentorum ſulmen, tum milites maximo impetu aduerſus noſtros feruntur: alij ſcalas prægrandes & firmas muris admouent, alij ad partes muri deiectas enituntur. Sic enim ſperabant, ſi varijs ſimul locis aggrederentur, non ſatis magnam fore noſtrorum multitudinem, quam vbique collocarent. Terin ſummum euadere magna vi conãtur: terà noſtris fortiſſimè non ſine ſuorum iactura repelluntur. Tres ſigniferi præter alios qui in murum ad portam Pariſinam labefactatum ſubierant, interficiuntur (hanc defendebat Saſſeuallius) cum quinquaginta tum equitibus tum arcitenentibus promiſcuè ex alijs atque alijs turmis. *Alia Parisina oppugnatio.*

NASSAVVIVS interim & Roxius inſtructa acie ſtabant, alter ad montem Sanquintinum, alter ad portam Pariſinam. Itaque tantam ſuorum ſtragem conſpicati receptui canunt: quam ad rem ſuos alacriores multo experiuntur, quàm quum ad prælium inuitarentur. Etenim præ feſtinatione viginti ſex ſcalas ad muros erectas relinquunt, quas oppidani ad ſe ſubductas accipiunt. Pulſo hoſte Marcanus & cæteri duces ſacram ædem Deum ſupplicaturi adeunt. Ibi ſacricolarum cœtum offendunt, qui oppugnantibus hoſtibus oppidum ſupplicantes obambulauerant, Deo illius curam atque tutelam commendantes.

NASSAVVIVS & Roxius poſtquam ſe nihil proficere vident, maximam arcis turrim vtriquе ruinæ præſidio eſſe, tum quæ à Dammartino tum quæ à Sercuto defendebatur, adeoque ſibi valde incommodare: ad cuniculos ſubterraneos fodiendos animum conuertunt. Nihilo interim ſecius pilæ in ædes oppidi, non deſtinato ictu emittebantur, ignes etiam arte confecti ad ædificia quæ materia lignea conſtant, inflammanda conijciuntur, quibus etiam multa conflagrarunt. Quum enim domum incendio correptam conſpicerent, eò protinus machinas obuertebant, ne ad incendium reſtinguendum populus concurrere auderet, vt ex alijs in alias ſpargeretur. Itaq; tam latè

1537. certo quodam die ædificia populari cœperat, vt propè abfuerit quin totum oppidum flamma absumeretur. Quod etiam contigisset, nisi Deus singulari beneficio copiosum valde imbrem demisisset, quo incendium extingueretur: quæ res tum à nostris tum ab hostibus in religionem versa est.

MARESCHALLVS & cæteri duces muros ab hostibus suffodi non dubitabant: quo loco id facerent, non planè illis constabat. Quamobrem Damiatum Sereuti signiferum arcis pseudothyro emittunt, cui ad quindecim lectos milites ex peditatu attribuunt. Hi egressi, & fossas quas hostes duxerant conspicati, eò properant, fossores ad maximam arcis turrim in opere offendunt: quos necopinantes adorti ex eorũ numero quinque & viginti interficiunt, sex captos abducunt, in eis centurionem quendam Nucelium, qui opus facientibus præsidio erat. Ita rem omnem renuntiant, quo loco cuniculi agerentur: cui rei diligenter à nostris prospicitur subterraneis meatibus transuersis agẽdis. Sed res infœliciter adeo cessit, vt Dãmartinus obrutus moreretur, vt postea dicetur.

Marcanus emissos etiam minitate subsidia petit, & accipit.

Vnum erat quo nostri vehementer percellebantur, quòd sibi pulueris & sclopetariorũ numerum exiguum adesse videbant: vt si denuo hostis irruptionem tẽtasset, ægerrimè sustinere impetum posse viderentur. VerùmMarcanus paucis antè diebus huic rei prospexerat: egregium quendam militem amplissimis muneribus & pollicitis ad rem suscipiendam adducit, vt ad Vindocinum & Guisium Hamum proficisceretur, quibus oppidis statum nuntiaret. Is fune in paludem subiectam demissus, se tãdem inde proripit, & Deo bene iter fortunante ad illos peruenit: qui sibi rem curæ esse demonstrarunt.

CLAVDIVS Lotaringus dux Guisium rem suscipit perficiendam. Proficiscitur cum ducentis fere equitibus cataphractis, noctu ad hostium castra peruenit qua parte tendebat Roxius, lectos quadringentos sclopetarios sine vllo strepitu ad paludis ripam adducit, quibus itineris ducem ipsum militem attribuit qui rem nuntiarat, ipse tota hostiũ castra conclamatione ad arma edita turbat. Nam huius rei causa quoscunque potuerat tubicines adduxerat: quos vndique effusos classicum canere iubet. Itaque totus exercitus illico in armis est, Nassauuius & Roxius coniuncti aciem tanquam prælio decertaturi instruunt. Dum hostes tanto tumultu occupati animum aliò aduertere aut aquæ strepitum exaudire nequeunt, sclopetarij nostri ducem itineris sequuti, ad eum locum perueniunt vnde antea ille profectus erat. Deinde ab oppidanis subleuati muros scandunt, singuli saccum denas pululeris libras pendentem humeris gestantes. Iam diluxerat, & Guisius cum suis extra teli iactum se receperat, quum sclopetarios nostros hostes conspicati Nassauuio & Roxio sigillatim consecendentes indicant. Quæ res magno illis dolori fuit, quòd neque quot numero essent, neque quantum pulueris attulissent suspicari poterant. Guisius re ex sententia confecta, redit: ad eum insequendum & nouissimos lacessendos, aliquot equites emittuntur: sed quum illos ad congrediendum paratos & instructos cernerent, ab impetu faciendo temperarunt.

QVARTO Septembris die Nassauuius misso ad Marcanum tubicine pollicetur, si oppidi deditionem facere velit, vt tridui spatio diripiendum militibus permitteretur, ipsum, reliquos duces & milites vniuersos incolumes abituros: sin minus, se cædẽ & sanguine omnia completurum, neque vlli quocunque genere aut loco esset, parciturum. Respondet Marcanus, quum sclopetariorum & pululeris inopia laboraret, ne tum quidem se huiusmodi sermonibus aurem fuisse præbiturum: nedum vt id facere nunc animum induceret, quum omnibus abundaret quæ ad illum excipiendum pertinent. Hoc responso nuntiato Nassauuius imperat vt postridie mane cuniculis subterraneis quibus maxima arcis turris suffossa erat, ignis subijceretur. Comes Dãmartinus, qui summa fide ac diligentia diurnis nocturnisq; laboribus omnia faciebat quæ à viro militari & duce vigilantissimo præstari possunt, quatuor decim sublicas quernas ad interiorem turris partem fulciendam applicauerat, & aggerem ad earum altitudinem in media arce exci-

Comes Dãmartinus turris ruina opprimitur.

tauerat, vt deiecta turri ad prælium veniri posset. Itaque eo die prima luce locum subterraneum subierat, quem suffodi iusserat, vt hostium cuniculos meatu patefacto falleret. Dum illic est, igne subiecto turris maxima pars succussa concidit, cuius ille ruina obruitur: quæ res Gallis incomparabile damnum amisso duce fortissimo attulit. Rex postea fidei & officij memor eius liberos in suam clientelam accepit. Turre sic diruta hostes irrumpere instituunt, ex quibus primo impetu tres vel quatuor cohortes in arcis planitiẽ

per

per muri partem deiectam euadũt. Mediancurius cum equitibus circiter quadraginta, quos tum ex Marcani tum ex Dammartini turma collegerat, accurrit, exanimatos milites confirmat, hostes impetu facto fortissimè adoritur, in fossas præcipitatos deturbat, Coryletium aliosq; ex ijsdem turmis ex turris ruina extrahit. Denique Cæsariani nihil perficiunt, sed circiter trecentis ex suorum numero amissis, se recipiũt. Postero die (quẽ ob Virginem natam sacrum colunt) quicquid ex ea turri erat reliquum, machinis dituntur: deinde ad irrumpendum nihilo remissiore quàm vnquam aliàs impetu irruunt: sed strenuè resistentibus nostris se recipere coguntur. Postridie in ipsa turri interfecti reperiuntur amplius trecenti ex Germanico peditatu, & viginti equites. Postridie incertis & temerarijs ictibus tecta oppidi pulsant. Die toto dominico qui insequutus est, turrim speculatoriam, vbi campana ad excubias significandas sita erat, tormentis quatiunt, & irruptionis faciendæ nonnullam speciem præbent, quin scalas quoque magno numero ad muros applicant. Ad decimam tamẽ horam vespertinam tormenta abducere cœperunt, secunda matutina suis tugurijs & vicorum finitimorum ædificijs incensis discedunt. Exercitum duces inter se partiuntur, & diuersis itineribus domum redire instituunt. Nassauuius cum Germanis peditibus Attrebates iter conuertit, Roxius cum Flanonijs, Artesijs & Flandris Cameracum, denique Leodienses & Namurcani Bapalmam contendunt, & singulæ turmæ machinatum, quandam partem secum abducunt.

Cæsariani à Perone obsidione discedunt.

REX hac re nuntiata in castris supplicationem omnium principum, tum sacrorum tum aliorum, tribunorum item, centurionum & militum omnium decernit, vbi diuinam opem qua res steterant, amplissimis laudibus celebrant. Quibus confectis rebus & cibo sumpto concilium cogit, deliberare cœpit, num, quemadmodum antea cogitauerat, Cæsarem subsequi, & in Italiam porro exercitum ducere præstaret. Verùm quum equitatus iam cum peditatu, vt ab eo præceptum fuerat, Lugdunum versus non parum processisset, non videbatur exercitus denuo posse coniungi, quin Cæsar iam adeo procul abesset, vt eius assequendi nulla spes dari videretur. In Italiam porrò ipsi tam propinqua hyeme transeundum esse non censebant. Exercitum tamen dimitti, nondum placuit.

CÆSAREM enim, vti diximus, ad Freiulium subsistere nuntiabatur: quod quum omnes ob aduersos ventos fieri existimarent, Rex tamen ne ille nouum aliquod captaret consilium verebatur. Id sanè constabat, Cæsari molestissimum esse quòd tam infœliciter rem gessisset, neque à vero abhorrebat, cum, si Rex leuiter discessisset, tantam occasionem non prætermissurum fuisse, vt cum exercitu ad rem denuo tentandam rediret. Sed ille nihil adeo excelsum animo agitabat: imò in concilio visum fuerat, vt cum suis Hispanis in Hispaniam nauigaret. Mutauit tamen postea consilium, veritus scilicet (vt suprà demonstratum est) ne Germani pedites tumultũ (quod facturi videbantur) excitarent, si ab eo, firmissima & maxima exercitus parte abducta, præsidio nudari atq; hostibus obijci videretur. Rex quotidie de Cæsariani exercitus statu partim nostro rũ opera, qui hostem abeuntem subsequebantur, partim per exploratores & captiuos certior fiebat. Verùm nequid audendi nouum (vt dictũ est) occasionem hosti præberet, omnia adhuc suspensa, nec immeritò, habebat. Interim verò ne nihil esset quod ageret, castris mareschallum Albiniũ præficit, ipse cum prætorianis copijs assumpto Mommorencio regionem ab hoste vastatam obire instituit, vt omnibus rebus diligenter prospiceret, plebem bello grauissimè vexatam leuaret, denique vt oppida præcipua extremæ tum Prouinciæ tum Galliæ Narbonensis communiri iuberet. Massiliam primùm inuisit: Aquas Sextias noluit adire, ne horrendam illam oppidi deserti atque desolati speciem coràm intueri cogeretur.

Rex Prouinciã amb bello affligitam obit.

LANGÆVM eò mittit, quem diligenter omnia circunspicere, & quæ in primis instauranda videbantur, reficienda curare iubet. Langæus Massilia profectus, Aquas Sextias venit: oppidum offendit omni desolationis genere fœdatum, quæ loco inferri potest qui omni defensore nudatus, hostium libidini relinquitur. Hoc vnum deerat, quòd ignis iniectus non fuerat: quod etiam quum multi facere cupijssent, ipse Cæsar diserte vetuerat. Palatium tantummodo conflagrauit, maximè auditorium rationum Regiarum, iubente nimirum atque astante tam tristi spectaculo duce Sabaudo. Putant nonnulli, sed suspicione duntaxat moti, hanc illi causam incendendi fuisse, quòd

1537. sic putabat monumenta omnia, tabulas & scripta flammis deletum iri, quibus cõstabat, nobiles, ciuitates & municipia Pedemontanæ regionis clientelari submissione Prouinciæ comitibus nomen profiteri consuuisse. Vetum irrita fuit hominis spes: etenim Mõrõcius quum primum deseri oppidum placuerat, suspicatus accidere posse quod re ipsa accidit, hæc monumenta loculis condi, & mulis imposita in munitissimum quoddam suum castrum nomine Ballas ferri iusserat. Langæus curiæ Aquensis præsidem, senatores & eos qui inter ciues ptincipem locum obtinebant conuocat, & ex architectorum, fabrotum atque cœmentariorum sententia rationem iniri iubet quanti damnum acceptum sarciri posset. Rei æstimatione certa pecunię summa facta ad Regem re dit, cui in itinere occurrit Arelatum venienti. Rex audito Langæi responso, summam ipsam iubet quæstoribus & commissarijs, qui opus faciendum locarent, in manus tradi: inspecto Arelatensi oppido Auenionem redit, vt ad sua castra esset. Ibi nuntiũ à comite Tendano accipit: is porro ex quo à se Bonouallanum dimiserat, vnà cum Ioanne Paulo & cæteris Cæsarem regredientem perpetuò subsequutus Nicæam vsque fuerat. Inde Regi per nuntium constantissimè & certissimè confirmabat, Cæsarem, si denuò in Galliam pedem referre cogitaret, nihil omnino commeatus reperturum esse. Cuius rei testimonio esse asserebat, quòd ipse & comites, licet in pacata & amica regione essent, fæpenumero totum diem inediam ferre, & virgultis duntaxat equos alere cogerentur.

Cæsariani fictas profectionis suæ causas spargendas curant.

HAC re nuntiata Rex Lugdunum redire constituit, ibiq́ue aliquandiu commorari, dum negotijs omnibus prouideret. In itinere Tarasconem, Belcarium & Valentiam perlustrat, impensamque struam definit, quam necessariam ad opus absoluendum esse iudicabat. Dum iter facit, literas à suo apud Anglum oratore episcopo Tarbellensi accipit. Ex his intelligit, ab oratoribus Angli quos apud se habebat, de Cæsaris expeditione & receptu omnia longè aliter ad ipsum perscripta fuisse quàm euenerant. Discessisse illum strategemate quodam & dolo militari, quòd videret, Regem, quantacunq; in eius ditione vastitas fieret, ad pugnam elici nulla ratione posse. Quare specie quadam se recipiendi periculum facere instituisse, num Rex reuera exercitum abijsse ratus subsequi auderet, vt vel ea ratione ad pugnam eum compelleret. Vt porro verisimilis esset profectio, ipsummet huius rumoris autorem extitisse, in castris summam esse rerum omnium egestatem, milites plus tertia parte fame interijsse, reliquos breui eodem fato perituros, nisi maturè de reditu cogitaret. Re autem vera non eam esse egestatem quæ vulgò prædicabatur, post egressum ex Italia ne duo quidem hominũ millia periisse. Addebãt etiã ipsi oratores, post Montijani & Bosij cladem, regios milites ne semel quidem vllum tumultum aut vllam ad arma cõclamationem in castris Cæsarianis excitare, aut etiam discedentium agmen nouissimum prælio lacessere aut subsequi ausos fuisse. Qua de causa Cæsarem Nicææ substitisse, dum Rex longius discederet, vt mox in Prouinciam rediret, quam viris vacuam reperiret: ita sperare se, antequã Rex exercitum redintegraret, firmissima quæque Prouinciæ & Gallię Narbonensis oppida ad ipsum Hispanię ingressum occupaturum esse. Quod vt facilius expediretur, exercitum in Hispania collectum sibi in Narbonensi Gallia occurrere iussisse.

HÆC Anglo ab oratoribus suis per literas significabantur: qui sanè quæ ad Cæsaris profectionem rẽsque post Montijanum atque Bosium captos gestas pertinebant, fallò scripserant. Nam quod de consilio Cæsaris addebant, totam Prouinciam & Narbonensem Galliam eũ subigere cogitare, vt quicquid ab Italia ad Hispaniam pertinet occuparet, probabile est eum tantum de sua fœlicitate sibi promisisse, qua potissimùm fretus omnia solebat aggredi. Quod ex eo facilè potest intelligi, quòd non multo postquam se è Gallia recepisset, Hispani in oram Narbonensem descensione facta oppida infirmiora prædari & vastare cœperunt. Quibus ingruentibus legatus Mommorencij collecta incolarum manu fortiter obstitit, vt nulla impensa Regem grauaret ob inopinatum illum aduentum. Pulsos esse & è regni finib. eiectos Rex prius resciuit quàm in suos fines aduenire illos audisset.

Scoti singulare in Regem studium.

HÆC postquam Rex ad Anglum ab oratoribus perscripta fuisse cognouit, magni sua referre arbitratus est veram rei gestæ historiam declarare. Accedebat quòd Magdalenam Scotiæ regi in matrimonium dare cogitabat: quod Anglus quia timebat, pro virili semper fieri impedierat. Rex verò ægrè hoc poterat nobilissimo principi denegare,

qui

qui diu multumque sibi eam in matrimonium dari postulauerat: qui etiam certior factus tantam belli molem varijs vndique locis Regi incumbere, eodem tempore non rogatus sed vltro, non modò eandem belli aleam subire se velle significauerat, sed etiam ipse exercitu suæ gentis non pœnitẽdo coacto ad auxilium illi ferendum maturare constituerat: quod profecto officium non vulgari remuneratione dignum videbatur. His causis permotus Rex Pomeræum œconomum in Angliam mittere decreuit: is enim & notus valde acceptusque Anglo iampridem ob crebras legationes erat, & rem vti gesta fuerat, memoria tenebat, vt pote qui ipso belli initio commeatum in oppida conuehendum curauerat.

10 HVIC mandat vt & rei veritatem narraret, & matrimonium illud filię cum Scotorum rege Anglo probare conaretur: simul etiam vt exploraret quæ illius mens esset, de matrimonio ducis Aurelij cum Maria, quam ille ex Catharina prima vxore suscepe-
rat, id adeo quòd memoria tenebat illius oratores secum ea de re non semel egisse. Ob has causas quum Rex Anglum à se nollet alienare, imò quum pro innata animi constantia fœderatorum amicitiam tueri studeret, quam nisi inuitus nunquam vellet deserere, Pomeræum illuc legatum mittit. Is vbi aduenit, amicissimè acceptus hæc tria quæ in mandatis habebat exponit. Ad primum quod attinet, opinionem quæ animo penitus
Anglum ob Scotiæ nuptias Regi infensior.
insederat, non omnino sed aliqua ex parte tollit. Verùm simulatque de nuptijs Scoticis Anglus mentionem inijci audijt, ibi adeo commoueri cœpit, vt toto quatriduo homi-
20 nem se conuenire noluerit: quòd verebatur (sic enim illum moneri iussit) ne supra modum excandesceret. Interim quosdam etiam ex suis consiliarijs submittit, qui docerent quàm graues conquerendi & molestè ferendi hac in re causas haberet. Denique Pomeręus nullam reperire rationem potuit qua eum placaret: itaque non magno legationis profectu redire cogitur. Rex quum Auenione Lugdunum contenderet, Pomeræo quæ diximus mandata dederat: eodem itinere ducem Totouillanum Sampaulium mittit cum Germanico peditatu cui comes Gulielmus Fustembergus præerat (adiunctis præterea alijs tum peditibus tum equitibus) qui Tarentasios Sabaudiæ populos, qui paulo antè rebellauerant, ad obsequium cogeret. Totam regionem facilè recipit, & in perfidiæ pœnam totam vallem Germanis diripiendam dedit, maximè verò oppi-
30 dum Confluentiam.

ITA Rex dum negotijs omnibus prouidet, Lugdunum venit. Ibi res omnes tum cisalpinas tum transalpinas in concilio tractat: quæ à me prætermittentur omnia, vt ad Pedemontanam historiam iamdiu interruptam reuertar. Eum paulo antequam è castris Auenionensibus discederet, imò priusquam Massiliam proficisceretur, Annobaldus & Cæsar Fregoza adierant: ab ijs audierat quicquid apud Pedemontanos & aliis Italiæ locis vel susceptum vel gestum fuerat, quo tempore superiora ea quæ narrauimus partim in Prouincia & Gallia Narbonensi, partim in Campanorum & Picardorum finibus contigerant. Dimidio iam Iulio mense, quo fere tempore Mommorencius Auenionem profectus fuerat, Gaucherius Tinteuillanus Vanlæus à Rege in Italiam missus
Exercitus regius apud Pedemontanos.
40 erat, qui peditum ad duodecim millia & equites ferentarios sexcentos conscriberet. Et quoniam Mirandulæ ducum & præcipuorum militum bonam partem reperit, qui superiori illo delectu, cuius meminimus, collecti fuerant, non amplius quindecim dierum spatio exercitum instaurauit. Idque factum est ad ipsam Mirandulam tantumnon inspectantibus tribus peditum millibus & septingentis equitibus, qui modò è Germania Tridentum venerant, quique ad Casalum Maiorem è regione Mirandulæ castrametati erant, sic tamen vt flumen Padus interesset. Imperator exercitus Rango constituitur, cui priuatim tribunus attribuitur qui duobus peditum millibus præesset, Caguinus Gonzaga, Cæsar Fregoza & Viscontius totidem singuli pedites ducebant: eques
50 Assaltus nobilis Ferrarienſis & Petrus Strozzius, millenis præerant, Belangerius Caldora Neapolitanus quingentis, totidem Ioannes Taurinensis: Aueroldo Brixiensi quadringenti, Bandino totidem parebant. Ferentarios equites ducentos Cæsar Fregoza, Taxius Gallus ex Regia turma nobilis totidem, Bandinus denique alios pari numero ducebant.

VICESIMO Augusti. die Rango cum exercitu Mirandula profectus, secundis castris medio itinere Parmæ & Regij consedit: inde cœpit exercitus distributis ordi-
Rango Genuam occupare conatur

nibus iter facere. Parmæ muros prętergressi Castelloguelfium veniunt, postridie quinque passuum millibus á Placentia castra locant. Postea ad ipsius Placentiæ fossarum crepidinem prætereunt, & Trebiam flumen transeunt: media fere nocte clamor ad arma editur, sed nullo autore. Die vicesimoseptimo Pontremam exiguum oppidum perueniunt, quatuor passuum millibus Tortona. Ibi magna aquæ inopia laborarunt, quam incolæ abduxerant, ne illic castra ponerent: ad mediam noctem ad arma clamore excitantur. Die octauo & vicesimo Tortonæ suburbia ingrediuntur, vbi diem totum ad solis occasum commorantur, & Petrus Strozzius ad eos accedit. Circa solis occasum Rango clamorem ad arma edi iubet, vt ad suum quisque vexillum aggregaretur. Ita distributos progredi & totam noctem iter facere iubet, vt ante auroram Saraualium transirent, totum etiam insequentem diem pergunt, dum Bezolinum, quod exiguum castrum Genua, ni fallor, quatuor millibus abest, peruenirent, vbi panis inopia premūtur. Die tricesimo, qui decimus erat à profectione, sub prandij tempus circa nonam matutinam ad pontem veniunt, qui Genua duobus millibus aberat. Ibi considunt, & Besaniam mittuntur Cæsaris & Viscontij cohortes, equites item ferentarij quos Bandinus & Michael Angelus ducebant, qui Genuam illa parte aggrederentur. Rangoni insuper nuntiatur consilium suum patefactum esse, duo hominum millia Genuam subsidio venisse. Postea compertum est, Lucensem quendam ex ipsis Rangonis cohortibus superiori nocte clam egressum, Genuenses ciues sibi vt cauerent monuisse, Rangonem & Cęsarem Fregozam oppidum ex improuiso occupare instituisse, id se ex itineris ratione & celeritate qua vtebantur, suspicari.

EODEM die adducitur ab equitibus captiuus quidam cum pera sarcinaria equi tergo imposita, ex famulitio nobilis cuiusdam Burgundi, qui ipse quoque captus, quorundam rusticorum ope euaserat. Adducitur prætera alius captiuus cardinalis Auriæ à secretis, qui mox tamen liberatur: nam & Cæsaris partium erat, seque nominatim venisse vt eū conueniret, prędicabat. Interim aliquot sclopetarij ad templum quoddam & vicina ædificia mittūtur non longius mille passib. Genua, propterea quod Rangoni nun tiabatur nonnullos rusticos inde equites, quū iter illac haberent, sclopis petijsse, eos esse quorum opera Burgundi illi euasissent. Hi tamen simulatque sclopetarij peruenerunt, montium iuga petunt. Alia insuper ex parte duo equi in exercitu Gallico glandibus ex oppido missis interficiuntur: tum enim milites ad oppidum instruebantur. Ibi instructa acie ad vesperum manent, si quid fortè nouarum rerum ij qui Fregozæ partes fouebant, in oppido mouerent. Verùm nihil illi tentare audent, quòd præter ciuium multitudinem milites erant ad numerum trium millium, quorum dimidia pars Germanis equitibus constabat, ex ijs quos paulo antè Tridentum venisse commemorauimus. Quamobrem Rango suos reuocat, & loco castris ponendis delecto singulos certis regionibus distribuit. Locus erat duobus vtrinque montibus septus, mille fere Genua passuum interuallo. In summo montis iugo speculatores constituit: tum scalas magno numero conficere instituunt. Media fere nocte exercitus nullo neque tubæ neque tympani strepitu instruitur, deinde alterum è montibus subire conatur magna profecto incredibilis laboris defatigatione. Nam prætерquam quòd montis magna erat altitudo, arduusque valde & difficilis ascensus, hoc accedebat, quòd tritis semitis non incedebant. Itaque milites diurnis illis superioribus nocturnisq; itineribus, & rei frumentariæ penuria confecti, prætерea scalarum pondere, quas humeris gestabant, defatigati, viribus deficientibus sese humi tanquam semimortui abijciebant, vt vi ac minis ad scalas tollendas cogi eos necesse esset.

Genua occupādi conatus irritus.

DVABVS fere ante lucem horis primum agmen ad imam muri partem venit, scalæ admouentur, sed duæ tantùm reperiuntur quæ iustæ essent magnitudinis: ac sanè ad eas conficiendas non maius quinque horis spatium datum fuerat. Nihilo tamen secius qui ad hanc rem constituti erant, scalis in summum eniti incipiunt, sclopetarij oppidanos qui ad propugnandum concurrebant, è muro submouent: acriter & summa contentione atque impetu ad sesquihoræ spatium post exortum solem dimicatur. Quòd si breuiores illæ scalæ ad iustum modum factæ fuissent, multorum ea est sententia, vt eos vi irrupturos fuisse putent. Ad extremum Rango quum alijs scalis ad expugnandum oppidum opus esse, suos è loco superiore à propugnantibus oppidanis interfici,

interfici, vt nullum illis auxilium ferri posset, perspiceret, receptui canit. Ex oppidanis pauci interficiuntur, saucij non ita multi reperiuntur. Ex oppugnantibus multi cadunt, vt alij quinquaginta, alij centum fuisse affirment: inter cæteros quidam ex centurionib. non obscuri nominis, insuper Hector Caracciolus patricius Neapolitanus, qui nullo ati toramento militabat. Eum oppidani apud se sepeliri patiuntur: quemadmodum missô tibicine rogati fuerant. In hac dimicatione præclara cuiusdam ex Rangonis cohortib. significri virtus enituit, qui cũ vexillo in summum murũ euasit. Is paucissimis licet propter scalarum breuitatem subsequentibus, multisq; in eum irruentibus, ac signum militare arripientibus, sibi tamen extorqueri passus non est, sed hastile vnà cũ manipuli parte (nam reliquum lacinijs diuersis ruptum est) ad suos retulit.

Comes suos ex prælio colligit, & quo venerant monte reducit, quod nemine obstante factum est, vt ne illi quidem equites vel pedites, ex oppido egressi ad nouissimos vrgendos prodirent. Postea nostris iam illa planitie montibus interiecta castrametatis, in alterius summo montis iugo sub quatuor vexillis cõspecti sunt. Eos comes missis scloperarijs ad prælium elicere conatur, sed illi confestim discedunt. Totum diem illic moratur, expectans num redirent equites illi & pedites quos Besaniam miserat: hos enim ad se redire iusserat. Sed illi aliud iter arripiunt, & Placentiam versus alia via quàm qua venerant contendunt. Ad eum quidem illuc rediit proprius eius tribunus, quem pridie miserat, vt eodem tempore oppidum inuaderet qua parte est Auriæ palatium: sed ex triremibus conspectus, machinarum strepitu territus, a re suscepta destitit. Milites indignati quòd rustici pabula cremassent, aliquot vicos incendunt.

Comes tribuno reuerso conciljum cogit. Omnium sententia est, vt quoniam machinis ad oppugnandum carebant, suos à periculo adeundo, ad Genuam continerent. Silentio de media nocte discedunt, postero die, qui Calen. erat Septem. continenter progrediuntur, donec ad castella quædam perueniunt, Herniam, Taierium & Vadam, quę Genuæ circiter triginta passuum millia aberant, ad altissimorum montium radices sita. Ibi parum duntaxat tritici equis alendis, & nuces castaneas, quibus vescerentur, reperiunt: nam incolæ cum impedimentis & cibarijs in montes se receperant. Cuius rei odio incitati milites aliquot vicos incendunt, & castra illa diripiunt, quanquam non ita magna præda suppetebat. Postero die quum iam horæ spatium diluxisset, proficiscuntur, & duodecim passuum millia progressi, castrum Visanum nomine perueniunt. Illic Vanlæus cum viginti equitibus ferentariis ex Fregozæ turmis Taurinos ire iubetur, vt Annobaldo copias aduentare nuntiaret. Die Septem. tertio quindecim passuum millia progrediuntur, ad castrum nomine Cauam. Postridie Tanaram flumen vado transeunt, & ad castrum Serisollas perueniunt, quod millia quatuor passuum Carmagnolis abest. Hostes vbi comitem appropinquare audiunt, Taurinensem obsidionem relinquunt, sparso rumore se prælium commissuros obuiam ei accelerare. Tamen nullum ei negotium facessunt, & libero itinere quinto mensis die oppidum Carinianum ingreditur. Annobaldus vbi hostes discedere sentit, egressus cum circiter octingentis hominibus nouissimos adoritur. Ad turrim pontis ad Padum flumen quum venisset, (quam Cęsar à suis antea captam fuisse plurimi faciebat) eius sibi deditionem fieri iubet. Hostes imperata statim faciunt, quòd nullam subsidij spem sibi dari videbant. Postridie Burius cum fere octingentis strenuis viris egressus Grollianum capit, vbi magnam frumenti & vini copiam ad Taurinos iuuandos reperit. Comes Carinianum postquam venit, iuxta arcem instructum exercitum ducere cœpit, quam circiter sexaginta Neapolitani Cæsaris iussu tenebant: qui prætereuntes milites dum scloperis petunt, vnum ex eo numero interficiunt. Irritatus comes tubicinem de deditione mittit: quod quum facturos se negarent, rursus misso tubicine comminatur se omnes interfecturum, si machinas adducere cogeretur. Tum illi tempus sibi dari petunt, dum eos monerent quorum iussu arcem tenebant. Hoc accepto responso machinas ab Annobaldo per literas petit: qui statim acceptis literis ipse cum duabus cannis, totidem longis colubrinis & totidem etiam minoribus proficiscitur, quinquaginta cataphractis & centum ferentarijs comitatus: propterea quòd ad Moncallerium sibi transeundum esse videbat, quò Scalingius Astæ præfectus se receperat. At ille quum tormenta æneа adduci audiret, veritus ne Annobaldus & comes Rango coniunctis copijs Moncallerium obsiderent, eo re-

Cæsarianis ad Taurinos obsidio tollitur.

1537. licto oppido Astam contenderat, quò etiam se vniuersus Cæsaris exercitus receperat.

Annobaldus quædam oppida dediditione accipit.

ANNOBALDO itet facienti nuntiatur quemadmodum centuriones, quos Quersium miserat, quòd audissent Cæsarianos ab eius oppidi ciuibus summam quinque & viginti millium coronatorum ad stipendia militibus persoluenda exigere (hæc vna enim illis ratio pecuniæ conficiendę fuppetebat) eo audacius profecti essent: quam quum ne gligentius custodiri offendissent, quòd milites in pecunia à ciuibus corradenda occupabantur, subita irruptione ceperant, quum quidem quadringentorum militum præsidio Cæsaris iussu teneretur. Moncallerianorum legati statim post Scalingij discessum Annobaldo obuiam procedunt, se suaque Regis fidei dedunt. Inde progressus antemeridiano adhuc tempore Carinianum venit. Hostes adductas machinas conspicati, duos ex suis cum tympanista ad comitem mittunt, quos ille initiò durius alloquitur, quòd ad parum firmâ arcem oppugnãdam machinas adduci coegissent. Dum expectatur quid tandem comes respondere statueret, Neapolitanus quidam ex Caguini comitatu, occulta arte efficit vt qui in arce erant Neapolitani in illius potestatem venirẽt. Ac eodem sanè die duarum fere horarum ante noctem spatio, ipse Caguinus legatum cum manipulorum ductoribus mittit qui arcem ingrederentur: hora postquam contenebrasset Neapolitani emittuntur, centurio & signifer cum singulis equis, reliqui pedites: decem ex eorum equis in arce manent, vnà cum ipso militari signo. Hoc enim ipse legatus manibus arreptum tenuit, quum omnia Caguini esse prædicaret. Tum patuit simultas comitis & Caguini: quæ res profectò negotia regia nihil promouit. Illic præter frumentum circiter tria farinę saccorum millia reperiunt: iam enim saccis conditam in hostium castra mittere parabant: collecta est etiam vini aliqua copia. Id totum comitis iussu Taurinos conuehitur.

Rangonis & Caguinissimul ædes.

DIE eiusdem mensis vndecimo à Salussianis ciuibus missi veniunt qui deditionem facerent, & magistratum peterent: idem fit à complurib⁹ oppidis & castris tum Pedemontanæ regionis tum Marchionatus: quo etiam tẽpore Queralsium à nostris capitur. Die decimoquarto literæ à Rege accipiuntur, quibus & Cæsarem discessisse significabat, & se integros milites mittere, duo Gallorum peditum millia, quibus præerant tribuni Renatus & Godinerius, totidem etiam duce equite Biraguio. Hos Rex iubebat Taurinis præsidij esse, eductis ijs qui multa acerba ab hostibus obsessi pertulerant. Idem etiam Annobaldum cum cæteris ducibus & toto equitatu atque peditatu per literas ad se accersebat, oppidum Burio cum recentibus militibus, qui sessis submittebantur, tradi iubebat. Hunc Burium turmæ quinquaginta cataphractorum præfecit, quæ Francisco Salussio ante defectionem paruerat. Eodem die Sampetrus Corsus & Ioannes Taurinensis cum hostibus fœliciter pugnarunt, ablatis quatuor signis militaribus, captiuisque abductis centurionibus Barone, Senegallio & Pacerio. Die quinto & vicesimo Ioannes Ludouicus Salussius, missus a Rege Carinianum venit, quo etiam die Carmanioli am vesperi profectus est. Quæ ab eo postea gesta sunt, suprà à nobis sunt commemorata.

Supplicium sumitur de eo qui Delphino veneno iussu lerat.

REX Lugdunum interea venit. Ibi concilium cogit omnium principum consanguineorum, equitum torquatorum & totius regni illustrissimorum virorum. Adhibet etiam legatum & nuntium papæ, cardinales quotquot in aula tum versabantur, oratorem Anglum, Scotum, Lusitanum, Venetum, Ferrarien sem & reliquos: insuper principes & honoratos viros exteros tum Italos tum Germanos, qui tum temporis in aula aderant, ducem Wirtembergensem Germanum, ducem Sommanum, Arianum, Atriensem, principem Melfitanum, & Stillianum Neapolitanum, Hippolytum Estensem, marchionem Vigeuanum ex familia Triuulsia Mediolanensem, Ioannem Paulum Cerete ̃ Romanum, Cæsarem Fregozam Genuensem, Annibalem Gonzagam comitem Lanuolarium Mantuanum, aliosque magno numero. His conuocatis atque audientibus perlegi iubet acta causæ sceleratissimi hominis qui Delphinum veneno sustulerat, vnà cum percontationibus, confessionibus, testium repetitionibus, cæterisque omnibus quæ in capitis iudicijs solent seruari. Quibus perlectis qui aderant omnes (quibus quidem lege licet in huiusmodi iudicijs adesse) sententiam de tam horrendo & nefario scelere dicunt, iudices reum damnant, & supplicio affici iubent, vt equis concitatis in quatuor diuersas partes discerperetur. Rex Lugduni aliquot præterea dies commoratur,

ratur, vnde priusquam discedat, stipendium omnibus militibus persolui iubet: quibus se non egere videt, eos dimittit, Germanos & Heluetios, cohortes tamen Gulielmi Fustembergi & Heluetiorum centuriones omnes retinet: his commeatum liberaliter præbet quo in Gallia habitarent: ægrotis & saucijs tum Germanis, tum Heluetijs ædes distribui & pecunias extra stipēdium numerari, vt sanarentur, iubet. Quos in Gallia retinuit, ex ijs alios in Picardiæ oppidis præsidio collocat, alios ducem Totouillanum comitem Sampaulium subsequi iubet, cui auxilio essent aduersus nonnullos Sabaudiæ populos, qui quoniam apud eos fama percrebuerat Regem à Cæsare præsidio esse superatū, rebellionem fecerant. Sampaulius tanta diligentia rem perfecit, vt totam Sabaudiam & Tarentasiam Regi subijceret, supplicio de autoribus sumpto. Ab eo tempore in Regis fide & ditione absq; vllo tumultu aut rebellione permanserunt.

REX omnibus prospectis quæ ad regni limites quoquouersus firmandos pertinebant, Lugduno discedit. Locus est nomine Cappella in summo montis Tararę iugo, qui mons est inter vicum Tararam & Sansaphorinum. Ibi quū Rex prandereț, accedit Scotiæ rex, qui, vt alio loco demonstraui, nuntio accepto de Cæsaris in Galliam expeditione, Scotorum sedecim millia conscripserat, quibus periclitanti Regi opem ferret, idque non rogante ac ne scientę quidem Rege. Bis naues conscendere conatus, vento aduerso portum repetere compulsus fuerat: tandem cum aliquot nauibus in Normaniam venit, & ad Deppæ portum appellit. Ibi quum audiret Cæsarem & Regem iam in eo esse vt signis collatis dimicarent, ne à prælio abesset, equos veredarios conscendit: verùm nuntio postea in itinere de Cæsaris profectione accepto, diligentiam cœpit remittere, vt suos ponè venientes præstolaretur. Quibus Rex auditis nuntios obuiam mittit, rogat vt comites nihil moratus properare pergeret. Ita Regem in illo montis supremo iugo, (vti dictum est) accedit, à quo honorificētissimè exceptus, multis habitis sermonibus vnam ex filiabus sibi vxorem dari petit.

Scotus Rex in itinere obuius ab eo filiam in matrimonio petit.

REX tametsi ægrè hoc se Anglo probaturum esse sciret, simul quòd nonnulla Vindocini filię iniuria in eo fieri videbatur, quam ille iam veluti futuram Scotiæ reginam adoptauerat, tamen quod Scotus petebat planè noluit denegare: partim quòd syncerum illius in se animum perspiciebat, partim quòd vetustissimam necessitudinem & amicitiam regum Galliæ & Scotiæ apud se reputabat, quin & ipsius regis patrem memoria tenebat Ludouici duodecimi partes sequentem, in prælio occubuisse. Neq; etiam planè quod ille petebat concedendū esse putauit. Itaq; de ijs postea se acturos respondet, postquam ille puellam conspexisset. Hæc sanè causa fuerat, cum alijs duabus maximi ponderis, cur Pomeræum antea Rex ad Anglum misisset, vt à nobis ostensum est. Regem præterea in itinere adeunt legati Heluetiorum fœderatorum, qui rogatu & impensis ordinum comitatus Burgundici veherant: ab eo petunt nequid in ipso comitatu innouaret aut moliretur. Id Rex in annuum spatium concedit, Heluetiæ societati gratificari studens, dissuadentibus tamen quamplurimis, qui censebant cohortes Fustembergi comitis illuc in hyberna deducendas esse, communiendam quoq; esse aliquam arcem, quæ totius regionis libertati postea immineret.

PRÆTEREA etiam literas Roma accipit, quibus significabatur papam sponte sua in ipso consistorio de obitu demortui Delphini ad cardinales retulisse, æquum sibi videri, pro summis Regis & patrum in sedem Apostolicam meritis, vt iusta illi eadem pompa atque cardinali cuipiam persoluerentur. Qua in re contentionem nonnullam extitisse, quòd aliquot cardinales id à papa Alexandro factum quidem fuisse dicerēt, quum Ferdinandi Arragoniæ regis filius obijsset: sed illum, quum Hispanus esset, id potius patriæ studio quàm ex collegij consilio fecisse. Ad extremum tamen omnes Pontificis voluntati cessisse: adeoque exequias honorificentissimè in sacrario pontificali celebratas fuisse. Regi insuper nuntiatur Cæsarem in Hispaniam peruenisse, nauigatione tamē valde molesta atq; difficili, sæuissima in mari tempestate vexatum. Nā & in ipso portus Genuensis conspectu duæ naues perierant: quarū altera ipsius equitiū altera vasariū habebat: præterea sex triremes amiserat, atq; in ijs plurimos militares viros. Eū tamē nihilo minores ob tot iacturas spiritus gerere, minari se propediem maiore quàm antea exercitu in Galliam impressionem facturum. Nuntiatur etiam Normannos denuo Hispanis ex Perea noua insula redeuntibus occurrisse, prædam non minorem bis centenis coronā-

1537. torum millibus factam. Literas itidem à Germania accipit, Cæsarem duces instituisse, qui vere ineunte milites conscriberent, multos rumores à Cæsarianis confingi & spargi in Regem contumeliosos, in Cæsarem honorificos, quibus etiam nonnulla de Delphini morte secus quam res habebat ferebantur: quin Roma quoque & ex alijs Italiæ locis eadem illi nuntiantur. Non ita multo pòst certior fit de morte Alexandri ducis Florentini. Denique ab ipsa Picardia perfertur ad eum Hannonios oram illam regni incursionibus populari, prædam agere, & magno iam numero coijsse. Quamobrem vt ad tot negotia quæ vndique nuntiabantur, quid facto esset opus, simul vt de Scoticis nuptijs transigeret, Ambasia & Blæsis iter Lutetiam facit. Ambasiæ illi præsto est mare schallus Marcanus, eumque submissè salutat. Hunc Rex ob eximiam fidem & singularem virtutem, quæ Peronam obsessam defenderat, cum maxima amoris & beneuolentiæ significatione excipit. Is tamen quum ob Roberti Marcani patris mortem (is enim paulo antè obierat) Sedanum redire pararet, in itinere febri correptus Longumij, quod oppidum millia passuum decem Lutetia abest, diem suum obijt, vir sanè ob virtutem militarem & summam fortitudinem omnium bonorum desiderio dignissimus. Blæsis Rex Magdalenen filiam Scoto despondet, nuptijs faciendis dies Lutetiam reijcitur. Eò postquam venit, ex suorum sententia de omnibus quæ ad hanc rem pertinebant constituit. In Germaniam ad Impetij ordines literas scribit, quibus veram de morte Delphini historiam exponit: rursus profitetur se eorum iudicio stare velle, de iure quod sibi in ducatu Mediolanensi vendicaret, quæ vna esset totius huius belli origo & causa: præterea Romã ad pontificem & cardinalium collegium eadem de re scribit. Ad oratores quos Romæ habebat, literarum exemplum mitti iubet, quas in Germaniam scripserat, vt pontificem ea de re monerent, omnesque intelligerent quas ipse pacis conditiones quæsijsset, ac etiamnum quæreret. Florentini mortem alijs scribendam relinquo, quam nihil ad me pertinere arbitror, qui Regis tantùm res gestas & negotia literis mandare decreui.

Roberti Marcani mors.

Burius Casalum occupare aggressus copias mittit.

DEMONSTRATVM antea est Burium Regis legatum, apud Taurinos relictum esse. Is quum audisset Casalios non facilè adduci vt ducem Mantuanum marchionem Monferrati agnoscerent (Cæsar enim secundum eum pronuntiarat, contendentibus licet Sabaudo & Francisco Salussio) monachi cuiusdam Franciscani, patricij etiam Monferratensis nomine comitis Claudij Biendrasij, item Petri Antonij Valentini opera vsus, centurionem quendam Neapolitanum Damianum curialem sibi conciliauit, qui Casali præsidio à Cæsare præpositus fuerat. Is Burio vnam se ex oppidi portis traditurum pollicetur. Burius ea de re Rangonem monendum non existimauit, veritus ne si negotium ad plures dimanaret, statim erumperet atque illustraretur: sed adhibito Christophoro qui secum mille ducentos pedites Italos habebat, & Taxio cum aliquot equitibus, rem perficere aggreditur. Biendrasio pecunias suppeditarat ad coemendos batillos, ligones cæteraque fossorum instrumenta, eo consilio vt occupato oppido statim fossa ducta milites è castro erumpere tantisper prohiberet, dum exercitus & machinæ à Rangone ad illud oppugnandum adducerentur, quod oppido potitis facile erat. Verùm re perfecta reperit Biendrasium instrumenta, quemadmodum conuenerat, nõ parasse. Itaque dum alia ad fossas ducendas conquirit, multum temporis absumitur, vt marchioni Vastio Cæsaris principi legato, qui tum Astæ erat, otium ad exercitum colligendum daretur. Itaque castrum porta qua rus exitus erat, ingreditur, inde in oppidum irruptionem facit, fossis vix dum inceptis. Burius cum peditatus numero quem demonstrauimus, tantis copijs impar, impetum non potest perferre, a circunsistentibus hostibus capitur atque vna cum eo Taxius, Christophorus interficitur, reliquis vel captis vel interemptis, Biendrasius & Damianus cum aliquot alijs quos consilij participes habuerant, salui euadunt. Quod si Burius cum Rangone consilia contulisset, vt ille cum exercitu regio ad Astam venisset, valde verisimile est marchionem Vastium nunquam opem laturum fuisse, ne dum vni mederi cuperet, alterum amitteret: vt Burius tantum incommodum acceperus fuisse non videretur. Rex re per nuntios intellecta Guidonẽ Guiffredum Butterium Taurinis legatum præfecit: cardinali Turnonio, quem Lugduni legatum habebat, rerumq; summam ad eum detulerat, mandat vt Guiffredo quę necessaria esse viderentur, suppeditaret. Marchio Vastius quum satis haberet quòd Casalũ recuperasset, rebus omnibus perfectis Astam se recipit, vt se Rangoni opponeret.

NVPTIIS

NVNTIIS Scoti Lutetiæ in episcopi ædibus perfectis, Regi nuntiatur quemadmodum hostes in ora Picardiæ auctis præsidiis, in nostros quædam molirentur. Inter cætera quum equites ferentarios, quibus vidamius Ambianensis præerat, (ij autem Durleni præsidio erant) audissent de Auenna opprimenda consilium cepisse, quod oppidũ Attrebatibus sex passuum millibus abest, in quodam vico delituerant, nostrósque ex insidiis adorti profligarant, neque abest suspicio quin ab eo quem itineris ducem habuerant, proditi fuerint. Hoc nuntio Rex accepto, Martinum Bellaium cum ducentis equitibus ferentariis quibus præerat, Durlenum mittit, Georgium item Capussemẽtium cum totidem paulo post eòdem mittit. Vervinum turmã equestrem comitis Marleani (is Vindocini ducis erat primogenitus) quinquaginta cataphractis constantem, Sãquintinum centum ipsius Vindocini equites mittit: atque adeo totam Picardiam maioribus præsidiis firmauit. Tota hyems incursionibus vltro citróque infesta fuit, nihil tamẽ commemoratu dignum gestum est, propter intensum gelu & ingẽtem niuium copiam: vt mensibus hybernis equites iter facere prohiberentur.

HAC ratione Picardiæ rebus, vt temporis anguſtia ferebat, prospectum est. Interim Rex aliud quiddam longè maioris momenti molitur. Etenim in augusta vrbe Lutetia, in ipsa basilica palatina, quæ curiæ sedes est, pares Franciæ qui vocãtur, principes cõsanguineos, episcopos propè quadraginta, & totum Parisiensem senatum conuocat, adhibitis etiam multis illustribus & honoratis omnium ordinum viris. In celeberrimo illo clarissimorum virorum consessu, astante Rege, Cappellus regius aduocatus, potestate dicendi facta, Cæsarem Flandriæ, Artesiæ & Carolosiæ comitem, qui alias etiam prouincias, quæ ad regni Gallicani clientelam pertinent, occupat, rebellionis & perfidiæ in Regem supremum natum principem reum agit: itaque perorat, vt lege commissoria in beneficiarium lata ex senatusconsulto bona illa fisco addici & publicari deposcat. Ad hæc aduocati postulata, in consilium itur, omnibúsque accuratè expensis senatusconsulto fãcto placet in omnes regni oras, ad quas quidem tutò accedi liceret, præcones dimitti, qui tuba Cæsari diem dicerent, vt ille quos liberet, paratos ad vadimonium obeundum causæ firmamentis instructos mitteret, quæ ad illa aduocati & cognitoris regij postulata quæ viderentur afferrent: interim summam iudicij inhiberi, neq; Cappello postulata adiudicari: quos Cæsar mittere vellet, iis fide publica data accessum & discessum nullifraudi futurum. Dies à fæciali more maiorum rectè atque ordine dicitur: quòmque nemo extaret qui vadimonium Cæsaris nomine obiret, Cappelli & cognitoris regij postulatio, quibus verbis ab ipsis nuncupata fuerat, addicitur. Rex ad senatusconsultum aliqua saltem ex parte exequendum quammaximum exercitum primo quoque tempore cogere constituit. Hostes verò quum Lutetiam ad causam dicendam mittere deberent, de impressione in Regis fines facienda consilium capiunt. Itaq; quum Teroanam vini inopia premi & præsidio admodum exiguo teneri constaret, quòd nuper cataphracti quinquaginta, quibus Bernellius Crequij frater minor natu Morinorum præfectus præerat, ab incursione, qua vallem Cassellam deprædati fuerant, reuertentes non longè à Morinis pulsi & profligati fuerant, hostes Areæ, Betunæ & Santaudomari manu coacta conuenerant, ac Roxius ipse magnopere maturabat, vt antè oppidum occuparet, quàm maius præsidium introduceretur. Quamobrem Rex Martinum Bellaium Durleno decedere & Morinos cum equitatu, cui præerat, contendere iubet. Bellaius Calend. Febr. cum suis nullo accepto incommodo ingreditur, licet hostes cum octingentis fere equitibus itinera obsiderent. Sed tempore admodum nubilo, gelu acutissimo & noctis densissima caligine effectum est, vt hostis nocere nequaquam posset. Paulo pòst circiter hilariorum dies Sanfacus cum pari equitum numero eòdem ingreditur. Reliquum hyemis tempus ad medium quadragenarium ieiunium quotidianis certaminibus cum hostibus qui finitimis oppidis præsidio erant, transigitur, sic tamen vt nostri superiores essent. Neq; vllus fere dies prætermittebatur, quin aut nostri ad hostium portas, aut illi ad Morinorum munitiones prælïarentur. Quò etiam ad bellum spectandum se contulit bona pars iuuenum nobilium ex Delphini comitatu, in quorum numero erat Santandræus, Dampetrus, Dandecanus, Ecarsius & Lanoæus, qui nullo non die eo se spectaculo oblectare potuerunt.

Cæsar Lutetiæ fidei clientelaris defertæ rem agitur.

MEDIO circiter Martio mense Rex Annobaldo, qui in omnes ferentarios equites

1537. ſummam imperij habebat,negotium dat,vt commeatum Morinos deducat. Huic attribuit Taxium,Termium & Alſunium Gallos,Maurum Nouatum & Franciſcum Bernardinum Vicomercatum Italos,Georgium item Capuſſementium & Theodum Manetem Albanos,qui ducentenos equites ferentarios ſinguli ducebant,Dubetium inſuper ſeneſchallum Boloniæ & Cre.quium Montrolij præfectum, quibus quinquageni ea taphracti ſuberant.Commeatu Montrolij comparato, Annobaldus Teroanam nuntiũ mittit,qui diem certum & tempus indicaret quo ſe in ſylua Foccobergana adfuturum eſſe ſperaret,tum vt ex ſuis aliquot præmitterent qui totam regionem Aream verſus & Santaudomarum explorarent,rum vt obuiam ad commeatum excipiendum procederent.Egreſſi oppido ferentarij non procul inde in equitatum Sautaudomari & Areæ incidunt,qui expiſcandi cauſa venerant.Eos noſtri ilico adorti fundunt fugantque,atq; ad ipſius portæ repagula compellunt. Deinde Foccobergam, vt illis mandatum fuerat, ad commeatum excipiendum contendunt, nonnullis tamen equitibus ad ſpeculandũ relictis,qui renuntiarent ſi quos ex hoſtium præſidiis egredi conſpicerent.Santaudomari erat Roxius,qui re per nuntium intellecta,ſtatim egreditur cum equitibus ferme ſexcentis quos ex finitimis oppidis coegerat. Ex iis aliquot Teroanam mittit, qui noſtros ad equeſtre prœlium elicerent:ipſe cum tota multitudine loco poſt ſcalas patibulares tecto in inſidiis ſe collocat.Inter eos quos à noſtris ad ſpeculandum relictos fuiſſe comme morauimus,& Roxij præcurſores prælium acerrimum committitur: in quo noſtris loco cedere neceſſe fuiſſet,niſi equites Bernelliani,quos Nothus Halluinus ſignifer ducebat,ſubſidio adfuiſſent. Vnde factum eſt vt diuturnius prælium, ſed remiſſius quàm initio redderetur:quippe Roxius ſuis vetuerat ne longius progrederẽtur,ne ipſius inſidiæ viderentur. Ac profectò tametſi non longius ab oppido locus ille aberat,quam quò mediæ colubrinæ globus adigi poſſet,tamen ex ipſius oppidi ſpecula nõ deprehendebatur. Verùm noſtri eouſque procurrunt, vt tandem illum cõſpicerent:itaque ſuos qui ad Foc cobergam erant monendos curant.

EXISTIMABAT autẽ Roxius futurum,vt qui cõmeatum adduxerant,ſtatim eo noſtris tradito ſe pro more reciperent:quod ſanè ſi accidiſſet,facilis illi virium ſuppetebat,vt & noſtros adoriretur,& commeatum interciperet. Verùm aliter omnino accidit: propterea quòd Annobaldus & Dubetius inſidiis cognitis turmas ſummo monte ad ſiniſtram Santaudomarum verſus progredi iubebant, vt ſi Roxius vim inferre pararet,ſtatim ad opem ferendam accurrerent. Qua re ille perſpecta Santaudomarum ſe recipit: illi Morinos veſperi venerunt, reliquos Montrolium remittunt, ne cibaria multitudine conſumerentur .Eôdem ipſi quoque biduo pòſt perluſtrata finitima regione reuertuntur.

Rex exercitũ Hedinũ ducit

EXTREMO ferè Martio Rex copias colligere cœpit:Ambiano profectus Fliſcuriũ, hinc Pernoium venit:quo tempore moritur Carolus dux Vindocinus, qui ægrotus ardenti febre Ambiani reſtiterat. Hic magnum toti Galliæ ſui reliquit deſiderium, quòd excelſi animi princeps eſſet,& de Rege & Gallica Rep. optimè meritus. Mommorencius præfectus prætorio,cui Rex in exercitu ſummam imperij detulerat, Pernoio cum prima acie proficiſcitur. Caſtrum eſt Alchianum nomine ad flumen Othiam medio itinere Durleno Hedinum: quod quum magno eſſe noſtris incommodo audiret, ſiue cõmeatus duceretur, ſiue Durleno Mõtrolium iter fieret, ad illud proficiſci decreuit.Quò ſimulatque cum machinis peruenit,hoſtes ſaluis impedimentis deditionem faciunt.Eò poſtridie Rex venit. Poſtea ad Hedinum copias ducit: quod oppidum munitiſſimum eſt, & ad finitimorum ſalutem commodiſſimum, Cæſarique maximè incommodum, ſi Rex eo potiretur. Dum ad illud oppidum quæ ad machinas promouendas pertinent fiunt, Antonius Mallius Alchianus mille peditũ tribunus, ſclopo ictus moritur, quæ nõ leuis fuit iactura,Hellius item tribunus militum vulnus in erure accipit.Admotis machinis & oppugnatione inchoata,oppidani cum vxoribus, liberis & fortunis omnibus in caſtrum ſe recipiunt,oppido noſtri nemine obſiſtente potiuntur. Caſtrum ſupererat capiendum,quod munitiſſimum opere & arte erat, in eoque Roxius quæ ad propugnationem pertinent omnia abundè collocanda curauerat, quòd magni ad ſalutem publicam referre,illud teneri intelligebat.Rex tamẽ expugnare illud omnino decreuit, remq; que machinariam ilico expediri iubet.

IBI

IBI cum imperio Cæsaris iussu præerat Sanson quidam veteranus eques Namurcanus, qui magnam in re militari apud Cæsarianos autoritatem obtinebat, Buberius cũ peditibus quingentis, Vandeuillanus cognomento Strumelius cum pari numero, denique circiter sexcenti tũ Namurcani tum inferiores Germani. Rex eo die Fileriis consedit ad flumen Calchiũm infra Hedinum. In Regiis castris octo erant peditum Germanorum millia duce Gulielmo Fustembergo, Picardorũ quatuor millia, quibus præerant Sercutus, Mallius pridie sclopo interfectus, Hellius & Sasseaullius: Baccouillanus Sallius & Santalbinus Normanos millenos ducebant, Quintius & Haraucurius Lotaringus Campanos millenos. Plurimi insuper erant quos hic nominatim non significamus: vt tota multitudo tum Germanorum tum Gallorum ad sex & viginti peditum millia in eo exercitu esset.

POSTERO die Rex Menilij manet non amplius quingentorum passuum interuallo ab arce Hedinensi, inter Contium & Hedinum. In arce Contiana præsidium erat à Roxio impositum, qui eius loci dominatum obtinebat. Pedites partim in oppido Hedinensi partim in septo castra habebant, vt castrum vndique circũsiderent. Nonnulli ex ducibus, qui arcis Hedinensis situm & naturam tenere se prædicabant, quòd omnia sæpius & per otium perlustrassent, Regi & Mommorencio, cui Rex maximè confidebat, ostendunt commodissimum esse, vt arx suffossis muris caperetur: nullam esse rationem, vt mœnibus glande concussis aditus fiat, muri crassitiem obstare, & aggerem quo ponè fulciebatur. Itaque fossores omnibus locis ad opus constituuntur, viri summæ autoritatis operi præficiũtur, princeps Melphitanus, Barbezius, Burius & Villerius: is enim rei machinariæ præfecti locum tenebat. Tanta diligentia res administratur, vt vicesimo circiter die dimidia pars turris quæ oppidum spectat, quà in castrum ingressus est ad læuam, labefactata rueret: verùm reliqua pars quæ castro adhærebat incolumis stetit: vt perexiguum ex ea re incommodum hostis acciperet.

REX magna & temporis & rei pecuniariæ iactura in ea re perspecta, animum ad machinariam oppugnationem conuertere cœpit, præter multorum opinionẽ, qui muri & aggeris nimiam crassitiem causabantur. Itaque ipse quodam die mane profectus, locum commonstrat vbi machinas collocari vellet. Morem omnes iubenti gerunt, & tormenta adeo propè collocantur, vt ipso ore labium fossæ contingerent: verùm non sine iactura & morte aliquot rei machinariæ præfectorum tantum opus perfici potuit, Lusarchius & Pontibrianus ambo huius rei peritissimi inter cæteros interficiuntur. Villerius, cui summa cura demandata erat, tantam adhibet diligentiam, & admotis machinis toto biduo mœnia tanto impetu & fragore concutiuntur, vt tertio die meridiano tẽpore muro collapso ruina centum octoginta pedes lata pateret. *Hedini arx machinis quæ tuitur.*

REX ipse omnia hæc administrari spectabat & vrgebat. Quæ sanè causa fuit cur nonnulli iuuenes præcipuę nobilitatis, famę sibi conciliandæ gratia, quum Regẽ ipsum virtutis & industriæ testem adesse cernerent, non expectato imperio, neque rebus adhuc ad irrumpendum constitutis, neque vllis qui subsequerentur conspectis, tanto impetu ruerent, vt ad summam labefactati muri partem enitерentur: sed non minori virtute repelluntur quàm proruperant. Itaque alij in ipso loco interficiuntur, alij grauiter vulnerati reuertuntur. Ex iis Carolus Buellius comes Sancerranus glandẽ traiecto corpore accipit, quo vulnere nocte proxima moritur. Is magnam sui iam expectationem iuuenis concitauerat, vt omnes maiorum virtutem imitaturum esse confiderent. Alsinius item Sercuti legatus, & Damiattus signifer, Haraucurius Lotaringus tribunus militum, vnà cum fratre legato, Paresio patre prognati, qui legatus Guisij tum in turma ipsius equestri tum in prouincia Campania erat. Fleuerius Mardicoquij filius, & complures alij saucij. Quamobrem Rex præconio publico per tubicinem & tympaniastam vetat nequis imperatoris iniussu ad irrumpendum prosiliret: qui secus faxit, capitale futurum.

Hæc confecta omnes ad signa milites, ad vires colligendas aggrerari iubet: eo ipso die vesperi cataphractos magno numero pedites pugnare iubet, cum ferẽtariis circiter sexcentis, his ducendis Annobaldum ferentariorum magistrum præficit. Imperat deinde reliquo equitatui, Germanis peditibus, atque iis qui ex reliquo peditatu ad oppugnandam arcem non erant constituti, vt omnes ad hostium aditus acie instructa starent, ne hostes interim molesti essent, dum nostri in arce per vim expugnanda occuparentur.

1537. Taxio etiam & Martino Bellaio negotium datur vt cum suis quisque equitibus iter Attrebates, Aream, Betunam & Santaudomatum pergerent, qui si fortè hostis ad turbanda castra accederet, nuntiandum curarent, néve nocturno vllo ficto clamore qui oppugnaturi erant, excitarentur. Omnibus ordine constitutis, qui primi progredi, qui subsequi, qui denique fessis submitti deberent: oppidani qui pridie re ipsa didicerant, quavirtute atq; alacritate nostri vallum superassent, veriti vt audaciam & impetum ferre possent, ea ipsa nocte tubicinem quâ patebat ruina, emittunt, qui Mommorencium adiret, is autem in fossis erat, suos cohortabatur, & omnibus prospiciebat quæ ad futuram oppugnationem pertinebant. Hostes post diuturnum colloquium sese Regis fidei permittunt, vt machinas, commeatum & munitiones relinquerent, ipsi cum impedimentis salui abirent. Hæc quum Mommorencius mane Regi nuntiasset, ille pactionis omnia capita rata & firma esse iubet. Oppidani meridiano tempore egrediuntur, quibus præsidium ex nostris attribuitur, vt turò abirent.

Hedinum deditione Rex capit.

REX tum oppido tum castro Sercutum præponit, qui eum locum aliàs summa fide & virtute defenderat: huic quinquaginta cataphractos & mille pedites attribuit. Ipse exercitum quatuor à Sampaulo passuum millibus ad Munctium Caæum locat, postridie Pernas venit. Et quoniam sæpius mentionem à nonnullis initici audierat, qui affirmabant Sampaulum oppidum & castrum facilè muniri posse, qua ex re magnum hosti incommodum inferretur, quòd oppidum illud ita situm erat, vt millia passuum duodecim Betuna, octodecim Attrebatibus, duodecim Durleno, totidem Morinis, sex Hedino & Lillerio decem abesset, iam inde quum Hedinum venisset, eò Annobaldum miserat, qui oppidum & aream in potestatem acciperet. Oppidum hoc cum tota regione & municipiis quæ ad illud pertinent, antea & superioribus ipsis bellis in fide & clientela Regis continebatur, vt supremum illic ius obtineret, tametsi omnia à magistratibus iussu & nomine Cæsaris administrabantur. Sed omnia ipso statim Annobaldi aduentu in Regis manum ac potestatem veniunt. Illic à Cæsare Senes challus constitutus erat Ligorellius: qui cum aliis multis magistratu fungentibus belli iure capti magnam pecuniæ summam redimendi sui causa pendere poterant. Sed nullo illos pretio dimitti Rex iussit, quòd supremam illam iurisdictionis autoritatem in eis ad hunc vsque diem valere vellet, multis licet dissuadentibus, qui multa dicebant ab illis contra imperium facta esse, quam idòneam esse causam cur ea immunitate non fruerentur.

Sampaulum Rex communiri iubet.

OPPIDI & arcis deditione facta Rex denuo vtrunque inspici iubet, vt quàm breui temporis spatio muniri posset intelligeret. Aliis aliud videtur: sed vna ad extremum obtinet sententia, quam princeps tuebatur quidam Antonius Castellanus Italus. Is recipit se intra sesquimensem inexpugnabile illud oppidum non Cæsari modò sed totius orbis viribus effecturum esse. Id quod tam seriò confirmat se præstiturum, vt Rex fidem homini habere in animum induceret, multisque rebus aliis omissis, quas aggredi antea cogitauerat, castra ad Pernas fieri iuberet, vt hostem incursionibus tantisper prohiberet, dum munitiones absoluerentur.

DVM nostri castra metantur, Mommorencius & Guisius aliquot cataphractis & ferentariis assumptis loca finitima peragrare instituunt. Lillerio quum appropinquarent, quatuor Pernis passuum millia, aliquot equites præmittunt: qui quum ad repagula procurrissent, ac neminem nec intus nec foris conspicerent, ex iis nonnulli in pedes desiliunt, scalis quas in suburbio fortè nacti fuerant, murum conscendere instituunt, idq; nullo obsistente perficiunt. Nemo enim toto oppido erat præter aliquot moniales virgines in parthenone, quæ nostris scisciantibus narrant Leuinum oppidi præfectum, simulatque exercitum Gallicum appropinquare intellexisset, se porta paludana propiuisse, & suos Sauenantum & Maruillam ad flumen Lilium reduxisse, illic esse Roxium cum parte Cæsariani exercitus. Hæc ab antecurforibus Mommorencio renuntiantur, qui confestim oppidum venit, pœna capitis edicit nequid vel virginibus vel earum fortunis noceatur. Oppido Martinum Bellaium cum suis ducentis equitibus præficit, cui mille pedites duce Landa attribuit. Cuius rei causam habere visus est, quòd oppidum illud loco perquam commodo situm esse perspiciebat, vt quandiu castra nostri ad Pernas haberent, itinera tuta essent, néve hostes Sauenanto & Marvilla castra subinde clamore turbarẽt, aut nostris pabulatoribus molesti essent. Nostri tum pedites tum equites crebris

crebris incursionibus multam prædam tum hominum eius regionis incolarum, tum armentorum ex illis palustribus locis agebant: illuc enim se contulerant, vbi latere se posse arbitrabantur. At Sauenantij & Marvillani nihilo secius ob nostrorum præsidium, alia habebant itinera obliqua atque occulta diuerticula, quibus egressi nostros pabulatores & annonarios infestabant, deinde Sauenantum se recipiebant: qui locus erat natura & situ munitissimus, vt occupari minimè posse videretur. Illic enim flumen Lilium insulam efficit, quam vndique vallo cinxerant, & cataractis aquam cohibuerant, vt vndique è flumine restagnaret, vnúsque esset duntaxat aditus, atque is non amplius centum pedes in latitudinem patebat: quo etiam aditu transuersam fossam magnę altitudinis & latitudinis duxerãt, latera castellis extructis munierant, quibus sclopos vncinatos magno numero iis locis disposuerant, quibus hostem aditu maximè prohibere possent.

Sauenantum vi à Gallis capitur.

Hvivs loci aditum Mommorencius vi occupare instituit. Itaque comitem Gulielmum Fustembergum cum quattuor Germanorum peditum millibus & totidem Gallis assumit, atque Pernis eo consilio diuina ope fretus proficiscitur. Vi, quemadmodum constituerat, perrumpit, sed nonnisi ingenti difficultate & labore: nam Germani pedites initiò ab hostibus summa virtute repelluntur, multis interfectis, nec pauciori bus sauciis. Ac iam dies in vesperum declinare cœperat, quum Carolus Martellus Baccovillanus Normanus subsequente Lauda Picardo, locum in fossa cõspicit minore defensorum numero cæteris refertum. Itaq; dum hostis animo aliis locis occupatur, vt aggredientes submoueret, Normani intrepidi nullo periculi metu in fossam prosiliunt, & vbi ad parem pugnandi conditionem loco adęquato peruenerunt, gloriæ cupiditate & principis studio ita rapiuntur, vt multorum cædę fossam, vallum & castellum perrumperent. Hostes vi nostrorum ad eam partem animaduersa, reliqua loca deserunt: cęteri no strorum tum Galli tum Germani conferti subeunt, quibus stipatus Mommorencius, eos ad virtutem cohortatur. Denique omnibus ex partibus fit hostium fuga, qui à nostris insequentibus Normanis & Picardis magna strage conficiuntur, vt suorum cędem qui in prælio occubuerant, vlciscerentur. Restabat alterum propugnaculum vi capiendum, cuius aditus vno tantùm ponte custodiebatur, qui magnis & crassis tignis exiguo interuallo iunctis septus erat: tignorum interualla sclopetariis complebantur. Ad pontem molendinum erat lapide quadrato ædificatum, variis locis commodissimè pertusum, sclopis vncinatis & aliis magna multitudine refertum: vt nisi immodico terrore hostes primo loco pulsi, ad illud alterum confugientes trepidationem secum attulissent, (quos nostri tam acriter subsequebantur, vt sui colligendi aut spiritus ducendi spatium nullum darent) longè maior fuisset in eo secundo occupando difficultas. Sed tanto feruore tum à Germanis tum Gallis vrgebantur, vt eodem impetu superati omnes interne cione delerentur, & ad mulieres ipsas Germanorum iracundia pertineret. Cęsorum numerus amplius mille trecentorum fuit, præter eos quos non leuis cõiectura est vnà cum ædificiis crematos fuisse: nam præda collecta, quæ ingens sanè fuit, tectis omnibus ignis iniectus est. Mommorencius multa iam nocte receptui canere iubet, exercitum multis spoliis onustum Pernas reducit, vbi à Rege cupidissimo expectabatur, qui magnam ex ea re voluptatem percepit. Castellobriantius cum aliquot machinis eos sequutus fuerat, sed palustribus locis præclusus Sauenantum vsque contendere non potuit.

Hostes Sauenantum reuersi rursus fugantur.

Bidvo post Mommorencio nuntiatur hostes Sauenantum reuersos, locum vallo cingere & rursus munire decreuisse: quod minimo negotio fieri potest, quum insula triquetra aditum perdifficilem habeat. Itaque Martino Bellaio Lillerium statim mandat, vt rem exploratũ eat: quòd si sibi satis militum esse perspiceret, vt perrumperet, rem fortiter aggrederetur: sin minus, subsidium è castris accerseret, quod euestigio missum iri pollicetur. Hoc accepto mandato Bellaius & Lauda Lillerio profecti equites circiter triginta præcurrere iubent, attribuunt aliquot sclopetarios ex maximè expeditis, quòd tota illa regio crebris fossis & canalibus intercepta est: reliquos equites cũ peditatu subsequi iubent. Hostes qui in opere erant, simulatque antecursores nostros conspexerũt, confestim locum relinquunt, quum quidem ad sexcentos fere homines essent, & in fugam locis palustribus feruntur: priusquam tamen discederent, vt nostros subsequi prohiberent, pontem effringunt. Antecursores Galli ex equis desiliunt, sclopetariorum co-

1537. mitum opera tumultuariò pontem reficiunt, crates & ædium fores iniiciunt, quæ ex proximo incendio superfuerant, equos pontem frænis traducunt, subsequentes pedites monent, vt ad custodiendum aditum maturent, pontem maiori otio firmiorem instaurent, quò redeuntes ex equo transire possint. His perfectis rebus fugientes hostes insequi pergunt, quorum alij rectà Marvillam contendebant, vbi Roxius cum quatuor peditum millibus & aliquot equitibus castra habebat, alij Motam Boscanam se recipiebant, cui proxima est arx quædam. Sed isti tanta celeritate non potuerunt vti in fugiendo, quin ferentarij nonnullos assequuti caperent, & opimam prædam circa Motam & syluam facerent. Quòd si hominum satis magnus affluisset numerus, qui Sauenāti subsisteret, incredibile damnum hostium finibus intulissent: sed quum verentur ne Roxius Marvilla profectus eos reditu intercluderet, Lillerium cum præda reuertuntur. Roxius à suis fugientibus ad arma excitatus, cum equitibus circiter quingentis nostros procul subsequebatur, quos tamen nunquam adortus est.

CAL. Maij hostes qui Betunæ præsidio erant, Lillerio tribus passuum millibus, certiores per exploratores facti magnam plaustrorum multitudinem è nostrorum castris emissam esse, quibus ingens farinæ copia Lillerio adueheretur (num nostri pistrinis illic instauratis cibariis molitis castra iuuabāt) de hoc cōmeatu intercipiendo cōsilium inire cœperunt. Itaque in exigui pontis aditu, quingentorū Betuna passuum spatio mille quingentos pedites in insidiis collocant, equites circiter trecentos emittunt, qui nostris iter ante Lillerium præcludunt, vt eos inter se & pedites in insidiis latentes interciperent. Ita quadrigæ omnes & bigæ capiuntur, atque vna cum eis quæstor quidam, qui apud se mille quingentos coronatos habebat, quod pretium erat farinarum. Hostes in his capiendis tantum clamorem attollunt, vt Lillerij exaudiretur. Nostri qui illic erant, initiò quū strepitum & equorum hinnitum audirent, suspicari cœperunt hostes è castris Marvilanis ad se opprimendos subitò aduenisse, id eo magis quòd in paludibus quæ Marvillam spectant munitiones ad solum ipsum dirutæ fuerant, vt aditus centum quinquaginta pedum in longitudine pateret. Itaque initio ad locum fit concursus: deinde lectis peditibus ad seruandum aditum collocatis, Martinus Bellaius cum centum equitibus egredi tur, vt rem certò exploraret. Nō multum processerat, quum Burgundiones conspicit prædā agentes. In hos nihil cunctantes impetū tanta vi faciūt, vt illi nostrorum adorientium multitudine nondum planè cognita fugam arriperent. Ita plaustra, equos, captiuos, numos nostri recipiunt, & hostes in fugam præcipites ad ipsum vsque insidiarum locum agunt. Pedites qui illic delitescebant, conspecta suorum equitum fuga ad arma conclamare cœperunt: quod ni fecissent, nostri in illorum insidias sese incauti coniicie bant. Sed tympanorum strepitu moniti, sensim conferti se Lillerium recipiunt, præter prædam receptam captiuos sex cataphractos & octo arcitenentes ex turma Roxiana adducunt, præter vnum qui ab hippoſclopista interfectus est, & alios sauciatos atque prostratos. Quod nisi imbris interuentu nostri sclopos incēdere prohibiti fuissent, multo plures interfecissent: præterea nostri lubrico itinere quum victoriam vrgerent, crebrò labebantur.

Rex exercitū Vernis abducit.

REX per crebros nuntios quum certior fieret hostium copias Pedemontanas in dies augeri, Germanicum peditatum proximè conscriptum breui illuc iter parare, supplementum eò mittere cogitarat. Itaque quum satis haberet quòd eo anno Hedinum cepisset, ac Sampaulum (vt quidem existimabant, communisset) die Maii tertio Pernis profectus, Contæram non procul Albinio venit. Inde misso nuntio ducibus imperat qui Lillerij substiterant, vt se subsequerentur, oppidum incenderent, monacharum duntaxat ædes ac reliqua templa reseruarent, muros quàm plurimis possent locis toto ambitu diruerent, ne hostis occupato rursus loco Teroanæ & Sampaulo molestus esset. Hæc illi vt iussi erant perficiunt. Rex ad Contæram quinque circiter dies commoratur, dum Sampauli opus promoueretur. Eo tempore comes Gulielmus Fustembergus Germanos qui Attrebatibus præsidio erant, clam in regias partes pertraxerat, quibus trimestre stipendium debebatur, & sacramenti religione liberati erant. Quare is adiuncto Annobaldo & ferentariis equitibus (quibus ille vniuersis præerat) incursione Attrebates vsque contendere decreuit, eo consilio vt Germani specie prælij committendi eruptione facta se cum illis coniungerent, atque adeo oppidum defensoribus inane facili negotio

negotio occuparetur. Verùm Distanus comitis Burani filius timore aut suspicione quadam motus, ne id accideret quod Fustembergus intendebat, egredi eos nunquam passus est, causam speciosam & illis gratam afferens, se in horas quæstores, antigraphos & pecunias expectare, vt cohortes recensérentur: quo facto concessurum se vt ad satietatem vsque eruptionibus dimicarent. Ita Fustembergus & Annobaldus irrito conatu se in castra ad Regem recipiunt, quem reperiunt iter Sampaulum instituisse vt opus illic coràm inspectaret. Quo consilio Cõtęa profectus Sámartinum venit, quod castrũ Sampaulo quingentorum passuum interuallo abest: vnde etiam oritur riuulus quo oppidum illud perluitur. Huius oppidi dominatum tenet Ballielius. Totum oppidum perlustrat, opus inchoatum inspicit. Porro quum nullas dum Cęsari copias adesse videret, neque ex iis quidem quę nuntiabantur, appareret intra trimestre tempus eum copias coacturum, quibus magnum quiddam aggrederetur, statuit in eo oppido militum, machinarum, munitionum & cibariorum relinquere quantum satis ad tam oportunum locũ tuendum esse videretur, deinde exercitus partem dimittere, partem ad Pedemontanos mittere, quibus coniungerentur Germani pedites, quos magno numero Christophorus dux Wirtembergensis adducebat.

Rex exercitũ dimittit.

SAMPAVLO Ioannem Totovillanum cognomento Villabonum Lutetiæ præfectum cum imperio præponit, cum turma equestri quinquaginta cataphractorũ quos ducebat. Huic Mediancurium cum pari equitum numero attribuit, Martinum item Bellaium cum ducentis ferentariis, Sallium & Santalbinum Normanos, Blerencurium denique & Yuillanum Picardos cum quingentenis peditibus. In ipsa arce Renatũ Pallaterium constituit, quem mille peditibus præfecit. His ita constitutis, & pecuniis ad fossorum stipendium & opus perficiendum relictis, Sercampum venit, postridie Durlenum. Ibi exercitum dimittit, Fustembergum cum Germanis peditibus, quorum numerus ad octo hominum millia erat, Durleni præsidio collocat: addit Stratæum cũ ducis Stampæi equitibus cataphractis numero quinquaginta, & Rupemenium cum totidem, quibus præerat. Hos voluit Durleni statiua habere, qui subsidio opus Sampauli facientibus essent.

EO tempore Langæus ad Regem venit, quo loco res Pedemontanæ essent plenè renuntiat. De quibus multa sæpe coacto concilio statuuntur, Langæus ipse denuo illuc mittitur. Quæ tum decreta fuerint, erit postea narrandi locus: nunc ad Sampaulum redeo. Villabonus post Regis discessum omnes belli duces secum relictos conuocat: ex quibus quum nonnulli oppidum non inspexissent, ex quo muniri cœptum fuerat, placuit vt vnà omnes omnia loca obirent, quæ quisque animaduertisset, in concilio declararent, vt quibus locis maxima diligentia opus esse videbatur, iis præcipuè opus vrgeretur. Omnibus diligenter circunspectis ea fuit vniuersorum sententia, præter ipsum murorum ambitum, quem vallo obiecto muniri omnino oportebat, ne ipsa quidem castella, in quibus totum oppidi robur positum erat, posse ante trimestre tẽpus ad propugnandum satis firma reddi. Quare vt res maturius conficeretur, oppidi regiones describuntur, quas singulis ducibus defendẽdas, si obsiderentur, attribui oporteret, vt iam tum suos quisque milites in opere cum fossoribus contineret.

VILLAZONO Regis legato cum suis equitibus & mille peditibus qui Sallio & Santalbino parebant, obtingit maximum propugnaculum quod iter Munctii spectabat: Mediancurio cum sua equitum turma & Renati Pallaterii peditibus castrum cum propugnaculo proximo quo tegebatur: Martino Bellaio cum ducentis suis ferentariis & peditibus Blerencurij & Yuillani, (quos mille numero esse oportebat) duo infima castella quæ Hedinum & Durlenum vergunt, vnà cum tribus muri brachiis quæ ea contingebant. His ita descriptis omnes ad opus se accingunt, fossoribus instant, ipsi quoque certatim manum admouent: verùm exigua admodum surgentis operis moles extabat ob incommodum oppidi situm. Nondum exacto mense Maio perfertur ad eos hostem Lansij Artesiorum & locis finitimis magnas copias comparare: qua de re Regem certiorem faciunt, & supplementum mitti postulant. Multum quippe ad iustum militum numerum deerat: vbi tria hominum millia esse oportebat, amplius mille quingentorum numerus deficiebat: ex centum equitibus vix octoginta, ex ferentariis denique ducentis vix centum sexaginta reperiebantur. Renuntiari Rex iubet, supplementum

Sampaulum magna festinatione munitur

1537. quòd peterent, propediem missum iri. Interim mittitur iunior Piquetus quæstor cum pecunia, qui exercitum recognosceret, stipendium distribueret, cibariorum etiam & munitionum censum iniret, omnia denique Regi renuntiaret. Sampaulo obuiam illis præsidium Sercampum vsque missum fuerat: nam ad hunc locum Durlenij illos prosequuti fuerant. Vix illi Sampaulo discesserant, quum rure fugientium concursus fit in oppidum, hostes non procul hinc visos esse, qui omnia agerent & ferrent, captiuos etiam prædamque abducerent. Cõfestim Mediancurius cum aliquot ex suis equitibus & Martinus Bellaius cum ferentariis equos denuo conscendunt. Mediancurius lentius progreditur, Bellaius præit, itineris duces sequens eos qui profugerant. Non multum progressis illis nuntiatur hostes vicum Sammartinum diripuisse, nonnullos ex Bellaij equitibus captiuos abducere, quos scilicet arci ipsius vici præsidio reliquerant, dum quæstores illos prosequuti reuerterentur. Hoc nuntio intellecto hostes insequuntur ad sex passuum Sampaulo millia, Attrebatibus autem octo. Hos assequuti adoriuntur, prædam omnem & captiuos recipiunt, equites eorum quinque & aliquot pedites Sampaulum abducunt.

Hostes ad Sampaulum obsidendum exercitum parãt.

IAM ipso Iunij octauo die Roxius, qui primam aciem Cæsariani exercitus ducebat, cum mille ducentis equitibus ad oppidum explorandum accedit, aditus obseruat, locum castris collocandis idoneum deligit, ad scalas patibulares consistit, vt omnia latè circunspiceret. Nostri turpe sibi fore arbitrati, nisi eruptionem quãdam facerent, equites aliquot ex omnibus turmis collectos emittunt. Committitur leuis inter eos velitatio, qua vnus ex eorum agmine capitur: is eques erat ex Austrati turma. Ex eo nostri audiunt totum exercitum Albinij esse quatuor passuum Attrebatibus millia. Sed vt hæc vera esse certius constaret, iubetur Martinus Bellaius circa solis occasum cum aliquot è suis equitibus illuc progredi, vt ante auroram eò perueniret, atque aliquem caperet, ex quo intelligeretur num vera ab illo captiuo narrata essent. Ille rem iussus aggreditur, silentio proximè Albinium accedunt, ibi ex incendiorum multitudine hostes castrametatos esse intelligunt. Bellaius cum decem ex suis inter vigilum stationem & primas excubias iter intercipit, deinde subitò conflexo itinere primos illos excubitores abducit, seque priusquàm ad suos perueniret, in armis esse intelligunt, Sampaulum obsidione cingere. Sic tamen habendum est, comitis Burani non fuisse initio hoc consilium, vt Sampaulum aggrederetur: sed prius comitem Fustembergum, qui castra ad Durlenum habebat, adoriri decreuerat: quòd existimaret, si hunc Germanicum peditatum deleret, se Durleno & Sampaulo perfacilè potiturum esse. Porro Liquæus ducis Ascotij legatus quũ iter Durleno Sampaulum faceret, obuium habet tabellarium, quem Franciscus quidam Italus ad aliquem ex aulicis proceribus Sampaulo mittebat. Is quia fossoribus in opere faciendo præerat, per literas significabat, quàm infirmum esset oppidum illud: tamen sperare, si hostis viginti dierum tempus concederet, ita communitum iri, vt defendi posset. Quo nuntio Buranus accepto, consilium statim mutat, & Durleno omisso iter Sampaulum conuertit. Dominico die, qui Iunij nonus erat, circa solis ortum, conspicitur eorum prima acies ad infimum castellum, quod Durlenum vergit, duce Roxio prætorio apud Cæsarem præfecto. Hi ex itinere castrum Sammartinum pactione ceperunt, in quo relicti tantùm fuerant ad fores occludendas quinque numero duntaxat milites, aliis qui antea fuerant inde abductis.

Sampaulum à Cæsarianis obsidetur.

AD primæ aciei aduentum nostri tum equitatu tum peditatu cum illis velitari cœperunt, vt nihilo inferiores essent, quòd nostri loca oportuna sclopetariis compleuerant qui sibi essent subsidio: dimicatum est ad meridianum fere tempus. Interim accedit Buranus princeps Cæsaris legatus, qui mediam aciem ad Sammartinum & loca finitima collocat. Ad solis occasum quum vigiles in statione collocarentur, acrius prælium à nostris ante illud castellum instituitur, sic tamen vt soli pedites prodirent: nam equites porta illa iam obstructa (vt pote quæ inutilis visa fuerat & incommoda) egredi non poterant. Postero die totus exercitus riuulum qui vicum Sammartinum perluit, transit, locis illis quæ supra castrum sunt iter faciunt, inter syluam & ipsum castrum. Peditatus sui partem in vico quodam amplissimo supra munitionum maximum

mum castellum collocaiut, reliquum tum equitatum tum peditatum loco palustri qui rectà Munctium spectat, vicis finitimis collocat. Vigilum statio apud hostes mille ducentis equitibus, & duobus peditum millibus constabat, collocabatur itinere inter Hedinum & Durlenum. Verebantur enim ne Durlenij cum Hedinijs iuncti magno equitatu & peditatu eos adorti castris aliquod incommodum inferrent. Quoties è castris vigilum statio commutanda erat, ante infimum illud castellum prætereundum illis erat, vbi erant equites ferentarij & pedites Picardi, qui fenestra quadam machinaria erumpebant. Itaque matutinis horis quum vigiles collocabantur, ad meridianum vsque tempus prælium ferè committebatur, vbi fortissimi è castris Cæsarianis & ex oppidanis aderant: latissima quippe illic erat planities ad dimicandũ aptissima. Idem etiam vesperi accidebat. In his conflictationibus complures vtrinq; vulnerati sunt: inter cæteros Gomicurius Roxij signifer sclopi glande traiecto corpore saucius grauissimè ægrotauit, sed postea tamen conualuit. Dum huiusmodi prælia committuntur, nihilo segnius hostes machinas promouendas curabant: quòd verebantur ne Rex, cui magnus adhuc militum numerus suppetebat, subitò instauratis copiis opẽ ferret: quod profecto præstitissent, si aduersus tantũ exercitum nostri aliquandiu stare potuissent. Dũ machinas promouent, cùm alia munimenta tum maximam arcis turrim petebant: propterea quòd ad ipsius fastigium longam colubrinam nostri subuexerant, qua illis fossas ducentibus mirum in modum nocebant.

DIE Mercurij mane (is dies erat Iunij duodecimus) nostri hostium fossas deprehendere cœperunt, quibus tormenta ad mœnia labafactanda promouebant. Porro eam muri partem quatere parabant, quæ à porta Munctiana ad minimum castellum portæ Hediniæ vicinum pertinet: quæ sanè pars erat totius oppidi maximè infirma, nec fossa nec vallo nec munimento vllo tuta, præterquam illo vno castello, quod tamen nõ adeo editum erat, quin duobus montibus obnoxium esset, è quibus in illud despectus erant. Quibus rebus permoti duces conueniunt, vt dispicerent cuinam locus attribuendus retur, quemque illic propugnare oporteret, si aditus bombardis patefactus esset. Martino Bellaio cum suis ferentariis & Blerencurio cum suis peditibus hæc prouincia obtingit, Yuillanum cum suis placet ad castellum Durlenium defendendum collocari. Eo die dum hostes machinas appellunt, glande sclopetaria ex oppido emissa vulneratur Conradus Bemnelberphus, quem in castris Cæsarianis minorem Hessium agnominabant, quo tamen ex vulnere postea conualuit. Muri brachium quod Bellaio & Blerencurio custodiendum tradebatur, quadringentos ferè passus in longitudinem patebat, quo toto spatio nec fossa nec vallum erat, murus ipse non amplius tres pedes crassus, vt fossorum numerus pro operis magnitudine valde exiguus esset. Vniuersi tamen manum ea diligentia admouebant, qua putabat suæ quisque saluti sibi esse consulendum, & famam comparandam. Duces ipsi è loco non discedebant, tum ipsi opus faciendo, tum alios cohortando, illuc cibum & potum afferri & militibus distribui iubebant: sed operis vastitas diurni laboris perexiguam molem ostendebat. Præterea non minus tem poris ponere cogebantur in diruendis ædificiis, quæ murum contigebant, quàm in ipso vallo & fossa: quum quidem hostis ea parte machinas promouens, aliis locis nihilo magis quiesceret.

SVPRA maximum & supremum castellum prærupta erat salebra, quæ hostes labore fossas ducendi liberabat: quam quidem nostris per otium complanare subito Cæsarianorum aduentu non licuerat. Hac tecti hostes appropinquant, iamque die Martis circa meridiem imo muro, qua castellum in mucronem prominebat, succedunt, vnde submoueri nulla ratione potuerunt. Illic abditi interdiu ac noctu murum continenter suffodiebant ad diem Iouis vsque, qui Iunij quartus & vicesimus erat. Hac inuasionem fecerunt, vt postea demonstrauimus. Qui brachium illud muri quod diximus communiebant, nullum neque diei neque noctis tempus ab opere intermittebant, neque vel vlla operis difficultate, vel bombardarum impetu, vel multitudinis exiguitate impediebantur, quin assidua vsi diligentia triduo amplius centum passus vallo muniissent, quod spatium à porta ad xenodochium pertinebat. Ibi opus intermittere coguntur, dum xenodochium illud diruunt: quam ad rem mora temporis opus erat. Eò die tertio hostes admotis machinis tubicinem cum fœciali mittunt, adhibito etiam centurione Ton-

1537. nerro Hiſpano, Grauelinæ præfecto, ad minimum caſtellum. Hi circa ſolis ortum Villabonum & cæteros duces deditionem Cæſaris nomine facere iubent, vt omnes in comitis Burani totius Belgij præfecti & Cæſaris legati ante vigintiquatuor horarum ſpatium poteſtatem veniant: quòd ſi per vim oppidum caperetur, (quod ſanè per loci infirmitatem ægerrimè effugere poterant) omnes internecione deletum iri. Villabonus cum cæteris reſpondet ſe iuſſu & nomine Regis illic conſtitutos eſſe, officio ſe nũquam defuturos, ſed vita etiam profundenda ſtrenuè propugnaturos eſſe. Fœcialis & centurio multis cum eo verbis agunt, vt conatu deſiſteret: ad extremum hæc Burano renuntiant, ſimul conqueruntur quoſdam ex militibus per ludibrium monuiſſe, ne prius de deditione Sampauli verba facerent, quàm Peronam cepiſſent. Qua occupata ſi huc redirent, ſe poſtea quid reſpondendum videretur conſilium capturos. 10

Hoc reſponſo Buranus accepto oppugnationem inſtituit, ab eo loco vbi machinale horologium erat, ad caſtellum portæ Hediniæ proximum. Continuus fuit machinarum ſtrepitus à quarta hora matutina ad quintam veſpertinam, vt amplius mille ſeptingentæ glãdes in oppidum adigerentur, atque adeo ruina fere quadringentorum paſſuum longitudine pateret, vt plurimis locis ex equo irrumpi poſſet. Hoc etiam malo accedebat, quòd hoſtes in edito loco Durlenum verſus, vnde in caſtellum deſpectus erat, ſeptem aut octo machinas collocarant, quibus noſtros caſtellum deſerere compellunt, quod tamen firmiſſimum aut potius vnum erat munimentum. His rebus perfectis oppugnare inſtituunt, productis primum circiter ſexcentis militibus: non eo quidem conſilio, vt eo impetu inuaderent, ſed vt deiectum murum duntaxat agnoſcerent, ſic tamen vt conſilium pro facultate quæ daretur, ex tẽpore caperent. Poterant ſanè illi nullo periculo ad imam muri labefactati partem venire, quòd caſtellum (vti diximus) iam deſertum à noſtris erat, quippe qui proni ad ipſam ruinam humi iacere cogebãtur. Nam alioqui machinarum illarum ictibus ſeſe eximere non poterant, quæ ex loco ſuperiore totam illam regionem intrinſecus infeſtabant: quibus tantus noſtrorum numerus qui in opere erant, domibúſque diruendis & ruina obſtruenda occupabantur, obrutus fuerat, vt amplius tertia parte vel interfecti, vel ita ſaucij erant, vt planè inutiles redderentur. 20

Sampaulum Gallu ceſis vi expugnatur.

Hoſtes explorato aditu ſeptem vel octo cohortes conſtituunt, quæ in foſſam deſcenderent, qua maximum caſtellum ab oppido diſtinebatur, quæ ſic ſatis alta eaque arido ſolo erat. In illud caſtellum ex oppido ingredientibus, ima illa foſſa tranſeundum erat. Et quoniam temporis non ſatis fuerat, vt duobus muri brachiis tranſitus vtrinque ſeptus muniretur, dolia tãtùm ex materia terra oppleuerant, quibus erectis ex vtroque latere tranſitus vtcunque muniretur. Hoſtes poſtea fulcris quibus caſtelli mucro (quem ſuperioribus diebus ſuffoderant) ſuſtentabatur, ignem ſubiiciunt: vt toto mucrone collapſo noſtri qui ad propugnandum illic erant collocati, in hoſtium foſſas deuoluerentur. Itaque ſtatim eo loco inuadunt, Sallio & Santalbino cũ ſuis fortiſſimè propugnantibus, vt nunquam hac quidem parte caſtello potiturí viderentur. Verùm noſtrorum animis ad hunc locũ intentis, hoſtes qui in foſſam deſcenderant, itinere circũacto dolia illa offendunt, quæ quum à triginta ad ſummum ſclopetariis tenerentur, facilè vi perrumpunt, propterea quòd ſimulatque ad imam foſſam veniſſent, ex omnibus partibus ſic tegebantur, vt nullum illis incommodum inferri poſſet. 30 40

Noſtri fugientes partim in caſtellum ſe recipiunt, alij oppidum ſubterraneo meatu petunt: vtroſque hoſtes inſequuti permixti vnà cum eis ingrediũtur. Qui caſtelli mucronem defendebant, præter opinionem quatuor Burgundionum cohortes ponè ſe conſpiciunt, vt ab vtraque parte circunuenirentur. Ibi quicquid virtute & robore ab homine præſtari poteſt, noſtri fortiter reſiſtendo faciunt, verùm circunſiſtenti multitudine obruti, ad vnum fere omnes conciduntur. Santalbinus cum legato & ſignifero interficitur, Sallius capitur, ſed ita ſaucius vt paulo poſt moreretur: eius legatus & ſignifer illic ſimiliter cadunt, Villaboni item ſignifer cognomento Sammartinus, interit. 50

Dvm hæc ſtrages editur, ad ruinam quoque à porta Hedina ad horologium aeriter dimicatur, noſtris ſtrenuè propugnantibus. Iamque ignari quid alio loco acciderat, maximo impetu ruentes hoſtes ſubmouerãt, quum alij maximi caſtelli porta oppidum ingreſſi, platea occupata eò rectà conferti veniunt, & propugnantes noſtros à fronte & tergo

tergò cingunt. Mediancurius quinquaginta cataphractorum præfectus ex arce decurrerat, vt laboranti Bellaio collegæ opem ferret, qui ruinæ extremam partem plateę proximam tuebatur. Is quum hostes ponè accedentes animaduerteret, plateam rursus occupare festinat, vbi prælians interficitur, vnáque cum eo frater Yuius, & qui cum sequebantur omnes. Quibus confectis hostes victoriam vrgentes à tergo ad ruinam veniunt, vbi Bellaius decertabat: ex cuius turma centum quadraginta vndique ruentibus hostibus trucidantur, inter cæteros Laubius Villaboni legatus & ex fratre nepos: reliqui eodem facto perfuncti sunt. Ex hac cędę solus euasit viuus Bellaius, quem Germanus quidam centurio Bosius inter cæsorum cadauera nactus seruauit: item cum eo Blerencurius superfuit. Villabonus qui alia parte pugnabat, à Tonnerro Hispano capitur, quum quidem se in turrim recepisset, quò scalis admotis ascendi oportebat. Capitur itidem Yuillanus, qui castellum portę Durleniæ defendebat. Huic mirificum quiddam accidit, ac pene ei simile quod Roma Borbonio capta contigit: hoc ipse visum narro. Yuillani signifer, quem strenuum hominem & animi præsentissimi existimabant, quum in propugnaculo staret signum manu tenens, hostes ad oppugnandum venientes conspicatus, tanto repente terrore corripitur, vt quum in oppidum (credo) fugere cogitaret, fenestra tormentaria egressus ad hostes signo elato excurreret, à quibus ibidem trucidatur. Alium vidi apud me stantem, tanto metu subitò consternatum, vt nullo vulnere accepto exanimatus caderet: nam cadauer postea insepulti iussi. Renatus Pallaterius, cui arx custodienda commissa fuerat, hostibus propugnaculo, quod nondum communitum satis erat, vi irrumpentibus capitur ille quidem, sed dũ contendunt, cuiusnam se fidei permisisset, in ea controuersia interimitur. Cæsorum numerus militum, ciuium, seu etiam fossorum repertus est ad quatuor millia quingentos: ne monachæ quidem & impuberes neci eximuntur: nota est enim in victoria Germanorum lenitas & clementia. Quin ipse Bellaius belli iure captus, quum per muri labem extra periculum duceretur, bis aut ter à Cliuensibus tantumnon interfectus est: neque hoc deuitasset malum, nisi Distanus Burani comitis filius interuenisset, qui eum ad patris tabernaculum deduxit. Vesperi remisso cædis ardore Buranus Cæsaris princeps legatus castris edici iubet, vt qui captiuos habebant, ad se eos adducerent. Villabonus Graueli nam mittitur, qui postea decem coronatorum millium pretio redimitur. Bellaius ipso postero die tribus coronatorum millibus addicitur, fide interposita dimittitur, ea lege, vt vel decimo die reuerteretur, vel eam pecuniæ summam mitteret. Gladiolio iudicatum solui satisfdat: is erat è Cæsariano comitatu nobilis, ab adolescentia in Gallia educatus.

Magna Sampaulo cædes facta.

Qvvm Cæsarianus exercitus progredi cœpisset, iam tum instituerat Rex suas copias instaurare, vt Sampaulo auxilio veniret, quòd & munitorum verbis confisus & cæleritate, qua summa vtebatur, fretus, sperabat Cæsarianorum impetum tantisper à nostris sustineri posse, dum ipse cum vniuersis copiis adesset. Ac ipse iam Delphinus & Mommorencius cum magna nobilium multitudine itineri se dederant, equitibus qui ad Pedemontanum bellum proficiscebantur, magnis itineribus subsequi iussis, (hos enim Rex nũtio huius expeditionis accepto à susceptoitinere reuocauerat) quum ad eos venit Regius quidam tubicen, qui simulatque captum oppidum conspexisset, celeriter inde discesserat: qui ad eos mœstum nuntium perfert. Huius rei famam initio nostri celare conabantur, ne populo nimium terrorem iniicerent: verùm tandem ea dexteritate res enuntiatur, vt clades non tanta videretur, quanram vulgus eam existimasset, si temere, aliis certatim alia ad auditum rumorem (vt ferè fit) adiicientibus, fama peruagata fuisset. Delphinus & Mommorencius quum de Sampaulo actum esse viderent, nihilo secius tamen quamcelerrimè progredi constituunt, tum vt cæteris oppidis ipsius oræ prospicerent, tum vt acceptum incommodum sarcirent.

Capto Sampaulo Cæsariani ad oppidum tridui spatio castra habent: quo tempore comes Buranus oppidum incendi, arcem solo adęquari & maximam turrim diruiiubet, quòd re omnium consilio accuratè considerata, reperiret, nec oppidum nec arcem ita posse communiri, vt potentioris exercitus vim ferre posset. Die quarto, qui Iunij decimus erat, Germanici peditatus censum agit: reperta sunt amplius viginti duo hominũ millia, Belgarum ferè sex millia, equitum tam ex Cliuia & superiori Germania, quam ex Belgio millia octo. Die Mercurij castra mouent, primum agmen Alcium Monachorũ

1537. venit ad extremam septi Hedinij partem, media acies Blangium Ternorum occupat: quæ causa fuit, vt Gallis dubium esset, vtrum illi iter Hedini an Montrolij insistere cogitarent. Hedinum tenebat Sercutus cum quinquaginta cataphractis, quibus præerat, & mille peditibus; quibus Philippum Malliũ legatum præfecerat: aderat etiam Piennius cũ suis quinquaginta cataphractis. Murum regiis tormentis labefactatum prorsus instaurauerant: quæ ad tanti momenti oppidum defendendum pertinebant, omnia illis abundè suppetebant. Sed quanta illic omnium rerum erat copia, tanta Montrolienses penuria laborabant. Canaplius siquidem qui oppido præfectus erat, triduo antè demum cò venerat cum mille peditibus tironibus & equitibus subeuocatis Normanis ferè ducentis. Oppidi ambitus nullis adhuc fossis interius erat coarctatus, vt ad illud defendendum non paucioribus sex peditũ millibus & trecentis cataphractis opus esset. Buranus omisso Hedino rectà Montrolium ire contendit, castra locat partim ad portam Hediniã, quę infima erat pars oppidi, partim ad Cælestinorum ædes, quâ iter est Teroanam, partim etiam ad maximi fori portam Abbauillam versus: quibus constitutis rebus machinas ad infimam oppidi partẽ promouet, sic vt pars ad scalas patibulares esset constituta, pars in loco paulo editiore ad maximi fori portam, vnde in totum infimi oppidi murum intrin secus torn: entariæ pilæ adigerentur, pars denique in alio tumulo, vbi ædicula est, quâ iter est Belloranium. Muri lõgo brachio labefactato, quod à porta Hedinia ad aliam maximi fori pertinet, oppugnationem parant. Ruina iusta erat illa quidem, sed aditu hostibus perdifficili, quòd fossæ aquis abundabant. Quanquam enim aquam inde deriuarant, manebat tamen locus palustris.

Oppidani quoque non mediocri incommodo vrgebantur. Nam si ad defendendam ruinam concurrerent, à duobus locis hostium machinis erant obnoxij. Deinde quum ibi propugnarent, aperto vtrinque latere hostibus patebant: neque otium dabatur vt fossis & aggeribus transuersis sese ab hac iniuria tegerent. Denique non idoneus erat totus militum numerus, vt vel dimidiam infimi oppidi partẽ defenderent: vt quum hostis inuaderet, reliquus ille oppidi ambitus, qui permagnus est, defensoribus nudatus relinqueretur. Quæ quum ita essent, Canaplius ex omnium tum centurionum tum militum sententia, sollicitante Burano, pactione deditionem facit, vti militibus omnibus cum impedimentis & armis exeundi potestas fieret, ciuibus ex suis opibus quãtum ipsi efferre possent. Tam honorificam & æquam pactionem Buranus nunquam illis concessisset, quos omnibus rebus ita carere intelligebat, nisi vereretur (id quod etiã accidit) ne dum Montrolio intentus erat, Morinis hominum & pluueris supplementum submitteretur: quibus eos rebus admodum egere non erat ignarus. Quòd si quũ Hedino profectus Montrolium moueret, Teroanam rectà petiisset, ægerrimè profecto auxilium ei ferri potuisset.

Montrolium a Cæsarianis deditione capitur.

Franciscvs Mommorencius Rupepotæus tum temporis in Picardorũ finibus regij legati dignitatem obtinebat. Is quum perspiceret quanti referret Teroanam muniri, illic vix triginta ad summum cataphractos ex turma Bernicllij, qui oppido illi præerat, totidem ex turma Crequij fratris eius maioris natu, pedites circiter centum, statuarios denique milites totidem numero esse præsidio: Canium statim legatum ducis Vindocini mittit cum quadraginta illius turmę cataphractis, viginti ex sua ipsius turma, quibus Foldrassius legatus præerat, totidem ex Delphini turma cum Dampetri filio signifero: Sambrissium vnum ex Landæ legatis cum quadringentis peditibus. Hi vix satis maturè ingrediuntur, q. Montrolio iam capto Cæsariani quatuor Morinis passuum millia cõsederant. Quòd si Buranus Montrolio equitatũ nulla interposita mora illuc præmisisset, aut etiam Sampaulo capto iter statim conuertisset, oppidũ ob hominum paucitatẽ quã commemorauimus, non mediocriter periclitabatur: nã quas Delphinus copias subsidio adducebat, nunquam in tẽpore adfuissent. Die Iunij xxii Delphinus Ambianũ venit Mõmorencio comitatus, qui summam imperij secundũ eum tenebat. Comitẽ Gulielmũ Fustembergum cum Germanis peditibus acceperant, Nicolaũ itẽ Rusticum cognomẽto Bossulum, qui quatuor inferiorũ Germanorũ millia proximè adduxerat. Hi egregiè instructi belloq; Monasteriẽsi & Danico in armis exercitatissimi erãt. Hos Abbauillę sibi Iunij xxii die præsto esse iusserat, q. illic exercitũ colligere instituissent. Fustẽbergus cũ suis in suburbiis Vimelliis cõsedit, Rusticus in suburbiis Ægidianis quâ Põdormiũ itur.

Del-

DELPHINVS quum reliquum exercitum expectat, Abbauille commoratur: quo tempore ſtatuarius quidam miles Morinis profectus, qui mediam vigilum ſtationẽ peruaſerat (huic Petro Volucri nomen erat) ad eum accedit, docet quanta eſſet in oppido ſclopetariorum paucitas, quanta item pulueris ſclopetarij inopia. Placet iſtarum rerum copiam introduci, Annobaldo negotium datur vt cum ferentarijs quorum magiſter erat, auxilium oppidanis ferret. Is mandato accepto Hedinum ſe confert, quòd is locus ad rem ſuſcipiendam cõmodior videretur. Cæſariani Montrolio profecti primã aciem ad Rentium, mediam Viridarijs collocauerant, poſtridie ad Morinos conſederũt. Buranus caſtra partim ad Delettam, partim ſub ſcalis inſœlicibus, partim etiã trans arcem locat, quo loco Tallobotus anno 1513 conſederat. Machinas quàm poſſunt maximas celeritate admouent, & ad quatiendum murum obuertunt, à turri paludis ad ipſam caſtri turrim, ad locum quem Patroliam appellabant. Tantam adhibent diligentiam, vt ante duodecim dierum interuallum caſtrum ipſum quaterent, quodquidem duabus tantùm turribus conſtabat: nam quum Anglus anno ſuprà dicto hoc oppidum cepiſſet, caſtrum ſolo fuerat adæquatum. Noſtri tam acri oppugnatione compulſi, caſtro relicto in oppidum ſe recipiunt, foſſa ponè ducta aditum præcludunt. His ita perfectis murum catapultis arietare pergunt ad ipſam Patroliam, vt ruina ducẽtos pedes lata pateret. Neque tamen facilis ad eam erat aditus, propterea quod noſtri (vt diximus) quum ſe reciperent, foſſam ponè duxerant, imumq; vallum ita foderant, vt hoſtes in ſummum eniſi, in foſſam ſubiectam lateribus probè munitam præcipites ruere cogerentur.

Annobaldus Morinos ſubiit dio iuuat.

ANNOBALDVS per id tempus (vt demonſtratum eſt) Hedinum venerat, vt quæ in mandatis acceperat exequeretur. Quadringentos ſclopetarios oppidum introducere conſtituit, vt ſaccum coriaceum puluere plenum ſibi quiſque concinnẽ circũligatum geſtaret: ad hanc rem centurionem Briandaſium delegerat. Rebus conſtitutis Hedino ad primam facẽ cum ſuis quinquaginta cataphractis proficiſcitur: Piennius totidem ducit, Taxius ducentos ferentarios, Termius, Alſunius, Sanſacus, Franciſcus Bernardinus Vicomercatus, Maurus Nouatus, ſinguli totidem numero, Georgius Capuſſementius Albanos ducentos & Theodus Manes parem numerum. Iter Guinogattæ ingrediuntur, vt ſuperiora loca incedendo tenerent. Equites ducentos præcurſores ini tio emittit, pedites ſubſequi iubet, ducentis alijs ponè iter facientibus. His mandat vt Morinos rectà pergant, nuſquam ſe retineri aut impediri patiantur, potius ſe capi vel etiam deleri permittant, quàm non eò perrumpant. Ipſe eum equitatu grauis armaturæ & reliquis ferentarijs & multis nobilibus qui eò animi gratia, ad decus ſibi cõciliandum venerant (è quibus erant comes Villartius, Dodius, cum alijs aliquot) ſupra Guinogattam conferto agmine ſubſiſtebat. Ferentarijs negotium dederat, vt peditibus intromiſſis ſignum continuò receptus procul attollerent, deinde nouiſſimo agmine equitarent, vt ſi ſe hoſtis moueret, per eos certior fieret. Pedites in oppidum ſine incommodo aut ſtrepitu introducuntur, ſigno ſublato Annobaldus ſe recipit: denique omnia commodè & nullo negotio perficiebantur. Verùm ferentarij equites qui ad alas conſtituti fuerant, à iuuenib. illis inducti, qui lanceas confringere geſtiebãt, hoſtes in caſtris prælio lacеſſere cœperunt: quos quidem iam equos cõſcendiſſe reperiunt. Nam quum de Annobaldi expeditione moniti eſſent, impedire eum decreuerant: quod perfacile illis meo quidem iudicio fuiſſet. Sed quum equis conſcenſis ad eum locum diuerſi ex primo & medio agmine properarent quo noſtris tranſeũdum erat, caſu accidit vt in ſe mutuò inciderent, & ſibi viciſſim ignoti noctis caligine Andabatarum more ſeſe conficerent. Vn de plurima perturbatio conſequuta eſt, multi vtrinque ſaucij, & noſtris oppidum ingre diendi facultas datur. Hæc fuit cauſa vt noſtri qui caſtris Panicum injicere cupiebant, paratos illos offenderent.

ANNOBALDVS quum ſe iam reciperet, vbi ſuos ferentarios prælio implicatos eſſe audijt, cunctando eos extrahere conatur. Sed hoſtis celeritate vſus eũ in pontis tranſitu anteuertit: quò poſtquam ventum eſt, cum ſuis ille tanta virtute pugnat, vt plures è Cæſarianis quàm è noſtris caderent. Verùm quum ad extremum totus ex caſtris exercitus conuolaret, Annobaldus ex equo deturbatus capitur, Piennius, comes Villartius, Dodius, Georgius Capuſſementius, Fraciſcus Bernardinus, Sanſacus ac duces pene omnes præter eos qui iam pontem tranſierant. Equib. cùm alij nõnulli, tũ ipſe Alſunius, poſtquã

Annobaldus prælio aduerſo capitur.

1537. Hedinum cum suis reuertisset, equis commutatis, ad locum prælii redeunt, hostes nullo ordine palantes offendunt, vtqui nullos superesse qui sibi negotium facesserent suspicabantur. Eos necopinantes aggressi profligant, multos capiunt, atq; non paucos è nostris captiuos recuperant. Hostes hinc gloriabantur se tali victoria potitos esse, hinc contrà molestè ferebant subsidium oppidanis intromissum esse. Superioribus diebus securi ad ipsius fossæ labrum accedere consueuerant, quòd oppidani sclopetarijs & puluere carerent: sed sclopetarij illi qui proximè introducti fuerant, eis tam crebras glandes submini strabant, vt consuetudine illa statim desistere cogerentur. Itaque breuis admodum fuit illa voluptatis vsura quam ex captiuis perceperunt. Paucis pòst diebus Canius Vindocini legatus & cum eo nonnulli quum animaduerterent, summæ quosque autoritatis viros ex castris ad fossas ventitare, eos incautos opprimere decreuerunt. Itaque eruptione aliquando facta eos imparatos & parum instructos in fossis opprimunt, sexaginta aut octoginta ex eis concidunt, inter cæteros Ascotij signiferum. Hannoniæ Seneschallus clarissima natus familia illic capitur, quem Canius, ne simul cum cæteris interficeretur seruauit: is postea cum Piennio commutatus est.

DVM hæc fiunt, Delphinus & Mommorencius coactis copijs auxiliũ obsessis ferre instituunt. Itaque Hamum veniunt exiguum vicum inter Durlenum & Alcium: inde rebus omnibus prospectis Alcianum castrum veniunt ad flumen Othiã, postea Feruentum ad Canchiam, eo consilio vt ad Pernas facto itinere inter Teroanam & Guinogattam castra locarent, postremò ex loco superiore hostes glandium multitudine ab eo loco qui trans flumen Guinogattam versus erat submouerent, sicque oppidanis auxilium ferrent, aut certè eos prelium iniquo loco inire cogerent. Nostrorum exercitus cõstabat ferè mille sexcentis cataphractis, ferentariorum duobus millibus, peditatus erat duodecim ferme millium Germanorum, Gallorum circiter quatuordecim millium. Interim ducis Ascotij opera & reginæ Vngariæ auspiciis cœptum est de conciliatione agi, vt vel pax plena constaret, vel induciæ saltem componerentur, quò res interim aliqua ratione lenirentur. Negotium eousque promouetur, vt placeret delectos vtrinque conciliatores ad Bommium conuenire. Vicus est ex Sampauli comitatu quatuor Tero ana passuum millia. Delphinus eò delectos mittit Santandræum equitem torquatum, Poyetum tertium curiæ Parisiensis præsidem, & Nicolaum Bertheræum, qui Regi & Mommorencio à secretis erat. Hi postquam loco constituto cum Cæsarianis in colloquium venissent, multis vtrinque habitis sermonibus, statuunt vt bellum in trimestre spatium intermitteretur, nequid inter Gallos & Belgas hostile gereretur: interim daretur opera vt pax inter duos potentissimos principes & socios componeretur. Hic quia diu Pedemontanam historiam intermisi, vt Picardica bella melius deseriberem, ad illa iã mihi redeundum esse censeo.

Inducie trimestres constituuntur.

Simultas & dissidium Rangonis cum Caguino.

REX quum Hediniam expeditionem susciperet, Humerium in Pedemontanos fines misérat. Et quoniam audiebat inter belli duces non leues illic contentiones coortas esse, Gulielmum Bellaium Langæum eò cum mandatis misérat, qui & contentionum illarum causam, & quo loco omnis res esset, renuntiaret. Is postea (vti demonstrauimus) Regem Contæræ, quum Pernis ab illa expeditione vnà cum exercitu reuertisset, conuenit, ostendit quid illic à se gestum & administratum fuisset, quo ordine à nobis omnia narrabuntur. Memoria tenẽdum est (quod huius libri initio a nobis dictum est) quemadmodum comes Rango cum regio exercitu Mirandula profectus Carinianum venit, vt Taurinis auxilium ferret: Caguinus verò insciorangone cum ijs pactus sit qui arcem Cariniani iussu Cæsaris tenebant. Quod grauiter molesteque Rango tulit, qui se hac ratione contemni arbitratus est, quum Rex ei summam imperij detulisset. Vnde simultates inter illos ortæ eò tandem euaserunt, vt Rango & sororius Cæsar Fregoza inimiciti as cum Caguino exercerent. Ea Regi fuit causa Langæum illuc mittendi, qui controuersiam cognosceret & componere studeret. Simul negotium illi dat vt rationes Pedemontani belli perdisceret & renuntiaret: cumq; à se his mandatis paulo sub Hedini obsidionem dimittit.

Rangonis expostulatio.

LANGÆVS ad Rangonem postquam venit, ab vtroque sigillatim discordiæ causam scisciatari constituit. Comitis Rangonis expostulatio hæc erat, se, tametsi summam imperij in exercitu Regis iussu teneret, tamen Caguinum, quantum per eam dignitatẽ licere

licere putasset perpetuò coluisse, id se fecisse tum gentis claritate & nobilitate, tum summis egregiæ fidei officijs permotũ, quæ ab eo & eius familia iam olim in regium nomen extarent: cuius rei argumento esse, quòd sæpius ipse apud eum concilium cogi iuberet. Quibus quidem officijs, ad quæ se libenter etiam infra dignitatis modum demiserat, nunquam se hominis animum retinere potuisse, quin semper dissuendæ potius aut etiam soluendæ quàm tuendæ amicitiæ studuisse videretur, quum quidem maledictis eum incessaret, se non illius instar ad alias partes ex alijs transijsse, ordinem Regis conclulatum se semper in propatulo, nunquam tectum gestasse, aliisque maleuolis sermonibus multis vteretur. Addebat insuper se non mediocriter offensum fuisse quum ille arcem Carinianam nouo more in deditionem accepisset. Has inimicitias etiam grauiores tum extitisse, vbi Caguinus aliquos ex suis peditibus expunctos esse resciuisset, & Cæsarem Fregozam, quum ad castra Auenionẽsia vnà cum Annobaldo venisset, à Rege humanissimè acceptum fuisse, quinetiam Regem statuisse vt ipse sibi decedenti succederet, atque legatus exercitui præesset. Tum temporis libellos quosdam in ipsum Cæsarem Fregozam famosos Aretini præfixo nomine sparsos, quos Cęsar comperisset atque patefecisset à Caguino conscriptos fuisse, quem denique missa tabella prouocatoria huius rei causa lacessiuisset.

His ambobus ostendit Langæus, quantopere negotiorum Regiorum cursus his controuersijs retardaretur, equitum torquatorum regij sodalitij legibus caueri, ne quis eques cum alio eiusdem dignitatis prouocatione ad duellum agat, nisi Regis permissu, qui ordinis princeps sit. Cæsar purgandi sui causa affert hæc ordinis capita à se visa non esse illa quidem, verùm sibi famæ suæ & existimationis dignitatem tanti fuisse debere, vt quæ fecisset, sibi omnino facienda fuisse putaret, pro ea maledictorum atrocitate quæ mentito Aretini nomine literis editis sparsa fuerant. Se tamen, ne in Regem contumax esse, vel in commoda publica peccare videretur, vlteriùs iam minimè progressurum esse, quandiu quidem bellum hoc constaret: modò ne Caguinus ipse maledicere pergeret.

Caguini expostulatio.

Caguinvs vicissim conquerebatur, quum in Regias partes ipse Rangonem adduxisset, seque ad eius voluntatem, licet exigua inter eos antea necessitudo interderet, studiosè conformasset, vt quanta fieri posset maxima concordia negotia regia administrarent, se tamen ab eo minoris quàm par erat fieri animaduertisse: aut certè si qua in re fortè eoli videretur, id perpetuò verbis dubijs & flexiloquis fuisse ab eo significatum, se gradu semper ab eo fuisse dimotum, vt Cæsari Fregozæ amplificando studeret, ea semper ab illo facta & curata fuisse, quibus ad regias partes deferendas indignitate compelleretur.

Afferebat insuper vetera suæ gentis in Regẽ non leuia studia & officia, sui à puero educationem, constantem in Regis fide & perpetuam suam rationem, licet amplissimis conditionibus ad defectionem solicitaretur. Addebat præterea se non minus quàm Fregozam, si personarum ratio habenda videretur, bello vtilem esse, se suo, vxoris & nepotum, quorum tutor erat, nomine regiones tenere, vbi exercitum Regi conducere posset, atque adeo conduxisset, oppida parata ad cogendas & traducendas copias habere quæ Regi militarent. Comitem Mirandulanum sua opera Regis partes sequutum: quam etiam fuisse causam cur fortunis aliqua ex parte spoliaretur, & nonnulla castra solo adæquarentur. Se cum Rege, quo tempore belli initio delectus habebatur, noluisse pacisci, quod alij facere solerent, studium modò & voluntatem declarasse, quo Regis partibus tuendis famæ celebritatem, & principis gratiam sibi conciliaret: absque eo enim fuisset, potuisse se domi in otio cum dignitate manere. Quum autem hostes in Galliam infesto exercitu impressionem fecissent, se studio duntaxat Regem laborantem iuuandi adductum, nominis & dignitatis imminutionem parui duxisse, quam sibi propinqui ac necessarij obijciebant, qui sibi autores erant, ne tam humilem & parum honorificam conditionem acciperet. Quin & illud adijciebat, Cæsari Fregozæ Genuæ deditionem sua opera atque diligentia pollicenti amplissima quæque promissa fuisse, quibus vel Mantuanus quispiam vel eo potentior dux Regi cõciliari posset: eum tamen non modò quæ recepisset nõ præstitisse, sed multo minorem quàm pleroſq; alios ad rem perficiendam operam contulisse: quo quidem verbo seipsum designa-

1538. bat. Itaque Regem meritò quæ illi promiſiſſet, in longius tempus fuiſſe reiecturum, ſaltem iſtum in militiam modò aſcitum non pluribus ornamentis & beneficijs quàm initio pollicitus eſſet, auctурum: quæ dignitatis acceſſio aliorum exiſtimationi officeret, quorum fides & integritas iampridem eſſet perſpecta. Iniuriam ſe non leuem accepiſſe videri, quòd ſibi peditatus imminutus eſſet, quò iſti augeretur. Quod ſi vitandæ aut circuncidendæ impenſæ cauſa id factum eſſet, ac non vt alteri daretur quod ſibi detractũ fuerat, aut ſi Rex per literas id ſibi ſignificaſſet, ac non ea ratione id perfectũ fuiſſet (hanc autem conquerebatur fuiſſe, quòd ſuos eſſe exautoratos nonniſi maleuolorum ſermonibus, quos ſui contemnendi cauſa paſſim iactabant, intellexiſſet) id ſe æquius multò laturum fuiſſe. Quod porrò de ſcriptis obijciebatur, hanc ſibi cauſam fuiſſe cur ea literis proderet quæ conducere arbitrabatur, vt ignaris oſtenderet, quòd ſe neglecto Cæſar or naretur, id nullo iſtius merito fieri, aut quò ſibi virtute præſtaret. Se à Cæſare his literis commoto ad duellum prouocatum, conditionem certaminis ſalua ſua exiſtimatione detrectare non potuiſſe. Ad quod tametſi eum omni ratione, etiam æquioribus quàm par ſit conditionibus propoſitis, adducere tentaret, ne tamen Regis negotia detrimentũ vllum acciperent, non recuſare ſe quin tota hæc cõtentio in belli finem differretur. Niſi fortè poſt reſponſum ad hanc tabulam prouocatoriam, aliquid Fregoza ſcripſiſſet quod poſtea ad ſe perferretur: aut etiam deinceps ſcriberet, ad quod reſpondere, quòd ſuam exiſtimationem agi videret, cogeretur. Quam ſi ſartam tectam tueri vellet, à Rege magnopere contendere ne in malam partem acciperet. Poſtremò Langæo oſtendit, quoniam bellum remiſſe admodum geri videbat, vt valetudini cõſuleret, cupere ſe fide publica accepta domum redire, vt aquis thermarum vteretur. Bello deinde rurſus gliſcente, ſi honeſtum locum apud Regem obtinere poſſet, ſe eo apparatu venturum, vt res ſibi decus, Regi vtilitatem afferret: ſin minus, domi quietum fore: aut certè ſi Rex ipſe in exercitu eſſet, ei ſuam operam nauaturum: ſe profectò, quocunque res caderet deniq; crucem rubram nunquam eſſe geſtaturum. Hæc omnia Langæus Regi Contræ renũtiat, quum Pernis caſtra locaſſet ab Hedinia expeditione reuerſus. Caguino Rex permittit, domum vt ſe valetudinis cauſa reciperet.

Aliquanto priuſquam hæc fierent, miles quidam patria Conienſis, cognomẽto Toloſanus, collecta quadam manu abſque tamen ſtipendio, tantùm Rangonis permiſſu, oppidum Querſium Cæſarianis ademerat. Rango quum marchionem Guaſtiũ audiret ad illud recipiendum expeditionem parare, illuc equitem Aſſalium cum duab. peditum cohortibus quibus præerat, mittit, atque quingentos alios ex equitis Biraguij cohortibus attribuit. Hi vnà cum Toloſano oppidum ſumma virtute defendunt, & bis inuadentes hoſtes repellunt. Qua ex re Aſſalius tantos ſibi ſpiritus ſumere cœpit, vt literas ad Rangonem non minori faſtu aut laudum ſuarum prædicatione ſcripſerit, quàm ſi imperium quoddam ſuis armis ſubegiſſet. Hanc Rango inſolentiam valde culpauit, quicquid hac in re laudis aut honoris eſſet, Toloſano magis quàm illi tribuendum eſſe; ſe tamen non inficiari quin miles ſtrenuus haberetur, cuius etiam fides atque induſtria laudanda eſſet. In ſumma Langæus Regis negotia deterrimo loco eſſe comperit. Itaque vbi marchionatui Saluſſiano quemadmodum ei mãdatum fuerat, proſpexiſſet, ad eum reuertitur, quis rerum eſſet ſtatus plenè narrat, huic mederi primo quoque tempore opus eſſe, ni velit totam prouinciam amittere: Cæſarianum exercitum in dies augeri, noſtrum imminui, idque factionibus & contentionibus quæ inter duces intercedebant, fieri. Oſtendit, niſi Humerius (quem Rex Hedino diſcedens ad Pedemontanos profici-

Rex Pedemontanos reuocat mittitq; proſpice re conſtituit.

ſci iuſſerat) aliquo Heluetici aut Germanici peditatus eoque non minori quàm quatuor millium, aliquo item equitatus Gallici ſupplemento comitatus illuc veniret, ſe quidem non videre qui in caſtris habendis ſuperior futurus eſſet. Quòd ſi copias ſemel ex agris deduceret, oppidis adeo malè proſpectum eſſe, vt omnia Regi infœliciter euentura eſſe appareret.

His rebus Rex intellectis, Hedino & Sampaulo, quæ proxima expeditione ſubegerat, proſpicit, exercitum dimittere ſtatuit, ferentarios equites in Pedemontanam regionem rectà progredi iubet, vt exercitui ſupplemento eſſent. Ducem Chriſtophorum Wirtembergenſem cum Germanico peditatu quem adducebat (is decem hominum millibus conſtabat) eôdem ire iubet, vt ſe cum Humerio coniungerent. Verùm antequam

quam equites Lugdunum præterijssent, nuntiato Cæsarianos magno exercitu Sampaulum venire, (vt suprà demonstratum est) equites illos reuocat, Germanios inceptum iter pergere iubet, Rãgonem imperio abdicatum in Italiam ad alias res suo nomine administrandas mittere constituit. Mittuntur insuper Rupematinio & Borranus ordinarius rerum bellicarum quæstor, qui Germanorum exercitum exciperent, recensérent & deducerent. Præterea Rex cataphractos propè quadringentos delegerat, quinquagenos nempe ducibus Barone Curtonio, Fayetta & principe Melphitano, sexaginta deinde ex Delphini turma, quibus Humerius legatus præerat, ferentarios ducentos Brissaco duce, Lassinium & Allegrium cum millenis peditibus, præter equites tum cataphractos tum ferentarios & pedites partim Gallos partim Italos, quos in exercitu Rango habuerat. Eodem denique Nicolaum Rusticum cognomento Bossium mittit, cum quatuor millibus peditũ, quos in Germania inferiori ex eorũ numero subtraxerat quos Cæsar ad Sampaulinam expeditionem colligebat: ducentos item ferentarios ex Picardico exercitu, qui iam non parum processerant, vt Humerium assequerentur. Ad extremum tamen, quum audiret quantis copijs Buranus in Picardiam contenderet, Bossium & ferentarios reuocauit.

NON multo antè comes Rango metuens, ne si hostis in agris superior esset, tota regione excederet cogeretur, quàm celerrimè potuerat, Pinierolam munierat, vt se oppido cum reliquis copijs contineret, hostique resisteret, dum supplementum è Gallia mitteretur. Quod profectò sapienter ab eo prouisum fuit, vt postea intelligetur. Paulo pòst Vastius eductis legionibus, Francisco marchioni totam Salussianam ditionem restituerat, præter castrum Verculium & Carmaniolanum, quæ adhuc à nostris occupabantur. Qua causa adductus ille Carmaniolam obsidere decreuit, cui à Rangone ducenti milites Itali præsidio impositi erant. Vastius adductis copijs de ditionem eos facere Cæsaris nomine iubet, & recusantibus machinas admouet. Marchio Franciscus, cui castri situs magis quàm alijs exploratus erat, duas bombardas dextrà versus promouet, quâ ab oppido ad castrum iter est, duas ædes quæ sibi doliorum vimineorum vsum pręberent ad machinas collocandas, diruit, quas collimatas ipsemet bis torquet. Eum miles quidam ex arce supra portam conspicatus, moscati glande corpus traijcit, quo ille statim ictus interijt.

Marchio Salussiæ ad Carmaniolam interfectus.

VASTIVS veritus ne eius mors militibus terrorem iniiceret, pallio iniecto tegi iubet, nostros æqua pactionis conditione ad deditionem rursus solicitat: ad extremum cum impedimentis eos abire fide data permittit. Egressos coràm mirificè collaudat ob strenuam operam & virtutem, rogat quis adeo scitè ex fenestra supra portam collimasset. Miles ignarus quid accidisset, nec qua ille mente hæc diceret suspicans, se eum esse respondet qui in ea fenestra perpetuam stationem habuisset. Vastius responso audito hominem perfidiosa leuitate comprehendi & ex ea fenestra suspendi iubet. Postea Rex marchionatum denuo subactum Gabrieli Areensi episcopo (oppidum est in Vasconia) Francisci demortui fratri tradit. Is quum Annobaldi filia in matrimonium ducta absque liberis decessisset, marchionatus ad Regem denuo rediit.

DVM hæc geruntur, Humerius circiter octauo Iunii die Pinierolam venit. Qua re Vastius intellecta copias suas Pyrino educit, & Astam ire contendit. Deinde nuntiato Germanici peditatus aduẽtu, quem Christophorus dux Wirtembergensis ducebat, relicto Astæ Antonio Arragonio, ipse cum reliquo exercitu Versæum iter facit. Humerius Pinierolæ per nuntium certior factus hostes Ceuasum deseruisse, Ludouico Biraguio Vorlinci præfecto imperat vt ex eorum numero quos habebat, ducentos in illud oppidum introduceret. Eodem tempore die Iunii circiter quinto & vicesimo pedites Germani ducis Christophori Wirtembergensis Moncallerium veniunt. Qua re nuntiata Humerius Pinierola profectus ad eos contendere statuit, seque cum eis coniungere, vt inde copias in apertum educeret. Ibi Itali milites se parituros negant, nisi prius stipendium debitum persolueretur. Hæc causa fuit cur nostri decem aut duodecim dies illic morarentur, quo temporis spatio hostes sese communirent. Præterea dies etiam quo ipsis Germanis stipendium numerandum erat appropinquabat: quæ sanè non minima causa extitit, quamobrem tota hæc expeditio paruam admodum vtilitatem afferret. Etenim marchio Vastius interea (vti antea diximus) Germanos

1538. pedites celeriter conscribendos curauit, qui postea duce comitis Gulielmi Fustembergensis fratre maiore natu Tridentum venerunt. Calen. Iul. Itali accepto menstruo dun taxat stipendio, fide data reliquum postea numeratum iri, Moncallerium proficiscuntur. Ibi Humerius cum belli ducibus & centurionibus de itinere deliberare cœpit, Astamne an Vulpianum progredi placeret. Astam omnes proficiscendum censent, hanc facilè occupari posse, in qua pauci admodum pro oppidi magnitudine milites præsidio esse nt. Quamobrem triduo pòst profectus exercitus Ripam Quetasiam venit: ibi Germanis postulantibus machinarum custodia traditur. Postero die nostri Belotum veniunt, die mensis sexto mille ab Asta passuũ interuallo castra faciunt. Astę erat Cæsaris legatus (vti diximus) Antonius Arragonius Vastij sororius cum duobus peditum millibus, equitibus ducentis.

Asta obsidio seguiter proditur.

CASTRIS collocatis, & oppido explorato, nocte insequenti fossas ducere constituunt, cuius rei curam sibi mandari Germani postulant: neque alterum præfici patiũtur, licet crebrò & magnis precibus vt Ioannem Paulum Ceretem id facere sinerent, rogarentur. Circa secundam noctis vigiliam Humerius cum alijs ducibus opus inuisunt, vt Germanorum celeritatem perspicerẽt, reperiunt ne inchoatum quidem adhuc esse. Dum inter se quid facto opus esset contendunt, lux oritur: itaque opus in nocte proximam reijcitur. Vbi diluxit, Germani, quòd stipendium eo die deberetur, tumultuari cœperunt: quam ad rem Ioannes Ludouicus Landebergensis eos princeps instigabat. Apertè denuntiant, nisi stipendium euestigio numeretur, se complicatis militaribus signis discedere statuisse. Quod incommodum vt vitaretur, propter eaquod præcipuum nostri exercitus robur ex ea gente erat, Humerius viritim ex toto exercitu pecunias ægrè corrogat, vt singulis cohortibus quingentenos coronatos mutui nomine repræsentaret, dum totus numerus penderetur. Qua illi summa sibi in præsentia satisfieri præ se ferunt. Hora circiter tertia pomeridiana oppidani eruptione in nostros facta clamorem castris inijciunt: interim à parte põtis qui est ad Tanaram flumen, è regione castrorum, oppidum ingrediuntur septem peditum cohortes atque equites trecenti. Qua de causa Humerio & reliquis ducibus spes potiundi oppidi aut etiam fame premendi decessit, atque exercitum inde abducere constituit. Porro quum Albæ infirmum valde præsidium esse audiret, occupare eam aggreditur. Asta egressus hostium exercitus nouissimos nostrorum adoriri conatur: verùm Brissacus cum ducentis ferentarijs extremum agmẽ claudebat, cui etiam aliquot cataphracti attributi erant. Hi hostium conatum adeo fregerunt, vt nullo detrimento accepto totus exercitus ad Sandamianum peruenirẽt. Postero die quum Albam versus progrederentur, Ioannes Paulus Ceres in Hispanos ferè octingentos incidit, qui Alexandria profecti Albam ingredi conabantur: quos præsio superauit. Quam ob causam oppidani omni præsidio destituti se & oppidum Humerij fidei permittunt: ibi nostri viginti dies commorãtur, dum oppidum instauratur. Quo etiam tempore Quetasium (nam & illud in Regis potestatem venerat) communitur.

Alba à Gallis capta.

DVM nostri ad Albam commorantur, Cæsar Neapolitanus Vulpiani præfectus, vir magni ingenij & summæ ad res suscipiendas industriæ, sed parum fœlix, quum nostros procul Taurinis abesse animaduerteret, quo in oppido præsidium perexiguum pro loci magnitudine erat, cohortes nimirum Oartij & Algartij: manipuli quendam ductorem genere Vasconem ad se pellicit, qui propugnaculum traderet quod est è regione ędis Virginis matris Doariam versus, atque inter se paciscuntur. Qua nocte rem promissam præstare debebat, vicis ordine manipulo eius obtingit vt illius propugnaculi custodiæ præponeretur. Itaque secum duos aut tres modò ex manipularibus eosque ignauissimos ducit, vt facilius conata perficeret. Cæsar Neapolitanus Vulpiano proficiscitur (abest autem Taurinis non multo amplius sex passuum millia) cum decem peditum cohortibus & trecentis fere equitibus. Ad locum vbi venissent, ille locum commonstrat ad quem scalæ essent applicandæ. Quod illi tanta diligentia perficiunt, vt antè quinque cohortes ingressæ essent, quàm ad arma oppidani excitarentur: qui enim in statione erant manipulares, fuga se proripuerãt eo interuallo terreo quod inter murum & fossam interest. Iam verò in oppidi muro porta est qua ex propugnaculo in oppidum est aditus, quam quum apertam hostes propter tenebras non animaduerterent, ea res oppido & ciuibus saluti fuit. Dum enim hostis in admouendis scalis occupatur, clamore sublato

Cæsar Neapolitanus Taurinorum oppido dolo capere tentat.

to ad arma omnes concurrunt. Butterius præfectus & prorex in multam noctem tabulæ lusoriæ ludum produxerat. Aula egressus quum se in cubiculum recipe ret, clamorem exaudit, domo statim in plateam prosilit, Heluetios tantùm stipatores & paucos nobiles comites secum ducens, ciues magno timore fugientes conspicit, à quibus suæ saluti consulere monetur, hostes oppidum esse ingressos. Ille tanta trepidatione nihil commotus recta ad propugnaculum se confert, pilum tantùm manu gestans, quod repente obuium arripuerat. Sequebantur aliquot ciues quorum egregia erat voluntas, atque adeo arma ceperant. Recta in portam cursu contendit, quam adhuc patentem quum offendisset, pili mucrone claudit, idque tanta festinatione, vt eius propinquus quidam nobilis qui præibat, vnà cum hostibus propugnaculo includeretur.

CÆSARIANI, qui iam machinas illic repertas instruxerant, colubrinam notham ad portam obuertunt, quam glande emissa effringunt, eaque traiecta globus proximè Butterium perrumpens nobilem quendam interficit. Interim ciues summum ædis sacræ culmen petunt, magna celeritate tegulas in viam deijciunt, (est enim via quædam non amplius octo pedes lata, quæ inter ædem illam & oppidi murum intercedit) quam statim complent, vt tegularum multitudo portæ obiecta valli vsum præberet. Interim Oartius Nauarrenus, qui duabus peditum cohortibus præerat, relictis ex suorum numero quantum satis esse putabat, à quibus tum castellum cuius curam gerebat, tum alia oppidi loca custodirentur, ne pluribus simul partibus hostes insilirent, cum duo centis sclopetarijs in prælium venit, qui summis turribus & muris occupatis tam strenuos & diligentes se præbent, vt sclopis vncinatis & alijs hostes à propugnaculo submouerent non absque magno dedecore & detrimento, amissis nempe amplius septingentis militibus. Qui cum hostibus pactus fuerat, capitur & suspenditur: quum quidem se nihil nisi Butterij voluntate & mandato fecisse constanter affirmaret, vt hostes irretitos falleret, deinde eum diei constitutę oblitum non prouidisse vt decebat: se verò illius incogitantiæ pœnas nullo suo merito luere. Sed ista, meo iudicio, producendæ vitæ studio miser dicebat: neque enim Butterius is erat qui tanti momenti rem negligendam sibi esse putaret.

Factiones & dissidia inter ciuitates.

HVMERIVS per nuntium Albæ fit certior quantum in discrimen venissent Taurini. Germanorum præterea iniquiorem animum perspicit, & febri iactatus, qua octauum iam diem laborabat, neminem tamen habebat cui de summa rei confideret, quòd multiplici discordia & factionibus exercitus vexaretur. Nam & inter Cæsarem Fregozam primi agminis ductorem & Ioannem Paulum graue erat dissidium, nec leuius inter Annibalem Gonzagam comitem Laniuolarium & Brissacum. Nuntiabatur insuper Hispanos ad sex millia, & mille ducentos equites è castris Cæsarianis Mõcalerium ingressos esse. Quibus difficultatibus perculsus, & quòd verebatur ne dũ tempus terebat, Taurinis ob infirmius præsidium aliquid mali accideret, Albę Iulium Vrsinum Ioannis Pauli consanguineum relinquit, cui mille pedites attribuit, item Artigodium Vasconem & Petrum Strozzium cum quingentenis: Queraſſio Cæsarem Fregozam præficit cum mi litibus quot eilibuit accipere. Ipse cũ reliquo exercitu ad hostem recta proficisci statuit, quẽ Moncalerij necopinantẽ opprimi posse sperat. Ea re Vastius audita illuc reliquas copias varijs locis sparsas colligit: quæ res irritum Humerij consilium reddidit. Certior postea factus Vastio in animo esse Pinierolã occupare (is porro & facilè se hoc facturum propter defensorum paucitatem confidebat, & hoc perfecto, angustijsque Susanis captis, nostris sui recipiendi atque auxilij accipiendi facultatem se adempturum sperabat) ex ducum sententia die Auguſt. XXIII, Alba profectus Queraſſium ire contendit. Interim comitem Franciscum Pontremium cum CXX ferentarijs & ducentis hippoſclopistis præmittit, qui summa celeritate Pinierolam ingrederetur, hos quam celerrimè Gabrielis Ariminensis tribunum subsequi iubet: Lasinium & Alacrium cum millenis peditibus Gallis Taurinos mittit: Aramontianas cohortes, quarũ numerus mille peditum erat, Querasium ire iubet: huic præerat eques Asalius, quem octoginta secum milites habere oportebat: denique Ioannem Taurinum cum mille Italis Sauilianum mittit. Ipse rebus ita constitutis cum Germanico peditatu, & reliquo exercitu marchionatum Salussianum petit, vt illic mandata à Rege ac simul stipendium quod Germanis debebatur expectaret.

1538. *Humerius Germanos ceteros tumultuantes ferre cogitur.*

DVM iter facit, Busquam exiguum oppidum oppugnare instituit, quòd oppidani imperata facere recusassent. Machinas expedit, quibus sanè parum admodum instructus erat, quòd maximam partem in oppidis in quæ præsidia deducebat, reliquisset. Muris machinarum ictibus dirui cœptis comes Annibal Laniuolarius, moræ impatiens dum iusta ad irruptionem ruina patefacta esset, cū suis aliquot Italis inuadere conatus, ab oppidanis propugnantibus repellitur, ipse quoque sclopo ictus moritur, & cadauer Pinierolam defertur. Nostris loco pulsis quum hostes Pyrini essent numero plures, propter auxilia Germanica quæ acceßerant, placet Busquam relinquere, atque iter antea institutum perficere. Ita Salussiam veniunt. Vbi quum aliquot dies commorari cogitarent, dum Rex quid fieri vellet per literas significaret, Germani Humerium proficiscı compellunt.

OSTENDIT ille sibi esse in animo oppidum illud seruare: quò si totus exercitus migraret, cibaria citius quàm par sit cōsumptum iri, præsertim quum frumenti exigua, vini minor copia esset. Excipiunt se sibi frumētum quæsituros, vini penuriam aqua bibenda facilè toleraturos, certum esse Pinierolam proficiscı, vt illic stipendium expectarent, non passuros machinas vel ipsum à se abesse. Ita morem illis gerere cogitur, cosque ad riuum quendam Peruſa fluentem mille ab oppido passus relinquit: nam in oppidum abire illi conceßerant, sic tamen vt machinas apud se retinerent. Biduo post allatis pecunijs Humerium cogunt, vt stipendium ad veteris census rationem penderetur, neque capitum numerus iniretur, qui tamen exiguus admodum erat: nam ex decem hominum millibus (ad hunc enim numerum exigenda erat pecuniæ summa) vix quinque millia supererant. Harum seditionum autor erat Ioannes Ludouicus Landebergensis, qui firmissimam exercitus partem ducebat, quemq; dux Wirtembergensis, cuius minor per ætatem autoritas erat, cohibere non poterat.

PER id tempus Cæsar Neapolitanus Vulpiani præfectus Cazellam exiguum oppidum Regiæ ditionis medio itinere Taurinis Vulpianum occupare instituit. Decem fere cohortes secum ducit, oppidum tribus locis magno conatu inuadit, sed non minori virtute ab oppidanis repellitur. Amissis amplius cxx ex suis non sine dedecore re infecta discedit, quadraginta fere scalis in fossis relictis. Vastius quòd videbat Humerium se Pinierolam recepisse, tredecim peditum cohortes Siriam mittit (quod exiguum oppidum est in montis cliuo) eo consilio vt transitus Susani angustias ob sideret, nequid è Gallia ad Taurinenses perferri posset: Riuoliam & Vilaniam arces missis militibus occupat. Ita transitu illo Susano Taurinenses ægerrimè quicquam è Gallia audire aut accipere poterant. Nec verò Pinierola facilior præbebatur ratio, propterea quòd Vastius Moncalerium, Carinianum & Carmaniolam tenebat, ac campis patentibus longè superior erat.

REX Langæum, à quo totius Pedemontani status narrationem qualem antea perscripsimus, Contaæ didicerat, illuc multas ob causas denuo mittit. Is reuersus Regem Meloduni, vbi febre correptus decumbebat, ad quintum & vicesimum Augusti. diem conuenit: huic omnia sigillatim narrat, quæ post Humerij aduentum gesta fuerant, cum tandem coactum esse vt castra locis patentibus habere desineret, copias in oppida reducere, Taurinenses re frumentaria & numaria vehementer laborare: vt nisi ante proxima Martinea iuuarentur, dubium non esset quin maxima fame premerentur, quam vix ac ne vix quidem ad extremum Nouembrem perferrent. Rex quòd iam maximam sui exercitus partem dimiserat, periculum imminere videt, ne Pedemontano agro, quem magnis sumptibus & multo exercitu domuerat, pelleretur. Itaque vt iam parta tueri posset, ipse copijs collectis eò progredi statuit. Delphinum filium & Mommorencium Lugdunum ad colligendas copias præmittit, quos Fustembergi & Bossuli cohortes subsequi iubet: equites cataphractos & ferentarios, qui iam in præsidia varijs locis distributi abierant, ad vicesimum quintum Septembris diem Lugduni præsto esse iubet: denique ad quindecim Heluetiorum millia conscribenda curat. His ita constitutis rebus, veritus ne stipendij penuria Taurinenses tumultuarentur, rursus Langæum mittit, qui Humerio vigintiquinq; coronatorum millia afferret, quam pecuniæ summā Taurinos deferri iubet, dum ipse maius auxilium submitteret.

Rex exercitū alpes traducere instituit.

LANGÆVS Humerium Suzæ offendit: huic enim relicto Pedemontano agro se

se receperat. Taurinis Butterium præfecerat cum ipsius turma equestri cataphractorũ, aliquot ferentarijs & peditum quatuor millibus. Quærasij (vti dictum est) Cæsarem Frẽgozam, Albæ Iulium Vrsinum, Sauilliani Ioannem Taurinensem, Pinierolæ denique comitem Franciscum Pontremium reliquerat. Humerius Langæo ostendit quàm difficile esset pecunias illuc perferre, tum quòd hostes Bozolinum, Villanam, Santambrosium & Riuolam tenebant, tum quòd vallis angustum valde transitum habebat, quo iter in ipsorum oppidorum conspectu faciendum erat. Langæus tamen quum periculum esse perspiceret, ne Rex Taurinos, si pecunia milites carerent, amitteret, nullum non discrimen sibi adeundum, quò id perficeret, existimauit. Itaque Vrsam contendit, quo loco substiterant Germani pedites: à quibus petit vt secum Susam vsque regrederentur, cuius castrum à nostris adhuc tenebatur. Id hoc facilius eis persuadet, quòd gratia apud eos non exigua valebat, maximè quum in causa fuisset vt dux Christophorus in suæ dignitatis & possessionis locum restitueretur. Eò quum peruenissent, Cæsariani qui Bozolinum, Villanam, Riuolam & reliqua per totam vallem loca occupauerant, nostros totis copijs ad se iter conuertisse rati, dum Vastius ad Querasium esset, castra illa deserũt. Quamobrem Langæus Germanos rogat vt se Susis præstolarentur: quod quum illi promisissent, secum Mottam Gondrinũ assumit cum viginti quinq; ferentarijs equis & peditis itineris ducibus. Die Augusti decimoquinto Taurinos cũ pecunijs ingressus magna Butterium & milites lætitia afficit: Tum enim totius finitimæ regionis rustici magnam cibariorum vim in oppidum conuehere cœperunt, quod antea non solebant. Langæus peditum cohortes recensẽt, cibariorum multitudinem describit, in Galliam se recipit, verùm non absq; discrimine. Hostes enim quum Germanos Susis substitisse audissent, reuertentem eum per insidias opprimere parant: vnum tamen ex eius comitibus dunta xat interficiunt, duos captos abducunt.

Vastius Querasium capit.

DVM ista geruntur, Vastius Albæ collecto exercitu, Querasium contendit, secum ducens peditum viginti quinque milia, tria equitum, bombardas viginti quatuor, duodecim nempe cannas, reliquas tum maiores tum nothas colubrinas. Die octauo & vicesimo Aug. rem machinarijam expedit, vt murum duobus locis quateret. Tanta celerita te rem gerit, vt quarto die iusta vtrinque labefactati muri ruina pateret. Bifariam suos ad oppugnationem eodem temporis vestigio instruit, simul hominum ferè tria millia cum scalis adhibet, qui pluribus simul locis inuaderent. Quum nostri tantum hostium impetum ferre nequirent, vi oppidum captum diripitur. In causa fuit defensorũ paucitas pro tanto oppidi ambitu, propterea quòd cohortib. iustus militum numerus magna ex parte deerat, ijs maximè quas Assalius ducebat. Quamobrem capitis causam posteà dixit, in qua ipse iudex sedebam: damnatum tamen Rex debito supplicio exemit, & eius opera nihil secius vsus est. Vastius præsidio quantum satis visum est relicto, Albam cõtendit.

Albe & Quẽrassij deditio.

Iulius Vrsinus quum subsidium nequicquam sperari videret, oppidum ipsum nec vallo vndiq; adhuc cinctum, nec castellis vsquam munitum, hostibus præterea deiecto muro irrumpentibus nostris ad propugnandum consistendi facultatem adimi, quòd quatuor machinis trans flumen collocatis à tergo infestarentur, cum Vastio ea conditione paciscitur, vt Pinierolam cum suis incolumis & impedimentis deduceretur. Vastius biduũ illic commoratur, vt omnibus rebus prospiceret. Exercitum posteà ad Querasium obsidendum mouet, quod oppidum quinq; passuum millia aduerso flumine Tanara Alba distat. Ad hoc oppidum summo monte situm vnicus est aditus Mondeuisium versus, qui pedes ferè quingentos in longitudinem patebat: neque alia via aditi poterat. Ab ea parte Vastius machinas disponit, murum satis lato spatio diruit, suos ad irruptionẽ producit: quorum maximum impetum Cæsar Fregoza (hunc enim oppido præpositum fuisse ostendimus) cum suis magna animi præsentia & virtute sustinuit. Bis hostes ex summo loco in fossas deturbantur: trium fere horarum spatio continenter dimicatur, vt magnum hostes detrimentum acciperent. Vastius vbi se magna hominum iactura, ab hac parte se nihil proficere animaduertit, machinas aliquot illic reliquit, quæ nostros murum deiectum obstruere prohiberent, alias nocte insequenti ad murorum commissuram Mondeuisium versus obuertit. Muro glandib. percusso & collapso nostri quũ ad defendendum concurrerent, à latere aperto conspiciebantur, vt consistendi in vallo nulla omnino daretur facultas. Idque Cæsaris & eorum quos ad opus faciendum ad-

1538. hibuerat, inſcitia contigit, qui maturè non proſpexerant, vt aggere in ea cuneivſura per tranſuerſum latus excitato tutò conſiſtendi oportunitatem præſtarent. Fregoza quũ iam oppidum tueri ſe non poſſe videret, ad colloquium venit, pactione cum hoſtibus decidit vt cum ſuis, impedimentis ſaluis ad cum locum tutò deducerentur, vbi Humerius caſtra regia habebat.

QVERASSIO capto Vaſtius ad obſidendam Pinierolam iter conuertit, quòd ſperaret, ſi eo oppido potiretur, & Suzanas fauces communiret, Taurinenſibus omne ſubſidium ſe erepturum, atq; adeo effectum vt omnis in poſterum Gallis in Italiam tranſeundi cauſa præſcinderetur. Dum Pinierolam contendens ad Sauilianum iter facit, Ioanni Taurinenſi per tubicinem denuntiat vt oppidi deditionem faciat. Reſpõdet ille ſe Regis iuſſu & nomine loco præfectum eſſe: poſtquam cætera Pedemontanæ regionis oppida cœpiſſet, ad ſe tum demum reuerti iubet, daturum operam vt lautè & prolixè acciperetur. Vaſtius quòd ſe illic nequicquam hæſurum eſſe videret, porro Pinierola capta Sauilianum defendi ob commeatus inuehendi difficultatem non poſſe, ſuſceptum iter contendere pergit. Pinierola Humerius Suzanam ſe receperat, relicto illic Franciſco Pontremio cum quinque peditum Italorum millibus. Magnum eſt illud oppidum, & vaſtum, ſitu inamœno & inæquali, quòd multis collibus & cliuis intercepturn communiri æge rrimè poſſe videtur. Quamobrem præter omnium opinionem, qui deſerendũ illud ob eas cauſas cenſebant, vnus comes Rango ab architectis impulſus, maximè ab Hieronymo quodam Marino Bononienſi, adeo illud opere & arte communierat, vt Vaſtius quum illuc adueniſſet, ex ſuorum ſententia vi non eſſe tentandum reperiret. Itaq; fame noſtros premere conſtituit: ipſe cœnobium ſe recipit quod in Peruzæ itinere ſitũ erat, reliquas copias vndiq; toto oppidi ambitu collocat, vt vix ac ne vix quidem cõmeatus introduci poſſet. Noſtri tamen quotidianis fere eruptionibus Cęſarianos laceſſebãt, vt nec interdiu nec noctu illis eſſe quietis liceret.

Ioannes Ludouicus Germanus Lugdini obtruncatur.

DEMONSTRATVM à nobis eſt quemadmodum exercitus noſter ille adeo præclarè inſtructus, penè tamen inutilis redditus fuiſſet crebris Germanorum tumultibus, qui imperatori dicto minimè etant audientes. Tot ſeditionum autor præcipuus Ioannes Ludouicus Landebergenſis, erat vnus ex potiſſimis tribunis quos dux Wittembergenſis adduxerat. Is inter cætera Borranum ordinarium bellici ęrarij quęſtorem, quum munere ſuo fungeretur, iniuria affecerat: imò ne ab ipſo quidem prorege Humerio abſtinuerat, quin gladio aduerſus eum manum iniecíſſet. Quorum tamen ſcelerum pœnæ nullo pacto ſumi vnquam potuerant, quòd amentiæ nimium multos ſocios haberet. Ille tandem quum hoſtes ad Pinierolam obſidendam accederent, Lugduni in vincula conijcitur, deinde cauſa cognita theatro in platea Granetaria obtruncatur.

Gallicus exercitus alpes trẽ fere properat.

REX copias ſuas quanta fieri poteſt celeritate maturare iubet, ipſe Lugdunum medio fere menſe Octobri aduenit. Illic nuntium accipit, Vaſtium, vbi noſtros aduentare certior factus eſſet, omnem ex agris commeatum in caſtra & oppida conferri conuehíque iuſſiſſe, quæ relinquere cogeretur, corrupiſſe & abſumpſiſſe, eo conſilio vt rei frumentariæ penuria regium exercitum tranſitu prohiberet: Cæſarem Neapolitanum miſiſſe cum decem hominum millibus, qui Suſianas anguſtias cõmuniret, quod ſummo ſtudio & diligentia adminiſtrarat. Qua re intellecta Rex vt huic omnium rerũ inopiæ occurreret, ex toto Delphinatu, Arvernia, Foreſta, Belliiocana, Domba, Lugdunẽſi Prouincia & Galliæ Narbonẽſis parte omnes mulos, mulas, aſinos & iumẽta doſſuaria cogi iubet, quibus farinæ & omnis commeatus tanta copia ſubucheretur, quę toti alendo exercitui ſatis eſſet. Et quoniam in Italiam ipſe tranſire decreuerat, ne regnum, dum abeſſet, abſque regimine deſeri videretur, Carolum ducem Aurelium minorem natu proregem Picardiæ, Normaniæ, Lutetiæ, Inſulæ Francicæ & finitimarum regionum cõſtituit: eiq; que, quòd per ætatem nondum magno rerum vſu valebat, cardinalem Bellaiũ comitem & conſiliarium attribuit: in Burgũdiam & Campaniam ducẽ Guiſium mittit, in Aquitaniam & Galliam Narbonẽſem Henricum regem Nauarræ, in Britoniam denique Caſtellobriantium. His omnibus proſpectis Delphinum cum exercitu præire iubet vnaque cum eo Mommorencium, cuius conſilio omnia adminiſtrabantur: rei machinariæ Burium præficit, cui quatuor peditum cohortes attribuit, Mõtijanum decem Gallorum peditum millibus præponit: & quoniam Annobaldus equitum ferentariorũ dux,

dux, apud Morinos captus nondum redierat, Cæsarem Fregozam illius locum tenere iubet. Expectabantur equites cataphracti ad numerum mille quadringentorum, Heluetiorum quoque quatuordecim millia, qui eius iussu conscripti, Geneua & Camerino itinere facto ad Gratianopolim se cum exercitu coniungerent. Ipse aliquandiu Lugduni commorari post Delphini discessum statuit, vt reliquos milites qui illuc è Picardia, Normania, Britonia, Campania & alijs longinquis locis quotidie confluebant, ad exercitum properare iuberet.

Die Octobris decimo Delphinus Lugduno profectus Gratianopolim versus & Ambrodunum iter facit. Ei Humerius & Malgeronius Regis in Delphinatu legatus quũ comes Sampaulius abesset, Brigantij præsto sunt, cum duobus aut tribus millib. hominum ex legione Delphinatica, & reliquijs exercitus Humeriani, ijs nempe quos Alba & Queraſſio pactione cum hoste facta egressos esse demonstrauimus. His cum Germanico Fustembergi peditatu, qui octo ferè hominum millibus constabat, cõiunctis, Vrsam ire contendit, vbi reliquas copias expectaret. Abest Vrsa Brigantio octo passuum millia, totidem Suza: qui locus equitibus constitutus erat, in quem vndique diuersi venientes coire debebant. Eò postquam ventum est, Mommorencius ex omnium sententia Exilias proficisci cum exercitus parte constituit (altera cum Delphino Vrsæ relicta) vt hostis animum exploraret, simul belli aleam tentaret, num Suzanas angustias vi occupare posset: deinde re cognita Delphinum qui subsequeretur, certiorẽ faceret. Eò postquam venit, aliquot equitum præsidio assumpto ipse progreditur, vt trãsitum quem hostes munierant exploraret. Locus erat opere communitus mille passuum interuallo citra Suzam, in ipsis faucibus cliui quo Caldomonte Suzam descensus est: is porro vicus postremus est qui marchionatum Suzanum à Delphinatu diuidit. Mommorencius editum locum conscendit, vnde hostium munitiones despicere posset. Animaduertit duo castella ab hostibus in duobus collibus ædificata esse, qui angustijs vtrinque impendebant, fossam præterea altam valde atque latam quæ transuersa ad vtrumque pertinebat: in qua milites tecti delitescebant, duobus castellis ab vtroq; latere egregiè communiti. Porro alios colles duos ijs etiam altiores suspicit, quibus superatis arbitratus est facile esse hostes è locis superioribus petere, & castellis illis expellere quibus freti aditum obsidebant.

Mommorencius angustias Suzanas vi perrumpit.

His ita exploratis Exilias reuertitur, Delphino nuntiari iubet vt eôdem celeriter ad se sustinendum veniret, se quidem sub auroram postero die proficisci cogitare, vt transitum vi occupet. Hora constituta proficiscitur, cohortes Fustembergi secum habens, Gallos pedites fere mille ducentos, qui è Pedemontano exercitu redierant, denique legionarios Delphinatus ad numerum trium millium. Reliquos enim tum pedites tum equites qui nondum aduenerant, præstolandos esse non iudicauit, ne dum cunctaretur, hostis maiori dato temporis spatio vires augeret. Equites vix centum ferentarios duce Brissaco (qui ipse aderat) habebat, aliquot præterea nobiles, qui præibant, impedimentis ponè relictis. Cum his Mommorencius Caldomontem peruenit, hanc progrediendi rationem præscribit. Fustembergo imperat vt cum suo peditatu cliuum montis dextrum teneat, ex eo mille ducentos sclopetarios præmittat, qui in superiorem collem euaderent castello dextro impendentem. Ad læuam centuriones Artigodium & Soricem cum alijs tum Gallis tum Vasconibus mittit: ipse cum reliquis media via incedit. Galli & Vascones quum Germanis essent expeditiores, læuo castello imminentem collem occupant: hoc porrò castellum transitum ipsum magis impediebat, quod longè altero propius esset, vt inde in ipsum iter librata collimatione glandes adigerentur. Hunc igitur collem priores occupant quàm Germani dextrum. Hostes vbi se à nostris è loco superiore vrgeri animaduertunt, quinetiam Gauaretum Artigodij legatum sclopetarijs fretum ipso castello occupato omnes interfeciſſe qui fuga elabi nõ potuerant, relictis angustijs fugæ se mandant. Hos Mommorencius Delphino ponè subsequente ita acriter vrget, vt Suzæ consistendi facultas nulla daretur, sed duo millium passuum itinere in fugam præcipites ferrentur. Suzæ maxima impedimentorum pars diripitur. Quid nouissimis hostium fugientibus factum sit refetre nihil attinet: proterea quòd quisquis fugam atripuit, ei non deest qui fugienti insset. Quòd si Mommorencio adfuissent ducenti cataphracti, aut saltem quingenti ferentarij, qui eos velitando

1538. detinerent dum pedites Germani appropinquabãt, ex ingenti illo numero (nam ad decem hominum milia erant) pauci credo euasissent qui rem cæteris nuntiarent.

DELPHINVS & Mommorencius præter multorum spem transitu adeo difficili, munito & magnis præsidijs firmato potiti, quòd suos defatigatos esse perspicerent, ea nocte medio itinere Susa Bossolinum castra metari constituunt, vbi in vallem ingressus patet. Ibidem quoque totum diem commorari decreuerunt, dum machinæ, equitum cataphractorum turmæ & peditum cohortes aduentarent, quos cæteruatim itineri se dare constabat. Commorandi illis causa fuit, quòd Susanam arcem ducentiHispani præsidio tenebant, quos illi relinquere nolebant, ne commeatum supportari prohiberent. Rex Gratianopoli iam profectus, quòd præsidio interesse cuperet, Ambrodunum vsque progreditur. Vastius qui Pinierolam obsessam, frumentariæ rei penuria grauiter premebat, Cæsaris Neapolitani clade audita, obsidionem relinquit, Riuolam vniuersum exercitum ducit, eo consilio vt se nostris illic opponeret. Burius rei machinariæ præfectus Susam venit, bombardas ad arcem Susanam admouet, duabus cannis bis emissis Hispani perterrefacti in nostrorum potestatem veniunt. In deditionem ea conditione accipiuntur, vt inermes tunica induti emitterentur. Delphinus post machinarum & reliqui exercitus aduentũ (præter Heluetios, qui duce generali comite Tendano venire festinabant) Santantonium, deinde Villanam contendit, Vastium illic se repertum sperans, quicum prælio dimicaret. Is Riuolæ castra quum haberet, de nostrorum aduentu per nuntios certior factus, certaminis aleam sibi non subeundam esse arbitratus, Moncallerium versus progreditur, illicque ad partem pontis citeriorem resistit.

Villena arx vi à Gallis capta.

Quare Delphinus & Mommorencius vlterius procedendum non censent, nisi castro Villanio prius capto, vt planum iter ac liberum esset.

HOSTES castri situ freti (nam in summo murice situm est) nusquam machinas collocari posse arbitrabantur, vnde glandes adijci possent. Mommorencius omnia diligenter circumiecta loca perlustrat, alium collem reperit altitudine pene æquali, quà Sammichelum iter est. Qui tametsi paulo remotior arduum valde ascensum habebat, vt machinæ nec bubus nec equis nisi ægerrimè subuehi possent: tamen rudentibus, Germanis & Heluetijs adhibitis, lacertorum robore duas cannas sursum tollit. Hostibus vt se dedant imperat, recusantibus machinis magna celeritate, muros labefactat. Quibus statim deiectis, quòd vallum nullum ponè obiectum erat, obsessi (erant autem Hispani numero fere ducenti) quum nec aggerem nec fimum ad obstruendam ruinam haberent, quippe arce in viuo saxo posita, se colloqui velle ostendunt, sed serò: propterea quod Galli interim, perterritos illos conspicati, ab opposita ruinæ parte aduersa rupe subeunt, & admotis scalis ingressi omnes obuios trucidant, præter centurionem & signiferum. Hos viuos captos Mommorencius fracta gula suspẽdi iubet: quæ res documento cæteris esset, ne primo impetu ruentes Gallos loco minus firmo expectare in animum inducerent.

Vastius adornientis Delphino cedit.

CAPTA arce & præsidio impositio, prid. cal. Nouem. Riuolam iter facimus. Ibi biduum commoramur, castris eodem loco positis quo loco Cæsariani superiorib. diebus consederant. Vastius Delphini celeritate per nuntios intellecta Moncalleriũ se receperat (vt à nobis iam dictum est) tanta quidem trepidatione vt cibaria vastare festinanti nõ vacasset: quin ipsos quoque ægrotos nostræ potestati permissos reliquerant. Riuolæ totus coit exercitus, exceptis quinque fere Heluetiorum millibus, qui nondum aduenerant. Illic res ad concilium defertur quonam itinere progredi præstaret, hostémne insequi, an rectà Vulpianum, Cheuassium & Vercellas contendere, illic enim nonnihil posse perfici quod in rem nostram esset, quippe oppidis infirmo præsidio munitis, quibus à Vastio auxilium ferri alibi occupato, maturè non posset. Ad extremum omnes idem sentiunt & probant, vt Grollianum exercitus ducatur, oportunum locum esse ad vtrumuis iter suscipiendum: abesse exiguum hoc oppidum Taurinis tria passuum millia, totidem Moncalerio, quò suas hostis copias deduxerat: commodissimè illinc Taurinos supportari posse frumentum, quod ex vicinis vndique locis colligeretur, in quibus magna copia suppetebat. Denique aptissimum esse locum vbi panes alendo exercitui coquerentur, quodcunque tandem iter insistere placeret. Grolliani quum essemus, renuntiant ferentarij hostem cis Padum flumen castra, è regione Moncallerij fecisse,

sic

sic tamen vt pontem ad tergum haberet, quò se quum videretur, reciperet. Quo nuntio accepto rectà illuc exercitum conuertere placet, vt vel ad pugnam hostis compelleretur, vel turpiter transmisso flumine discederet. Quamobrem explicatur acies, Martinus Bellaius Riuola accersitur, vbi cum suis ferentariis & duabus Gallorum peditum cohortibus subsistere iussus fuerat, vt Heluetios cateruatim aduenientes exciperet, simulque coactos secum adduceret. Itaque cum equitibus & Heluetiis in Moncalerij planitiem venire iubetur, peditibus Gallis ad transitus custodiam relictis.

DVM ille iter facit, Delphinus & Mommorencius iam in planitiem procesſerant, aciemque instructam ea forma constituerant qua decertare decreuerant. Inter Padum & duas acies equestri prælio dimicari cœptum erat, vbi multi ex illis occidunt vel capiuntur, ex nostris pauci. Inter cæteros ex nostro exercitu Alsunius ducentorum equitum præfectus lancea vulneratur. Interim nostrorum acies magna alacritate procedit. hostis perterritus, quum se nostrorum impetui sustinendo imparem cerneret, pontem exercitum traducit, suos continenter velitari iubet, aliquot etiam cum sclopis & longis pilis relinquit, ad quos se illi subinde reciperēt: idque eo animo vt tutum suis receptum pararet. Quo hominis consilio Delphinus & Mommorencius cognito, nonnullos tum equites tum pedites submittunt, qui partem exercitus hostium, quæ pontem nondum transierat, adorirentur. Sed obstitit illis fossa quam duxerant, quæ aqua abundabat, & propugnaculis erat ab vtroque latere munita, vt conferti in eos impetum facere minimè possent. Traducto toto exercitu qui pone subsiterant, idem faciunt, pontem ponè effringunt, ne à nostris vrgerentur. Neque tamen tanta celeritate rem conficere potuerunt, quin ex nouissimo agmine multi tum caperentur tum interficerentur. In Regio exercitu equites cataphracti erant centum ex turma Delphini, duce Humerio legato. Mommorencij totidem, Guichio legato: marescallus Albinius centum cataphractos Scotos ducebat: Mōtijanus Gallos totidem, Bellomontius Brisaius, Bono uallanus, dux Mompenserius, baro Curtonius, dux Niuernensis, Fayettus & Fertæus Ceparius quinquagenos, Ioannes Paulus sexaginta: ac complures aliæ turmæ, quas si commemorare aggrediar, prolixus sim. Vindocinus ipse etiam aderat vt Delphinum comitaretur: cuius tamen equites in Picardia resistiterant.

DELPHINVS & Mommorencius Vastium copias traduxisse conspicati Carinianum contendere statuunt, vbi vel pontem fractum reficerent, vel vado infra pontem flumen transirent. Itaque non parua hominum manu ad Moncalerij pontem relicta, qui hostem transitu prohiberent, post solis occasum Casam & Carpenaium, postridie Carinianum proficiscuntur, quo loco pontem reficiunt. Ea nocte quidam Moncalerianicives, qui Gallis studebant, flumen transeunt, Langæum alióque quos secum habebat conueniunt, docent Vastium vesperi oppido egressum cum toto exercitu Quersium se contulisse, frumenti saccis fere ad triginta millia relictis, quos ex finitimis locis collegerat: quòd illic consistere nostrúmque aduentum expectare decreuisset. Langæus re intellecta, scalis, foribus, gerris, cratibus cæteriſque rebus efficit vt strato transitu vno comite assumpto Moncalerium perueniret. Ciues obuiam illi procedunt, summo studio & celeritate pontem instaurant, vt antequam diluxisset, milites à Delphino pontis custodiæ relicti oppidum absque vlla iniuria aut maleficio ingrederentur. Langæus rem totam Delphino & Mommorencio per nuntium significat. Illi nuntio accepto Cariniani cōpias flumen traducunt, Villam Steloniam proficiscuntur. Properandi causa erat, quòd Vastium adhuc Quersij se reperturos sperabant: qui tamen statim quā venerat, Astam, quator hominum millibus Quersij præsidio relictis, & Antonio Arragonio sororio præsse iusso, discesserat. Quare nostri passim liberè nullo obsistente vagantur: Pyrinum capiunt, Ripam Quersiam, Villanouam Astanam, Montafium, Antinianum, cæteráque castella ad portas vsque Astæ, Quersij, Albæ & Fossani, quæ omnia impositis præsidiis firmant, quòd illuc totum regionis frumentum comportatum erat. Id maximo fuit adiumento ad castra & oppida commeatu iuuanda. Mommorencius Poyetum curię Parisiensis præsidem alióque annonarios Moncalerium mittit, qui frumentum omne illinc tum nauibus tum plaustris Taurinos conuehendum curarent. Ita effectum est, vt paucis diebus in annuum tempus reconditi frumenti & vini copiam haberent. Interim ad Quersium crebra committebantur prælia, castra nostri habebant ad

Galli Moncalerium contendunt.

1537. Villam Steloniã: propterea quòd Rex Mommorencio vetuerat ne Pado transmissо vlte rius procederet, priusquam ipse aduenisset.

Rex exercitũ in Insubriam subsequitur.

REX Brigantij quum esset, exercitum suum monte superato subsequi statuit. Et quoniam perpaucos habebat comites, quòd Delphinus totam secum aulæ frequẽtiam abduxerat, Martinum Bellaium, quem sciebat à Moncalleriana planitie Riuolam reuertisse, vt transitum tutum seruaret, ad se cum equitibus Bossolinum accersit, qui ad montis radicem presto sibi & præsidio itineris esset: simul quosdam ex equitibus mitti fluminis Doariæ ripas lustratum iubet, ne hostes qui Vulpianum tenebant, improuiso negotium facerent. Bellaius mandatum Regis curat diligenter, eumque Bossolini cum cardinali Lotaringo, comite Sampaulio & primariis aliquot viris circiter VIII Nouembris diem offendit. Rex Bossolino profectus ad Santantonium in montis latere sitũ non procul Santambrosio prandet: deinde Villana iter faciens lauanum vesperi venit, quo loco Fertæus Ceparius ei cum suis præsto est, huius rei causa à Mommorencio missus. Iauano postridie Carinianum contendit, in itinere Mompenserij equites & Scotos obuios habet, à quibus deducitur. Carinianum postquam venit, Delphinus & Mõmorencius illum adeunt, vt de summa rei simul deliberarent. Dum simul consilium capiunt, nuntiatur Vulpianense vallem Suzanam excursionibus infestare, multáque damna nostris inferre qui castra sequebantur: id adeo propterea quòd Riuolę & Villanæ nullus equitatus esset. Quo nuntio Rex intellecto Martinum Bellaium rursus illuc propere mittit. Riuolam vbi venit, ex clamore atque cõcursu audit Vulpianenses egressos quinque aut sex mulos pecunia onustos, quæ ad militum stipendium ducebatur, ad Santantonium intercepisse, cósque abigere. Quamobrem transmisso flumine Doaria, eorum iter anteuertit, tamque accommodatè progreditur, vt tribus Vulpiano passuum millibus Cæsarianos assequutus in fugam ageret, qui mulis relictis solos quæstores captiuos abducunt, vt ne ad fasces quidem scindẽdos otij illis satis fuerit. Bellaius illos abire sinit, tantùm de seruanda Regia pecunia laborat: quam tutò nulla iactura facta in Riuolanũ castrum deducit: illic enim reliquæ pecuniæ asseruabantur. Rex cõmunicato cũ Mommorencio consilio, adhibitis etiam reliquis bellis ducibus, statuit vt Delphinus & Mommorencius postridie Villam Steloniam exercitum reducerent, ac Quersium explorarent: omnino enim Rex illud oppidum oppugnare decreuerat. Dum Mommorencius missu Regis oppidum explorat, fortiter vndique tum equestri tum pedestri velitatione dimicatum est.

Inducias inter Cæsarem & Regem cõditiones.

EX inducias formula quas in Picardia constitutas esse demonstrauimus, concessum est Mariæ Vngariæ reginæ, vt aliquot ex suis tutò per Galliam in Hispaniam mitteret. Idem etiam Regi facere licet, vt vel pacẽ vel inducias per vniuersas vtriusq; principis ditiones componerent. Delecti vtrinque ad rem administrandam ea diligentia vtũtur, vt bello tam in vlteriore quàm citeriore Gallia iisdem conditionibus abstineretur. Quibus cauetur, vt quæ quisq; occupata teneret, quum inducię publico præconio denuntiarentur, iis potiretur. Quo accepto nuntio nostri qui Taurinos, Vorlingum, Sauilianum & cætera oppida vicina tenebant, suos limites quàm latissime fieri potuit propagare cœperunt, omnibus castellis & exiguis oppidis milites præsidio regia autoritate cõstituunt: idem fit ab iis qui Mondeuisij erant. Induciarum forma inter Vastium Cæsaris in Italia legatum & Mommorencium proregem, quam vtrique sequerẽtur, in hæc verba concepta est: Vti quæ oppida ab alterutro exercitu eis alpes tenentur, in iis oppidis præsidia collocẽtur: in regia quidem ditione & potestate, Mommorencij arbitratu, in Cæsaris dominatu, ex Vastij iudicio atque voluntate: vtique reliquus exercitus vtrinque dimittatur: vtique Mommorencius ipso insequenti die, qui XXIX eius mensis erat, Regias copias dimittat. Vtique quandiu constabunt inducię, in oppida & castra cõmeatus & omnia quę ad bellum gerendum pertinent comportari, opus ad communiẽda loca fieri, qua ratione ipsis oppidorum & castrorum præfectis libebit, nemine obsistente aut interturbante liceat. Vtique siqua cõtrouersia inciderit, ea cõtrouersia Vastij & Mommorencij, aut eorum quos ipsi decedẽtes legãtos relinquent, iudicio dirimatur. Carmaniolæ die Nouembris XXVIII, anno 1537.

Eo die Carmaniolæ vbi Rex erat, inducię publicantur, necnon Astæ apud Vastiũ, quæ ad secundum & vicesimum Februarij insequentis diem constarent. Triduo post

Vastius


image
not
available

latores pax componeretur, Turriano honor sartus tectus seruaretur, quem Rex confirmat conspectum non procul à se fuisse, quum strenuè præliaretur. Porro dum Rex ante iudicium suis in consilium adhibitis de causa cognosceret, Venerio sanguis è vulnere profluens, quod in pedis collo non sistebatur, febri quartana, qua iampridem laborabat, in continentem conuersa paulo pòst moritur.

Papa paci cum ciliandæ dat operam, & inducias decennales constituit

MENSE Maio insequenti papa Paulus tertius quum totum orbem Christianum his bellis miserum in modum affligi cerneret, de pace inter Cæsarem & Regem constituenda laborare cœpit. Itaque eos Nicæam conuenire iubet, se illuc quoq; licet septuaginta quinque annos natum vēturum, vt pacis per vniuersam Christianam plebem stabiliendæ autor esset. Conditionem vterque accipit, dies ineunte mense Iunio anno 1537 constituitur. Eò quum tres conuenissent, papa maxima diligentia, studio & opera omnem controuersiam dirimere conatur. Tādem quum nulla ratio pacis ineundæ posset inueniri, inducias decennales proponere cœpit, sperans fore vt tanto spatio inimicitiæ, quæ animis penitus insedisse videbantur, euelli possent. Ita inducias in decem annos paciscuntur, quibus mercium & omnium rerum libera communicatio vltro citroque permitteretur, atque ab omni iniuria hostili & damno vtrinque temperaretur. Hæc ambo se seruaturos iureiurando papa sequestre confirmant: inde domum quisque reuertitur, papa Romam, Cæsar Barcinonem. Quò postquā peruenisset, à Cæsare nuntium accipit, cupere se amplius cum eo colloqui, si ad Fossas Marianas proficisci non recusaret, se libenter eò venturum. Paret Rex, & Cæsar cum eo in continente prandium sumit cum maxima benetolentiæ & amicitiæ significatione. postea Rex Cæsaris triremem ingreditur, ibi de rebus maximis inter se colloquuntur.

Cæsaris cū Rege colloquium

Quos inter se sermones habuerint nescio, vnum illud scio, nihil re ipsa perspectum fuisse quod colloquium illud in commune bonum attulit. Inducias publicatis, reliquo illo anno, & toto insequenti, aliud nihil agitur quàm vt vtriusque possessionum limites circunscriberentur.

ANNO 1538 Rex Compendij ex vomica quæ ad imam aluum defederat, grauiter & non absque magno vitæ periculo ægrotauit. Eodem tempore per nuntium fit certior, mareschallum Montijanum apud Pedemontanos proregem grauissimo morbo nulla salutis spe afflictum decumbere. Itaque mareschallum Annobaldum qui ei succederet mittit, & Langæum Annobaldi legatum, Martinum itē Bellaium Taurinis præesse iubet, qua ille prouincia paulo antè Regi cessérat. Annobaldus in itinere Montijani morte audita, maiori celeritate progredi pergit, ne proregis morte rerum status aliquid detrimenti acciperet. Hoc præterea inducīarum tempore Rex Pedemontana oppida opere munienda curat. Taurinis quatuor propugnacula, quæ in quatuor oppidi angulis sunt, lapide quadrato obduci, & fossas quales nunc visuntur, fieri iubet. Pinierolæ castrum de integro in veteris loco extruit, quæ quatuor castellis & totidem muri brachiis constaret, veteri castro medio loco relicto, quod pro rocca esset: idem Moncalerij facit, ne ex monte nudatum, vt antea, conspiceretur: tria propugnacula Sauliani ædificat. Riuensis duumvir Regis beneficio Centalium oppidum, in quo dominatum obtinebat, communiit: comes præterea Beinensis Beinam oppidum simili industria cinxit. Hæc oppida tanta arte communita sunt, vt postea quum Cæsarianus exercitus crebrò illæ prætericrit, nunquam tamen aggredi aut oppugnare sit ausus.

ANNO 1539 Gandauenses quòd noua quædam & inusitata tributa, quæ iussu Cæsaris exigebantur, grauiter ferebant, ipsum porro abesse in Hispania scirent, nec facile in Belgium ad componendum tumultum reuerti posse, iniuriam acceptam vlcisci statuunt, atque adeo nonnullos Cæsarianos magistratus necant. Porro vt vires aliunde sibi ad conata perficienda compararent, missis clàm nuntiis Regi ostendunt se eius fidei ac potestati permittere velle, quem suptemam in se dominationem obtinere agnoscebant, maximas quasque Flandriæ ciuitates eiusdem cōiurationis participes fore pollicentur. Rex ne quam Cæsari fratri fidem dederat, violaret, præsertim inducīis ante biennium sanctè interposita iurisiurandi religione conciliatis, & cōditionem repudiat, & Cæsarem certiorem facit. Is tum ex eo nuntio tum aliis quibus à suis monebatur, intelligit Belgium (in quo præcipuum robur situm habet) non obscurè ad defectionem spectare: qua ex causa non exiguis difficultatibus afficiebatur, quum medēdi rationem faci-

facilem nullam iniri posse videret. Si Germania iter facere institueret, sibi à Protestantibus metuebat, ne transitu eum prohiberent: si nauim conscenderet, periculum esse perspiciebat, ne vento in Angliam potius quàm in Flandriam contra voluntatem delatus in Angli manus incideret, cuius non optimum in se animum esse suspicabatur, ob veterem illam simultatem, ex eo natam quòd ille cum Catharina ipsius amita diuortium fecisset. His difficultatibus circunsessus tandem se Regis fidei & integritati committere decreuit. Itaque nuntiis ad eum Compendij adhuc ægrotantē missis cùm alia multa polliceretur, si media Gallia sibi trāsire liceat, tum ducatum illum Mediolanensem vel ipsi Regi vel alteri ex liberis se traditurum confirmat.

Rex Cæsari iter per Galliam iter concedit.

REX quum alios ex suis moribus atque ingenio æstimaret, neque Cæsarem tantum illum principem sibi verba dare vnquam velle suspicaretur, post crebros nuntios vltro citroque missos non modò tutū iter qua ille conditione petebat, concedit, verùm etiam ipse quamuis è morbo nondum confirmatus, vt obuiam venienti procederet, itineri se committit. Henricum Delphinum Viennensem maiorem natu & Carolum Aurelium ducem minorem Bayonnam vsque præmittit, qui eum in prima Gallia exceptū eò deducerent, vbi simul congredi possent. Quæ porrò Regi se facturum pollicitus fuerat, rogat ne manu & signo ea confirmare compelleretur, ne multis postea videretur coactus, vt transitum liberum obtineret, id fecisse: fidem sibi à Rege nulla re interposita quàm verbo haberi petit, se tandem, simulatque in primum ditionis suæ oppidum pedem intulisset, iis conditionibus cauturum esse, vt Rex nihil quod præterea requireret, habiturus videretur.

PORRO Cæsar ingenio vir callido & vafro, vbi Galliam sibi ad iter faciendum patere intellexit, vt Regem sociorum & amicorum auxilio nudaret, huiusmodi technam comminiscitur. Veneti fœdus cum Cæsare aduersus Turcam inierant: quod quum sibi detrimento sum esse animaduerterent, quippe suas opes in dies imminui, & Reip. salutem in eo sitam esse, vt pacato Turca vterentur, pacem cum eo aut certè diuturnas inducias facere, atque adeo fœdus illud cum Cæsare initum relinquere cogitabant. Id Cæsar metuens, & sibi maximo incommodo fore prospiciens, Regi persuadet, vt Annobal dum mareschallum & apud Pedemontanos proregem vnà cum Vastio Venetias profisciscii iuberet, qui legatione honorifica missi, senatui populóq; Veneto ostenderent quanta esset inter suos principes amicitia & voluntatum coniunctio, proinde bono esse animo. Galliæ Regem eodem cum illis fœdere copulatum iri, omnes eodem consensu & animo copiis terra & mari coactis expeditionem suscepturos, vt ex Europa Ottomanorum gentem exigerent. His rebus effecturum se sperat, vt & Veneti à fœdere Turcico cogitationem abducerent, & Turcæ Regi inimicior redderetur, necnon Anglo ipsi suspicione quadam animus commoueretur (nec vana fuit hominis spes: quippe Anglus ad illius se amicitiam iam tum cœpit adiungere, & à Rege alienari) omnes denique socii & fœderati hac nouitate percellerentur, quum vtriusque principis summos ministros in Italia coniunctissimos simul versari perspicerent. Rex ergo, quemadmodum postulauerat Cæsar, Annobal dum eò iubet proficisci: qui nauicula ad pontem Padi Taurinensem cōscensa se cūdo flumine Cazalum maiorem nauigat. Ibi Vastius præsto illi quum esset, eandem nauiculam ingressi Venetias ad obeundam legationem deuehuntur.

Cæsar Galliā pacatā tradicit

DVM hæc quo modo narrata à nobis sunt geruntur, mense Decembri anno 1540 Cæsar Bayonnam venit, vbi à Delphino & duce Aurelio splendidissimo apparatu excipitur, oppidum Regio more ingreditur, fontibus impunitatem concedit, eósque noxæ exemptos è carcere liberat, non secus atque in proprio regno ac ditione faceret. Illinc Delphino & Aurelio comitatus cæteras vrbes pari splendore & dignitate ingreditur. Ianuario mense Castelloraldum venit, vbi Rex eum summo splendore more suo accipit, à quo nihil mediocre aut ieiunum fieri poterat: inde Ambasiam venit. Iam verò in arce Ambasiana duæ sunt maximæ turres à Rege Carolo octauo ædificatæ, quibus in ipsam arcem ascensus est. Tanta sunt latitudine atque eo artificio extructæ, vt cartucis, arceris & mulis in summam arcem in montis iugo sitam conscendere liceat. Porro Rex, vt Cæsaris ingressus splendidior esset, noctu altera ex iis turribus illum fieri iubet. Ea omni cultu & ornatu Regalique luxu instruitur, tot funalibus aliisque luminibus collustratur, vt non maior esset in apertissima planitie lux meridiana. Dum Cæsar media turri

1540. incederet, nescio quis malè cautus qui facem præferebat, ignem iniecit: quo tota turris subitò conflagrare cœpit. Huius incendij tantus fumus ex aulæis flamma correptis extitit, qui meatu nullo exhalare poterat, vt magnus omnes timor incesserit ne Cæsar suffocaretur, quippe omnibus fuga saluti prospicientibus. Comprehenduntur nonnulli, in quos huius facti suspicio cadebat. Eos Rex, licet de industria minimè fecisse putarentur, suspendi iubet: Cæsar tamen veniam illis dari voluit.

Ambasia Blæsas, Aureliam Fontem Bellandi denique venit. Is Locus à Rege ad venationis voluptatem commodissimè extructus fuerat. Iraq; quicquid excogitari aut comparari ad oblectationem poterat, prolixè illic exhibetur, venationis, hoplomachiæ velitationum & certaminum tum equitum tum peditum spectaculis, denique nullum hilaritatis genus prætermittitur. Inde Delphino continenter atque Aurelio comitatus Lutetiam venit: ex Vrbe prodeunt omnium ordinum ciues, qui eum non alia ceremonia aut ritu excipiunt quàm Regem ipsum solent. Vinctos omnes tum ex Palatina custodia tum ex aliis locis donat libertate. Inde Cantillium, quæ conuestabilij ædes est, proficiscitur, à quo honorificentissimè suscipitur. Ad extremum Picardorum fines ingressus turò Valencenas peruenit, quod primum est Belgicæ ipsius ditionis oppidum: ad quem vsque locum Delphinus & Aurelius eum prosequuntur.

Eo quum peruenisset, Regij oratores ab eo confirmatum iri credebant, quod ex Hispania discedens pollicebatur. At princeps ingenuus, qui promissis stare nũquam in animo habuerat, rem in illud tempus reiicit, dum eam ad concilium Belgicum retulisset: cæterùm simulatque supplicium de iis qui rebellionem fecerant sumpsisset, se Regi satisfacturum recipit. Hoc equidem à vero non puto alienum, promissa fortasse eum præstiturum fuisse, si Belgicæ coniurationis tantam vim reperisset, vt coercere nõ posset, idque adeo vt Regiis opibus atque auxiliis ad eos subigendos vteretur. Sed vbi Belgium ingressus est, Gandauenses quũ se à Rege desertos Cæsare media Gallia transmisso viderent, ac ipsum Cæsarẽ cũ ingenti exercitu progredi eiúsq; vim à se sustineri prorsus desperarãt, resistendi consilio abiecto missis nuntiis supplices veniampetunt. Cæsar postulata concedit, iis tamen conditionibus quas ferre libet. In oppidum cum vniuersis copiis venit, portas & plateam collocatis præsidiis occupat, septem aut octo qui ciues ad rebellionem concitarant, necat, reliquo populo ignoscit, ea tamen cõditione, vt publicis sumptibus arcem ædificarent, qua in posterum coercerentur, militibus etiam qui ad eam custodiendam collocarentur, pecuniam penderent, priuilegia insuper omnia & libertates illis adimit. Ad eam arcem ædificandam Ioannem Iacobum Medicem Catiriani marchionem constituit.

Cæsar de Gãdauensibus supplicium sumit

Omnibvs quæ cogitauerat perfectis, à Georgio Selva episcopo Vaurensi Regis oratore monetur vt quæ sibi ex Hispania discedens pollicitus, Gallia iter faciens sæpius repetierat, præstaret. Ibi tum Cæsar se omni metu liberatum videns, dissimulationis laruam detrahit, seque planè quicquam pollicitum esse negat. Quo responso Rex offensus iniquiorem in conuestablium voluntatem præ se ferre cœpit, quem dicebat maioris in Cæsare ingenuitatis quasi sponsorem fuisse. Conuestablium non inficior Regi id persuasisse, quòd nimirum de tanti principis fide & integritate sibi minimè dubitandũ esse arbitraretur, quem Regis apud se oratori seriò pollicitum esse certò sciebat. Eodem anno de ducis Cliuiẽsis, Gueldrienſis & Iuliacenſis nuptiis agitur, cui Henrici regis Nauarræ & Margaritæ Regis sororis filia nuberet. Res tandem componitur, statuitúrque, vt Cliuiensis dux in Galliam ad Regem veniret. Castelloraldum venit, & à Rege amicissimè excipitur. Nuptiæ celebrantur verbotenus & consensu, non reuera, quòd sponsa nondum per ætatem viro matura esset. Statuitur, vt simulatque ætatẽ attigisset, Aquisgranum (quæ ciuitas duci Cliuiensi paret) duceretur, quò nuptiæ illic consummarẽtur. In his nuptiis certamina ludicra magnifico splendore in septo Castelloraldensi instaurantur, vbi aliquot equites errones qui vocantur, decertarunt, qui omnem illum ritum exactè seruabant, qui de equitibus illis mensæ rotundæ celeberrimo vocabulo narrari literarum monumentis solent. Quibus ludis, epulis & spectaculis editis, Cliuiẽsis domũ redit. Rex Lutetiam reuersus mareschallum Annobaldum apud Pedemontanos proregem ad se accersit, cuius cõsilio in rerum administratione vti voluit, cuius locum Gulielmum Bellaium cognomento Langæum tenere iussit.

Rex conuestablio Cæsaris cauꝫ subtrahit.

De-

DEMONSTRATVM est antea Regem alpes superasse anno 1537 angustiis Susanis occupatis, vt suis laborantibus opem ferret: Cæsarianos etiam quò nostros transire prohiberent, agros vastasse, inducias præterea intercessisse, quas viri à Rege & Vngariæ regina delecti composuerant. His constitutis rebus quum Cæsar & Rex domum rediissent, Rex tamen ob inducias breuitatem milites Gallos, qui magna ex parte in Galliam se receperant, noluerat prius dimittere, quàm cardinalis Lotaringus & Mommorencius Locata redissent, vbi inducias ad sex menses prorogarant. Interim Montijanus Pedemontanæ regionis prorex, quia stipendium nullum mittebatur, cogitur militibus permittere, vt arbitrio suo vel potius pro libidine viuerent, qui breui quicquid superfuerat, consumpserunt. Quare plebs ipsa fame vexata eo anno sementem non fecerat. Vnde tanta anno 1538 consequuta est egestas, vt frumenti saccus decem aut etiam duodecim coronatis apud Taurinos væniret, qui antea vno duntaxat constare consueuerat. Siquid frumenti in foro prostabat, custodes apponi necesse erat, ne cædes per tumultum in plebe fieret. Quam ob causam agri inculti atque inutiles relicti sunt. Quibus causis commotus Langæus periculum esse existimat ne nostri ex his regionibus bello partis excedere cogerentur. Etenim si hostis legiones violatis induciis educeret, necesse erat vel oppidis ob egestatem cedere, vel cibaria è Gallia supportari, quæ & oppidis subministrarentur, & plebi tum ad victum tum ad sementem faciendam sufficerent: id quod prorsus fieri non poterat. Nam quum Rex proxima expeditione omnia omnis generis iumenta ex quatuor prouinciis conduxisset, tamen nec ad exercitū ipsum alendū satis cibariorum hac quidē ratione suppetebat. His rebus adductus ab Auria muneribus aut alia ratione obtinet, vt frumentum nauibus Sauonam, inde plaustris in Pedemontanum agrum conuehi pateretur, ea conditione, vt nonnulla pars pretio numerato illi vēderetur. Sequano agro vberrimus erat frumenti prouētus: inde secundo Arari & Rhodano magnam copiam deuehendam curat, vt postea mari nauibus imponeretur. Quā ad rem tanta diligentia vtitur, vt breui Sauonæ exoneraretur. Deinde montem Dolianum opere humano & labore patefecit, quā plaustra ducerētur, vt tridui itinere Queraſſium, inde Raconiſſum peruenirent. Quo ex loco per totam Regis ditionem distrahi iubet, vt saccus trinis coronatis venderetur, qui antea denis constabat. Ex singulis vicis descriptū numerum afferri iubet, quantum frumenti, & ad serendos agros & ad populū alēdum, dum messis fieret, distribui oportereret: pretij dimidiam partem repræsentari, reliquam messe facta numerari, quā summam vno aut altero ciue satisfarent. Hac ratione omnibus agris semente facta regionis salus cōstitit, quippe bellum paulo pòst denuo conflatum est, vt mox narrabimus: alioqui certa pernicies toti populo impendebat. Hęc porro omnia Langæus suis sumptibus administrauit, vt ego ipsius frater post eius obitum vni creditori centum millia francorum reliquationis nomine dissoluerim. Verùm ille parui sua referre arbitrabatur quanti essent sumptus faciendi, modò principis rem suo studio & opera promoueret.

Grauis apud Pedemontanos fames.

Gulielmi Langei pietas & liberalitas.

LIBRI OCTAVI FINIS.

F

MARTINI BELLAII LANGAEI COMMENTARIORVM LIBER NONVS.

QVEMADMODVM Cæsari per mediam Galliam iter facere Rex non modò cõcesserit, sed & eum quàm fieri potest maxima amoris significatione & sanctissimi hospitij summis officiis prosequutus fuerit: quũ illi ad Gandauenses qui rebellauerant, domandos festinandum esset, neque vel naiuigationem sibi tutam videret, quòd Anglus inimico in eũ erat animo, vel iter Germania suscipere auderet, quòd & longum erat, & sibi à Protestantibus cauendum esse iudicabat: deniq; nec Gandauenses dedititios, qui se in eius fidem suprem dominij iure conferre statuebant, idémque potissimas quasque Flandriæ ciuitates facturas confirmabant, accipere decreuerit, sed fidẽ seruare Cæsari maluerit, vt paria ab eo expectaret: superiore à nobis commentario demonstratum est. Quæ quum ita haberent, statuebant fore omnes boni, Cæsarem quæ promiserat non denegaturum, imò amplius quàm pollicereturus, postquam in Belgium peruenisset, præsturum. Sed non deerant complures qui quidem Cæsarem eo esse ingenio nouerant, vt siue fallendo siue alia quauis ratione conaretur quę sem: el instituerat perficere & ambitioni suæ seruire: id quod euentus ipse satis postea comprobauit. Quin & illud docuimus, quemadmodum ille quò omnibus principibus & dynastis, necnon ipsi Turcæ suspicionem quandam iniiceret, simul quò vniuersos falleret, Regi persuaserat, vt Annobaldum, quem apud Subalpinos proregẽ habebat, ad Venetos vnà cum Vastio, & Giæum ad papam eiusdem rei gratia mitteret. Rex qui bona semper fide cum eo agere instituerat, ne id quidem recusare voluit, vt testatum omnibus faceret quàm cuperet verã & firmam pacem inter Christianos statui. Postquam verò se vana spe lactari & Cæsarem dissimulatione tantùm secum agere intellexit, socios certiores facere, vt omnia gesta fuissent, instituit, simul vt suspicionem ex eorum animis euelleret, inde natam quòd Cæsar suorum opera clam illis significãdum curarat, Regem secum ita egisse, vt sibi eam rationem damnosam fore arbitrarentur: id adeo vt illi apud omnes Christianos principes inuidiam conflaret.

Cæsar Fregozam & Antonium Rinco legatis à Rege dimittitur.

HIS causis adductus Cæsarem Fregozam equitem torquatum ad Venetos, Antonium Rinconem ex Regia cohorte ad Turcam legatum mittit, vt quo loco res inter se & Cæsarem essent significarent. Et quoniam Rinconi iter Venetiis faciendũ erat, simul eos illuc ire iussit. Rinco Lugdunum quum venisset, ob priuata quædã negotia aliquandiu illic commoratur: interim Fregoza prior Susam venit, vt equestrem turmã, cui præerat, lustraret, cui proximè Rex eum præfecerat. Dũ illic cõmoratur, Lãgæus apud Subalpinos prorex, quũ Taurinis tum tẽporis esset, rumusculo quodã audit à Vastio colloca tas esse insidias, licet inducias constarent, vt Fregozam & Rinconẽ itinere faciendo opprimeret. Quamobrem eos per nuntium monet ne prius Riuolam transgrederentur quàm ad eos venisset: nuntios quaquauersus dimittit, vt de Vastij rebus certior fieret.

CAL.

CAL. Iul. qui dies Iouis erat 1 5 4 1 Riuolam veniunt: quò etiam circiter mediâ noctem Langeus venit, reuertuntur quoque omnes ex variis locis quos ille dimiserat. Hi vno omnes ore nuntiant tum omnia itinera certis hominibus à Vastio constitutis obsessa teneri, tum ipsa etiam Padi loca, propterea quòd Rinconem audierat propter obesi corporis grauitatem nauigando, quàm equitando iter facere malle: quæ omnia illis Langæus exponit. Quumque sibi in animo esse illi significarent flumine nauigare, rogarentque vt naues sibi in Padi ponte ad Taurinos præsto esse iuberet, quibus iter peragerent, Langæus, qui Vastij ingenium perspectum habebat, quum satis animo cerneret quantum in ea re esset periculi, à sententia eos deducere conatur, perfecturum se re cipit, vt tuto itinere terrestri proficiscerentur. Apud se esse centurionem quẽdam Mediolanensem Herculem Visontium, quo duce prima noctis vigilia profecti, sub dilucu lum Cisternam venirent, quod castrum in Astiana Regi paret: vbi se posterum totum diem clausis portis continerent, nocte insequenti in aliud castrum contenderent, quod à Viscontij fratre possideretur, vbi idem facerent: tertia demum nocte in agrum Placentinum accederent, vbi tutò illis esse liceret, quippe papalis ditionis. Ad illud iter Rinconi equum Hispanum tolutarium offert, quo commodissimè veheretur.

FREGOZA, q. tantum scelus Vastij animum subire posse ne suspicabatur quidem, vt Regis Christianissimi legatos trucidare cogitaret, præsertim inducijs factis, pergit in sententia, vt flumine nauigaret: Langæo instat, vt quemadmodum à Rege imperabatur, naues parandas curaret. Rinconi Langæus non aliena quidem dicere videbatur, sed Fregozæ sententiæ nõ audebat repugnare: ne siquid ea mutata infœliciter accideret, probro illi postea verteretur, quũ Fregozæ ducendus traditus fuisset. Itaq; de nauigando etiam Fregozæ assentitur: quæ sanè itineris ratio commodior, quanuis minus tuta, erat.

DIE Iul. secundo quum duabus nauibus ad turrim vsq; Suneniam non procul Vorlingo progressi essent, Langæus id metuens quod postea contigit, quoniã rumores subinde percrebescebant, eis nuntio rursus misso persuadere conatur vt de sententia decederent: aut si minus id vellent, rogat vt literas fiduciarias, tabulas & cõmentarios mittãt, ne, si interimerentur vel spoliarentur, ista hostes interciperent: se operam daturum vt Venetijs tutò acciperent. Sententiã de itineris genere non mutant, literas comiti Petro Gentili nepoti comitis Camilli Suessani, qui Fregozæ legatus erat, perferendas tradũt. Eodem die nauem ipsi vnam cum Camillo consecendunt, pars comitum & miles quidã Ludouici Biraguij nomine Bonifacius Sannazarius altera vehuntur, quæ quaternis remigibus pellebantur. Remigãt totum diurnum & nocturnũ tempus, duo ferè à Cazalo Monferratensi passuum millia. Postridie circa meridiem quum ad plagam Cantilupam quæ appellatur venissent, tribus passuũ supra Ticini ostium millibus, obuios habent homines armatos in duabus nauibus. Hi repentè nauẽ Fregozæ & Rinconis aggrediũtur, & quia vi iniuriam propulsare parabant, nauem ingressi ambos interficiũt. Ea res statim ad Langæũ perfertur, ac paulo pòst per nuntiũ certior fit comitem Camillũ, cui in ea cæde pepercerant, in castrũ Papiense, deinde nocte proxima in Mediolanensem intimã arcem ductũ esse: remiges omnes & vectores qui tum Gallos tum Hispanos vexerant, in ipsum castri Papiensis ergastulũ demissos esse, neq; ab illis testimoniũ haberi posse: milites qui hoc flagitiũ fecerant, ex Papiensi præsidio venisse, triduo ex nauibus non esse egressos, sed in illis armatos sclopis, pilis & parmis delituisse, cibos ex taberna diuersoria proxima ad eos asserri consueuisse, equos loco inferiori paratos teneri qui Stellę portus vocabatur. Altera nauis qua Bonifacius Sannazarius & legatorũ comites vehebãtur, ad portũ deducta est. Hi in syluas fuga contenderunt, qua ad vesperũ vsq; abditi in loca tuta se receperunt. His omnibus nuntiis Langæus nõ valde dubiis aut obscuris acceptis, Termium, qui ducentis ferentariis equitibus ex Regio exercitu præerat, atque ad ducis Aurelij comitatum pertinebat, Mediolanum ad Vastium mittit, qui eum de cæde certiorẽ faceret, sibi non verisimile videri tam indignum facinus contra omne ius naturale, diuinum & humanum, ipso sciente, iubente vel volente patratũ esse. Rogat tam atroci supplicio tantum scelus vindicet, vt omnibus cõstaret id illum pati nolle, nedum vt probare videretur. Dum Termius eò proficiscitur, comes Franciscus Landrianus cum Vastij literis Taurinos venit. Scribebat Vastius Cæsaris Fregozæ vxorem sibi per literas significasse quemadmodum maritus interfectus esset: id sibi omnium maximè mirum accidis-

Fregoza & Rinco Regis legati interficiuntur.

se. Quinetiam putasse se, quum hæc literæ redderentur, eos iam Venetias peruenisse, id
1541. ita esse ex dierum numero quo Cazalo illos iter facere audierat, coniecturam se fecisse. Non dubitare quin se omnia insciente contigisse Langæus statueret: se quidem non minus ea re affici, quàm si in seipsum commissum crimen illud esset, quòd Regis ministros non minori loco habere consueuisset, quàm qui ad ipsum Cæsarē pertinent. Porro quia rem maximi esse momenti, & vtrique principi molestissimam fore intelligebat, operam se dare decreuisse, vt totum istud factum illustraretur, & si quos tanto sceleri affines reperiret, in quos autoritatē habeat, se tam acriter vindicaturum, vt exempli memoria in posterum extaret: negotium dedisse prætori Mediolanensi, quem non dubitaret officio diligenter functurū. Proinde si vellet ipse quoq; ex suis aliquot mittere, qui vnà cū prætore illo rebus gerēdis interessent, sibi vehemēter probatum iri. Ad extremum, si quid q; ad causam pertineret nuntiaretur, vt impij sicarij debito supplicio afficerentur, se vt certiorem faciendum curet, rogat: id enim & vt inita inter principes amicitia colatur, & vt vtrique satisfiat, necessarium esse. Existimabat porro Vastius rem adeo occultè confectam atque omnia tanta prudentia à se esse administrata, vt nunquam erumpere aut in lucem prodire possent, seque omnibus verba daturum esse confideret.

Langæi prudentia in faciendo.

LANGÆVS qui iam sibi veritatis nonnullas scintillas emicantes cernere videbatur, satis deprehendit, quæ à Vastio scribebātur, meras esse verborū præstigias. Quare ad ista nihil respondere statuit, dū Termius rediret. Qui postridie reuersus responsum affert, quo Vastius se nihil habere q; scriberet significat, nisi quæ literis comiti Landriano datis scripserat. Gratias agit q; eam sui existimationē apud illū esse videat, vt tam immanis sceleris participē vel autorē esse minimè suspicaretur: se quidem à tanto furore toto animo abhorrere. Langæus dum rem planè patefaceret, dissimulare decreuit, Vastio ostendens interim sibi cū facinoris istius participē visum non fuisse, idq; eo consilio ne ab illo impediretur, quominus factum deprehenderet. Illud tamen ab eo petit, ne molestè ferat, quòd ipse ad rem patefaciendam operam suam conferat, quam postea compertam papæ, Cæsari, Regi, Anglo, senatui populóq; Veneto ac reliquis Christianis principibus per literas significaret: hos enim postea iudicaturos, toti orbi cōstare, si induciarū turbatio sequeretur (quod nollet, nec futurum etiam putaret) vtrius culpa videretur accidisse. Inquisitionem iam à se inchoatam esse, quam vbi perfecisset, ad Regem missurum, qui quod optimum esse iudicaret, ex eorum sententia quosapud se habeat, factutum: quorū sanè non adeo hebes esse iudicium, quin rem quæstione illa perlecta satis animaduerterent. Scribit præterea se ex comite Landriano, quem ad se miserat, audiuisse, quū diceret metuendum esse ne dux Vrbinensis, cui cū Cæsare Fregoza simultas intercedebat, vel Auria ob Genuensem controuersiam, eius cædis autor esset. Verùm sperare se rei veritatem cognitum iri ea quæstione quam ipse faciendam curaret: hanc porro de maleficio quæstionem Placentiæ institui, quę vrbs neutri pareret, ne qua falsi suspicio subesset.

VASTIVS Landrianum denuo mittit, cui à Langæo rationem submini strari postulat qua tutò Regem adire & redire liceat, qui eum doceret quanta diligentia de scelere, & iis qui tam nefandum facinus in ipsius legatos designarant, inquireret. Addit quoque sibi mirum videri, quòd Langæus ipse priuatim dere illustranda tantopere laboraret, tanquam suæ diligentiæ diffideret. Respondet Langæus, præter superiorem illam expostulationem de capto vel cæso Fregoza & cæteris, ad se perlatum esse quemadmodū literæ Venetiis ad Regem ac vicissim Regis ad Venetos in ditione Cæsarea interceptæ essent, & quidem ab iis qui ipsius Vastij notas atque insignia gestarent: id verò cōtra induciarum rationem factum esse. Quamobrem rogat, vt eius autoritate, etiamsi insciente ipso ista acciderint, sibi satisfiat. Ad ea priusquam Vastius responderet, comes Landrianus à Rege reuersus literas illi reddidit, quibus scribit se à Landriano ipsius mandata intellexisse. Sibi minimè videri tam execrandum scelus eo conscio commissum esse, quòd eum & virum esse probum crederet, neque ignarum quanto hoc in posterum probro & vituperio dignum foret. Quin potius, quando ille remedium tanto malo afferre posset, vt qui sciret quo loco capti essent legati, & vbi in carcere detinerentur, se persuasum habere, illos quamprimum ipsius autoritate liberatos remissum iri. Nam eos captos teneri, non occisos esse, Rex consultò simulabat, vt vel aliquā cędis confessionē è Vastio eliceret, vel si criminis non esset sibi conscius, id exemplo edēdo testatū faceret.

QVVM Landrianus Taurinis Mediolanũ ad Vastium redire pararet, Langæus vn[a] cum eo Termium mittit, qui eũ doceret, sibi, vt antea significauerat, in animo esse, quæ inquirendo de cæde nefaria compererat, ad eum mittere, tum vt Regi ita iubenti pareret, tum vt ipsi, qui summis precibus à se id cõtendisset, gratum eius rei communicatione faceret: Quas quidem literas quum Termio perferendas dare constituisset, non potuisse tamen, quòd per nimiam Landriani festinationem satis otij ad exemplum describendum non fuisset datum. Illud quidem, pro eo ac illius honori & existimationi studeret, (ne vel nostra vel posterorum memoria vitio ei tantum nefas verteretur, velut ipso probante patratum esset) omni asseueratione cõfirmare, se & alios Regis ministros posse demonstrare quinam, quot numero, qua denique ex gente essent, qui cædem illam commisetant: quonam captiui, à quibus, quota hora, quo itinere, quo ordine, qua porta abducti essent, quota hora in primam custodiam & in cuius manus traditi, quandiu illic morati: denique à quibus, quo die, quota hora, quo itinere, quo ordine, quanto homi num numero inde educti essent. Sic enim habendum est, Langæum, vt rem totam facilius coargueret, in partes Regias nonnullos etiam maleficij socios pertraxisse, aliquot prætereа nautas, tum qui Fregozã tum facinorosos istos sicarios vexerant. Illos quippe Vastius in infimum Papiensis castri ergastulum, vt facti veritatem occultaret, detrudi iusserat. Per hos indices Langæus omnia comprehendit, quos ex carcere extraxit. Cuius rei perficiendæ eam inuenit rationem, vt limis surdis quas vocant (quæ nullum stridorem edunt) crates ferreas, quæ in imo carcere ad castri fossas erant, radi iuberet: ita extractos ad se Taurinos ducendos curat. Id quod sanè nonnisi magna impensa & vigilantia præstari potuit.

Mira Langæi solertia & diligentia.

SCELERE illo hac ratione ex tenebris in apertam lucem extracto, Rex à Langæo per literas petit quinam idoneus illi videretur, cui legatio illa Rinconi commissa perficienda traderetur, quámque ille turò transeundi facultatem dare posset. Langæus Capitaneum Paulinum peditum ducem nominat, qui postea baro Gardianus dictus est, quem quidem statim post parricidium illud patratum ad Regem miserat: vt turò Venetias peruenisset, curæ sibi fore. Ita Paulinus negotium datum summa fide & industria administrat, vt illius deinde opera Rex ad maiora sibi vtendum esse existimaret.

PER id tempus Cæsar in Germania Ratisbonensibus comitiis Protestantibus Interim quod appellatur, concessit. Eo quos quisque ritus & cetemonias diuini cultus vsurpasset, tantisper retinere poterat, dum concilium haberetur, quo religionis controuersiæ & dissidia conciliarentur. Qua conditione ab Imperij ordinibus cõstitutum est, vt Germanici ærarij sumptibus Sabaudus in suas opes ac fortunas restitueretur. Non multo post Gulielmus Rocodolphus, ad quem in Ferdinãdi regis exercitu summa imperij spectabat, à Turcicis copiis, quum quidem ei pugnæ ipse interesset, ad Budam prælio superatur, quo viginti Germanorum millia cæsa sunt. Qua re intellecta Cæsar quum sibi de cori minimè fore videret, si in Germania tantæ cladi adeo vicinus Turcico exercitui non occurreret, vt timori prætextum quæreret, Argerianam expeditionem suscipit, quam faciliorem quàm Turcicam arbitrabatur. Prætera Italia iter faciens obiter periculum facere cogitat, num Regem imparatum nactus adoriretur. Nihil enim pensi habebat, quòd suum ipsius patrimonium prædæ obnoxium deseresset, modò suum in Regem odium exaturare posset, quẽ legatis perfidiosè interfectis offenderat: à quo tanto fuerat affectus beneficio, vt eum media Gallia iter facere sineret, atque ad subigendos rebelles iuuaret. Mediolanum vbi venit, videt omnia Langæi proregis cura & studio diligentissimo prouisa esse, vt nulla occupandi facultas daretur: Regẽ insuper Massiliæ & oræ Prouinciali prospexisse. Itaque ad Argerianam expeditionem animum cõuertit, quam infœlici successu obiit. Quod quum ab aliis memoriæ proditum sit, vt rem à meo argumento alienam prætermitto: hoc interim obiter monens, cum Lucę cum papa in colloquium venisse. Rex ad eorum vtrunque missis nuntiis, vt de accepta iniuria sibi satisfiat cum eis agit: verùm responsa nugatoria accipit. Iam ad institutum nostrum redeamus.

VASTIVS vbi factum suum deprehensum, seque sua spe deiectum esse videt, quòd Regis consilium neque ex literis & chartis legatorum, neque ex eorum oratione, qui interfecti essent, cognoscere posset, insuper per nuntios certior factus Regem apud

1541. Cæsarem & Imperij ordines de accepta iniuria expostulatum misisse: ad comitia Imperialia, quæ cogebantur, vt de Germania aduersus Turcicum furorem defendenda ageretur, literas purgandi sui causa mittere decreuit. Literę in ipsis Ratisbonensibus comitiis redduntur, quæ postea ex Latinis Gallicæ factæ sunt. Quarum hæc erat sententia.

Vastij ad Imperij ordines Ratisbona coactos epistola.

POSTQVAM mihi renuntiatum est, viri clarissimi & colendissimi, me falsò apud vos esse delatum, quòd induciis inter Cæsarem & Regem Christianissimum violandis Christiani populi pacem turbassem, vtrum ad has calumnias mihi suppodendum esset, diu multúmque dubitaui. Quum enim veritatem ipsam satis claram esse iudicarem, putabam ipsam per se satis virium habere, vt absque vlla mei purgatione tandem in apertum proferretur. Accedebat quòd si responderе conarer, videbā fore, vt ab innata mihi modestia discedere cogerer, propterea quòd hoc crimen non possem autoris ipsius existimatione salua idoneo responso depellere. Sed quum viderem sæpenumero veritatem tanta arte tegi & verbis adumbrari, vt luce sua & autoritate careat, & suam cuique famam charissimam esse debere, faciendum mihi putaui, vt veritati genuinam & propriam claritatem atque lumen vindicarem, si minus honori meo consulendum arbitrarer: ne silentium mihi probro verteretur. Vobis ergo viri ornatissimi nuntiatum est Regis Christianissimi oratores interfectos, nuntios spoliatos à viris mea nota insignitis fuisse, milites à me in Italiam è Germania accersitos: ex quo inducias à me violatas videri. Ad primum quod attinet, quoniam idem mihi aliquando obiectum fuit, vnum in præsentia afferre constitui. Tum eam tuli conditionem, vt ego & quicunque Regi illius facti nomine suspecti essent, in manus sanctissimi patris nostri traderemur, quo sic rei veritas eluceſceret. Has ego cōditiones denuo tuli, postquā ille hinc profectus esset. Quas si quis non idoneas esse putabit, alias ego extremis hisce literis feram, quæ inter viros mi litares locum potius habere poterit. De altero quod obiiciunt: hoc vnum respōdeo, quū Tridentum Cæsareæ maiestati obuiam procederem, amplius tria hominum millia in comitatu mihi præsto fuisse, qui meis insignibus amicti prodibant. Quod si etiam tantum scelus patrari voluissem, meos facilè ornatu mutato incedere iussissem, ne ex tam obuia nota agnosci possent.

DE Germanis in Italiam traductis, quum eum locum & dignitatem hic Cæsareæ maiestatis iussu teneam, vberius mihi respondendum esse statuo. Quamobrem hoc scire vos velim, viri clarissimi, quum ad me perlatum esset, à Gallis ad quatuor Heluetiorū millia in Italiam accersiri, quam gentem non præsidio oppidis imponi, sed ad aciem & pugnam adhiberi consueuisse: à me quoque comitem Lodronem in Germaniam duo millia peditum conscriptum missum fuisse. Quòd si quis diem meis literis ascriptā, quas ad Romanorum regem dabam, cum tempore, quo Heluetij profecti erant, conferre volet, reperiet Heluetios iam in itinere fuisse, quum de conscribendis Germanis agere cœpissem. Ex quo efficitur, vt si hoc facto inducię violatæ videantur, is violasse existimetur qui prior Heluetios, non qui posterior Germanos introduxit. Hæc ad maleuolorum criminationes dicta esse velim. Quòd si vlterius mihi progrediendum esse putarem, non deesset quòd obiicerem Cæsareæ maiestatis cursores spoliatos, literas interceptas, in ipsius oppidis consilia proditionis inita, Maranum ex improuiso occupatum, denique Granvellanum mari in fugam actum fuisse. Quæ omnia quī fieri possint non violatis induciis non intelligo. Sed ista nunc vrgere omitto, de me purgando præcipuè mihi laborandum esse existimo. Hoc addere non dubitabo, quorum opera vel iussu literæ illæ interceptæ sunt, eos Cæsaris mentem facilè potuisse animaduertere, quum disertis verbis me vetabat quicquam facere quod ad induciarum violationem spectare videretur. Quod quum principis consilium esset, credibile non est ministros contrà facere decreuisse. Iam verò postquam in eum sermonem de induciis venimus, hoc dico, quum sanctissimo sacri Imperij decreto constitutum sit arma aduersus verorum Christianorum hostes sumere, qui perspicuè cognoscere cupiet, vnde violatio hæc orta sit, eum videre oportet cui bono sit bellum inter Christianos conflari. Porro vobis non est obscurum quantopere Cæsareæ maiestatis interfit bellū contra impios geri, quanta diligētia huius rei gratia concordiæ inter Germanos conciliandæ studuerit, quāta animi alacritate hoc bellum susciperi cupiat: ad quod gerendum nihil aptius est quàm pacem & societatem Christianorum bona fide iniri. Hoc posito, quis est cui verisimile videatur ipsius ministros

ſtros de turbanda pace, aut de ijs impediendis quæ ille tantopere promouere ſtudet, cogitaſſe? Ab vtro veriſimile eſt pacẽ hanc impediri, ab eo qui & illius autor eſt cõponendæ, & de hac facienda continenter laborat, an qui omnes ingenij & animi vires eò confert ne bellum cum Turcis geratur? Vtrum probabilius eſt, Cæſarem hoc aduerſus Turcam formidoloſo bello occupatum, nouo alio ſuſcipiendo velle ſuas vires ſeparare, an qui nolunt hoc bellũ geri, eos hac ratione copias Cæſarianas diſtinere conari? Quis tandem eſt qui ſatis ſibi cauſæ putet eſſe, cur Cæſarem id agere exiſtimet, vt vires Turcicæ imminuantur, cũme qui illius depreſſionem ſibi ornamento eſſe nouit, an eum qui ſi Cęſaris atq; Imperij dignitas augeatur, id ſibi detrimento & imminutioni eſſe exiſtimat?

10 Germania, viri illuſtriſſimi, vt maxima eſt orbis Chriſtiani pars, ita totius Impij columen eſt ac fulcrum. Iam cuius magis quàm Cæſaris intereſt illius ſalutẽ & dignitatem optare & quærere? Nullius ſanè. Qui verò melius ſeruari integra poteſt quàm ſi Turcæ inuadẽti fortiter & ſumma contentione reſiſtat? Quî facilius reſiſtere poteſt, quàm ſi quamconiunctiſſima ſibi conſtet? Si ex coniunctione illius ſalus pendet, ſi illius ſalus Cęſari eſt chariſſima, cui veriſimile fieri poſſit eũ bellis alijs recentib. illius vires bipartito ſeparare atq; adeo debilitare, vt de ſalute poſtea periclitetur? Hoc vnum recordari vos velim viri clariſſimi, quiſnam ille ſit qui perpetuò hoc egit, atq; etiamnum agit, vt hæ vires diſiunctæ maneant, qui illas firmiores reddi non vult, qui quæ Imperij ſunt, ea per vim occupare conatur, qui bellum cum Turca geri non cupit. Quumq; certò ſtatueritis, iſta ab ijs agi-

20 tari atq; tentari, qui ad ſeiungendos Germaniæ animos quietem pacemq; Chriſtianam interrumpere cupiunt, id nimirum metuentes ne vel ſacroſancti Imperij ſtatus viribus redintegratis ditiones ademptas recuperet, vel hoſtium Ieſu Chriſti tyrannica potentia Imperio hoc amplificato atq; confirmato labefactetur: vobis (opinor) dubium non erit quin violati fœderis & induciarum crimen illis ſit tribuendum, non vllis eorũ qui à Cæſare ſtant, cuius animum ab hac amentia planè abhorrere conſtat. Sed ne hac in re prolixior ſim, quam vobis iam notiorem eſſe confido quàm vt longiorẽ orationẽ poſtulet: quod ad me priuatim ſpectat, ad id nunc redeo: quodq; antea dixi, rurſus profiteor, me purgãdi mei nullam rationem defugere, quoties ab eo rogabor ad quẽ res pertineat, ſic tamen vt id mihi facere per Cæſarem maieſtatẽ liceat, vt ſanè mihi cõceſſum iri ſpero.

30 Et quoniam duæ ſunt purgandi ſui rationes, ciuilis vna, militaris altera, priore demõſtra turum me profiteor à me inducias violationis initium minimè eſſe factum. Quòd ſiquis eſt loco non obſcuriore cataphractus eques, qui huius me inſimulare auſit, & rem ita habere armis probare contendat, hunc ego falſi reum ago, & mendaciũ, quoties hoc mihi obijciet, ab eo dictum iri affirmo. Hęc vt dicerem, viri illuſtriſſimi, adduxit me ſum ma qua teneor cupiditas, quaq; me vobis purgatum eſſe ſtudeo. Quòd ſi aliam extare rationem intelligerem, qua à me tam atrox crimen amoliri liceret, ea me vſurum credatis velim. Etenim quum res tam ſancta, iuſta ac religioſa agatur, nolim in me vel leuiſſimã cadere ſuſpicionem, quaſi arma aduerſus Chriſtianos ſumere in animum induxerim. Id adeo dico, quòd aduerſus Chriſtum ipſum capere meritò viderer, ſi bellum inter Chri-

40 ſtianos inteſtinum fouerem, quòd ita bellum quod contra eius hoſtes ſuſciperetur, impedirem. Quin potius beatiſſimum me iudicarem, ſi diuino beneficio ſanguinẽ in hac cauſa tuenda profundere, animumq; in ſummi Patris manus tradere cõtingeret. Valete.

LANGÆVS, quem pauca quæ gerebat Vaſtius latebant, huius epiſtolæ exemplum, quum aduerſaria duntaxat perſcripta eſſent, clanculum ablatum accepit. In qua quum ſe ita perſtringi animaduerteret, vt licet minus apertè, deprehendi tamen poſſet, præterea modeſtiæ fines Vaſtium tranſire perſpiceret, qui contumelioſius de Rege Chriſtianiſſimo principe ſuo loqueretur, quem tectis aculeis pungebat: reſpondere per literas ſtatuit: quas & Latinè conſcriptas ad Imperij ordines (vt Vaſtius fecerat) & in Gallicũ ſermonem conuerſas ad Regem in hanc ſententiam miſit.

50 ETSI mirum fortaſſe primo aſpectu vobis videri poteſt, viri præſtantiſſimi, quid cauſæ ſit cur vobis in hac grauiſſima occupatione patriæ defendendæ laborantibus longè alia ſcribam, atq; ad certas literas reſpondeam in quibus nomine quidem nequaquã accuſor: tamen ſi quæ ſcribo perlegi vobis non moleſtè feretis, ad calcẽ epiſtolę reperietis, quæ mihi ad vos ſcribẽdi occaſio data eſt, hanc coniunctã cum ea eſſe de qua nũc ad deliberandum conuenitis, neque eam ſine graui dedecore à me omitti potuiſſe agno- *Langæi ad ordines Imperij epiſtola.*

scetis. Etsi enim ijs literis ad quas respondeo, nominatim minimè designor: qui tamen
1541. ex varijs Italiæ locis ad me earum exempla miserunt, hoc ea mente fecerunt, quòd eas in me aculeatas torqueri existimarēt, ijs permoti rationibus quas ipsi legendo animaduertetis. Atq; vtinam viti celeberrimi, quorum æquissima expostulatio marchioni Vastio has literas scribendi ad quas respondeo, occasionem præbuit (quibus verbo se purgat, re alios accusat) ij tam grauem conquerendi causam nunquam habuissent. Hoc si ita esset, neque vestra negotia interturbarem, neq; grauissimis occupationibus molestus interuenirem, vt ad me interim animum aduerteretis, dum illius orationem refuto, aut verius ostendo quemadmodum ipsa à seipsa refutaretur. Qui quum se purgare instituerit, alios immeritò accusat, cum non ferendo contemptu amplitudinis atque maiestatis principis mei Regis Christianissimi. Quo nullus acrior stimulus vibrari potest in animum generosum & excelsum, vt ad tam indignum sui fastidium vlciscendum & cõtumelioſa maledicta quæ demonstraturus sum, vindicanda commoueatur atque compellatur: quanquam eò nonnisi valde inuitus descensurus est. Cuius rei & ille sibi apud se Deum testē habet, & reliqui mortales vniuersi ex eo facilè possunt intelligere, quòd & tanta lenitate de tam atroci iniuria expostulauit, & tam diuturna patientia vt sibi de ea satisfieret, adhuc expectauit.

QVERITVR apud vos Vastius, viri illustrissimi, se in vestro conspectu inducias inter Regem & Cæsarem violatarum atque adeo quietis & pacis Christianæ perturbatæ accusari. Cuius rei hæc argumenta aduersus se proferri, legatos Regis trucidatos, & aliquot ex eius nuntijs à certis viris ex improuiso vulneratos, qui eius nota ornati erant, deinde Germanorum peditum copias in Italiam traductas. De legatis violatis crimen à se depellit, quòd conditionem ipse tulerit, qua tum se tum alios quos Rex tanti maleficij reos ageret, in manus papæ tradi postulabat, vt ita rei veritas palam emergeret. De nuntijs, ait se magna hominum multitudine stipatum fuisse, quum Cæsari obuiam prodiret, qui omnes eum ornatum gestabant. Vnde effici vult, alios fortasse à suis hoc or natu indui potuisse, à quibus nefariam cædem patratam esse verisimile videatur: præterea si quid tale à suis designari voluisset, non prætermissurum hoc fuisse, vt ornatum mutare præciperet, ne ex eo agnosci possent. De Germanis conscriptis, profert Heluetios prius à Rege fuisse in militiam ascriptos. Quod ad legatos attinet, viri ornatissimi, quum Rex à me pro officij ratione, qui eius iussu eundem locum atque Vastius Cæsaris nomine hic teneo, certior esset factus nefandum hoc parricidium in ditione Cæsarea patratū esse, in Pado flumine frequentissimo, quo tum secundo tum aduerso mercatores noctu atque interdiu nauigant, vt insciente Vastio hoc gestum fuisse vix credi posset: sicarios illos fuisse Hispanos non obscuri nominis, qui illi militāt, & apud illum assidui sunt, quiq; post crebras ad illum itiones eius qui coniuratorum princeps ac caput erat, & crebras Vastij ad eum literas, varijs portis vesperi Mediolano egressi, & in itinere inter se obuiā facti, noctu in Papiense castrum ingressi, vnde postea assumptis alijs eiusdem gentis militibus, in insidijs ad Padum consederant, vbi delituerant, vsque dum facinus hoc horrendum patrassent. Eos insuper abijsse, captiuis secum abductis quotquot in legatorum naui huic cædi superfuerant tum remigib. & nautis tum cæteris omnibus. Hos captiuos aliquot postea diebus in alium locum fuisse abductos, vbi tamen Vastius dominatum eundem habebat. Postremò cædis illius infandæ autores ad ipsum reuertisse spe potius præmij accipiendi, quàm metu supplicij perferendi, vt quidem ex eorum vultu iudicari facilè poterat. His nuntijs acceptis, ipsi per vos statuatis licet, num Rex pridè persuasum habere debuerit, Vastium huius sceleris consciū & affinem esse, certè nullam afferre causam posse, quin supina quadam incuria incogitantiaque in administratione sua procuranda hoc accidisset.

AT quoniam ille suis quibusdam ad Regem literis hanc cædem nomine sceleris appellauerat (quo verbo videbatur, aut saltem videri cupiebat ab hoc facto abhorrere) Rex comiter ab eo per literas petit, deinde à Cæsare ipso, postea à papa velut inducias arbitro, denique à Cæsare rursus, sed interposita iusta testificatione, vt de iniuria saltem autorum supplicio sibi satisfieret. Ac profectò rem fortasse dissimulatā præterijsset, neq; Vastij dedecus prodere studuisset, potius satis habuisset quòd rem nostræ vel posterorū memoriæ iudicio relinqueret, si factum hoc tam illustrib. argumentis patefactum credi posset

posset à se nõ rescitũ esse. Nũc porro videtis viri illustrissimi, quid tamẽ profecerit, quàm diuturna patientia vsus sit, dum aliqua satisfactio extaret, quam deniq; nullo pudore Vastius suæ culpæ illam conditionem obtendat, quam se subire voluisse prædicat. Etenim si vel tantillo veritatis patefaciendæ studio teneretur (quemadmodum se iactat) non poterat vel carcere vtrosque nauẽtas emittere, qui quæ oculis vsurpauerant, atque vtgesta fuerant, narrarent? quibus nulla causa erat cur vllius odio vel studio mentiri vellent? Quod tantum abest tamen vt faciendum sibi putaret, vt contrà præterquam quòd illos in vinculis detinuit (ex quibus tamen nonnullos qui aufugerant, apud me habui) in ijs etiam locis vbi res nota esse vulgò poterat, præconio publico interminatus sit nequis de eã nutiret, ac siquis secus faceret, nouum hoc crimen capite sanxerit: qui paulo liberiorem antea vocem emisissent, eos malè acceperit: ipsos non solùm ficarios, sed & eos qui ad rei veritatem obscurandam ingenium & operam contulerunt, blanditijs & honore prosequutus sit, ac dignitatibus auxerit. Quæ omnia me hercule eiusmodi sunt, vt iure optimo Rex conditionem quam iste se tulisse dictitat, recusandam iudicauerit, vt quæ cum ipsis effectis pugnet, quamque ipse suis ad vos literis pinguiori minerua quàm reapse tulerit, commemorat, credo quòd rei pridem factæ memoria eum fugit. Malo enim hominem oblitum esse suspicari, quàm apud vos, id est in clarissima totius orbis luce de industria mentiri.

Quod ad Regis nuntios attinet, illud doleo quòd in eo quoque capite refellendo impudentiam illi obijcere cogor, quumnihil ineptius fingi possit quàm quòd ad illorum ornatum respondet, se, siquid tale à suis fieri voluisset, non ita imperitum esse, quin de eo commutando illos moneret, ne hac ratione deprehenderentur: deinde vt doceat alios à suis id potuisse committere, qui tamen eundem ornatum gestarent, ait non pauciores tribus hominum millibus ita vestitos Tridentum vna secum Cæsari obuiam profectos fuisse. Enimuero de illo postremo nequaquam cum eo pugnauero, imò planè assentior, quòd rem ita habere ijs testibus credo, qui coacti ad illum comitandum arma, vestimenta & equos suis impensis comparare, ita suum patrimonium oppignerarunt, vt iam ad immensa illa vectigalia quæ ab eo in dies imperantur, pendenda opes illis non suppetant. Sed de ipsa aggressione, quum negari omnino nequeat (nam Venetorum magistratus, in quorum ditione accidit, captos fontes supplicio capitali affecerunt, non solùm illo ornatu indutos, sed etiam Vastij mercenarios stipatores) vellem ille, vanæ istius inficialis purgationis loco, tãtum sibi sumeret, vt doceret se in ipsam quoque Venetorum ditionem eos persequutum fuisse, cumq; magistratu egisse vt debitis pœnis afficerentur.

Nimirvm verum est vetus illud, & toties repetitum, vt de eo iam non debeat ambigi, qui semel verecundiæ fines transierit, eum gnauiter impudentem esse oportere: atque adeo quidem, vt qui eò impudentiæ venit, neminem esse putet cui pudendum esse videatur, cuius iam se pudere desijsse intelligit. Hoc verum esse non duo illa modò exempla declarant, sed illud etiam quod ad Germanici peditatus delectum respõdet: in quo sanè facilis esset purgatio, si quidem aliunde nulla extaret violatarum inducarum causa, ac in alijs multis non iam ipsas violasset. At quod iste respondet, huiusmodi est, vt si etiam concedamus, nihil tamen illius causam iuuet, neque summa licet arte simulatum, vestrum tamẽ maximam partem fallere possit. Nihil enim refert quòd Heluetij nostri iam iter ingressi erant, quo tempore ad regem Ferdinandum de Germanorum delectu habendo à se scriptum esse ex suis literis constat, asserit: si ex vobis nonnulli norunt, iam inde à mense Ianuario & eo maturius tribunos & centuriones ab eo designatos, monitos esse vt suo accersitu quamprimum parati essent: si iam Hispanorum copias & equites ferentarios magno numero auxerat, si iam numerosi peditatus Italici duces constituerat, apud quos omnes milites toto ducatu Mediolanensi, nomina profiteri sua publico edicto, eoque non absque grauissimæ pœnæ sanctione promulgato, iusserat. Innumera possum alia commemorare, quibus bellum ab eo parari nemo non intelligat: quòd oppida communiri præter pactionis capita, bombardas recentes conflari, puluerem & quæ ad rem machinariam pertinent reliqua congeri, pontes ad transmittenda flumina, scalas ad oppugnandas arces, cistas ad panes condendos, qui in castra comportari debebant, confici, & alia omnia comparari, non procul à

1541. nobis, occultè quidem illa, sed summa tamen celeritate iusserit. Hæc porro omnia etiàsi non ita essent (quæ tamen a me verè affirmari credatis velim) etiamsi Rex priot Helueti-os conscribi iusserit, quinetiam bellum reipsa intulerit, ecquod vnquam iustius bellum motum est, quàm ad persequendam legatorum cædem, de qua sibi satisfieri tanta lenitate postulauit, tanta patientia expectauit, denique omnibus ex more tentatis & testificationibus adhibitis desperauit?

IAM verò quando his sermonibus in cædis mentionem rursum incidimus, quod totius huius controuersiæ caput ac status est: illud mihi quæso videte, etiamsi omni ope crimen à se ingeniosè depellere nitatur, tamen adeo ieiunas ad se tegendam rationes afferre, vt veritas vndique luce ipsa clarior emineat. Videte quemadmodum hoc dicès, illud negans, & canis instar (qui quam in partem caput reclinet circunspicit) in omnes se partes circumagens, apertè tamen loqui detrectet, vt planè vel inficietur vel cõfiteatur. Hoc modò ait, non recusasse se quominus in manus papæ tradatur: deinde in extremis literis (vbi hominibus terrorem incutere velle videtur, quum duella & pugnas crepat) nihil quod ad rem omnino pertineat, disertè dicit: sed ijs verborum strophis tanquam aliud agens eludit, vt posticum sibi semper reseruet, quò pateat effugium. Deinde illud quoque vobis perspicuum est, quod ijs vsuenit qui in percontatione deprehenduntur, neque firmum quicquam afferunt, vt alijs percontationibus elabi conentur, idem ab isto nunc fieri. Nam quum se tam frigida purgatione vti intelligat, vt apud sani iudicij homines tacitæ confessionis locum habere videatur, postea recriminationes tergiuersandi causa subijcit, habere se, si velit (quod etiam facit) quòd dicat Cæsarianos nuntios à Regijs deprehensos, interceptas literas, Regem consilia occulta in eius ditione fouisse, Maranum ex improuiso occupatum, Granvellanum mari in fugam compulsum. His positis orationem sic claudit, vt roget quonam pacto ista queant fieri vt non violentur inducijæ: quasi ad tam obscuram quæstionem quid responderi possit, non reperiat. Hoc ego labore hominem paruo negotio leuabo, & vno verbo tam molestum scrupulum eximam, ab eo nõ violari inducias qui iniuriam propulsat: qui ab hoste inducijs violatis læsus est, huic fas esse vt quauis ratione illatam iniuriam vlciscatur: maximè quum satisfactio illi non denegatur tantùm, sed etiam aduersarius iniuriosus esse pergit, nouas subinde iniurias superioribus adijcit, tam aperto & indigno fastidio contemnens & despiciès amplitudinem & maiestatem eius quem offendit. Ac mihi quidem viri illustrissimi, etiamsi iustum hoc & latissimè patens responsum non extaret, quo tota hæc Vastij recriminatio labefactatur & pessum ruit, non deest tamen quod ad singula quæ obiicit respondeam.

PROXIMA hyeme misso ille buccinatore conquestus est, certum cursorem ex Hispania profectum inter Conium & Fossanum, in cædua quadam sylua ab equitibus armatis, bulgis, literarum fascibus & pecuniis spoliatum fuisse. Quos ille factì suspectos habebat, in eius cõspectum exhibentur, quos noxæ eximit. Quum in expostulatione perseueraret, missi sunt qui eum eo loco perlustrarent: sylua est medio inter illa oppida itinere, vtrunque oppidum Cæsareæ ditionis est, non Regiæ, neq; vllum ex Regijs præsidijs propinquum habet. Hoc possum affirmare, illic diuersos literarum fasces sparsos, alios resignatos, alios minimè, conspectos fuisse, ex quibus nonnullos à Cæsare ad papam repertos. Ex quo facilè colligi potest, fuisse latronum consilium, vt cursori pecunias adimerent, non vt Cæsaris literas aperirent: alioqui non minus id in literis ad papam scriptis quàm in cæteris, fa& aros fuisse. Quin & illud possum addere, milites Regios neque diuinare potuisse diem, tempus & locum quo cursor ex Hispania veniès cum literis iter esset facturus, vt ita in tempore ad eum spoliandum adesssent: neque illud præsensuros fuisse, eum, vt qui cursor ordinarius ad pontificis diplomata & rescripta negotiatorumque literas perferendas erat, literas Cæsaris allaturum esse. Iam illud cuiuis iudicandum relinquo, si diu armati illic in insidiis latuissent, num verisimile sit eos tanto tẽporis spatio à viatoribus illac prætereuntibus conspici & agnosci non potuisse. Neque verò absurdum fuerit, si dixero, hominem ipsum, quum sibi exhibitos suspectos culpa exoneraret (sunt autem nobiles ferentarij Regi militantes) dixisse, Conij (quò media circiter nocte venerat) duarum horarum spatio se detentum fuisse, antequam equi præberentur: vt suspicio non absit (a qua ne ille quidem abhorrebat) ipsos Conianos, quum scirent illius

bulgas

bulgas pecunijs refertas esse, consultò eum remoratos fuisse, vt interim ad insidias occu pandas tempus extraherent. Id vt verum esse credam, eo adducor, quòd memini me aliquando in regia ditione capite quendam Cæsarianum non obscuri nominis damnasse, qui in iudicio confitebatur se in ipsos milites Hispanos latrocinia & cædes patrasse, quos meditato consilio nō aliam ob causam trucidarat, quàm vt illorum auro potiretur. Nam quòd obiicit Vastius à nostris in hac regione de Cęsarianis oppidis quibusdā locisque munitis occupandis consilia fuisse capta, ego, si apertius ageret, tempusque, locum atque autores denotaret, vel prorsus inficiarer, vel idem ab eo cum suis aduersum nos tentatum esse (ita enim res habet) in ipsum transferrem. Nec non illud respondeam, vt nefas sit inducias tempore vrbes mutuò occupare, nihil tamen prohibere, quin aures præbere ei liceat qui fidem suam atque societatem vltro offert, aut socios conciliare, vel in fide continere, aut alias excogitare rationes quibus inducias tempore exacto hosti damnum inferre possis.

Porro de Marano quod obijcit, primùm non dubitabo affirmare neque Regem vnquam neq; quenquam ex ijs quorum opera in rebus administrandis vtitur, vel consci um huius rei vel participem fuisse. Id non ita habere, si quis est qui cōtendere ausit, is sciat extare non paucos qui armis contrà discepture non recusabunt. Hoc quidēvltro fateor, qui rem tantā fusceperunt & perfecerunt, eos, quum satis viderent tātas sibi vires nō sup petere, quibus quod ceperant tuerentur, nisi potentioris patroni ope fulti essent, audita insigni hac iniuria Regi à Cæsarianis illata, existimasse non iniucundum illi fore, si tam munito oppido potiretur, vt quadam quasi cōmutatione legatos suos, siquidem adhuc viui essent, reciperet, sin occisi, vt inde iustæ vindictæ initium duceret: qua statim spe fretos sublatis Gallicis insignibus, arcem Regi per nuntios obtulisse. Qua in re eo sermonis genere vtebantur, vt testificari tantum non viderentur, non deesse alium cuius fidei se & oppidum permitterent. Atque ea suæ voluntatis indicia præbuerunt, vt quicum negotiari statuerent, non obscurè cognosci posset, talem (vt vno verbo absoluam) negotiationem cùm papæ, Cæsari & populo Veneto sigillatim, tum vniuersæ Christianæ reipub. detrimentosam fore.

Id Rex quanti esset momenti perspiciens, cum illorum principum quos commoraui, legatis quos apud se habebat, negotium communicat, vt ad suos scriberent. Cū Maranijs certam diem constituit, intra quam si nullum ab illis principibus vtilius consilium audirent, se oblatum oppidum accepturum pollicetur, non illud quidem vt tanquam suum retineret (etsi enim iure suo sibi vendicare poterit, nulli tamen commoditati sibi esse prospicit) verùm hoc animo, tū ne in eius manus veniret à quo res Christiana incomparabile damnum acciperet, tum vt quod æquum & probum principē facere decet, quum res & tempus postulare videretur, faceret. Hic vos iudices fero, viri celeberrimi: quid hac in re aliud Regi faciendum fuisse censetis? Nisi fortè Romanorum regi oppidum reddi iuberet. At hoc præstare non erat in ipsius potestate. Poterātne vlla ratione vel ipsi Regi vel Cæsari fratri amplius satisfieri? At enim, dicet Vastius (quod & Cæsaris legatus expostulauit) Rex eum qui de tradendo oppido nuntius venerat, comprehendi & suspēdi iuberet, ni Romanorū regi illud redderet. At etiamsi istud factū esset, nō idcir co fortasse illud recuperasset. Præterea si Cæsariani suo principi tribuendū putant, quòd legatorum & nuntiorum venerandum nomen violare, ius gentium nihili ducere, nihil sacrosanctum aut inuiolatum habere soleat, Rex tamen non ita vitam instituit: neque profecto æquitati consentaneum est, vt quæ iura in sua ipsius causa violare nequaquā animum induceret, ea in alterius gratiam violet, eius in primis qui vt ei noceat, illa violat, ac reipsa demonstrat, se nō ob aliud natum videri, quàm vt eius perniciem & interitum quauis ratione machinetur.

Svperest vt de fugato Granvellano quæ iste scribit, ad ea respondeamus. Non diu est, viri ornatissimi, quum Cæsar Neapolitanus atque alij Cæsariani duces Vulpiano egressi, noctu cum magna equitum & peditum multitudine Taurinis appropinquarent: quod ille in primis oppidum vt ceruum canis latratu petit. Non patitur tamen Vastius vt vel iudicem vel suspicer animo occupandi oppidi illos venisse: quamuis me non lateat alios præterea milites Cęsarianos magno ad modum numero eodem tempore, Quersij, quod quinque millium à Taurinis passuum interuallo abest, se continuisse,

1541. ad iter, simulatque accerserẽtur, parati: quamuis etiam nobilis quidam submissus sit, qui certis ædificijs ignem inijceret, quò omnibus ad restinguendum incendium occupatis scalæ interim muris admouerentur: qui à nostris deprehensus, reus peractus & crimen in iudicio confessus, pœnas in quatuor partes dissectus dederit. Hæc quum ita sint, siccine æquum est, etiamsi fateri velim triremium Regiarum duces, quum essent in portu, aliasque triremes se in fugam conijcere animaduerterent (quod quisquis facit, alijs sui insequendi præbet occasionem) in altum subductos fugientes ad aliquod spatium persequutos esse, vt Vastius inde sibi persuadeat ac iudicet eorum fuisse consilium vt Granvellanum adorirentur? Si bene vestram prudentiam & virtutem noui, homini tam æqua nobis iura describere non concedetis, vt sibi licere putet quod mihi nefas sit: vt quæ ille suspicionibus leuissimis & obscurissimis fretus affirmat, verissima habeantur, cõtrà quæ vera affero, quæque iam consequutis rerum euentis exponendis demonstro, refellantur atque repudientur. In hanc mihi sentẽtiam plura & liberiùs de illo liceret dicere: sed modestiam seruare etiam nihil pollicitus decreui, quam ille multis verbis pollicitus non præstitit tamen.

Non sum nescius eum posse ad ista excipere, licet extra eos cancellos quos sibi circundederat (quum sponderet se tantùm sui purgandi causa scripturum & refutandi quæ suam existimationem lædere videbantur, ac non ad aliorum accusationem venturum) egressus sit, pedem tamen se intra eos continuisse: vt si in aliquem obiter inuehi visus sit, dicere queat non fuisse sibi hunc scopum propositum, sed crimina coactum transferre, vt purgatio manifestior extaret, docereturque, siquid à se contra inducias factum videretur, eò se non sua sponte, sed antegressis nostrorum iniurijs & machinationibus prouocatum deuenisse. Liceat sanè hactenus ista ad excusandum se obtendere. Sed quæ postea addit multo maiore tum verborum copia tũ orationis vehementia, quàm in se purgando vsus fuerat (quæ quidem purgatio non magis illius innocentiam arguit, quàm si facco madido, quod dici solet, ad imbrem arcendum vtẽretur) eaverò dicere non queat, sibi in mentem, vt aliud ex alio soleat incidere, venisse: imò constat destinato eum consilio velut sub imis terræ latebris occasionem qua Regem accuset, rimari, eius nomine per calumniam abuti, vt eum in totius Christiani populi odium & inuidiam vocet. Verùm si mihi Dei, qui ipsa est veritas, nutu atque beneficio vobis ad audiendum beneuolis vtar, dum paucis solùm designo & prima lineamenta duco, non iustum responsum profero ad ipsius accusationis capita, spero fore vt victrici veritati locus apud vos detur, quo consistat & maneat, quibuscunq; tandem mendacijs & calumnijs obliquè coniectis obtrectatores eam obruant, vel certè obruere conentur.

Vastivs suæ istius accusationis tam sanctum reuera iacit fundamentum, vt si quę superstruit, eiusdem essent generis, non minus sanctum opus absolueret, quàm execrandum futurum est illud quod quis ex ipsius opificio, lapidibus & cęmentis sperare queat. Hoc fundamentum, viri percelebres, ea ipsa est sanctissima sententia, qua vos omnino decreuistis arma in communem Christiani nominis hostem conuertere. Hoc iacto fundamento sanctam quandam orationem, & sapiens consilium absq; odio, studio aut inuidia adijci conueniebat, accedere oportebat instrumenta & apparatum necessarium, vt pium hoc consilium Deo fortunante bene instituatur, fœliciter administretur & gloriosè absoluatur. Iste contrà calumnioſam accusationem addit, qua Regem Christianissimum proscindit, Regem vobis socium atque amicum, Regem qui quantum vires tulerunt, & quantum per eorum malitiam licuit, qui culpam quasi tenere videntur in eum transferunt, hanc tempestatem in vos redundare prohibuit, de qua nunc à vestris ceruicibus auertenda laboratis. Regem ipsum nominatim nõ designat ille quidem, verùm vt maiorem apud vos inuidiæ molem sustineat, velut digitum intendit, eumq; non suis (quod aiunt) coloribus depingit, sed (vt ex me antequam literas absoluam intelligetis) adulterinis, quos ipsi triuerunt & temperarunt, indignè adumbrat atq; transformat.

Hoc vos persuasum habere vult, illustrissimi principes, Regem nulla occasione data bellum aduersus Cęsarem instaurare velle, vt vos vestrum aduersus Turcam susciperе prohibeamini, aut certè difficiliori illo implicemini, viribus nempe distractis atque seiunctis: deinde illud quoque nihilominus vobis probare conatur, eidem prorsus non placere vt bellum illud aggrediamini. Ego verò si illud ita esse cõcederem (quod falsum esse

esse confirmo) Regi contrà putarem quauis ratione dandam esse operam, vt bellum Cæsari suadere tur, legiones educeret & bellum susceptum acceleraret, quò viribus aliò abductis eo debiliori vteretur. Etenim si bellum inferre cogitat (vt quidem Vastius se verè putat obijcere) faciliorem victoriæ obtinendæ rationem quærere debet: id quod profectò ab eo commodè præstatur, qui hostis vires distinet. Ex quo fit vt qui alium bello lacessere aggrediturlr, eius vires sibi disiungendas ac seperandas esse iudicare debeat. Quæquum ita sint, Rex si quidem in Cæsarem tam potentem hostem bellum gerere decreuit, optare, non timere ac multo minus obstare debet quo minus Cæsar aduersus Turcam bellum suscipiat. id est, vt vires disiungat, & facilioré ad victoriá aditum patefaciat.

HABETIS iam viri præstantissimi quid ad hoc in præsentia mihi dicendum putem: nunc Vastij demonstrationes & ratiocinationes inspiciamus. Is primùm quanto damno Cæsari sit hoc futurum ostendit (quæstum & compédium vult dicere, quod Cæsari ex ijs armis aduersus impios sumptis sperandum sit) vt doceat quáto hoc bellum suis priuatis commodis anteponere statuat. Tandem ita ratiocinari pergit, vt multiplices nectens syllogismos, inutili eorundem verborum repetitione, interrogationibus atque intempestiua orationis vehementia rogitat qui veri fiat simile, huius pacis & concordiæ violandæ initium à Cæsarianis factum esse: quî credi queat, qui aduersus Turcam bellum suscepérit, eum nouo bello mouendo proprias vires seiungere velle: cui quàm illi magis optandum sit potentiam Turcicam imminui: cuius tandem magis referat Germaniam saluam atque integram seruari: quanam ratione seruari possit, quàm si fortiter atque acriter Turcico furori resistat: quę porro resistendi commodior rat io iniri queat quàm si domesticam cõiunctionem & pacem colat: hoccine sit credibile, Cęsarem, qui Germaniam saluam & incolumem cupit, quique in coniunctione sola & pace salutem, positam esse intelligit, velle alijs bellis seiunctam illam debilitare, atq; adeo in salutis periculum vocare. Postea à vobis etiam petit vt reminiscamini quisnam ille sit qui illas vires distinendas curauerit, qui Imperij robur augeri nolit, qui vi & armis quæ Imperialis ditionis sunt occupare conetur. Hunc denique perorando colligit esse, à quo inducias violatas, turbasque ac vexationes quæ in Christiana Republ. metuantur, immissas esse statuatis.

EQVIDEM quod Vastius primo loco asserit, agnosco & credo veríssimum esse, idq; reipsa comprobatur, Cæsarem nihil magis optare quàm non Turcæ solùm, sed omnium principum & dynastarũ, quocunq; vel dominationis nomine vel religionis professione censeantur, amplitudinẽ imminui, modò hinc suas opes atq; potẽtiam amplificare possit. Ad alterum hoc respondeo, illius reuera partes esse omnia Germaniæ causa velle, salutem eius atq; incolumitatem summæ illi curæ esse debere: quid porro in ea causa efficiat, vos re ipsa satis videtis, qui præ immodica ambitione & cupiditate, spreta honesta & æqua conditione quę ab ijs quos accusat ferebatur, qua vobis licebat in otio & quiete dignitates vestras tenere, tam formidabilem vobis hostem concitarit. Ita eius temeritate ex ipsius regno non multo minus Christianis perijt, quàm supereſt. Ad caput tertium, quartum & quintum, fateor hac demum ratione Germaniam incolumem conseruari posse, si fortiter & strenuè Turcæ obsistat: fateor optimè rum obsistere posse, si coniunctis voluntatibus coalescat: fateor illud quoque, hoc eius consilium minimè esse, vt alio bello illius vires dissipare atq; labefactare cogitet. Cur ergo, quum ista tam bene norit, non omni opera cauendum sibi esse iudicauit, ne Regi hanc tam vrgentem belli ineundi occasionem daret, imò necessitatem imponeret? Itane operam dat, vt officij prætextu, quo illum functurum esse credibile fuerat, id vobis verum esse persuadeat quod omnino secus habere res ipsa clamat? De sexto capite, is meo quidem iudicio (quod & sanis omnibus probatum iri confido) vires vestras disiungere minimè cupit, qui quoties vel minimam dissensionis scintillam inter vos animaduerrit, occurrere festinauerit. Id quod diligẽtissimè præstitit princeps meus Rex Christianissimus. Nam & ex vobis multi sunt testes quàm sæpe ipsius missu & iussu ad vos venerim, vt rationes exponerem, quas ille æquissimas & commodissimas reperisse videbatur, quibus alios alijs placaret & in gratiam reduceret, inter quos nonnihil controuersiæ inciderat.

AD septimũ excipio, qui beneficiarios principatus à suprema Imperij autoritate abstrahere conantur, quos postea in priuatas ditiones Imperiali clientela liberas erigant,

1541. qui Augustanis comitijs adduci se non passi sunt, vt quicquid nõ illorum sumptibus aut periculo vel Turcæ adimeretur, vel ab eo reciperetur, id imperio Romano adiungi deceret, sed ad suas domesticas & gentilitias opes accedere debere contendebant: eos demum aio esse qui non modò Imperij potentiam augeri non cupiunt, sed eam labefactare & imminuere studeant. Quin & eos ipsos assero esse (vt ad postremum caput tandem veniam) qui Imperiales possessiones sibi ascíscere cupiunt, non eos qui iustissimis de causis in antiqua se patrimonia, quæ ad Imperialem clientelam pertinent, restitui postulant, seséque pro sinceræ fidei erga sacrum Imperium beneficiarijs gerere constituunt atq; pollicentur.

HACTENVS vobis viri ornatissimi, rei prima quasi lineamenta duxi: reliquum erit duntaxat vt postea (si quid fieri postulabit) perpoliatur, & suprema imposita manu dilucidius ob oculos vobis ponatur, ac diligentius omnibus Vastij rationibus sigillatim refutandis exprimatur. Quod tamen vt necesse sit fieri, si bene vestram noui prudentiam & accuratum iudicium, quo verum à falso distinguitur, futurum non puto. Itaque prolixiore ratiocinationis ambitu circuncisò, sic causæ summam in pauca contrahere posse videor: Quis Christianorum pacem atque concordiam turbat? bellum aduersus impios difficile reddit? arma aduersus Christum ipsum sumit? Si quidem appositè respõdet Vastius ab eo sumi qui bellum inter Christianos fouet, vos illud, opinor, non estis inficiaturi, si bellum is suscitare videtur qui renouandi causam præbet, si bellum qui fouet, difficultatem oppugnandi Turcæ obijcit, profectò qui belli inter Christianos nouam causam præbuit, bellum ab eo contra Turcas impediri & difficilius reddi non est dubium. Iam illud quoque assensuri estis, si hæc renouandi belli causa ab iniuria Regi illata (quo nihil certius est) nata est, dum eius legati indigno facinore contra ius gentium violati & necati sunt, si nefandæ illius cædis autores Cæsarianarum sunt partium, hinc effici vt à Cæsarianis causam & initium belli renouandi extitisse dicamus. Quin & hoc postremum concedetis, eum iniuriæ factæ agnitionem profiteri, qui in suos ob illatam, quum posset, non animaduertit: qui agnoscit tanquam inferri mandauerit, eodem loco haberi illum atque si intulerit: vnde consequi vt iniuria ab eo illata esse videatur, qui vlcisci, quum posset, neglexerit. Iam verò Cæsar iniuriam Regi legatorum nec e illatam vlcisci potuit, nec vltus est. Quare Cæsar iniuriæ se autorem agnoscit, Cæsar iniuriam intulit, Cæsar hac iniuria inferenda belli renouandi causam præbuit, Cæsar pacem & cõcordiam Christianorum perturbat, Cæsar bellum aduersus Turcam difficultate obiecta impedit. Denique (vt summatim concludam) Cæsar ipsa Vastij oratione & inductione arma contra Christum sumit, dum bellum inter Christianos fouet.

VIDETIS ornatissimi viri, quemadmodum hæ argumentationes atque enthymemata præ illis alijs optima serie ex differendi artis legibus incedant, quemadmodum firma consistant, vt nulla ratione labefactari & expugnari queant, propterea quòd ipsa veritate nituntur. Itaque quid habet Vastius quod ad ista adferat? Nisi fortè æquum censet vt Rex tam insigni à Cæsare accepta iniuria, qua vix alius vnquam princeps illi par affectus fuit, de illa tamen persequenda non cogitet, sed patienti animo sit illi mussitanda, si modò Cæsar postea dictitet se populis impijs & infidelibus quos vocant bellum inferre decreuisse. Enimuero quis impius aut infidelis magis est quàm qui fide & lege caret? cui nihil est sacro sanctum? qui quid agat, nihil sua referre putat, dum sua paret commoda? qui quicquid libet, licere putat: quicquid licere putat, audet? quicquid audet & conatur, in eo habere se arbitratur quod prætexat aduersus eos qui iustam vindictam parant? si apud omnes vociferetur, sibi negotium facessi & exhiberi molestiam, dum sanctas expeditiones pro tuenda vel augẽda pietate suscipere cogitat? Id nobis omnibus non est compertum, præclaras istas expeditiones, quas iactat & obtendit, nunquam ad pietatis negotium spectasse, ac ne nunc quidem spectare? ista priuatæ tantùm ambitionis, dominationisque ac tyrannidis augendæ causa ab eo instituì?

NON satis illi est quòd Rex Christianissimus arma quæ in manibus habebat, vt legati Mervillij sceleratam necem vlciscerentur, deposuerit tamen, ne Tunetensem expeditionem remoraretur? Quid porro ex ea re boni Christianis accesserit? qua tandem re nostra religio amplificata est? Equidem nihil prorsus video, nisi fortè inde amplificatam esse respondet, quòd regnum illud Mahumetano ademit, vt alteri itidem Mahumetano

no traderet: quasi religio nostra eo sit potiore conditione, quòd Tunetense regnũ Maurus teneat, quum antea Turca illic regnaret.

Quod si illam Regis patientiam Cæsar sibi minus sufficere ducebat, at illa certè expleri debuit, quòd Rex secundam hanc iniuriam legatis indignissimè illatam passus est, & multa alia quæ in præsenti omitto, dicturus si quis me prouocare pergat, atque ab ea persequenda abstinuit, donec ille ab Argeriana expeditione reuertisset: tametsi occasionem valde opportunam tum nactus videbatur, dum ille aberat, ac postea etiã pulso & profligato Cæsariano exercitu: qua si vti voluisset, poterat tum hanc iniuriam paucis obsistentibus vlcisci, tum auitum illud patrimonium recuperare quod Cæsar dominis meis liberis Regijs ademptum pridem per vim & nefas occupat. Quousque tandem viri illustrissimi, quousque hac Regis patientia & lenitate Cæsar abutetur? Hoccine postulat vt tum denique tot iniurias ille persequi & sua repetere incipiat, dum omnibus prouincijs sigillatim adimendis, toto eum tandem regno ac patrimonio spoliet, deinde nelatrocinio ablata repetantur, rumorem spargere decreuit expeditionem aduersus Turcam à se susceptam? Ego verò hoc illi faciendum esse nego: imò hoc affirmare non dubito, eius esse partes, vt non modò fines populi quem suæ fidei à Deo creditum tenet, defendat, verùm etiam arma aduersus istos primo quoque tempore, & facultate quæ maximè opportuna dabitur, sumat. Cuiusmodi sanè facultas quum illi nuper longè commodissima daretur, quòd Cæsaris vires diuersis locis dissunctæ separatæque errant, ipsi perspicuè animaduertere potestis quàm sincerè vos per legatos monuerit (vt qui publicam Christianorum salutem priuatæ cupiditati semper anteponendam existimauit) vt antequam bellum hoc Turcicum susciperetis, considerate apud vos & prudenter consulatis, num ad incipiendum & ducendum tam graue bellum satis vobis virium suppetat, quod profecto vno prælio aut certamine non conficietur.

Ex quo etiam certi cuiusdam sycophantæ calumniam cognoscere potestis, qui quum se Philalethen nominet, hoc pium & prudens Regis Christianissimi consilium, summa impudentia vituperare, & animum candidum sinistra obtrectatione in malam partem rapere conatus est. Quem tamen dubitare non potestis, si quidem facilem & paratam victoriæ occasionem arripere voluisset, ac non vestra omnium negotia pluris fecisset: quod quidem columen reuera est ac fulcrum Imperij, Christianique orbis pars potissima (quemadmodum) Vastius ipse non minus verè quàm loco parum apto in literis exclamat, quasi solus velut pueri fabam, quod aiunt, in libo id reperisset) si inquam, priuata commoda publicæ vtilitati anteposuisset, suasurum potius vobis fuisse vt temere in hoc bellum præcipites rueretis, vnde faciliorem multo victoriam sibi pollicieri posset. Sed ita ab incunte ætate familiam suam instituit, vt vitam viuat Christianam & inculpatam, in qua ad extremum vsque spiritum perseuerare decreuit: Quamobrem si is qui huiusmodi declamationes excudendas & spargendas curat, se coram sistere audet, vt affirmet Regem hoc vobis bellum dissuadere (quemadmodum Vastius extremis suis literis vobis ostendere conatur) ne vestrum Imperium confirmetur, & fidei nostræ hostis debilitetur, pro qua scilicet tuenda iste sanguinem profundere & animam exhalare cupit, hoc vobis cõfirmo, viri ornatissimi, huic declamatori & nouo isti ac glorioso martyri non defuturos homines Regiæ dignitatis atque amplitudinis studiosos, qui armati docebunt eos turpiter & fœdè mentiri, ac toties mẽtituros quoties id dicere in animum inducent.

Invitvs me hercule, viri celeberrimi, facio vt in hæc verba prorumpam, itaque vobis hac de re purgatum me esse summopere cupio, quem huc non ferenda in Regem principem meum maledicta & conuicia adegerunt. Atque finem hîc scribendi facerem, nisi & ex superiori mea oratione satis vobis constare posset me Vastij literis priuatim perstringi, quòd illa Regis aduersus eum expostulatio non aliunde nasci potuit, quàm ex ijs quæ illi per literas significaueram, quemadmodum nefaria illa cædes perpetrata fuerit, & Vastius ipse præter id quod dixit, de integro iactaret ad se purgandum ratione vel ciuili vel militari se vti cõstituisse. Quæ quum ab eo dicta sint, malè profecto meo nomini & existimationi consulere viderer, si hæc ab illo ad hunc modum dicta silentio præterirem. Quamobrẽ vt respondeam, Regis principis mei voluntate fretus, à quo me repulsam non laturũ esse confido, palam dico hanc me conditionem libentissi-

1541. me accipere, vt ad maius lumen veritati afferendum, is sim eques cataphractus quem ipse tanta ferocia lacessit, qui vtranuis rationem, qua sui purgandi causa vti cõstituit, refutem, quam ad rem ipse me, quoties ac quumprimum prouocare volet, paratum reperiet. Ita quum diuersam ab illo sententiam defendero, tum vobis tum vniuersis mortalibus planũ fiet quàm illius oratio à vero aliena sit. Deum opt. Max. oro, vt valetudine integra diuturnam ac fœlicem vitam vobis largiatur, Christiano orbi eam quietẽ & solatium quale illi ex vsu esse nouit, concedat.

Rex ad bellum gerendum necessarijs causis adductus.

REX quum nullam satisfactionis spem superesse videret, nisi eam rationem iniret, quæ cuiuis principi, qui nullum se superiorem agnoscit, iure gentium permittitur; quum præterea nullum neque domesticum, neque externum consilium sibi dari perspiceret, quod non huiusmodi esset, vt non solùm sententia illa confirmaretur, sed etiam necesse esse iudicaretur, animum ob tam insignem iniuriam iusto dolore exulceratum ostendi, ne in posterum, si illam nunc in se acciperet, vel socordiæ vel abiecti animi vitio notaretur, ac pacis à dissimulato hoste adumbratæ simulacrum impedimento fuisse videretur, quominus arma, quæ socij omnes & amici necessaria iudicassent, sumpsisset: his omnibus, inquam, causis permotus bellum suscipere decreuit. Existimabat enim, qualis tandem rei euentus Dei nutu futurus esset (cuius in arbitrio rem totam reponebat, suique iuris & æquitatis spem omnem locabat) quòd rem susciperet, nonnisi laudi datum iri, quòd inultam negligeret, turpe & dedecorosum fore. Etenim si tam detestãdum facinus impune hostis ferret, quis, inquit, dignum me eo loco iudicabit, quem maiores mei tanta cum dignitate quæ fierunt, tenuerunt & seruarunt? Quis tandem est qui sibi ad huius diadematis, maximè celebratum portum sibi confugiendum esse putet aduersus tyrannorum oppressiones ac tempestates: vt multi superioribus seculis tum reges tum principes vexati non minus fœliciter repererunt, quàm necessariò quæsierant? Sed quid ego ineptus externa & friuola exempla congero? quid alienorum sententiam confector?

HABEO rationes vernaculas & familiares, quæ rei gerendæ quasi formam præscribant, vt nihil necesse sit externa incommoda respicere quæ decoro tantùm nituntur. Quin potius boni patrisfamilias & sapientis gubernatoris exemplo id arripiamus, quod vtilitatem cum honestate coniunctam habet. Si hodie patior vt eius autoritate, à quo minimè omnium mihi vllam iniuriam oriri oportebat, nulla de causa aut occasione, tam proiecta & impudenti audacia mei legati cæsi & mactati sint, (at qui & quanti viri Deum immortalem! dignitate, fama & familia clarissimi, qui sua virtute & probitate consequuti fuerant, vt alter gradum inter eximiæ nobilitatis primarios viros obtineret, alterius laus edito loco atque illustri inter magnates sita emineret, ambo principum fratres & amici appellarentur) vt nullam ex eorum cæde doloris significationem præbeam: si temporis duntaxat longinquitate & rerum præteritarum obliuione vt illorum sanguis obliteretur expecto, si dum illorum eladem sepelire studeo, eam denuo excito, si mea turpitudine illorum calamitatem augeo: quis deinceps reperietur, qui ad huius monarchiæ salutem tuendam vitam periculo obijcere sustineat? Omnes me hercule non solùm eius causa discrimen adire detrectabunt, sed & eam indignam cui suã quis operam nauare velit, & me indignum qui eam administrem, iudicabunt. Quibus rebus breui fiet vt respub. cui insidiantur inimici, deficiant amici, nullæ adsint firmæ hominũ voluntates & studia, eum interitum experiatur, qui fere ijs dominationibus imminere solet, quæ vel à minimè sapientibus viris administrantur, vel prudenti & salutari consilio destituuntur.

PRINCIPIBVS vitio tribui solet, quoties eorum cædem non vindicant quos fœdere sibi in societatem asciuerant: quanto id fieri æquius est in ijs quos à natura ipsa in fidem & clientelam acceperunt? Parum honorificum est si quis non resistendo ditionis suæ partem adimi sinit, quam à maioribus acceperit: multo minus futurum est, si quis absque vllo indignationis documento eum opprimi patitur, quem vel natura subditum, vel electio addictum ad salutem seruandam conciliauerat. Etenim non rarò accidit vt qui prouinciæ, cui dominus præest, partem ab alio occupari sinit, eam non deteriori se aut etiam præstantiori cedat: vt ista dominij mutatio populo non solùm tolerabilis, verùm etiam vtilis interdum ac salutaris existat: quòd oppressio nisi molesta

esse

esse non potest. Quare negari hoc nequit, quin maiori probro dignus sit, qui in quos autoritatem habet, eos iniuria affici patitur, quàm qui per vim manibus extortos ab alio auferri sinit. Quæ quum adeo vera sint, ecquod tandem probrum, aut potius quod non tandem probrum mereri videar, si ad meos tuendos tardiorem me præbuero, qui alios opibus & auxilio tanta alacritate iuuare consueui? Quàm mihi turpe fuerit, si potentiam meam exponere non ausim, vt meorum quietem tuear, qui toties caput meum periculis obieci vt prouincias defenderem? Priuatus aliquando non dubitaui populum fusum, fugatum & perterritum hoc corpore tegere, qui aduersus duos principes oculos tollere non sustinebat, ex quibus alter præpotens & victoria clarus rex erat, alter non ignauus bello, licet parum fortunatus Cæsar. Nunc quum eiusdem populi caput & Rex sim, illi præsidio esse reformidabo, vt aduersum vnius iniuriam eum tuear, qui huic populo nec damnum vnquam intulit, nec terrorem incussit? aliquoties tentauit, nunquam domuit? arte non semel, victoria nunquam vexauit? Illum verear ab eius præsenti oppressione liberare, quem pridem prælio superatũ illi in manus tradere potui, si postquam me tanta petulantia toties prouocauit, vel semel impetum meum & aduentum expectasset? Roma, Germania & Hispania illum immodica verborum magniloquentia exultantem audierunt: Valencenæ & Prouincia fugientem se vidisse testari possunt. Hoc demum consilium, hæc rata est sententia, quam nos amplecti vtilitas monet, honor incitat, necessitas cogit. Nam quod ad inducias violationem pertinet, quam nobis aduersarij pro veteri more obijcere poterunt, reperio me in ea re abundè ipsi Deo (si loqui sic fas est) satisfecisse, hominibus quidem satis superque meam causam probasse, vt omnes sani iudicij homines cognoscent, & sinceri animi fatebuntur: quid alij cogitent vel loquantur, non valde sum solicitus.

Rationes quibus nonnulli bellũ Regi dissuadebant.

His rationibus facilè assentiuntur quotquot Rex in consilium adhibuerat, quorum vel integritati maximè confidebat, vel prudentiam perspectam habebat. Non deerant sanè in diuersam sententiam rationes, quibus bellum dissuaderetur, nec suo ponderet aut momento illæ carebant: nam & publicè optabilem illam pacis quietem, bonorum vbertatem, & commercij libertatem ostendebant: deinde priuatim quoque, & quidem principum in primis causa, eorumque qui primariam dignitatem obtinebant, occurrebant voluptates, oblectationes, honores & lusus: præter cæteros autem ista ad Regem ipsum spectare videbantur. Is enim, vtpote homo, (vt quod res est dicam) huiusmodi hilaritates in tempore non aspernabatur: ac pacatis quidem temporibus, qualia tunc erant, illis abundè frui supra reliquos poterat: bellum ingresso ijsdem carendum erat, quippe quæ in aliquod tempus, & fortè etiã in totum vitæ reliquum cursum ponere cogebatur. Hæ sunt rationes quæ initio ad dissuadendum bellum proponebantur. Verùm postquam cum alijs cõferri cœptæ sunt, statim splendorem omnem amiserunt, non secus ac quum gemmæ adulterinæ cum germanis & orientalibus comparantur. Ita res omnibus approbantibus, nemine dissentiente constituitur. Quanquam nonnullis videbatur operæpretium esse eam, quum tanti momenti esset, in aliquod tempus trahi, dum auxilia vndique conciliarentur, & res pecuniaria expediretur: præsertim quum plerique principes ac dynastæ Regis amicitiam societatemque ambirent, qui vel sangui ne redemptum cupiebant, vt bellum inter potentissimos istos monarchas conflaretur, eo consilio vt se in alterius tutelam & fidem cõferrent, quò ab alterius metu tuti essent. Quem quum totius orbis Imperium spe pridem vorasse certò scirent, Regi, cuius fidem satis exploratam habebant, nihil denegassent, quod quidem ex æquitate ab eis petisset, vt arma aduersus communis omnium libertatis hostem caperet.

Illvd quoque contrà verisimile erat (quod superiorum temporum euenta satis superque docuerant) posteaquam semel sua sponte bello indicto incerti exitus aleam solus subijisset, reliquos de certamine duntaxat spectando solicitos fore, ac Regi votis potius quàm factis, studio quàm viribus, societate & confœderatione quàm re numaria opem esse laturos. Ac præter cæteros quidem ab Anglo exiguam fidem expectandam esse valde probabile erat. Neque verò Rex ipse ambigebat, quum ille superiore bello tot pactionibus & verbis se belli socium fore pollicitus, soli tamen omnem molem grauissimi belli ferendam reliquisset, quin consimilis ab illo destitutio ac fortè etiam detrectatio aliquid metuendum esset. Cur id suspicaretur, in causa hæc erant, quòd ille sibi non

1542. placere præ se ferebat, Cæsari tam honorificum per mediam Galliam iter ac transitum concessum, & tantam vbique humanitatem præstitam fuisse. Sed magis hominem (si rem ipsam libet considerare) vrebat, quòd Rex Scotum duobus amplissimis coniugijs alternatim ornauerat, primùm quum filiam Magdalenen illi desponderet, deinde ducis Guisij filiam ducis Longouillani viduam: præterea quòd Ardream cõmunisset, quæ Caleto instar freni esset. Hoc autem illi longe omnium molestissimum erat (tametsi dissimulabat) quòd nullis nec pollicitis nec pactionibus quamlibet amplis (vt ipse quidem dictitabat, sed reuera supra modum iniquis) Regem eò potuerat adducere, vt religionis statum & morem receptum mutaret. Verùm ne sic quidem spes omnis de eo ad societatem asciscendo erepta esse videbatur, quòd & de Rege præclarè sentiret, eumq; semper non leui honore afficisset, & Cæsari infensus videretur, quum memoria teneret eũ fidem sibi datam soluisse, & illius ambitionem apertè damnaret. 10

Sed tamen vt æquis quibusdam conditionibus spes esset illum belli socium fore, spatio certè nonnullo temporis opus erat, vt ab eo propter ingenij leuitatem, ratum aliquid ac constitutum haberetur. Idem sperari etiam à nonnullis Germanis, maximè à Protestantibus posse videbatur. Etenim quum antea confœderationis quam bona eorum pars vltro proposuerat, repulsam passi viderentur (causa quippe recusandi fuerat, quod Rex rei huius siue exemplum præbere, siue suspicionem populo ob sectarum varietatem inijcere verebatur: simul quòd Cæsarem, cui omnem de se expostulãdi ansam præcidere studebat, suspicari nolebat cum eius hostibus, licet non omnino apertis, quic quam se necessitudinis habere) huius rei colloquia intermissa tum fuerant. Postea quidam ex eis interrupta clanculum denuo contexere conabantur: cuius rei perficiendæ multo maiorem quàm antea spem dari apparebat. Nam quòd Rex Cæsaris cum tãta integritatis religione rationem habuerat, nũc tam insigni lęsus iniuria causam reperisse videbatur cur hunc metum deponeret. De exemplo illo quod reformidarat, res in multo commodiorem locum redacta fuerat. 20

Ea enim confœderationis ineundæ ratio ostendebatur, vt magna & tantumnon certissima spes Germaniæ ad sanitatem fideique concordiam reducendæ fieret, vt grauissimæ illæ controuersiæ componi possent: ita ex eo fœdere plus boni quam mali exempli etiam homines maximè auersos à vero præberi iudicaturos. Accedebat etiam, quòd quum Cæsar antea huiusmodi fœdus & societatem iniri prohibuisset, huius rei periculum magna ex parte sublatum erat. Etenim hominis ambitione Germanis principibus magis patefacta quàm tum fuerat, & simulationis larua detracta, facilius erat huic malo occurrere, & quod ille impedimentum obijcere conaretur, auferre. 30

His igitur in summa rationibus adducti plerique differendum esse bellum censebant, dum illos ad societatem adduxisset, maximè verò vt rei pecuniariæ maior copia pararetur. Nam Rex confecto proximo bello, id potius operam dederat, vt populi egestatem minuendis vectigalibus subleuaret, vt nobiles & primarios viros muneribus amplissimis afficeret, vt canonem ipsum partim à maioribus partim à seipso alienatum redimeret, vt denique pecunias mutuò à multis acceptas restitueret, quàm congerendis nouis studuerat. Hoc vt faceret, ea præcipuè causa permotus fuerat, quòd Cæsarem, à quo vno ad tantos illos sumptus faciendos adigi poterat, putabat vel fidei toties interpositæ religione tactum, vel tot beneficiorum & tam crebrò acceptorum memoria adductum, vel denique cura aliqua ac studio si minus publicæ Christianorum quietis, at priuati certè commodi cohibitum, neque bellum renouaturum, neque vt ipse renouare cogeretur, occasionem præbiturum. Ac ipsæ sanè Regis rationes hoc potissimùm postulabant, vt tempus aliquod prorogaretur, cùm ob illas superius allatas causas, tum vt spatium daretur ad aliquot oppida munitionibus cingenda, quæ partim in ciuitatinis partim transalpinis regionibus cœpta, nec dum absoluta, aut certè nondum eò perducta erant, vt ad vim hostium arcendam satis firma essent. 40 50

Rationes quibus Rex adbetum suscipiendum vrgebatur.

His causis tamen tria repugnabant. Vnum, quòd pacis istius adumbratæ simulacrum Cæsari opportunissimum prætextũ suppeditabat, quo extremæ Galliæ oppida repentina occupatione auferre subinde tentabat. Etenim hoc quotidie in apertam lucem extrahebatur, quòd patefacto quodam atque impedito clandestino consilio, ilico tanquam Hydræ caput, aliud susceptum in eius locum erumpebat. Rex autem ægerrimè

huic

huic malo occurrere poterat, propterea quòd per inducias commercio & communicatione Cæsarianis interdicere nefas sibi esse videret, vnde proditoria ista consilia nasci intelligebat. Alterum, quòd suos non posse impediri perspiciebat, quin ad Cęsaris ditiones & fines commearẽt: nisi hoc diserte vetaret, atque adeo non obscurè bellum (quod vnicè metuebat) denuntiaret. Illi porro quum tuta sibi omnia itinera pollicerentur, incauti in hostium manus delapsi summa crudelitate trucidabantur, vt ius nullum in tanta iniuria obtineri posset. Hoc nuper ad Padum flumen (vti à nobis suprà dictum est) & aliis locis acciderat. Ex quorum nece Rex, qui suorum tutelam ad se iure naturæ pertine re statuebat, non leuem iniuriam ad se peruenire arbitrabatur, vt nisi illam vleisceretur, vitio sibi tandem esse iudicaret. Tertium denique adeo vrgebat, vt vitari nulla ratione posset. Multa siquidem cõcurrebant, cur Rex coniecturã faceret (ac sanè præter opiniones præsumptas id ad illũ nuntiis nec incertis nec obscuris perferebatur) Cęsarẽ, quoniã sibi bellum apertè indictum iri cognosceb at, nisi intra præfinitum tempus de execranda illa cæde satisfaceret, vt huic periculo obuiam iret, tempúsque interim produceret, dum quæ machinabatur perfici possent, nouum aliquod spectaculum studij quo totus scilicet erga Christianam Remp. ardebat, obiecturum: qualia fuerant illa de Tunetensi & Argeriana expeditione, sicque apud se dicturum, Obtundam atque implebo hominum aures magnifico quodam rumore belli Christianæ religionis hostibus inferendi: ingentis cuiusdam apparatus specimen ostentabo, sed meorum sumptibus, atque eorũ quibus maius à finitimis hostibus periculum impendet, quibúsque verba dare minus difficile est, vt ad tantas impensas quamminimum ipse conferam. His rebus fiet, vt Regem idonea occasione data, magno verborum splendore hoc bellum exornans, rogare imò seria adiuratione obsecrare obtestarique, tum per nomen quo ipse nuncupatur, tũ per amicitiam nostram non dubitem, ad illud gerendum vt me vel viribus vel pecuniis iuuet. Tametsi autem eum non putem esse qui facilè in re adeo perspicua decipiatur, præsertim cui meæ artes non sunt ignotæ, tamen hoc saltem (eorum exemplo qui iniqua petunt, æqua vt obtineant) impetrabo, vt tanti sper suo honori & publicæ omnium opinioni, dum expeditionem istam aut apparatus nomen obtendi audiet, adeo seruiendum esse putet, tantámque rationem habeat eorum quæ vulgi sermone in se alioqui dictum iri prospiceret, vt minimè dubium sit, quin se quietum contineat, quò famæ suæ (qua nihil habet antiquius) consulat, ne scilicet hoc bello quod mihi intulerit, salutem publicam retardatam esse homines passim obiiciant. Sic suas rationes Cæsar instituerat, assturè profecto ac veteratoriè, siquidem cũ homine parum prudenti & qui dolos artésq; illius nõ teneret, rẽ habuisset. Etenim si in vulgus semel sparsus antè fuisset ille belli Africani aut Turcici fumus, quàm bellum inter duos principes conflaretur, non est dubitandum, quin qui vnius ingenium non callebant, alteri tam sanctæ expeditionis retardationem vitio daturi essent.

His causis Rex adductus, simul quum videret nihilo leuiorem impensam sibi esse continenter ferendam, nec paucioribus militibus stipendia numeranda tum in Italia tũ in ora Narbonensi & Prouinciali (quibus clancularias Cæsaris machinationes ad oppida occupanda impediebat) quàm si apertè indictum bellum gereret, his (inquam) omnibus consideratis, non diutius eunctandum sibi esse statuit, quin maturè quæ consuluerat, faceret. Omnino duæ occurrebant rationes, quibus hoc bellum capessereturr: Vna occultior & non absque dolo, quæ plus tamen vtilitatis ostendebat: altera apertior & simplicior, longè minus commoda. Quod enim ad primam spectat, Regi multæ conditiones à certis viris ferebantur, vel offensione quadam, vel vindictæ cupiditate, vel partium studio, vel auaritia, vel alia animi perturbatione, à multis denique pattiæ amore impulsis, cuius salutem quærebant, & libertatem opprimi dolebant. Quibus quidem conditionibus nonnulla oppida in Cæsaris vel ditione sita, vel fidei eius & clientelæ credita, repentinò & clanculũ occupare poterat. Atque ea tanti erant momenti, vt illorũ acquisitio iustum præmium diuturni & formidolosi belli meritò haberi deberet. Itaq; quum illis occupandis (qui verus erat belli gerendi fructus & scopus, quem sibi quispiam imperij propagandi cupidus bellator ob oculos ponere debebat) Rex iniuriam abundè vlcisci posset, pauci has conditiones recusandas putabant, quum illa nullo strepitu, nullo periculo, nullo detrimento, nullis armis perfici posset, pecunia tantùm, cáq; perexigua,

1542. si rei quæ comparanda erat pretium æstimare liberet. In altera belli inferendi ratione, quæ aperta clarigatione constabat, minus vtilitatis conspiciebatur, sed plus honestatis publico hominum iudicio inerat. Nam si clanculum occupatis oppidis bellum facere exorsus fuisset, calumniæ fenestrã multis aperuisse videbatur, qui illum cupiditate magis quàm æquitate & iure (id enim est quod hoc loco vltionem appellamus) adductum esse criminarentur. Quæ quum apud se expenderet, famæque maiorem quàm commodi rationem habendam iudicaret, consilium repudiat quod multi suadebant, quódque ab illo sperni molestissimè ferebãt, ac bellum aperte duobus locis inferre decreuit, hinc ab Hispania, vt comitatum Rossilionensem inuaderet, hinc à Belgio, exercitu in ditionem Lucemburgensem ducto.

Quæ regiones sibi bello primo deindas esse censuerit.

Dvas igitur regiones sibi deligendas censuit, quas inuaderet, vt manifestiorem iustæ aggressionis causam afferret, non eam tantùm simplicem qua hostem fœdifragum adoriri licet, sed aliam magis propriam, vt eas prouincias bello repeteret, quas sibi ademptas nullo iure ab illo occupari sciebat. De Lucemburgensi enim ditione præter illud ius auitum quod sibi superiorum ætatum reges vindicabant, maximè quòd eius dominium Ludouicus dux Aurelius Carolis Regis sexti frater acquisierat, aliud insuper transcriptitium proximè accesserat, quo illi tum legitimi germani & gentilitij domini (quos Philippus dux Burgundiæ & Carolus filius per vim tantùm & iniuriam spoliauerant) etiam Marcani ipsi, quibus in eam non vulgare ius erat, cesserant. De Rossilionensi porro seu Ruscinonensi comitatu, non pauci adhuc sunt superstites, qui memoria tenent Carolum octauum Ferdinando, qui tum Arragoniæ regnum tenebat, illum tradidisse, deceptum & in errorem inductum à Franciscano quodam Oliuario Mallario. Is enim quum Regi esset à confessionibus, & mira quadam in speciem vitæ sanctimonia commendaretur, à Rege Arragoniæ pecuniis & largitionibus corruptus (quod iis fere vsuuenit qui pietatis & virtutis specie se se ostentant) principẽ suum nefarie & impiè prodiderat. Quamobrem nec eam prouinciam Carolus emancipare Gallici fisci incommodo poterat: nec (vt potuerit) cõditiones in transigendo vicissim ascriptas vel Arragonius vel hæredes præstiterant: ac proinde Carolus Cæsar, qui nullum aliud ius obtendere poterat, hunc comitatum nonnisi per vim atque iniuriam occupatum tenebat. Neque verò Regi bellum inferre cogitanti deerant alia loca tum cisalpina, tum transalpina, à quibus initium duceret, ad quæ & occupanda maior facultas & ad repetenda non minor causa & ius ei dabatur: verùm ea duo præ cæteris deligenda censuerat, in quæ impressionem faceret: Rossilionem, vt aduersarium ad prælium alliceret. Nam quum in propria ditione adeo propinquus esset, imò domi cum viribus sederet, in eorum consessu apud quos nominis sui gloriam maximè prædicare & efferre consueuerat, vix credibile erat eum pugnam detrectaturum esse. Lucemburgensis regio commoditatem summam habere videbatur, vt minore suorum periculo Germanorum auxilia exciperet. Potissima tamen eam deligendi causa erat, vt locorum propinquitate facilius duci Cluienſi præsidio esset, cui Cæsar extremam perniciem & miserrimã inter vniuersos Christiani nominis mortales conditionem continenter minabatur, se potius ipso diadema abdicatum iri, quàm vt illi vel tantillam agri latitudinem relinqueret. Quæ quidem minæ clara ab illo voce efferente exauditæ fuerant, ac ipse in Belgio grauem aduersus eum tempestatem clanculum concitauerat. Itaque Rex de his omnibus certior factus, suum hoc esse consilium Cæsari ostendere constituit, vt iis locis illum adoriretur, tum vbi ipse præsens aderat, tum vbi maiorem apparatum bellicum fecerat.

Rebvs ita constitutis confestim huic bello gerendo imperatorem præficit ducem Aurelium minorem natu filium, cui cataphractos ad sexcentos attribuit, Germanorum peditum octo millia, Gallorum sex, Claudium ducem Guisium legatum adiungit, qui propter illius adolescentiam rebus administrandis præesset, Iamelium, Sedanii, Aumalium Guisij primogenitum, Francisc um Borbonium Anguianum Vindocini fratrem, Rupemenium, turmam equestrem connestablij ductore Guichio, atq; alios multos equites rei militaris peritia, virtute & vsu præstantissimos. Rossilionem Delphinum mittit, cui tanquam Regiæ dignitatis & nominis hæredi, splendoris & rerum gerendarum magnitudinis stimulo animum excitare ad virtutis maiorem imitationem cupiebat. Annobaldo, quẽ virtutis ergò auxerat & ornauerat, cuique non paruam fidem habe-

bebat,imperat,vt apud eum in summa rei bellicæ administratione adesset:cui molestię & curæ socium Mompesatum,qui prouinciam Narbonensem tum temporis prorex tenebat,& alios magno numero principes,viros nobiles,ordinum ductores,honoratos ac rerum administrandorum peritos attribuit. Delphino hoc maximo studio mandat, vt quàm celerrimè fieri posset,partem copiarum proximè Perpinianum adduceret, dū reliqui milites accederent:se statim ad ipsa loca venturum. Ad eam rem cùm multæ eū rationes deducebant,tum verò Cæsarem ad prælium allicere cupiebat. Hæc vna cogitatio illius animo obuersabatur,ad eámq; cęterę omnes reducebantur. Sic enim statuebat,simulatque Perpinianum noster exercitus cinxisset,caput scilicet Rossilionensis comitatus,atque Hispaniarum meridiem versus potissimum,imò vnicum repagulum & propugnaculum,& ab eo oppido multarum rerum commeatum intercluisset,quas ad diuturnam obsidionem tolerandam deesse intelligebat, Cæsarem tum demum vel honoris cupiditate vel necessitate impulsum ad certamen venturum : nisi mallet se coràm conspicere prouincia spoliatum à qua cæteræ finitimæ alerentur, portu commodissimo & maximè necessario totius illius oræ maritimæ,oppido denique,quo capto nō sōlùm quæ citra Pyreneum saltum tenebat,amissurus esset, verùm etiam vel vlteriora omnia prædę exponere vel ad pugnandum venire cogeretur:id quod pridē tam multis locis tanta verborum arrogantia se cupere prædicauerat. Dum Delphinus quæ ad bellum pertinebant parat,equitatum,tormenta,commeatum & impedimenta promouet,Mōpesatus etiam præter cōsuetas illius oræ copias legionarios Gallię Narbonensis colligebat,rex item Nauarræ alias ex Vasconia necnon Annobaldus ex Italia Heluetiōs, equites ferentarios,& veteranorum tum Gallorum tum Italorum cohortes adducebat:Rex eos ponè subsequi incipiebat,non adeo propinquus ille quidem vt militibus itineris rationem perturbaret,aut fori facultatem impediret,sed neque adeo ab eis remotus,quin crebrò nuntium acciperet : dux etiam Aurelius vires suas quoad eius fieri poterat maxima celeritate in vnum cogebat.

Langæo multa rationes suppetebāt bel lo in Italia fu turo gerendo

OSTENDIMVS autem non paucos fuisse qui Regi autores erant, vt multa loca facillima,& in quibus minimum erat suspicionis,Cæsare in cauto occupato. Inter cæteros Langæus qui prouinciæ Pedemontanæ præerat,de illa Cæsarianorū iniuria legatis illata certior factus,satis fore prospiciebat, vt de ea Rex vindicanda cogitaret, vt nempe ius & æquum flagitabant. Quamobrem multa oppida & oppidorum præfectos clanculum in ducatu Mediolanensi in suas partes adduxerat, eo consilio vt copias suas Mirandulæ cogeret(quorum centuriones iam paratos & ipsis paludamentis clanculum ornatos habebat)quæ decem peditum millibus,octingentis equitibus & decem tormentis constarēt,deinde rectà Cremonam contenderet:nam arcis præfectum & præcipuos milites sibi studentes habebat. Inde Laudam moueret,quam se accepturum & duo deditionum millia reperturum cōfidebat. Inde Mediolanum cogitabat, vbi quum suarū partium homines haberet,arcem munire ciuium sumptibus constituebat,qua & oppidum & castrum,ne illic se hostes commouere possent,cōtineret,Cæsarémque pecunias inde ad belli sumptus exigere prohiberet. Has res principes susceperant Petrus Strossius, comes Petilianus, dux Sommius, aliique complures tum Neapolitani, Romani tum ex Venetorum ditione. Iam verò simulatque bellum geri placuit, Annobaldus cum octo Heluetiorum,Gallorum sex,& Italorum totidem millibus, cataphractis quingentis & duobus ferentariorum millibus in Pedemontanorum fines venerat, præter firmissima præsidia singulis oppidis imposita. Itaque si Vastius ex suis locis profectus vel Mediolanensibus subsidio veniret,vel cum Langæo prælio decertare constitueret,futurum erat, vt Annobaldo Quersium, Asta, Vercellæ, Alexandria, Cazalum Monferrati,Possanum,Coniū, Alba, Quera ssium & alia magno numero exigua oppida paterent: propterea quòd ne decem quidem hominum millia ille cogere poterat, quin vniuersa oppida præsidiis nudaret Sinautem exercitum ducere institueret, inter duos nostrorū exercitus intercluſus maneret. Huic Langæi cōsilio si nemo obstitisset,illo sesquimensis spatio quo Annobaldus inutilis cum suis copiis defecit, negotium omne confici poterat Strossij & Neapolitanorum nomine,quibus belli inferendi causa erat, quòd sua bona quæ Cæsar per vim & nefas occupabat,sibi restitui flagitarent. Verùm quum Rex (vti antea dictum est) bellum apertè ac nō ex improuiso mouere instituisset,ab hac sen-

1542. tentia, quam initio sibi probari præ se tulerat, nonnullorum oratione deductus est, conditionémque recusauit. Sed verum esse vetus illud a maioribus didici, qui belli commoda percipit, ad eum decus ipsum & rei bene gestæ laudem peruenire.

Dux Aurelius in Lucemburgicã ditionem exercitum deducit.

REX quum Aurelio exercitum ducendum mandasset, Nicolaum Bossuuiũ Longouallanum ad ducem Cliuiensem & Iuliacensem ad copias tum equestres tum pedestres cogendas mittit, vt itinere per medios Brabantorum fines facto se cum Aurelio coniungeret. Quod ab eo perfectum esse postea constabit. Dux Aurelius à patre Rege ad Lininm Barrorum dimissus ad ducem Guisium cum Gallico peditatu peruenit. Postero die, qui dies erat circiter mensis Iunij decimus, anno 1542, equitatum & peditatus partem in magno quodam vico, qui medio itinere Viroduno Dunũ castrense ad Mosam situs est, conducunt. Ibi dum machinæ adueherentur, triduum morantur. Illinc profecti castra ad Danvillerium faciunt, quod oppidum in Lucemburgensi prouincia est in Cæsaris ditione. Illic se cum illis coniungit baro Hedecanus (is aliquando Gulielmi Fustembergi legatus fuerat) cum peditum Germanorum quatuor millibus. Eòdem etiam comes Mansfeldius, Pigueliuus & tribunus Recroquius cum suis quisq; peditibus Germanis veniunt: vt totus ille peditatus Germanicus ad duodecim fere hominum millia esset. Tum Mansfeldius Regi merere cœpit, & comes etiam Ringrauius egregij animi iuuenis, qui non vulgarem existimationem concitauit, cuius postea non obscura testimonia edidit. Castris ad Danvillerium locatis machinæ promouentur, quæ nulla destinata petitione absque vllo aggeris aut fossæ apparatu displodũtur. Milites qui in præsidio erant, actiorem oppugnationem veriti, colloquendi sibi potestatem fieri petunt. Dum colloquuntur, nostri milites nemine obsistente oppidum ingressi diripiunt. id verò propter oppidi infirmitatem perfacile fuit: Aurelius oppido potitus, ex ducum sententia, quibus seruandæ posse non videbatur, excindi & incendi illud iubet. Quod summa celeritate perfectum est, quippe instigante Iamesio, quòd Iamesio suo hoc oppidum maximè incommodum esse sciebat.

Danvillerium captum diripitur.

NOSTRI Danvillerio profecti Lucemburgum ire contendunt. Postridie nuntiatur aliquam muri partem oppidi Yuesi collapsam esse: qua re audita iter ad eum locum conuertunt. Aurelius & Guisius statim fossis ductis machinas promoueri iubent, quod loco perincommodo sit. Collocantur tres cannæ & vna notha quam vocãt, proximè oppidi fossam, absque pluteis, aggere & aliis quæ ad tegendos milites pertinent, quibus seruandæ committebantur. Quare simulatque diluxit, nostri crebris ex oppido glandibus petiti stationem deserere coguntur. Hostes plena luce, in exercitus nostri oculis oppido egrediuntur, vt à nemine prorsus lædi possent: machinis lora iniiciunt, quibus eas in fossas deturbarẽt. Verùm partim ob nimiam grauitatem, partim aliquot sclopis impediti, quibus ex nostri nonnulli paulo cæteris audaciores eminus illos petebant, conata perficere nequeunt. Quare plaustra quibus vehebantur inceudunt, vt machinę ipsæ lapsę iacerent. Sexto fere die quàm stratæ fuerant, extractæ Sedanum mittuntur, vt nouis plaustris imponerentur. Neque verò ea re nostri deterrentur, quin fossas & aggeres ducere ad alias machinas Arduennam versus collocandas pergerent. Deiicitur iustũ muri spatium, non tamen aditus tentatur. Oppugnatio deinde machinarum duodecim fere dies intermittitur, dum Sedano, Musone & aliis finitimis oppidis aliæ machinæ & glandes conuehuntur. Quibus acceptis alia instituitur oppugnatio, è regione superioris ad Iamesi iter: quo perculti oppidani ad colloquium veniunt. Multis habitis sermonibus, Guisius (qui ad hanc rem ab Aurelio mandata acceperat) saluis impedimentis abire, sex falconellos & pulueris quantum ad senas glandes mittendas satis esset, euehere illis permittit. Hæc deditio percommodè cessit, quòd pro militum, machinarum & telorum numero absque permagno discrimine & hominum iactura oppugnari posse minimè videbatur. Accedit quòd in media maiori ruina atque ima fossa subterraneum erat propugnaculum, quod nulla ratione obstrui poterat: vnde nostrorum magna in oppugnatione cædes fieri potuisset: vt non sit dubium Deum illis mentẽ ademisse. Oppido Cæsaris iussu præerant Nothus Sombretus, Nucellius Hannonius, qui ferrariis præerat, Famasius, Ægidius Leuantius & alij ad duo hominum millia. Quum illic Aurelius castra haberet, ad eum venit Longouallanus, quem Martinus Rossenus marescha-
lus Gueldrien sis cum decem Germanorum peditum millibus, & duobus fere Cliuiensium

ſum millibus comitabatur, qui per mediam Brabantiam iter fecerant, vt poſtea à nobis narrabitur.

Arlonis oppidi deditio.

CAPTO Yueſo præficitur Sedanius, deinde Vitrianus prætor Nantollius, Antonij ducis Lotaringi legatus. Quibus conſtitutis rebus Aurelius Lucemburgum ire pergit: Arlonem primùm venit, quod exiguum eſt oppidum octo paſſuum ab ipſo Lucemburgo millia, edito loco ſitum, & natura, ſed non perinde arte munitum. Quum noſtri appropinquarent, Franciſcus Borbonius Anguianus cum ſua equeſtri turma & aliis comitibus præit, atque oppidanis Aurelij verbis vt deditionem faciant iubet. Oppidani Yueſi capti fama perterriti (quod munitiſſimum totius prouinciæ oppidum, milite & re machinaria inſtructiſſimum habebatur) ſe & oppidum dedunt. Sub oppido caſtra noſtri locant, Aurelius ipſum oppidum ingreditur. Ibi nonnulli prædæ cupiditate adducti (tametſi diripere quicquam prohibitum erat) dum aliquid quod rapiant perueſtigant, oppidi partem incendunt, vt ægerrimè impedimenta inde abduci poſſent, quin flammis nonnihil periret. Incendio reſtincto aliquod præſidium relinquitur, ne hoſtes illo occupato noſtros commeatu prohibierent, qui Stenæo & Muſone in caſtra comportabatur.

Aurelius Lucemburgū deditione capit.

ARLONE exercitus Lucemburgum proficiſcitur. Statim foſſis & aggeribus ductis machinæ promouentur ad ſuperioris oppidi partem, quę ad dextram eſt portæ qua in oppidum à Gallia ingreſſus eſt. Murus deiicitur, ſed nō iuſto acceſſu, propterea quòd magna eſt & prærupta foſſarum altitudo, quæ in viuo ſaxo exciſæ ſunt. Milites qui præſidium illic habebant, quum numero ad tria millia eſſent, & quadringenti equites, tanto tamen terrore perculſi ſunt, vt ſaluis impedimentis deditionem facerent, ciuibus ſua libertas ſeruatur. Egreſſis militibus ſecūda fere pomeridiana, Aurelius oppidum ingreditur. Res tanta prudentia adminiſtrātur, vt poſt vnius horæ ſpatium mercatorum tabernis apertis merces emendæ proſtarent, non minori quiete atque Lutetiæ aut Rotomagi. Ciuitatii in fidem acceptæ Aurelius comitem Mansfeldiū & Piguelinum cū Germanico peditatu præficit. Hi bona fide ab omni hoſtium vi ſe illā ſeruaturos pollicentur: ſed parum ſteterunt promiſſis, vt infra à nobis ſcribetur. Ad Mommedium Aurelius poſtea iter facit, quod in ſummo monte ſitum vnum habet aditum. Aurelius oppidanos obuerſis dūtaxat machinis adeo perterrefacit, vt illi tot iam oppidis ſubactis perculſi, illius poteſtati ſe committerent: cui præſidium quātum ſatis eſſe viſum eſt, imponitur. Ita ex toto Lucemburgēſi ducatu vna Tionvilla Cæſar reliqua potiebatur. Eſt autem oppidum ad flumen Moſellam octo paſſum millibus infra Metas, quâ Treuirorum oppidum iter eſt.

Mommedij deditio.

AVRELIVS quum apud patrem Regem & fratrem Delphinum eſſe ſummopere cuperet, quòd prælium ad Perpinianum commiſſum iri ſperabat, illuc ſe recipere decreuit. Ducem Guiſium in Lucemburgenſi prouincia & Campania proregem relinquit, ipſe ad dimittendas copias Virodunum proficiſcitur: Longouallanum cum Martino Roſſeno & Germanico peditatu Lieſſam contendere iubet, qui locus inter duas regni oras ſitus eſt, vt illic ſtatiua haberent, & vel Picardis vel Campanis, ſiquid opus eſſet, auxilium ſtatim ferretur. Viroduni aliquot dies commoratus, vt cæteris rebus prouideret, ve redariis equis ad Regem Agathopolim venit, ea ſpe vt Perpinianū inde contenderet: ſed Rex de exercitu reuocando conſilium ceperat. Biduo quàm ad Regem venit, nuntiatur amiſſum eſſe Lucemburgum, deditione à Mansfeldio & Piguelino leuiſſima de cauſa facta. Hoc nuntio Rex accepto grauiter & in ipſum filium & in eos exclamauit, quibus autoribus exercitum dimiſerat: ſed ipſe ſibi meo iudicio huius rei autor fuerat. Hoſtes præterea Mommedium receperūt: quæ res tum Stenæi tum toto flumine Moſa magno erat nobis incommodo. Verùm Guiſius confeſtim conuocatis ex tempore equitatus reliquiis (nam maxima pars dimiſſa erat) cum aliqua peditum partim Germanorum partim Gallorum multitudine Mommedium aggreditur, priuſquam hoſtes quo eſſent numero animaduertere poſſent: oppidum denuo capit, cui Petrum Landam præficit, cuius egregia poſtea fides extitit: vnde Rex non parum placatus eſt. Guiſius quum ſub dio caſtra diutius habere nequiret, milites in præſidia deducit, Recrocum Germanum cum iis quos habebat peditibus, in Pedemontanorum fines mittit.

Aurelius reliēto Lucemburgo regem adit.

DVM hæc ad Lucemburgum & Perpinianum geruntur, Antonius dux Vindoci-

1542. nus, qui Picardiam prouinciam prorex adminiſtrabat, otio indulgere non ſuſtinet. Præſidiis ex tota prouincia equitum & peditum, deinde etiam machinis aliquot coactis hoſtibus ſtertendi facultatem adimere conſtituit. Erant non procul Ardrea tria aut quatuor oppidula, quæ quum ab hoſtibus tenerentur, non parum tum ipſi Ardreę tum Bolonienſi agro nocebant. Inter cætera caſtrum erat Montorianum loci natura munitiſſimum, in montis exigui iugo ſitum, quâ in tertam Oyanam, quæ vocatur, ingreſſus eſt: ex quo quicquid Ardrea egreditur, facilè deſpici poteſt: alterum eſt Turnohanum in ipſo Bolonienſis agri veſtibulo ſitum, quâ Ardrea Santaudomarum iter eſt: in eo caſtro comes Buranus dominatum tenet, ac totius regionis firmiſſimum omnino tutſtate iudicabatur. Hæc Vindocinus ſibi expugnanda eſſe ſtatuit. Re frumentaria proſpecta, & foro vinario ad Doeram conſtituto, Montorium primò contendit, quod ab hoſtibus ſtatim deſertum ipſos regionis incolas excindere iubet: quod illi moleſtiarum memores quas illius cauſa pertulerant, lubentiſſimè faciunt. Illinc Turnohanum vires ſuas cõuertit, & machinis muros quinq; vel ſex dierum ſpatio labefactat. Oppidani quum propter oppidi exiguitatem tantũ oppugnationis impetum à ſe ſuſtineri poſſe diffiderent (nam quæ hodie oppugnandi ratio eſt, eam anguſtiora oppida ferre diutius nequeunt) deditionem faciunt, vt impedimẽtis ſaluis abire liceret. Hoc etiam caſtrum funditus dirui iubet. Sed quoniam ob murorum craſſitudinem, imprimis autem maximæ turris, res diuturnam moram poſcebat, cuniculos ſuffodi iubet: deinde ſubiectis aliquot pluueris tormentarij vaſis & aditu cuniculorum obſtructo, muros in ſublime puluere accenſo ſuſtulit, reliquam partem à foſſoribus ſolo adæquari iubet. Erant alia magno numero vndique caſtella quæ hoſtes Turnohani firmitate freti tenebant: quæ ſtatim deditione facta excinduntur. Vindocinus totam regionem ad Santaudomarum, Aream & Betunam incurſionibus vaſtat, quum quidem hoſtis maiore licet hominum numero eius aduentũ minimè ſuſtineret: tãdem ſuis in præſidia dimiſſis domum ſe recipit. Ac parum ſanè abfuit quin comitem Roxium necopinantem domi opprimeret: qui ſubitò lintriculum nactus flumine tranſmiſſo Santaudomarum fuga ſe recepit.

Vindocinus in Picardia aliquot oppida capit.

Delphinus Pertiniacum frũ ſtra obſidet.

PAVLO ante oſtendi Regem in animo habere ſuos à Perpiniana obſidione reuocare, quum Aurelius ad eum acceſſit. Cuius obſidionis ſummã breui perſtringere libet, vt diſceſſum quam primum narremus. Delphinus copias ſuas Auenione coegit, vbi An nobaldus ei præſto fuerat, cum octo Heluetiorum millibus, veteranorum peditum Gallicæ gentis ſex millibus, quibus præerat Carolus Coſſæus Briſſacus, Italorum ſex millibus, cataphractis quadringentis, ferẽtariis mille ſexcentis, quibus Termius præerat. Delphinus Auenione Nemauſum & Narbonem Martium proficiſcitur: illic Mompeſatus vires cum eo ſuas coniungit, Narbonenſem legionẽ & Aquitanicæ nonnullam partem, Germanorum peditũ ſex millia, Heluetiorum deniq; qui proximè conſcripti erant, magnũ numerum: vt vniuerſi Heluetij ad quatuordecim millia eſſent. Ita totius exercitus numerus fuit ad quadraginta ferè peditum millia, cataphractorũ duo, ferentariorũ quatuor millia. Narbone profectus ad Locatam caſtra facit, inde Sauſſas caſtrum ad dextrã relinquit, miſſis aliquot ex ſuis, qui eos eruptionibus noſtris negotiũ facere prohiberẽt. Nam ad illud obſidendum morari non decreuerat, quòd ſe improuiſo aduentu Perpinianum capturum eſſe ſperabat. Verùm longè aliter accidit. Hominum quidem multitudo minimè tanta illic erat, quæ ad tantum oppidum ſeruandum requiri videretur: ſed bellicus ille totus apparatus machinarum, glandium & reliquorum inſtrumentorum, quem Cæſar ad expeditionem Argerianam congeſſerat, illic aſſeruabatur. Itaque ad noſtrorum aduentum ex cannis & colubrinis non minor glandium copia quàm ex ſclopis vndique emittebatur. Quę res ſtatim argumento fuit Mompeſatum dubiis & fallacibus nuntiis deceptum hanc expeditionem ſuaſiſſe. Non obſcuris cõiecturis iudicari poteſt hoſtes fuiſſe præmonitos, quũ Annobaldus amplius menſis ſpatio apud Pedemontanos cũ exercitu deſediſſet, iamq; inde fama vulgò ferebatur iter Perpinianũ inſtituis: id q. etiã ex ipſa itineris ratione, quũ proficiſci exercitus cœpit, facilè potuit deprehendi.

PERPINIANVM poſteaquam ventum eſt, quibus explorandi acceſſus ad promouendas machinas cura commiſſa erat, ij ſuo quiſque loco mandatum curant diligẽter: ſed locus tam glabro æquore planus erat, ſolum autem adeo arenoſum, vt neq; ſolę duci neq; aggeres excitari poſſent, quorum vllus eſſet vſus. Nã & terra vento ſtatim diſpelebatur

lebatur,&dolia viminea quum arena cõplerentur,quẽ vsum præbere possent,vt milites tuto ponẽ consisterent, facilè iudicari potest. Accedit huc quòd tam crebra erant toto murorum ambitu castella dispositæ & impositæ machinæ, vt hystricem diceres iratum totum setis horrescentem. Omnino duo erant itinera quibus auxilia in oppidum immitti poterãt,mari vnum,alterum angusto quodam aditu,quo Arragonia transitus ferè singulis viris erat. Has angustias occupatum Termius cum ferentariis equitibus mittitur: sed serò profectus nõ antè illuc peruenit quàm subsidium in oppidum intromissum esset. Quo facto hostibus studium propugnandi oppidi accessit, nostris potiundi spes decessit. Oppidani aliquando è vallo conspicati nostras machinas negligentius seruari,eruptionem suis machinis freti,quæ ex loco superiore nostros arcerent,faciunt,nostros loco submouent, vt machinas nostras in fossas deturbare conarentur: id quod facturos eos esse valde sanè verisimile erat. Sed Brissacus totius Gallici peditatus ductor, cui tamen huius rei cura nequaquam demandata fuerat,paucissimis comitatus,inermis,præter gutturale quod solum gestabat,quum ex insperato huc aduenisset,tanto eos impetu adoritur,vt cœpto desistere cogeret. Machinam in locum reduxit, vulnere tamen ad guttur aut collum accepto.

REX interim Agathopoli cõmorabatur,in animo habens ipse in castra proficisci, si Cęsar ad subsidium obsessis ferendum cum exercitu veniret. Tãdem quum suos illic cõsici,Cæsarem nullum discrimen subiturum esse pspiceret,q; oppidum absq; vllo præsidio seruari poterat,Sampaulum & amiralium Brioniũ ad Delphinum mittit,quibus negotium dat,vt quis ex tã numeroso exercitu fructus sperari posset explorarent. Renuntiant de capiendo oppido minus esse spei q̃ quo die exercitus illuc appulerat,hoc essere gionis ingenium,vt instante hyeme(cuius initium proximum erat)primis imbribus nulla ratione copiæ illinc auelli possent, torrentes ingenti aquarũ copia ex impendentibus vndiq; montibus deferri,quæ in planitiem delapsæ obiecto mari restagnarent, vt nostri gemino tanq̃ mari & montibus circunclusi tenerentur. Tum demũ, quanuis serò, rem nõ magna diligentia administratam fuisse animaduertit: itaq; Delphino per nuntiũ imperat vt obsidionẽ soluat. Exercitum ille iussus ab oppido abducit,sed perinuitus & molestè ferens,q; videret florentissimum illum nequicquam coactum fuisse. Sed culpa in illo nulla erat,quum in eos duntaxat cõferri deberet,qui Regem vel ignoratione & imperitia rerum, vel inuidia,ne aliuspræstantius daret consilium,fefellerant. Dum ab oppido discedunt,Hispani multis eruptionibus eos adoriũtur: verùm tanta diligentia & prudentia profectionem fieri curauerat,vt ab illis nihil incõmodi acciperetur. Profectio illa adeo tempestiuè instituta est,vt si triduo adhuc illic exercitus cõsedisset,quòd de magna aquarum illuuione timebatur,omnino futurum esset vt accideret. Ipso enim postero die & insequentibus tanta imbrium vis extitit, vt qui extremum agmen claudebant tum equites tum pedites,natando transire cogerentur,vbi nõnulli etiam submersi sunt. Hic fuit expeditionis tanto exercitu susceptæ exitus,qui si in Italiam missus fuisset, rem Mediolanensem vehementer labefactasset,quemadmodum ex euentis subsequutis facilè coniectura fieri potest. Verùm Rex ab iis impulsus qui de Perpiniano primo impetu expugnando confirmabant,deteriorem conditionem elegit. Equidem mihi ita prorsus videtur,quanquam fieri fortasse potest vt fallar.

Rex exercitũ Perpiniano accersit.

ANNOBALDVS quum è Pedemontana ditione decedẽs Perpinianum contenderet,illic Gulielmum Bellaium Langæum, Buterium, Vassæum Pinierolæ præfectum, Mar.Bel.principem Yuetotium Taurinorum,& Alsunium Sauiliani præfectum reliquerat. Illi suos quisq; tum equites ferentarios tum pedites habebant,Heluetiorum duo millia,aliquot deniq; partim Gallos partim Italos pedites,quibus oppida modò ab hostium vi ægrè defenderent,ne subita incursione occuparentur,sic vt tota regio hostium libidini pateret. His de rebus Vastius certior per nuntios factus, copias ad pontem Sturium colligit,qui locus maximã illi cõmoditatem præbebat, vt quo vellet loco vel cispadanã, vel transpadanam regionẽ inuaderet,q; fluminibus pro arbitratu vti ei liceret. Langęus postq̃ hoc esse Vastij cõsilium resciuit, cõperit Conium, Quęrassium & Albam infirmis valde præsidiis teneri,q; Vastio non fiebat verisimile, Langæum,cui adeo essent tenues copiæ,aliquid armis tentaturum. Ille tamen tria illa eodem tempore oppida aggredi cõstituit: quam ad rem perficiendam aliquot pedites ex suis oppidis abducit Alsunium Sa-

1542. uiliani præfectum Queraſſium mittit, & Centalium Riuenſem quibus milites eo numero attribuit, non qui ad vim inferendam ſatis eſſent, ſed qui repẽtino ingreſſu oppidum occuparent: alios Albam, alios deniq; Conium mittit. Qui ad hæc duo oppida mitteban-
tur, ab itinere aberrarunt, vt dies illos antè ortus deprehenderet, quàm eò peruenirent.
Queraſſium à Gallis capitur Hac ratione effectum eſt, vt q; Langæus certò ſibi pollicebatur, irritum maneret. Alſu-
nius & Centalius Sauiliano profecti, ſumma celeritate cum ſcalis Queraſſium veniunt, acceptis à Langæo ducis itineribus, à quibus ad locum perducerentur, vbi ſcalas ad mu-
rum applicari oporteret. Et quoniam exiguum illic caſtrum eſt, duæ cannæ paratæ ſeruantur, quæ illuc, ſiquid opus eſſet, ducerentur. Neq; tamen illi tanta celeritate iter conficere potuerunt, quin antè diluceſceret, quippe breuiſſimis totius æſtatis noctibus. Vnde factum eſt, vt quos in oppido conſilij participes habebant, ij ſe aperire non auderent. Nihilo tamen minus illi q; tantum laborem fruſtra ſumpſiſſe nollent, ad eum locum perueniunt, quò à ducibus perducebantur: ac toto licet oppido clamore ad arma edito, omniumq; ad ſua loca propugnanda cõcurſu facto, ſcalas applicant, vi capiunt, & primi Alſunius & Centalius in ſummum murum euadunt. Oppido potiti machinas aduehi poſtulant: quibus acceptis caſtrum oppugnare cœperunt, quò ſe milites receperant. Prima ſtatim diſploſione altera è machinis ſubuertitur, ſimul etiã nuntium accipiunt Vaſtium magna celeritate aduentare, vt oppido laboranti caſtrum ingreſſus opẽ ferret. Hæc Langæo, qui iam cum Heluetiis & paucis aliis quos è præſidiis abduxerat, ad Carinianum caſtra habebat, nuntianda curant, machinarum alteram nulli iam vſui eſſe, ſibi de reditu cogitandum videri, oppido tamen prius incẽſo & diruto, ne ab hoſte occuparetur. Quo nuntio accepto Langæus ſtatim Vaſſæum ad eos mittit, cum cataphractorum quinqua-
ginta ſupplemento, hortatur ne illinc diſcedant, in caſtro duos tantùm farinæ ſaccos & vnum equum eſſe: pro hominum multitudine quam illic eſſe ſciret, futurum cõfirmat, vt poſtero die vel fame perirent, vel ad colloquium venirent, quòd ipſo matutino tempore cibaria illos deficerent: Vaſtium porro triduo ad opem ferendam non affuturum, ſe in tempore illos certiores facturum, & facultatem præbiturum qua ſe tutò Mondeuiſium vel Beniam incolumes reciperent. Poſtridie milites ad colloquium veniunt, armati egrediuntur, compertúmque eſt eos totum ſeſquidiei ſpatium cibo caruiſſe. Langæus illic Centalium præficit, qui ſtatim duo hominum millia è ſua ditione & aliis locis colligit, quos præſidio conſtituit.

Vaſtius Villanouæ eum aliquot aliis oppidis occupat. VASTIVS vbi iſta per nuntios didicit, conatu deſiſtit, & paria alibi facere conſtituit. Itaque à ponte Sturio profectus, Villanouam Aſtanorum vires conuertit, quam propter loci infirmitatem (quanuis Langeus diligenter omnibus rebus proſpexiſſet) per vim, paucis tamen interfectis, occupat: Pirinum itidem, Cambianum & exigua aliquot atque infirma oppidula. Langæus tametſi ſibi non fatis eſſe virium animaduertebat, vt ſe illi opponeret, (quòd ſibi non amplius quinque peditum millia ſuppetereat, illum ad quindecim peditum millia & duo millia quingentos equites habere videbat) tamẽ quũ ſciret illius conſilium eſſe, vt tranſpadanis locis neglectis, exercitum flumen ad Carinianum traduceret, atque caſtris ibi collocatis totam planitiem quæ à montibus ad Padum pertinet, nobis adimeret, quò Taurinos, Pinierolam & quicquid in ciſpadana regione habebamus vexaret, præterea magnis præſidiis Querſium, Aſtam, Foſſanum, Albam & Conium firmaret, quò loca tranſpadana eadem difficultate afficeret, nos deniq; iis cõmoditatibus excluderet quas è Saluſſiano marchionatu percipiebamus: vt tot malis obuiam iret, Carinianum cum copiolis ſuis redit, ibi locum opere munire cœpit, vt quod vi minus poterat, arte tueri poſſet: nam hoſtem æquis conditionibus excipere per hominum paucitatem nequaquam illi licebat. Vaſtius perſpecta noſtrorum celeritate ad conatus ſuos infringendos, ad ipſum flumen è regione munitionum caſtra facit. Porro quum menſe Iulio aquarum minima eſſet altitudo, flumen vado tranſiri tum ſupra tum infra Carinianum facili negotio poterat. Quibus rebus fiebat, vt totos quindecim dies duobus exercitibus oppoſitis creberrima prælia committerentur, noſtri noctu & interdiu in armis eſſe cogerentur, quò hoſtem tranſitu prohiberent, vt per vices duntaxat quietem feſſis capere liceret. Langæus quum ſuos tantis moleſtiis perferendis procedente tempore impares fore animo cerneret, ſe quidem magnis & diuturnis laboribus bellicis, quos ſuperioribus annis exantlauerat fractum membris captum eſſe,

vt

vt ingenio duntaxat iam & sermone valeret, rationem iniit qua Italos pedites ad sex fere millia, & equites aliquot ex hostis exercitu ad se alliceret, quo suas copias auxit, hostem debilitauit. Hac re perculsus Vastius, de traiiciẽdo exercitu cogitationem abiicit, veritus ne postquam flumen transiisset, perfugæ illi reliquos ad defectionem solicitarent, sicque copias imminuerent. Itaque Villam Stellonianam versus se recipit, vt Quersio appropinquaret.

LANGÆI & ducum magna ex parte sententia erat, vt exercitus Padum ad persequendum hostem transiret, vt quæ tum in illius castris tum aliis locis consilia occulta habebat, re perficeret. Sed plerique nescio qua causa permoti (nam dum de ea re deliberaretur, consilium hoc sibi probari apertè ostenderant, & ex eorum sententia cum Heluetiis egerat, qui illis præsentibus se flumen transituros confirmauerant) sententiam mutant, & rationem inueniunt, qua Heluetij concitati tumultuarentur: vt quum progredi exercitus deberet, illi cõuersis militaribus signis rectà Pinierolam, qua reditus est in Galliam, proficiscerentur. Huius rei non obscura suspicio in Sanjulianum illorum imperatorem cadebat, neque meo quidem iudicio, immeritò. Buterius Pinierolam se vnà cum illis recipit. Langæus hac tam inopinata destitutione perculsus, quod faceret aliud non habuit, quàm vt eum reliquis quos habebat, se à baiulis cathedra sedentem referri iuberet. Italos quos Vastio ademerat, Gazellas & Siriã dimittit: hæc sunt inter Taurinos & Vulpianum exigua oppida. Vastius de subita nostrorum profectione certior factus, aliquot ex suis mittit, qui Padum transirent. Hi quum in castro Carinianensi centurionem quendam è Gallia Narbonensi cum quinquaginta militibus esse comperissent, eũ Vastij verbis deditionem facere iubent: quem, si cunctarentur dum machinæ illuc adueherentur, iussurum omnes suspendi affirmabant. Centurio cum suis perterrefactus nulla mora interposita deditionem facit. Qua re Langæus Taurinis septem illinc passuum millibus intellecta, veritus ne Vastius cum copiis subsequutus, munitionum opus, quod ipse inchoauerat, perficeret, confestim Martinum Bellaium fratrem Taurinorum præfectum mittit. Huic mandat vt cum suis eò profectus videret quemadmodum omnia gesta fuissent, quinam oppidum & castrum tenerent, vt ex iis quæ postea significaret, scipsum illuc deferri, & machinas conuehi iuberet. Martinus vt omnia rectè atq; ordine gereret, oppido egressus, centurionem Marvillanum & comitem Maximum Antonium Suessanum legatos cum equitibus fere quinquaginta præmittit, qui locum inter Carinianum & Padum flumen occuparent, explorarẽtque num Vastius flumen denuo transire cogitaret. Illuc quum peruenissent, Maximus Antonius collegam in specula relinquit, ipse per tubicinem ad colloquium aliquem è castro euocat. Qua re concessa præfectus data & accepta fide egreditur, qui Maximo Antonio notus erat, vt qui eius ductu aliquando militauerat. Ei ostendit quàm magnæ copiæ aduentarent, quanta machinarum multitudo adueheretur, se præmissos esse, vt locum tantisper cingerent dum exercitus accederet: si paululum modò cunctaretur quin deditionem faceret, sibi iam minimè integrum fore, illum mortis periculo eximere: qua de re, pro eo ac illum diligebat, plurimique faciebat, monere voluisset. Negotium ita agitatur vt ille castrum ei in manus traderet. Cæsariani milites Quersium in columes deducũtur, præsidium firmissimum, nequid detrimenti deinceps acciperetur, imponit. Rex audito Carinianum à Cæsarianis captum esse, Langæo per veredarium mandat, vt cæteris omnibus omissis in vnam hanc curam incumberet, quò illud reciperetur. Nuntius vti aduenit nostros eo iam potiri comperit: qua ex re magna Regi satisfactio accidit.

Carinianensis castri deditio, quod mox à Gallis recipitur.

HAVD multo pòst Vastius Padum rursus ad Crescentium transit, & Chiuasum obsidet, cui præerat Hieronymus Biraguius. Postquam impetu bis facto repulsus esset, Cazalum cũ exercitu se recipit. Per id tempus Cæsar Neapolitanus iter Vulpiano Taurinos tutum reddere cogitat. Gazellas capere instituit: quod eo sibi facilius fore arbitratur, quòd illic Itali duntaxat erant, quos Langæus è Cæsariano exercitu abduxerat: eos porro facilè sibi conciliaturum se sperabat. Langæus re intellecta equitem Villaganionem properè illuc mittit, qui summam imperij obtineret: verebatur enim, dum nemo vnus præesset, ne quid inter duces controuersiæ nascereturs. Cæsar ad eos oppugnandos venit, sed tanta nostrorum virtute excipitur, vt amissis fere octoginta viris scalisque tanquam pignori relictis se turpiter recipere cogeretur.

VASTIO Cazalum reuerſo, Langæus animaduertit oppidum Bargas, quod iter Pinierola Rauelum & Saluſſas claudit, magnum toti planitiei nocumẽtum afferre, proterea quòd noſtris oppidis interiectum eſt, Vaſtium verò non facilè ſubſidio illi venire poſſe. Quamobrem Buterio mandat, vt Pinierola profectus, ne Helueti ij deſides manerent, Bargas obſideret. Ad hanc rem conficiendam quicquid militum habebat, ad eum mittit, paucis exceptis, quos ad Taurinorum oppidum cuſtodiendum retinet. Ille acceptoſtatim mãdato ſex cannis Pinierola eductis profectus, Bargas venit. Cœnobium caſtro proximum ab Hiſpanis munitum eſſe reperit, q; expugnare prius oportebat, quàm ad caſtrum veniretur. Quare perſpecta Buterius machinas ſumma celeritate promouet & muros quatit, vt vigintiquatuor horarum ſpatio aditu patefacto, milites Galli cum aliquot equitibus, qui pedites pugnabant, vi irrumperent, qui circiter trecentos homines illic interficiunt. Poſtea caſtrum adoriri cœpit (eſt autẽ arx quadrata) inferiora munimenta occupat. Ruina facta hoſtes colloqui velle ſe dicunt. Tandẽ multis habitis ſermonibus paciſcuntur, niſi Vaſtius aut alius eius iuſſu intra ſex dies tanto exercitu veniret, vt obſidionem tollere poſſet, incolumes inde abituros: qua de re obſidibus datis cauent. Vaſtius hanc eſſe pacti rationẽ certior factus, cæteris omnibus poſthabitis magnis illuc itineribus contendit. Quum Padum iam copias traduxiſſet, neque procul Villafranca eſſet, Buterius quòd ſe tanto exercitui imparem eſſe ſatis ſciret, redditis obſidibus Brequerallo ſe Pinierolam recipit. Vaſtius impoſito propere præſidio, veritus ne dum abeſſet, aliquot è ſuis oppidis occuparentur (neque enim neſcius erat multa clanculum vbique tentari) Querſium redire maturat. Neque tamen tanta vti feſtinatione potuit, quin Langæus arte & dolo caſtrum Montaltium & tria alia Mõferratenſis ditionis oppidula adimeret: quæ recipere ille nonniſi ægerrimè poterat, quòd hyeme proxima machinas illuc aduehere minimè facile eſſet. Langæus quum Bargas in Regis manus non veniſſe doleret, Vaſſæo qui Pinierolæ præerat, imperat vt Paulum Monnetum loci præfectum ad ſe alliceret: (cuius rei perficiendæ rationem ipſe oſtendit) deinde aliquot milites qui proximè è Gallia venerant, cum quatuor cannis aſſumptis rectà illuc contenderent. Ille quod iubebatur celerrimè perficere aggreditur: erat enim ad res magnas & cum periculo cõiunctas ſuſcipiendas valde impiger. Poſtquam eò venit, collocatis machinis, quum nulli adeſſent tormẽtarij magiſtri neq; ductores, cùm cæteri comites manum rei admouent, tum in primis Picardus quidam nobilis Manlij frater, qui ad hanc rem natura efficẽtus videbatur. Horum diligentia turris murus deiicitur, ſed non iuſta ruina: verùm loci præfectus ex ea re colloquij ſpeciẽ nactus, caſtrũ Vaſſæo tradit, ac in Regis partes tranſit.

Rex Annobaldum cum exercitu in Pedemontanam regionem mittit

OSTENSVM eſt antea quibus ex copiis conſtabat exercitus quem Rex ad Perpinianum habuerat, quis etiã fructus ex tanta expeditione redierit. Hunc Rex ne inutilẽ relinqueret, ſed quadam illius parte q; idoneum anni tẽpus ſupererat vteretur, Annobaldum in Pedemõtanorum fines proficiſci iubet, cui Recroquianos pedites Germanos, veteranos Gallos, Italos, ferentarios omnes, & quadringẽtos grauis armaturę milites attribuit, hac ſpe ductus, vt tãta exercitus acceſſione (Vaſtianis viribus quia ſtipendiũ non numerabatur, valde acciſis) aliquid magni perfici poſſet. Annobaldus cum eo exercitu Brigantium venit, copias partim Pinierola partim Suſis tranſmiſſas Carinianum mittit, propterea q. Vaſtius Carmaniolæ conſederat, quod oppidum trãs Padum duo paſſuum millia aduerſo flumine abeſt: ipſe Taurinos, vt cõſilia cum Langęo conferret, proficiſcitur. Langæus clã naues parandas ad Padum flumen curauerat, quibus quũ noſter exercitus Cariniani eſſet, neq; Vaſtio cõſtaret q̃ in partem progreſſuri eſſemus, pedites & machinę ſecũdo flumine deportarentur: præterea Ludouicũ Biraguiũ Vorlingi iuſſerat panes coquendos curare, quibus noſtri decẽ dies alerentur. Quę omnia eò pertinebant, vt Caſalũ & alia oppida in quibus cõſiliorum ſuorũ cõſcios habebat, opprimerentur. Quip pe noſtri illuc diurna & nocturna nauigatione deuehi poterãt, quò Vaſtio, quãtũcunq; feſtinaret, vix quartis caſtris accedere licebat. Sed extiterũt maleuoli, qui hominis indu ſtriæ inuidẽtes Annobaldum ab hac ſentẽtia, à qua nõ alienũ ſe præſtabat, deduxerunt.

LANGÆVS vbi ſe oleum & operã perdidiſſe cõperit, aliam tamen rei bene gedendæ occaſionẽ affert. Erat ei quidã apud Vaſtium neceſſarius, à quo nuntium accepe-
perat, ſi noſtri Padum noctu tranſirẽt, ſine dubio fore, vt in Cæſarianos in ipſo trãſitu ad Villam Steloniã inciderent, vndẽ nulla ratione euadere poſſent, modo præmiſſis circiter

qua-

quadringentis equitibus inter Carmaniolam & Villam Stelloniam, exercitus illi aduersus inter Villam Stelloniam & Querſium occurreret: Vaſtius enim veritus ne cingeretur, noctu Querſium ſe recipere decreuerat. Denique qui Lãgæo nuntiari iuſſerat, ſe itineris ducem fore pollicebatur. Hac de re ad conſilium refertur, placet aggredi, conſtituntur qui primum agmen ducerent, & qui poſtremum clauderent. Sed noctis interuentu neſcio quæ cauſa inciderit cur exercitus nuſquam iret. Tantùm Franciſcus Bernardinus Vicomercatus cum ducentis equitibus ferentariis exploratum mittitur, quirem ita habere comperit, vt narratum fuerat, imò ex poſtremo eorum agmine ſpolia multa & impedimenta abduxit. Non dubium erat quin res fœliciter euenisſet, quum in hoſtium exercitu tria duntaxat eſſent Germanorum peditum millia, & Hiſpani mille, in quibus omnia auxilia externa poſita erant. Quibus pulſis & cæſis facile erat deinceps vlterius progredi, quum Vaſtio tantùm Italicæ vires abſque vllis Germanis, quos in ipſa fronte collocaret, ſupereſſent. Langæus tandem quum negligi videret quæ multa cura & magnis ſumptibus parauerat (multos enim viros magno pretio ſibi conciliauerat, & multa ad tantas res neceſſaria magna pecuniarum ſumma confecerat) proſpexit ſe aliis in rebus non minori contemptui habitum iri. His cauſis adductus & corporis valetudine affectus, vtqui diuturnis laboribus in paralyſim incidiſſet, venia à Rege impetrata Taurinis penſili vehiculo ſedens proficiſcitur, eo conſilio vt ad Regem veniret, cui ante obitum cupiebat multa quæ in rem illius eſſent, aperire, quæ nulli alteri committenda cenſebat, ne iis obeſſet qui ſibi fidem habuerant. Verùm iter tantum per mortem illi conficere non licuit. Etenim nono Ianuarij menſis die, anno 1542 ad Sanſaforinum in Tararo monte moritur, magnum bonis omnibus & eruditis viris ſui deſiderium relinquens. *Galielmi Langæi mors.*

AMIRALIVS Annobaldus quum à tantis rebus perficiendis aberraſſet, Carmaniolæ, vnde hoſtis diſceſſerat, caſtra facit. Illic ab Alſunio & Corſio Sauiliano nuntiũ accipit, Conij tantam eſſe hominum paucitatem, vt ſi celeriter progredi vellet, quò illam, priuſquam ſubſidium ſubmitteretur, cingeret, primo ipſo aduentu potiturum eſſe minimè dubitarent: neque enim ſatis magnam intus eſſe hominum multitudinem, quę vel vnum impetum ſuſtineret. Hac re intellecta cum quatuor cannis proficiſcitur, relicto Martino Bellaio Taurinorũm præfecto, cuius fidei omnia ciſpadana cõmittit, propterea quòd hoſtis cum exercitu ad pontem Sturium conſederat. Poſtero die Bellaius fit certior cohortes Recroquianas Riuolas veniſſe, quibus vt Padum tranſirent, ad pontem Taurinenſem veniendum erat, quòd Carinianenſis & Moncalerienſis confracti eſſent. Quamobrem locum & cibaria ad eos excipiendos parari iubet, eo conſilio vt eorum opera aliquid obiter facere aggrederetur. Iam verò trans Padum tria ab oppido paſſuum millia ſita erant in iugo Monferratenſi aliquot oppidula, Turris Samboniana, Caſtellio & Satraphael, quę Taurinenſibus maximo erãt incommodo, propterea quòd inde, velut è ſpecula, quicquid oppido egrediebatur, facilè cõſpici poterat: vt Cazalum, Burgonem & ad alia loca, ex quibus cùm reliquum commeatum, tum verò vinum magna copia accipiebamus, noſtri adducere nequirent, quin hoſtibus eſſent conſpicui. Hæc oppida quum antea tentaſſet occupare, ſpe deceptus fuerat, nonnullóſque ex ſuis amiſerat, in primis Malicornius Cœnomanenſis peditum tribunus, ſclopo ictus dimidia corporis parte mutilatus fuerat. Quibus cauſis adductus, hęc loca vi expugnare Germanorum virtute fretus decreuit. Quatuor cannas cum inſtrumentis apparari iubet, boues ex oppido ad illas vehendas accipit: Germanos prima luce ex oppido proficiſci iubet, atque vnà cum eis partem quandam equeſtris turmæ Annobaldianæ, turmam inſuper Langæi fratris (is tum iter in Galliam faciebat, in quo eum obiiſſe ſuprà oſtendimus) deinde ſuam, tres denique peditum Gallorum cohortes ex præſidio Taurinenſi. Vbi Sambonium ventum eſt, conſtituuntur machinæ, quibus ſtatim ſitin muro aditus: quo Germani irruptione vi facta, omnes interficiunt. Solus centurio viuus ſeruatus ſuſpenditur, quòd nimia ſui præſidentia bombardarum impetum tam infirmo loco ſuſtinuiſſet. Inde Caſtellionem progreditur, quod oppidum exiguum in ſummo montis iugo ſitum bombardis peti non poteſt, niſi ex oppoſito monte, in quem tormenta ſubuehi abſque machinamentis & induſtria aut humano robore non poſſunt: nam equis quidem omnino eſt inuius. Germani Samboniana præda tanquam victoria qua- *Bellaius aliquot oppida capit.*

1541. dam inuitati, manum rei tam difficili admouent eo conatu & viribus, vt duas cannas eò subducerent non minori facilitate quàm si falconelli fuissent. Hostes intus erant numero quadringenti egregiè instructi: qui tamen Samboniana strage perterriti, præterea tã numerosum è Gallia exercitum preter omnem spem consp̃icati, tanto metu afficiũtur, vt nulla tormentaria oppugnatione expectata impedimentis saluis de ditionem facerẽt. Egrediuntur illinc quadringenti milites armis, vultu & corporis habitu totius Italiæ p̃stantissimi. Si viros se prædere animum induxissent, is erat oppidi situs, vt oppugnatio laudis & honoris materiem habitura fuisse videretur. Sarraphaellani non expectato nostrorum aduentu, suos obuiam mittunt, qui se dedere & imperata facere velle dicerent: quorum exemplum alij in quatuor oppidulis sequuntur. Hæc omnia solo adæquantur præter Castillionem, cui p̃sidium (quòd defendi posse videbatur) ad custodiendum tran situm imponitur. His confectis rebus Bellaius Germanos Moncaleriumsecundum illos montes ad Amiralium mittit, qui postridie ad eum veniunt, quum quidem Conium ire cõtenderet. Amiralius Conium cum toto exercitu quum venisset, machinas ad eum locum obuertit quem minimè firmum audierat, sed verba sibi data esse comperit, quòd is locus aggere oppositio munitus esset. Itaque muro deiecto nostri quum irrũpere conarentur, ac in summum vallum euasissent, aggerem conspiciunt strenuis militibus propugnantibus refertum, vbi ad horæ spatium prælіati se recipere tandẽ coguntur. Multi ex nostris viri fortes cadunt, in quibus centurio Brocotus Normanus cũ legato & signifero, comes Gulielmus Biendrasius Monferratensis cum legato, legatus & signifer Sam petri Corsici, ipse lapidũ ictibus grauiter saucius, Sanstefius centurionis Cauaguij signifer, & alij multi qui ordines ducebant, vulnerantur. Ea quæ insequuta est nocte ducenti equites & octingenti fere pedites à Vastio missi, oppidum aduersa parte quàm oppugnatio facta erat, ingrediuntur. Postquam diluxit, amiralius subsidiũ oppidanis missum esse certior factus, quum tormentaria tela deficere intelligeret, exercitum abducere decreuit. Multorum ea est sententia, si octo cannas cum iusto apparatu duxisset, vt duobus simul locis muros concuteret, atque adeo vires oppidanorũ exiguas distineret, valde verisimile esse vel vi nostros illuc irrupturos, vel hostes deditione in eius potestatem venturos fuisse, quòd non tanto essent numero, vt vbique simul propugnarent. Verùm non ea fuit numinis voluntas. Dum illinc discedunt, comes Maximus Antonius & Marvilanus Bellaij legati & Theodus Bedanius Albanus ducentos equites Cæsarianos ad Brasum è regione Quarassij obuios habent, quos adorti prælio superant, & magnam partẽ capiunt. Hoc memorabile illa expeditione gestum est.

Annobaldus in alpiũ transitu valde periclitatur.

ANNOBALDVS quũ se hyeme propinqua à bello gerendo prohiberi animaduerteret, in Regium dominatũ redactis aliquot oppidulis, Villanoua Astanorum, Pirino, Cambiano & Ripa Querassia, quæ hostes ipsi deseruerant, exercitum dimittit, Buterio prorege, dũ abesset, apud Pedemontanos relicto, Taurinis Martino Bellaio Yuetotẽsi principe, Pinierolæ Vassæo, Chiuasi & Vorlingi Ludouico Biraguio, Sauiliani Termio, reliquo exercitu domũ dimisso, præter duo Heluetiorũ millia quibus Sanjulianus præerat. Recroquiũ cũ suo Germanico peditatu in Galliã reuerti iubet, quos Rex quibus locis videretur collocaret. Ipse vt ad Regẽ rediret, circiter Cal. Ian. proficiscitur, & monte Cenisio iter ingreditur. Noualæsam vbi venisset, monetur graue procellam toto monte grassari: neq; tamen vlla oratione flecti potest, quin eo die transire conaretur, tẽpestatis sæuitia superiorẽ se fore sperans, idq; contra omnium marronũ qui appellantur sententiã: qui montiũ tempestates, vt nautæ maritimas præsentiunt & callent. Quũ mediam montis partẽ cõscendissent, inter Ferreriã & xenodochij planitiẽ, tãta tẽpestatis vehementia defæuire cœpit, vt comites magna ex parte in summũ discrimẽ venirent, quãtũuis peritis ducibus vterentur. Multi niuibus obruti pereunt, inter cæteros Carrugius quidã iuuenis illustri loco natus: alij oculis orbantur, alij pedibus mutilantur, maxima re liquorũ pars nunquã postea firma fuit valetudine. Cõplures etiã milites partim Germani, partim alij, q̃ arbitrarentur talem ac tantũ virũ nonnisi certissimè explorata loci natura tam periculosum iter suscipere velle, illũ sequuti à via aberrarunt. Ipse quidem vbi ad planitiem peruenisset, adeo attonitus cũ suis ducibus hæsit, vt absq; quorũdam ope qui è diuersoriis q̃ ad summã planitiem sunt, egressi illi subuenerunt, minimè sit dubiũ eundẽ illius cum cæteris exitum futurum fuisse. Malgironius, qui loci ingenium perspectũ habebat,

bebat, ac tempestatem imminentem prospiciebat, in xenodochiolo, quod ad montis radices situm est, in posterumdiem subsistiterat: quò nonnullos nobiles gelu semianimes illac iter facientes receperat, qui hac ratione seruati sunt. Huius tanti periculi causa est q, in eo loco duo vtrinq; altissimi montes impēdent, qui angustum valde interiectum tran situm efficiunt. Quum in his mōtibus tempestas cooritur, moles niuium visuntur, quas ventus præcipites deturbat, quæ vbi colligi incipiunt, ex summo iugo exiguam quandā præbent speciem: verùm ante quam ad ipsas fauces deuoluantur, instar montis vasta illa magnitudine quicquid in ipso aditu occurrit euertunt. Quin ipsam quoq; subiectam planitiem atq; adeo itinera contegunt, vt duces ipsi viam tenere nequeant, ac suos comi tes in lacunas niuib. refertas præcipites agant. Amiralius vbi ex tanto casu euasisset, atq; ad mōtis radices peruenisset, equis veredarijs iter perficere statuit, quòd nuntium à Rege acceperat, vt Castelloraldi illum conueniret.

Rupellanorū ob salinarios ad Regē rebellio.

REX exercitu à Perpinianensi obsidione reuocato, quum Agathopoli discederet, per nuntium certior fit Rupellanos tumultuatos esse, vimq; salinarij vectigalis redemptoribus intulisse. Quamobrem quum illinc Castelloraldum ac deinceps Lutetiam cōtenderet, statuit ex itinere supplicium de illis sumere: Ludouicum Germanici peditatus tribunum, cui Mansfeldus antea præfuerat (nam is domum reuerterat) se comitari iubet. Rupellam posteaquam peruenit, ciues vniuersi, quòd meritò vererentur ne pro atrocitate debitas pœnas luerent, omnem lapidem mouere cœperunt, vt sibi illum placarent, ac in eius fidem atq; clientelam rursus acciperentur. Cal. Ian. in horto ædium in quib. Rex erat, conueniunt, vt publico ciuitatis nomine cōdonari sibi rebellionis crimē peterent, quo se multis rationib. obstrinxerant, dum parendi fidem & integritatem, qua subditi erga supremum suum principem obligantur, violarant. Ibi Rege, p tribunali sēdente, Rupellani cum insularum finitimarum ciuib. capitibus aperti, manibus passis, lacrymabundi, suppliciter Regiam elementiā implorare cœperunt, oratore vsi viro quodā, qui illarum insularū aduocatus dicebatur, qui huiusmodi verba fecit.

Rupellanorū oratoris ad Regem oratio.

O diē inaspicatum, Rex potentissime, & in sempiternam posteritatis memoriā detestandum, quū nos obsequentissimi aliquando & addictissimi tuæ maiestatis subditi Rupellani & insulani eò amentiæ atq; insaniæ venimus, vt lenitatis atq; benignitatis tuæ incōparabilis, innumerabiliumq; in nos beneficiorum obliti, tā fœdum & immane crimen admisimus, vt officij & fidei arctissimā obligationem, qua tibi cùm rationib. illis tum omni iure diui no atq; humano deuincti sumus, non agnoscere mus. Cōmissum id à nobis est, Rex optime, cuius causa ità tuā grauissimè in nos cōcitauerimus, & ab omni apud te gratia nostra culpa exciderimus. Quamquidem eo atrociorem esse cōfitemur, quo tua erga nos humanitas & indulgentia magis nota exploratáq; est. Itaq; q, miseri isti supplices ad tuos pedes, picti, fibi veniam dari obsecrāt, si eos & sceleris grauitatem spectes, omnino indigni sunt quib. ignoscas: sin quæ tuę clementię ac lenitatis magnitudo sit attendas (quēadmodum psalmographus rex ille Dauid immensa Domini misericordia se niti pdicabat) bona nos etiam spes habet Rex maxime, fore vt eorum vocem quos habes reos confitentes, quiq; solij maiestatis tuæ subsellium procumbentes deoculantur, exaudias: qui pedib. tuis aduoluti, cum summa animi ægritudine & lacrymis, ob culpā in te cōmissam id orant atq; obsecrant, ne illud maleficium in q, incidimus, cuiusq; causa publico mœrore vociferamur, tuamq; fidem & opem imploramus, respicias: potius innatam misericordiam & clementiam tuam præ oculis habeas. Ibi tū orator in genua demissus, voce tremula, luctuosa & flebili misericordiā aliquo temporis spatio inclamans, quasi orationem habere, quā inchoauerat, pgeret, ait: Infaustus atq; ater ille dies nobis accidit, Rex clementissime, quum id à nobis patratum est, cuius causa te meritò infensum habemus, tuo in nos amore & studio indignos nos pstitimus, eam deniq; famam & nostre fidei integritatis q; laudem obscurauimus, qua superiorib. seculis tū apud te tum apud maiores tuos cōmendabamur, vt nunc leuitatis & pfidiæ toti orbi spectaculum pbeamus. Quam tamen ô Rex, nobis remitti supplices precamur. Ibi vniuersus populus denuo misericordiam sublato clamore implorare cœpit, quoad gemebunda vox cūm omnib. qui astabāt, tū Regi ipsi ex oculis lacrymas exprimeret. Qui interiecto aliquo spatio sic loquitur.

Regis ad Rupellanos oratio.

EQVIDEM hucnon veni vt doceam quantum dolorem ex eo nuntio ceperim, quum ad me perlatum est, quo tempore ipse & liberi de tuendo amplificandoq; honore

nostro & regni salute propugnanda laborabamus, vos nefariam hanc rebellionē, quam
1541. nunc agnoscitis, feciſſe: sed vt vobis ô chariſſimi ciues (ſic enim vos compellare non dubitabo, poſtquam commiſſum ſcelus confitemini) oſtendam facinoris quod à vobis designatum eſt, quum (vt ipſi loquimini) quod ſubditi erga principem officium ſit, obliti eſtis, eam eſſe immanitatem & vindicandi neceſſitatē, vt nihil ſuprà, ſiquis quæ hinc con ſequuntur diligenter attendat. Etenim omnis regia poteſtas omniſque ciuitas rectè inſtituta duabus tantùm rebus conſtat, vt moderatum ſit eorum qui præſunt imperium, & ciuium atque eorum qui parent, in obſequendo fides & integritas eluceat. Quorum ſi alterum deſit, perinde eſt atque quum in hominis vita anima & corpus ſeiunguntur:
quæ vita in animi imperio, corporis ſeruitio obſequioq́ue conſiſtit. Deum oro, vt quod 10
mihi in vos imperium dedit, eique acceptum fero, illud modo & ratione adminiſtrare largiatur, cuius mihi rationem olim reddendam ſcio. Porro quanquam imperij altera pars eſt de vitiis & ſceleribus pœnas cōſtitutas ſumere: qua in re exempla tū priſca tum noua mihi non deſunt, quæ imitari queam, vt ius meum ſumma ſeueritate & acerbitate exequar (id quod ſæpe ad populi inſolentiam compeſcendam neceſſe fuit facere) tamē non minus decere principem arbitror, (præſertim qui ita ſemper vitam inſtituit, vt clementiam inexorabili & rigidæ ſeueritati anteponat) populum ad ſanitatem reuerſum & veniam pudore deiectum petentem complecti, quàm populi partes ſunt dicto eſſe audientem, & fidem principi ſeruare, quem lenitate magis quàm aſperitate vti experi-
tur. Neque verò illud clam me eſt, plerunque fieri vt lenitate illa & miſericordia tanto- 20
pere à Ieſu Chriſto domino noſtro eiuſque diſcipulis & apoſtolis celebrata, ac toto orbe pateſacta, populus malæ mentis & animi non modò non emendetur, ſed etiam deterior reddatur. Verùm illud quoque non minùs exploratum habeo, vos tam probis patribus progenitos eſſe, quorum fides tot meis maioribus reipſa fuit notiſſima, quin & vos ad hoc vſque tempus mihi tam diligenter pariuiſſe, vt longè recens hoc peccatum quàm vetera illa officia & pietatem obliuioni dare malim: ac profectò non magis eſt priſtini veſtri moris non morem gerere, quàm mei ingenij hanc culpā non ignoſcere. Lege ſanè alij agant, & imperio ſuo aſperius atque adeo acerbius in ſuos vtantur: mihi quidem, quoad eius facere potero, miſericordia arridebit: neque vnquam libenter eò adducar, vt in meos ita conſulam, quemadmodum Cæſar in Gandauos in leuiore quā ve- 30
ſtra hac offenſa conſuluit. Qua ex re cruentas ille manus geſtat, quum ego adhuc, Dei merito, meas à meorū ſanguine puras continuerim. Ac ille quidem tanto ſuorū profuſo ſanguine ſimul & multis vitam eripuit, & reliquorū voluntatem atque animum à ſe alie-
Recolementer Rupellanis ignoſcit. nauit. Ego verò fore confido vt veſtri animi magis ac magis in officio hac mea clemen-
tia retineantur: vt quum veſtra fides egregia ſemper antea extiterit, deinceps illuſtrior perſpiciatur. Nunc id à vobis peto, vt quod factum eſt, obliuione deleatis: equidem nun quam quoad ſuperſtes ero, in memoriam reuocabo. Hoc modò memoria tenere ſtudeatis velim, vt quales antea fuiſtis, tales in poſterum vos præſtetis. Deum equidem precor vt ipſius fauore equiorem me præbeam quàm adhuc feci: Peccatum ipſum & nefas vobis à Deo cōdonari ſummis precibus opto & oro: quod ad me ſpectat, noxam totam 40
tum capitalem tum pecuniariam prorſus remitto, & debitæ pœnæ abſq; vlla exceptione gratiam facio, hac nimirum lege vt promiſſis ſtetis: quod tamen ipſum multo minoris æſtimo, quam quòd vos ex animo facti pœnitere perſpicio, vt qui hoc ſciam, principis potentiam in ciuium beneuolentia & fide magis quàm in vlla alia re ſitam eſſe.

A D hanc vocem populus omnia fauſta ac fœlicia acclamatione ſublata illi optare cœpit, Deumq́ue precari vt eum diu ſoſpitem & incolumem ſeruaret. Atque hic populi clamor tandiu duraui, donec Rex rurſus ita loqui inciperet: Qui in vincula coniecti ſunt, eos omnes mox liberos educi iubeo, claues ciuitatis veſtræ & arma vobis reſtitui, præſidia tum equitum tum peditum abduci, vos mihi reconciliatos, priuilegia veſtra & iura planè recuperare, quinetiam vobis ſtipatoribus ad mei cuſtodiam vti hodie conſti- 50
tui. Denique vt hodiernum diem nobis tam feſtum illuxiſſe gratulemini, volo nolarum ſonitu, bombardarum ſtrepitu, & igne accēſo in hilaritatis ſignum, Deo immortali gratias omnes agamus, qui fœlices ineuntis anni calendas eſſe iubeat. His verbis loquendi finem lacrymis obortis faciens, ſingularem in ſuos amorem & beneuolentiam teſtifica tus eſt. Hac oratione habita populus animis mirum in modū exhilaratis vocem repen-

tè ſuſtu-

tè sustulit, Regi vitam diuturnam perpetua valetudine & secũdo rerum successu à Deo summis precibus expetens. Rex hac in re, vt plurimis aliis, apertè suam clementiam & misericordiam testatam reliquit: qua quoties res tulit, perpetuò vti consueuit.

EODEM tempore Martinus Bellaius Taurinorũ præfectus nuntio de fratris Langæi morte accepto, veniam à Rege petit, vt in Galliam ire & reb. prospicere posset, quod Langæus tereentenis francorum millibus obæratus interiisset. Prius tamen oppidum illud ab hostium consiliis, quibus illud opprimere clanculum conabantur, tutum reddere constituit. Vnum erat, quòd ante tres fere menses iudex Taurinensis patria Quersius illi indicauerat quemadmodum à Vastio, quum ille Quersium equiti Assalio (vt antea demonstratum est) ademerat, monitus esset, vt Taurinos reuersus siquam rei bene gerendæ facultatem nactus videretur, eam ne prætermitteret: amplissimum fidei & operę præmium à Cæsare (vt suos remunerari ille solet) datum iri. Itaque huc orationis summa redit, vt maximè idoneam sibi facultatem datam esse prædicaret, qua Bellaio gratissimum faceret. Se per literas Vastio significaturum, quum prætoris siue iudicis gradum apud Taurinos consequutus esset, rationem se facilè inuenturum qua oppidum in eius manus traderet. Ita Bellaium certiorem de rebus omnibus factum, quo die & tempore Vastius venturus esset, illum facilè tanquam inescatum allicere, capere & omnes eius comites concidere posse. Bellaius hac oratione audita, hominis sensum alia ratione altius rimari & explorare constituit. Hoc ergo inuentum sibi vehementer probari simulat, sed esse quasdam rationes quamobrem in longius tempus differendum censeret: denique grauissimè ipso capitis periculo interminatur, nequid hac in re præterea nisi diserte iussus tentaret.

Iudicis Taurinensis signi prodition em molliebatur, supplicium.

HVNC iudicem Bellaius iampridem suspectum habuerat, propterea quòd Montijanus iam inde quum hanc prouinciam tenebat, legatum apud Vastium habere tantisper voluerat, dum fœdus ictum constaret. Itaque vnum ex Molarum familia Prouincialem ad Vastium miserat, ipse Hispanum quendam metatorem ab eo acceperat, qui vir cautus & prudens, siquis alius tota Italia, erat. Is vt apud iudicem sibi diuertere liceret petit, qui domi tres filias parum pudicas habebat. Ibi prolixè & lautè cunctos milites maximè Nauarros & Cantabros accipiebat, vt centenos fere & vicenos francos in diurnum sumptum impenderet: quæ res iam tum effecerat vt Bellaio iudex ille in suspicionem veniret, ne ob rei familiaris angustiam se facilè corrumpi sineret. Quamobrem omnibus locis certos homines disponit, qui literas omnes quæ Quersium (sibi enim Vastius commorabatur) perferebantur, interciperent. Tandem Taurinẽsis quidam negotiator Lucinus Berga nomine (quem Bellaius, quòd illi confidebat, monuerat) adolescentem quendam iudicis literas ferentem deprehendendum curauit, quibus ille Vastio significabat adesse tempus quum oppidum tradi posset, mortuo Langæo nihil iam timendum esse ne consilia illustrarentur: mitteret ergo quendam cui maximam fidem haberet, ornatu mutato, qui pontem ad Padum cum duobus aut tribus iumentis vino onustis transiret, deinde iter ad manum lævam conuerteret, portamq; palatij quæ Doariam vergit, quæreret: siquis per contaretur vndenam veniret, responderet se Riuola venire, vinum aduehere quod à sua quadam filia ad se mitteretur. Quòd si tandem ingredi prohiberetur, se cum Bellaio acturum vt ingressum cõcederet. Deniq; nequa dubitatio relinqueretur, eodem ipso nuntio sibi tesseram remitti iubebat: erat autẽ ipsius signum cęra effictum duab. chartulis inclusum. Bellaius, nequid se absente oppidum incõmodi acciperet, ante profectionem cõiurationem hanc patefacere instituit. Iudicem accersitum remotis arbitris rogat, nũ quę aliquando de capiendo Vastio dixerat, adhuc integra essent. Affirmat ille rem adhuc confici posse, se ad Vastium ipsius permissu literas priori Sandominicano daturum, quas antè tamen ostenderet, deinde q, ab illo rescriberetur, communicaturum. Reb. ita constitutis, horę spatio interiecto literas affert. Bellaius ad eas legendas Reginaldum Biraguium prætorem Taurinensem & Ioannem Valentem generalem apud Pedemontanos regium cognitorem adhibet. Quib. perlectis quærit ex eo nũquas alias scripsisset, ab eo tẽpore quũ illum cõueniisset. Negat ille se quicq; scripsisse, scelus hoc capite luendum esse, si diserte, phibitus hoc ausus esset aggredi. Subitò interceptæ illæ literæ expromuntur: quas quum inficiari nequiret, in castrũ abducitur. Interrogatus à Bellaio, prætore & cognitore regio fatetur se cum Vastio pactũ esse vt ad se ille

1543. aliquot carrucas vino onustas mitteret, modò duas, aliàs tres, ne qua subesset suspicio: & quoniã dolia longitudine sunt ipsis carrucis æqualia, in alijs sclopi vnà cum vino essent, loricæ, tragulæ & omnis generis tela præter hastas longas: hæc dolia in cellas suas demitte ret. Postea cõplures Itali milites ornatu rustico alijs atque alijs diebus venirent, specie cibaria in forum adferendi, qui domum suam se reciperent, atque in cellis amplis, altis fornicibus, lucidis & siccis non procul à platea ad numerum octoginta delitescerent. Qui certo die mane quum tumultum esse ad portas & Sabaudiam inclamari audirẽt, armati plateam occuparent, dum milites ad portam ipsam collecti dimicarent. Bellaius non incertis nuntijs monitus fuerat carrucas ad Linium Cæsarianum oppidũ non procul Vulpiano confici, quibus Taurinorum oppidum tentaretur. Ad eam rem noscendã certos homines collocatos habebat, à quibus de earum profectione certior fieret. Sed quum sibi propediem proficiscendum esse videret, vt hostis conatum infringeret, iubet hominem causa cognita obtruncari. Nihilo tamẽ secius Buterium proregem & Monninum qui Taurinis, dũ abesset, præesse debebat, monet vt carrucas diligenter obseruarẽt, breui conspirationem illustratum iri. Alexandrum quendam Caramillis tradit, qui Groliani tria ab oppido passuum millia manebat, ad quem exploratores se recipiebãt, à quo quicquid gereretur cognoscerent. In primis hoc à Buterio petit ne hostibus fide publica permitteret fœnum in oppidum aduehere: se enim certò scire, quod illi machinabantur, carrucis fœno onustis perfici debere.

Coniuratio facta de occupãdis Taurinis.

ERAT præterea aliud consilium de occupando oppido. Duo manipuli ductores ex centurionis Molæ cohortibus bello capti, à Cæsare Neapolitano Vulpiani præfecto solicitantur vt vnum ex murorum propugnaculis traderent. Quam ad rem, quum illos seriò acturos confideret, ducentenos coronatos eis prærogauerat vnà cum syngrapha Vastij, qua milleni coronati annuo reditu in regno Neapolitano illis darentur. Hãc pactionem aut collusionem potius illi Bellaio præfecto indicant: quos ille collaudat, confirmatq; vt illud ipsum propugnaculum, quod aliquando ab ipso Cæsare occupatum fuisse antea demõstratum est, pollicerentur: eo cõsilio vt magnam Hispanorum cædem in ea re faceret. Postea tres Hispani milites se bello capi fuerant, vt loci commoditatem explorarent: quibus duo isti locum & rationem ostenderant qua Cæsar conata perficeret. Bellaius totum negotium ita administrare constituerat, vt quo die hoc strategema perfici debebat, Heluetij ad duo millia Carmaniola Moncalerium venirent cum totidẽ fere Gallis peditibus, quos ex diuersis vndiq; præsidijs colligeret: equites circiter octingenti partim cataphracti partim ferentarij Padum ad pontem Taurinensem transirent, qui hostes adorirentur: interim Ludouicus Biraguius cum mille quingentis peditibus Vorlinguo, Chiuaso & toto agro Monferratensi eductis ab ea parte quæ Vulpianũ vergit, postremis instaret: ipse in propugnaculo quod medium est, in stationecirciter octoginta sclopetarios collocaret, alios in subterraneis cuniculis cum loricis & hastis, turres sclopis vncinatis compleret. His rebus ita constitutis futurum erat vt dum hostes, qui propugnaculum pactum occupaturi erant, dimicarent, Heluetij cum equitatu ponte transmisso, à latere eos qui foris essent, aggrederentur, Biraguius à tergo, denique homines ad mille ducẽtos porta castrensi egressi à reliquo latere in eos impetũ facerẽt: vt pauci ex tanto periculo euasuros esse appareret. Quinetiam si perturbatos vrgere & persequi Vulpianum vsque placeret, valde verisimile videbatur, paucis propugnantibus & perterritis ciuibus ipsum improuiso aduentu captum iri. Verùm quam animaduerteret rem tantam breui perfici non posse, se porro absente metuendum esse ne secus accideret, si Buterius & Monninus incogitantius paulo se gererent, rem in tuto esse, antequam proficiscereretur, metu incerti exitus voluit. Duobus illis imperat vt maiorem Vastij tympanistam Moretum nomine (quo vtrinque illi nuntio vtebantur) cum duobus Hispanis accerserent, qui propugnaculum exploratum mittebantur. Hos in diuersorio à magistratu comprehendi, quòd fide publica non accepta venissent: deinde indicijs prolatis & confessione audita conuictos obtruncari iubet.

DIE mensis Februarij octauo quum Bellaius calend. profectus fuisset, Alexander Cararа Groliani relictus, vt Buterium quicquid fieri perspiceret, certiorem faceret, media ferme nocte per nuntium ad portam Taurinorum missum significat Linij & Vulpiani octingentos equites & pedites ad quinque millium numerum coactos esse, qui iter

Taurinos

Taurinos versus instituerent, sibi quidem videri id Linij suscipi quod pridē Bellaio prænuntiatum fuerat. Buterius statim Francisci cum Bernardinum cum quinq; & viginti grauis armaturæ equitibus Vulpianum versus proficiscī iubet. Is quum cœnobium Certanum vsq; processisset, quod duo passuum millia oppido abest quà Vercellas iter est, hostes trans flumen conspicit, eumq; illi vicissim, quum quidem primum diluculum esset. Illi quum se conspectos fuisse animaduertissent, re infecta eò vnde venerant reuertuntur. Eiusdem mensis die duodecimo idem Carara literas ad Buterium mittit, quib. cum de hostium profectione certiorem facit: quas ille siue incogitatia siue negotiorum multitudine occupatus literas non inspicit. Sub auroram quum pruina crassior esset, hostes peditum insidias iuxta molendinum Serranum ad minorem Doariam, quò sagitta adigi ex oppido poterat, collocant, equites ad ædem Virginis cognomento Campanæ. Postea quinque plaustra fœno onusta quaternis bubus iunctis progredi iubent, contra regionis morem, vbi duntaxat bini iungi solent. Quum autem plaustrorum in illis locis ea sit forma, vt inferior pars oblonga & plana sit, & geminarum scalarum speciem habeat, illic amplissimam quandam cauearn collocarant, quam foris totam vndique manipulis fœneis colligatis & tam accuratè circumpositis contexerant, vt nemini non viderentur fœno prorsus referta esse. Cauea senos milites habebat cum tunicis & manicis loricatis, casside, gladio, pugione & parma, altero genu innixos, ternos facie in duo latera obuersa. Funis erat quo scalæ illæ intus reuinctæ tenebantur: quo abscisso statim pensilis ostij instar dilapsę, pontis vsum militibus ad descendendum præbebant, vt milites eodem simul momento desilire possent. Primum plaustrum ad portam venit, in quo primarius miles erat Alexander Imagius Mediolanensis: boues agebat miles aurigæ ornatu cum tunica loricata & sica quam veste occultabat. Ianitores ad primum pontem rogant, Vnde istud? Linio, inquiunt, statimque libellum fidei publicæ à Buterio subscriptum proferunt: itaq; intromittuntur. Quum ad ædes Remoneti centurionis accessissent, qui cum suis custodiendæ portæ præfectus erat (locus erat iactu fermè lapidis à porta) Remonetus quanti fœnum veniret rogat. Auriga magno indicat, quòd ad plateam progredi studeret. Tum ille Perricionem legatum iubet in fœnum tragulam adijcere: ita enim à Bellaio, quum decederet, imperatum fuisse in mentem illi venit. Ille tragulam ad actā cruentam profert. Repente duo caueæ latera collapsa armatis militibus desilientibus pontis instar sternuntur. Primus ex illis egressus gladio Remoneti medium corpus transuerberat, & digitum abscindit: hunc Remonetus medium amplexus pugione confecit: reliqui in plateam rectà se conferunt. Milites ex cæteris plaustris, vbi patefactum esse dolū sensērunt, statim protiliunt, custodes portæ per vim statione submouent, locum & arma ipsa ad postem pendentia occupant. Quòd si eo temporis articulo qui ad molendinum Serranum erant, celeriter accurrissent, proculdubio actum de oppido erat, neque vlla ratione resisti potuisset. Perpetuum porro hoc erat, vt ad plateam custodiendam manipulus interdiu & noctu astaret: fortè eo die obtigerat Saluatori Aguerrio vt illic stationem haberet. Is audito ad portam tumultu, quum Sabaudiæ nomen ingeminaretur, id luc cum suis vadit, è regione diuersorij cuius insigne est corona, quinque illos è primo plaustro egressos cōfligentes reperit, quibus in fugam compulsis portam occupare pergit. Dum acriter dimicatur, ciuis quidam faber ferrarius, qui ad portam habitabat, prudenter sanè re cōsiderata in summam portam subit, & maximo malleo cratem ferream catena reuinctam demittit: quæ quum rubigine obducta labi non posset, tandem catena crebris ictibus fracta cratis decidit. Ea res vna Cęsarianos, qui iam numero mille ducenti ad primi pontis labrum processerant, ingredi prohibuit. Interim adsunt Buterius & Monninus, quorum aduentu porta obseratur, inter quam & cratem Hispanus quidam interceptus hæsit. Nemini dubitandū est, si aurigæ vnum ex plaustris sub ipsa porta subuertissent, aut boues duntaxat soluissent, quin oppido hostes potirētur, quum nec cratis deijci nec porta claudi posset, hostes autem in primi pōtis labro iam consisterent quum cratis decidit. Cæsar Neapolitanus hac spe deiectus, paucis desideratis se recipit. Eius legatus machina interemptus occidit, interficiuntur etiam milites plaustrarij, ac ne ipsi quidem omnes: nam quum cratis breuior esset, nonnulli subterlapsi aufugerunt. Atq; ea quidem hostium machinatio hunc habuit exitum. Buterius postea literis quas noctu acceperat apertis, reperit eam rem sibi significatam esse: sed ad istud nondum a-

Hostes terrauis fœno onustis Taurinos occupare conantur.

eum impedimentis abire permittuntur, oppidi deditione facta. Quę res tempestiuè admodum accidit, propterea quòd igne pulueri tormentario immisso, ægerrimè ipsa tormenta ex incendio extracta fuerant, quin plaustra conflagrarent. Accedebat quòd Aumalius excelsi princeps iuuenili ardore animi, ipse irrumpere constituerat: à qua eum ser tentia Vindocinus quum deducere nequaquam posset, ipse eandem periculi aleam subire, quantumuis prorex, parabat. Quæ res nonnisi valde infœliciter cedere poterat, si alter aut etiam vterque in ea dimicatione interijsset: vix enim aliter accidere poterat, quum in primis ipsis ordinibus prorsus consistere decreuissent. Deditione facta oppidum inceditur, & portæ euertuntur, ne cui hostibus vsui esset. Vindocinus multa exigua castra ad Morinos, Santaudomarum, Aream, & Betunam sita excindit: deinde exercitum in eum locum reducit, dum noui aliquid à Rege acciperet, vnde eodem die vel dimisso exercitu se tutò recipere, vel vlterius in hostium fines mouere posset, quemadmodum sibi à Rege imperari intelligeret. Locus ad eam rem maximè commodus deligitur, vt Ferventum ad Canchium flumen se reciperet. Illic mandatum à Rege accipit, quo milites in præsidia deducere, solos Legionarios (quos paucis diebus denuo cogere facile erat) ex toto exercitu dimittere iussus paret.

LIBRI NONI FINIS.

I

MARTINI BELLAII LANGAEI COMMENTARIORVM LIBER DECIMVS.

Rex de exercitu in Cæsarianum ducendo agit.

IAM mensis Maij finis appetebat anno 1543, quum Rex Villerii Costeræorum copias suas vndequaque colligere constituit, vtquò ex concilij sententia optimum videretur, impressionem faceret. Nonnulli censebant Lillerium, quod proximè captum & incensum fuerat, muniendum esse, id facilè propter loci naturam & situ fieri posse, quòd duabus è partibus palude cingeretur, vnusque Pernas versus aditus esset, quem muniri oportere videretur. Præterea Sanvenantum quoque arte muniendum, quod iam natura munitum esset, quatuor passuum millia Lillerio ad Lilium flumen situm, in insula triquetra, quæ flumine & & palude vndique cingitur, flumen nullo opere aut labore deriuari posse, duabus tantùm vijs stratis aditum illuc pertinere. Nostros eo loco potitos, totam Flandriam incursionibus nullo remorante aut obstante oppido vel transitu, infestare posse. Insuper ad Sampaulum aut certè Pernas arcem ædificandam, vt hac ratione iter Lillerij tutum esset, & ad commeatum ducendum Morinorum subsidio (quod oppidum millia passuum octo inde abest, ad læuam situm quâ Pernis Lilerium itur) maior facultas daretur. His rebus omnino fieri vt Morinis, Pernis & Lilerio, postremo Hedino (quod pone sit) à nostris occupatis, commeatus iam non aliunde importari, sed ex ipsis locis colligi posset. Alij contrà afferebant, oppidum Auennam propter defensorum paucitatem (nam ad bellum Cliuiense milites ex illo præsidio profecti fuerant) improuiso aduentu cingi, atque adeo antè vi expugnari posse quàm hostis auxilio adesset: sin minus, Landrisium captum iri ac communiri cum castro Emeriano & alijs finitimis locis, quibus aditus in Hannoniorum fines peruius pateret. Hoc consilio Rex probato amiralio Annobaldo (qui in Brionij Lutetiæ demortui locum proximè successerat) negotium dat, vt rectà se illuc conferret, atque oppidum, dum ipse toto exercitu subsequeretur, cingeret, denique subsidium ingredi prohiberet. Vindocino per nuntium mandat, vt exercitum ad Abbauillam denuo colligeret, quem per medios hostium fines duceret, atque ita ex hostico viueret, & Gallico agro parceret, deinque sibi ad Catellum Cameracorum præsto esset. Ita fiebat vt amiralij exercitus tanquam prima acies ad manum dextram esset, Vindocinianus ad læuam, ipse medio loco incederet.

Regis exercitus in Belgiũ ducitur.

AMIRALIVS à Rege Villerij Costeræorum dimissus Sueßionem venit, inde Monticornutum Terracinorum, vbi exercitum quem ducturus erat colligit. Ex eo loco Strataeam ad pontem ad flumen Oßam iter facit. Inde pabulo recreatis equis, ad crepusculum Longouallanum cum cataphractis quinquaginta, Martinum Bellaium Langæum cum suis & Landam cum mille peditibus proficiscì iubet, qui flumine traiecto inter Auennam & sepem Auennæ quam vocant, consisterent, nequid subsidij ab alocis vlterioribus accederet. Porro inter Auennam & Strataeam quatuor fere passuum millia cis Auennam, fluuius quidam exiguus è stagno Beuflio ortus fluit, qui propter ripa-

riparum alitudinem paucis locis vado transiri potest: vnus est pons ad vicum nomine Streulium, quo iter facere licet. Ad extremum hunc pontem hostes castellum ædificarant, quod trecentorum militum præsidio tenebatur. Langæus reliquis præit, secum duodecim fossores ducens, atque inter stagnum illud & castellum ripis complanatis suos flumen vado traducit. Ita ad portas Auennæ prius constitit quàm Longouallanus & Landa Streulium venirent: sicque Auennates in oppido continuit, vt Landa castello per vim expugnato omnes milites interficeret, neque ea dere quicquam illi intelligerent. Auennæ aliud flumen est quod ab ipso oppido nomen habet, & in Sembram influit. Hoc flumen Bellaius quum transire conaretur (postquam castellum expugnatum esse audisset) vt ad illam Auennæ sepem procederet, antequam eò peruenirent, monetur à quodam, Amiralium (qui illum miserat) sententiam commutasse: quocirca rediret ad iter Cartinij, quod est ad flumen Beustium, quà Landrisium itur: cui mandato parendum sibi esse iudicauit.

AVENNATES pedem nostris referentibus eruptione facta aliquoties instare cœperunt. Bellaius porro equites numero fere quadraginta loco depressocollocauerat: quibus non animaduersis hostis audacius progreditur. Eos statim equites incautos ex insidijs adoriuntur, & amplius quindecim ex illorum numero capiunt. Hoc ego planè intelligere non potui, quid causæ inciderit cur tanta sententiæ commutatio tam repentè fieret, nisi quòd Sarremigius rei machinariæ præfectus (vt quidem prædicabant) negabat oppidum expugnari posse. Quod si est, non eousque profectò progrediendum erat, quum præsertim alia quædam longè faciliora & vtiliora prætermissa essent. Illud tamen ipsum oppidum si acriter adorti fuissemus, valde credibile est, quum tãta esset propugnantium paucitas, in manus nostras venturum fuisse.

POSTEAQVAM Cartinium exercitus noster venit, Langæus iubetur postridie mane Landrisium vsque præire, vt locum castris idoneum deligeret, atque è re nata cum oppidanis ageret vt se in fidem Regis traderent: Longouallano negotium datur, vt eum cum suis equitibus & mille Landæ peditibus subsequatur. Langæus dum iter facit, reperit castrum Prissæum ab hostibus desertum, vbi nonnullos ex suis manere iubet, dum totus exercitus aduentaret. Inde Landrisium venit, atque ex suis aliquot ad ipsa oppidi repagula procurrere iubet: sed oppidani ad prælium cancellos illos non transgrediuntur. Situm est hoc oppidum ad Sembram flumen, quod tametsi non admodum latum est, tamen quia & non exigua est altitudine, & ripis valde editis alueum habet depressum, absque ponte transiri ægrè potest. Ortum habet ex stagno Osiano quod est in ducatu Guisiano, Catilionem, Landrisium, Marollas, Emerium, Malbeugium alluit, inde pontem ad Sembrã, postremò nõ longè Namurca in Mosam illabitur. Citra flumen Landrisium situm est, vltra, quantum bombardæ iactus pertinet, est sylua Mormalliana. Langæus quòd memoria tenebat hostes anno 1521 noctu egressos oppido relicto in syluam se abdidisse, quum Vindocinus (qui illud obsidebat) postridie summo mane vi irrumpere conaretur, vt locus omnino vacuus repertus fuerit: ne idem tunc quoque fieret, occurrendum esse censet, id eo magis ne discedentes ignem ædificijs & tectis oppidi inferrent, & omnia incendio consumerent: quòd Regis consilium esse sciebat vt illud muniri iuberet.

Hostes Landrisium incendio deserunt.

HIS causis permotus pontem ad molendinum quoddam, vbi turris est quadrata, infra Landrisium Marollas versus, refici præcipit: centum equites è suorum numero transire iubet, duce comite Maximo Antonio Suessano, vt locum inter oppidum & syluam tantisper occuparent, dum Amiralius adesset. Vbi aduenit, tres peditum cohortes & centum quinquaginta cataphractos sibi dari postulat, locum esse idoneum vbi absque omni discrimine considerent. Amiralius hominis consilium non probat, & redire eos qui transierant iubet. Nec vana fuit Langæi coniectura. Hostes enim de media nocte oppido excedunt, in syluam se recipiunt, quum neminem ad ripam fluminis vlteriorem esse animaduerterent. Discedentes ignem tot locis immittunt, vt totum flammis in cinerem redigeretur, templo duntaxat excepto, neque vlla industria aut celeritate remedium vnquam afferri potuit. Frumenti, farinæ & reliqui commeatus tantam copiam absumunt, quæ satis esset in annum alendæ hominum multitudini, qua oppidũ defendi posset.

1543. DVM hæc geruntur, Vindocinus cum suo exercitu superiorem Arnesiam peragrabat, dum Bapalmæ appropinquaret: quod oppidum aggressus statim capit. In castrũ quod roccæ (vt vocant) tantùm speciem habet, Alcimontius cum mille ciuibus, vxorib. & liberis se receperat: quorum tanta multitudo conuenit, vt puteus quem vnum habebant, biduo arefieret. Quę res miseros iã eò propè adduxerat, vt se illius voluntati permitterent. Rex tamen quum antea eum recta ad se venire, nulla neque ad illud oppidum neque ad aliud quodpiam mora facta iussisset, tum denuo hoc præceptum ingeminans differtè imperat, si se morigerum præbere vellet, ac Regiam maiestatem imperiumque reuereretur, sibi vt eo die ad Catellum Cameracorum præsto esset. Quod eo inuitissimo & illis lubentissimis accidit: quum imperium nollet detrectare. Amiralius relicto ad Landrisium exercitu, ad Regem venit, atque illi oppidi descriptionem affert, vt de ea re quod videretur statueret.

REX iubet illum Catellionem venire, quod oppidum quatuor supra Landrisium passuum milibus ad idem flumen situm est, se postero die eõdem cum toto exercitu venturum, vt de summa rei aliquid statueretur. Ibi coniunctis in vnum locum copijs reperti sunt equites cataphracti ferme mille sexcenti. Delphinus, Aurelius, Antonius dux Vindocinus, comes Sampaulus, amiralius, dux Guisius & mareschallus Dubetius centenos habebant: Aumalius, Brissacus, Dampetrus, Malgeronius, Bosius, Longoualanus & Bonouallanus quinquagenos. Aderat etiam turma totidem equitibus cõstans, cui præerat Anguianus, (tametsi ille in Prouinciam abierat, vt postea dicetur) præter alios complures quos recensere longum esset. Præterea mille sexcenti equites ferentarij, quibus præerat Brissacus, duodecim millia legionariorum tum ex Picardia, Normania, tum Campania: Rotiaci, Fraxinij Lotaringi, & Ludouici legati cum quaternis Germanorum inferiorum millibus. Explicatum exercitum inter Landrisium & Catellionẽ

Rex Landrisii oppidum munire instituit.

Rex conspicatus, Landrisium communire decreuit. Constitutis ijs quibus huius rei cura committeretur, ipse ad Marollas castra habere statuit: est autem monachorum cœnobium in amplissimo vico quatuor infra Landrisium passuum millibus. Huius enim loci maximè opportunum situm iudicauit esse, quòhostis opus impedire prohiberetur. Landrisio Landam præficit. Sciendum porro illud est, flumen Sembram infimam oppidi partem alluere, quâ syluam spectat. Et quoniam oppidum situ est admodum declui, Rex totam hanc infimam partem abscindi iubet, propterea quòd versus syluam collis est, ex quo in hanc oppidi partem despectus erat: qua absciſa, nihil iam ab illo colle metuebatur. Itaque deseritur infimum oppidum: excitantur tria amplissima propugnacula, quæ Delphini, Aurelij & Vindocini nominibus appellantur, muri brachium quod ad illam partem absciſſam ædificatum est, Regium vocatur. Postremò quum illic esset vetus quoddam castrum, Rex illud aggere cõpleri iubet, quod esset vice quarti propugnaculi, & tribus illis à latere munimentum præberet.

Anguianus ad Barbarossam prorex mittitur.

REX paulo antè de classe certior factus, quam Barbarossa auxilio illi adduxerat, Francisum Borbonium Anguianum Vindocini fratrem mittit, eumque illi classi cum sua coniunctæ, quam ad mare Mediterraneum habebat, proregem præesse iubet. Ei, quum Massiliæ Barbarossæ aduentum præstolaretur, Grinianus qui oppido Regis iussu præerat, ostendit tres esse milites Sabaudos qui arcem Nicææ se tradituros pollicebantur, affirmabantque negotium adeo scitè à se comparatum esse, vt dubitandum minimè esset quin nostris secum aduenientibus fores paterent. Anguianus Regis voluntate prius audita, rem aggredi statuit, quatuor triremes instrui iubet, quib. præerant Magdalo eques Aquensis baronis Samblacarti frater, Petrus Bonnus & Michaeletus. Ac tametsi

Fitta Nicææ proditio.

ætate iuuenis erat, vt pote annos viginti natus, prudenter tamen rem administrare cogitauit, neque se omnino proditoribus credere constituit, qui non minus alienos quàm ipsam patriam prodere possent. Simul nequid prætermitteret quod Regis commodo facere posset si illa munitissima arce potiretur, præter quatuor illas triremes vndecim alias subduci iubet: ac tametsi Grinianus omnia facilia esse confirmabat, neq; periculi quicquam in re aggredienda formidandum esse, Magdalonem cum quatuor triremib. præire ac proditores vnà secum ducere iubet: ipse cum reliquis in altum prouehitur, ventoque liberiori fruitur, vt vel suis auxilio esset, vel se in portum reciperet, si rem ita postulare intelligeret: vt statim postea sanè intellexit. Etenim quum Magdalo ad portum Nicenum

cenum accederet, ſex triremes inde ſoluunt, quæ eum circunſiſtere conantur, deinde quindecim aliæ ſubſequebantur duce Ianetino Auria, Saſſuſpiriano promontorio tectæ: à quibus Magdalo cum ſuis ad portum vſque Antipolitanum in fugam actus eſt. Ibi quatuor triremes in hoſtium poteſtatem veniunt, & ad portum Villafrancanum abducuntur, Magdaloni crus bombardæ glande vulneratur, quo ex vulnere interijt. Anguianus ad promontorium Rufum appulerat: quem quum Ianetinus inopinantem opprimere feſtinaret, ad lunæ radios conſpicitur: tum noſtri ſublatis ancoris oram legêtes, remigandi celeritate ſumma vſi Tauroentam ſe omnes incolumes recipiunt.

Aliquot caſtra à Gallis capiuntur.

REX ad Marollas quum caſtra haberet, monetur caſtrum Emerianũ quatuor paſſuum millibus ſecundo Sembra flumine, muniri poſſe, ſi caperetur. Quare Delphinum cum aliqua exercitus parte & aliquot machinis illud expugnatum mittit. Vbi ad eum locum peruenit, paucis defenſoribus occupatum, vtpote domino ad Gueldrienſe bellum profecto, ſtatim promotis machinis deditionem illi faciunt. Sanſacus cum ducentis equitibus ferentarijs quibus præerat, & aliquot equitib. illic relinquitur: ſed paucis diebus in caſtra accerſitus reuertitur, atque in eius locum Langæus cum ſuis equitibus mit titur, cui militũ cohors attribuitur ex legione Picardica, duce Mediano, inſuper Hieronymus Marinus Bononienſis architectus, qui operi præeſſet. Capitur etiam Barlomontium aliud caſtrum ad idem flumen, totusque ager ad Balneas vſq; & Montium portas incurſione vaſtatur. Caſtrum illud Emerianum roccam quadratam habet, in quatuor angulis turres ampliſſimas, foſſis altiſſimis cingitur, quę ad lineam depreſſæ aquis refertæ ſunt. Deinde quatuor ſunt muri brachia quatuor roccæ lateribus oppoſita, ſic vt ter centenũm pedum vndique ſpatium interſit. Ad quatuor huius lõgi muri angulos quatuor craſſiſſimæ turres ædificatæ ſunt, ad extremum etiam latiſſima porta. Situm eſt in inſula Sembræ fluminis. Rocca quidem ipſa machinis peti nequit, à quib. eam magnus illius muri ambitus tutam reddit. Bellaius ponc quatuor illarum turrium commiſſuras excitari magna altitudine vallum iubet: deinde quoniam turres ad violẽtum machinarum impetum ſuſtinendum non erant idoneæ, ſecundũ porrecta illa muri brachia foſſam & aggerem perducit: vt muro & turrib. dirutis (quod tamen perdifficile erat, vt potemuris ex nigro marmore conſtructis) aliud hoſti poſtea obſtaculum occurreret. Erat inſuper oppidum Malbeugium octo illinc paſſuum millia ſecundo Sembra flumine: vbi hoſtes quoties expeditionem in Galliam ſuſcipiebant, ſuas copias cogebant. Eius rei Rex certior factus Delphinum eò mittit, qui oppidum ad deditionem compelleret. Vbi quia pauci erant milites, qui machinarum vim ſuſtinerent, ciues in eius poteſtatem veniunt. Delphinus Hellium mille peditum legionis Picardicæ tribunum & Santivium cũ quingentis hominibus ibi relinquit, ipſe reliquas copias in caſtra reducit. In eo oppido egregium eſt cœnobium quod à nobilibus puellis incolitur, ſic tamen vt nullo ſe cælibatus voto obſtringant, ſed nubere quum libet, illis liceat.

Cæſariani Balneu à Gallis oppreſſi.

SEXTO poſtea fere die Emeriani audiunt Cæſarianos paſſim è bello Gueldrienſi redeuntes, in Balnearum ſuburb. & vicis finitimis abſque vllo metu ſecuros morari, quòd hæc loca à caſtris viginti paſſuum millia abeſſe, Malbeugij porro nullum eſſe equitatum ſpicerent. Qua re animaduerſa eos incautos aggredi cõſtituunt. Malgeroniũ in caſtris Marollanis per nuntium monent, ſi ad ſe cum centum viginti equitib. venire non recuſaret, præclarã rei bene gerendæ facultatẽ præberi, quæ & gloriæ & emolumento eſſet. Quo ille nũtio accepto cũ ſuis quinquaginta cataphractis & circiter octoginta ex Amiraliana turma, duce Fontanio Harcurienſi legato, venit. Itinere nõ longè Emerio facto, Malbeugiũ vnà ſpiciſcuntur, ibiq; cibum ſumunt. Inde quoniam tum noctes erant breuiſſimæ, poſtquam obtenebraſſet diſcedunt, Santivitum ex Malbeugiano præſidio cum quinquaginta equitibus ſclopetarijs ſecum aſſumunt, quibus ad perfringendas ſuburbanas Balnearũ domos vterentur. Inſidias duob. ab oppido paſſuũ millib. in ſylua collocãt. Mittitur Marvillanus Langęi legatus, & cũ eo Vidamius Carnotẽſis & Rupeguioniuſ (qui nullo autoramẽto animi cauſa militabãt) q. cũ Santivianis ſclopetarijs Cæſarianos ſub aurorã in ſuburbijs opprimerẽt. Mittũt deinde Motogondriniũ Malgeronij legatũ (nam is Malbeugij morbo correptus reſtiterat) cũ ipſa equitũ turma, qui ad Montiũ ſuburbia, pcederent, quò iter eſt Balneis fere millium paſſuum ſex, Balneæ porro Malbeugio octo millia abſunt. His mandatur vt aliquot ſuburbiorum Montanorum ædes incendant, vt

1543. oppidanos impedirent (erat enim firmissimum illic tum equestre tum pedestre præsidium) ne quæ Balneis gerebantur, perspicerent. Vtrique ad insidias sese recipere iubentur, vbi Langæus succenturiatus subsistiterat, qui auxilio illis esset, si forte ab hostibus premerentur. Illi Balneis centum ferè viginti equites Cæsarianos offendūt, qui pridie vesperi venerant, quos omnes in ædibus ex improuiso opprimunt, præter paucos quosdam, qui nudi hortis elapsi diffugiunt. Vicos finitimos ac cœnobium quoddam diripiunt, & ingentem prædam colligunt: nemo enim illinc discesserat, quòd is locus viginti passuum millia castris abesset, neque vlli equites Malbeugij essent. His confectis rebus se ad locum insidiarum recipiunt. Idem faciunt qui Montes missi fuerant, præda ipsi quoque non modica onusti. Malbeugium vnà reuersi, & prædam inter se partiti ad suum quique locum redeunt. Eodem die Aumalius ducis Guisij primogenitus Auennates ex oppido ad prælium elicere conatur. Nonnulli egrediuntur illi quidem, sed non longius procedunt quàm quò machinarum globi pertinere poterant. Ille vt magis eorum animos incitaret, ad fossarum labrum progreditur, ibiq; multis eorum cæsis vnum ex suis amittit. Illos tandem quum nihil commoueri cerneret, diu multumque nequicquam allicere conatus, ne plus temporis frustra tereret, se in castra recipit.

Delphinus Balnearum oppidum obsidet.

REX cùm à suis qui Balneis fuerant, tum à captiuis inde abductis certior factus locum minimo præsidio teneri, Delphinum illuc & Annobaldum cum exercitus parte mittit, reliquos apud se continet, qui ad opus Landrisij promouendum præsidio essent. Sed huiusmodi nuntio deceptus est: quippe hostes illo nostrorum aduentu excitati postero die supplementum quatuor cohortium Germanicarum introduxerant. Illis præterea nuntiatum erat, nostros bidui duntaxat cibaria ducere: vnde satis intelligebant primum modò impetum sibi sustinendum esse. Itaque oppidum defendere decreuerunt. Posteaquam huc ventum est, quibus res machinaria curæ erat, ij quum oppidi situm minimè tenerent, machinas ad eum locum statuunt, qui omnium opere maximè munitus erat, vt non admodum latam ruinam facerent. Multi tamen iuuenes Delphini præsentia incitati ad fossas procedere ausi, fortiter ab aduersarijs excipiuntur, cædunturque & vulnerantur cùm alij plerique, tum Allegrius interficitur, qui in ea adolescentia egregium virtutis specimen ediderat. Gasparus Collinius Castellionius iuuenis excelsi animi sclopo ad iugulum petitur, ex quo tamen vulnere conualuit. Delphinus à postre supplementum machinarum & commeatus sibi submitti postulat, se non nisi perfecta re (quod eius voluntate sibi facere liceret) legiones inde abducere decreuisse. Ille quòd nec copias sine periculo seiungi posse intelligebat, neque ad Delphini castra sibi proficiscendum esse, relicto Landrisij opere inchoato ac nondum perfecto, existimabat, denique se à firmissima exercitus parte nequaquam tutò abesse prospiciebat, veritus ne ab hostibus (quos ad Montes & Quercetum coire audiebat) nocturno aduentu circunueniretur, Delphino per nuntium imperat vt ad se rediret, milites Malbeugio abduceret, oppidi munimenta euerteret, atque ædificia incenderet: hunc enim esse locum vbi soleret Cæsar suas è Germania & Belgio copias conducere. Delphinus, patris imperium reueritus inde discedit, molestissimè interim ferens se sua hac expeditione nihil profecisse.

Oppidum Trelonem & Gladionem excidit.

REVERSO Delphino Regi nuntiatur inter Auennam & Simęum duo esse oppida, Trelonem & Gladionem, in quibus milites essent qui continenter oram Terracinam & Campanam admodum infestabant. Quamobrem Bonouallanum illuc cum quinquaginta cataphractis, Stenaium Anguianilegatum qui in Prouinciam profectus erat, Germanos pedites quibus præerat Roniacus, duo denique Gallorum pedituum nullia & legionē Normanicā ducibus Baccauillano & Santalbino Gobeleto, cum quatuor cannis & toto apparatu illuc mittit. Trelonem simulatque ventum est, oppidani machinas conspicati, quòd totum aduentare exercitum arbitrarentur, ad colloquium veniunt, deditionem faciunt, vt saluis abire liceret. Idem faciunt Gladionenses. Hæc oppida Bonouallanus militibus dat diripienda, postea portis duntaxat dirutis incendit. Quæ causa fuit vt hostes postea Trelonem instaurarent. Nam ante hoc tempus is qui loci dominatum obtinebat, cum munire noluerat, quòd ædificium quoddam muro contiguum diruere non sustineret. His rebus perfectis Bonouallanus in castra se recipit. Rex paulo pòst Martinū Bellaiū Langæū à castro Emeriano quod muniebat, ad se accersit,

&d:

& de ipsius castri statu scisciturat. Respondet opus tanta diligentia factum esse, vt duodecim diebus vel potentissimi exercitus impetus non esset reformidandus, verùm rei frumentariæ prospiciendum esse, exercitu abducto non facilè introduci posse, duo enim flumina inde Landrisium pōtibus transeunda esse, quibus vadum nullum reperiretur, præterea ab Auennatibus intercipi posse. Rex vt his rebus prouideret, præsidem Oliuarium, qui postea cancellarius fuit, Sturmelium, Hargerium & Petrouiuium (hos enim commeatus curam gerere iusserat) accersitos rogat numqua ratio extaret qua id perficeretur. Ostendunt illi non tantam esse copiam quæ exercitui & Landrisio satis esset: vt si Emerium cibaria conuehi placeret, milites penuria ilico laboraturi essent, Landrisium porro plaustra duci difficile esse ob nimiam imbrium copiam, qui assidui toto mense fuerant. Rex his rebus auditis, simul quòd dux Cliuiensis auxilium sibi propere mitti postulabat, in cuius fines Cæsar cum exercitu impressionem facere parabat, milites Emerio abducere, & locum excindere decreuit, statimque Langæum eò redire iubet. Ille accepto mandato tanta celeritate rem administrat, vt tum cuniculis suffossis tū alia ratione quatuor turres quibus rocca circundabatur, item magni illius ambitus porta cum duabus turribus subiecto igne in sublime elatæ in fossas deinde corruerent, ac tanta edita est ruina, vt postea instaurari non potuerit. Rex vt breuior esset commeatus vectura, Catellionem reuertitur, qui locus inter Guisiam, Bohanium & Landrisium situs est. Landrisium crebrò ventitabat, vt opus maturaretur: quinetiam principes & primarij viri rem ipsam summa diligentia vrgebant. Verùm quantacunque opera & studium adhiberetur, non poterat opus ob continentes illos imbres valde promoueri.

Castri Emeriani excidiū.

EXTREMO mense Iulio Rex quum videret opus eò esse perductum, vt ad perficiendum exercitus præsidio iam non egeret, tantùm necesse esse nonnullos tum equites tum pedites Guisiæ collocari, qui rei frumentariæ conuehendæ præsidio essent, Guisiam ire contendit, vt Cliuiensi socio laboranti opem ferret. Landrisij Landam relinquit cum ducentis equitibus ferentariis & mille peditibus legionis Picardicæ, quibus illum præficit. Et quoniam Ladam febris tertiana malè habebat, veritus ne ingraueſcens morbus rebus gerendis obesset, Essæum ducis Mompenserij legatum cum quinquaginta ipsius turmæ cataphractis illi attribuit, pariquæ eum imperio cum Landa esse iubet: duo etiam peditum millia ad præsidium addit. Guisia Vindocinum in inferiorem Picardiam ad Montrolium & Abbauillam mittit, nequid in his regionibus hostis moueret. Principem Melphitanum cum trecentis ferè cataphractis equitibus, & Brissacum cum mille quingentis ferentariis Guisiæ collocat, qui commeatum & reliqua quæ opus essent, Landrisium vehi curarent: ipse rebus ita constitutis Marlam & Liessam proficiscitur, vt Remensi saltu aliquot dies venationibus se oblectaret.

Cæsariani Landrisium obsident.

REGE Guisia profecto, comes Roxius non multo pòst cum Belgico exercitu Landrisium venit, quod repentino aduentu occupaturum se commeatus inopia sperabat, & castra ad syluam Mormallianam collocat. Sed serò expeditionem illam instituit: nā Melphitani principis cura & diligentia huic rei prospexerat. Francisc⁹ Lotaringus dux Aumalius ducis Guisij primogenitus, dux Niuernensis, fratres Rupefocaldi, Andelotus, Brezæi fratres cognomento Mallæi, Creuocurius, Boniuetus frater, Sallaurentius Brito, Moæus Samphalius, & iuuenum magna pars qui Delphinum comitabantur, rei bellicæ & famæ comparandæ studio capti, aula discedunt, & Landrisium ingrediuntur. Comes Roquendolsius tum Cæsari maximè acceptus castris Cæsarianis aliquando egressus, Sembram flumen ad Marollas equitatu suo traducto, insidias ad iter quod Capellam pertinet, non procul Lonfauerio valle quadam collocat: quadraginta equites præmittit, qui nostros oppido ad pugnam elicerent. Essæus & Landa Ricarvillanum Landæ legatum cum triginta ferentariis equitibus egredi iubent, negotio dato, vt quid lateret à tergo exploraret. Ibi acriter dimicari cœptum est, quòd Cæsariani omni ope impedirent, ne ille insidias deprehenderet. Aumalius, Niuernensis & reliqui iuuenes tam suaui spectaculo deesse nolunt: quocirca dissuadentibus licet veteranis ducibus, egressi nostris laborantibus & loco pulsis subsidio veniunt. Roquendolsius vbi suos grauiter premi animaduertit, legatum & centum equites recentes submittit: qui primo statim conflictu equo deiicitur, & captus in oppidum abducitur. Roquendolsius hoc indignè ferens tota multitudine ex insidiis educta, nostros cedere cogit, vt vix in oppidum sui

1543. recipiendi facultatem haberent, nisi Landa cum sexcentis sclopetariis & quadringentis hastatis accessisset. Illorum aduentu prælium restituitur, & Cæsarianis postea fusis multi interficiuntur & capiuntur. Ex nostris vnus Sallaurentius capitur, qui quidem postridie cum Roquendolfij legato commutatur.

HVIVS conflictus Rex nuntio accepto illos ad se reuocat, causa iniecta quòd ad Lucemburgicam expeditionem eos sibi adesse vellet, re autem vera quòd vereretur ne quid simile aut etiam infœlicius tentarent, vnde oppidum ipsum periclitaretur. Ipse interim in Remensi agro versabatur, dum cum suis deliberabat quodnam iter ad ducē Cliuiensem iuuandum maximè accommodum esset. Rebus omnibus accuratè consideratis hæc incunda ratio videtur, vt exercitus in Lucemburgensis ducatus fines ducatur: sic enim vel Cæsarem vires suas illinc abducturum, vel capto certè Lucemburgo iter facilius futurum, vt exercitus Cliuiensi auxilio mitteretur. Ad hanc rem suscipiendam Longouallanum mittit, cui Langæum attribuit, Dampetrum & Ecarsium. Hos Stenæum contendere iubet, quod oppidum est ad Mosam flumen inter Virodunum & Musonem in ipsius Lucemburgensis ditionis ingressu, illúdque paulo antè ab Antonio duce Lotaringo acceperat commutatione quadam facta: propterea quòd hunc sibi locum commodissimum esse iudicauerat, ad exercitum cum apparatu omni & commeatu illuc introducendum. Illi mandatis ab eo acceptis dimissi, per exploratores alióque nuntios quo loco essent res Lucemburgicæ cognoscunt. Quare Langæus veredariis equis vsus ad Regē redire maturat, quē sex passuum millibus in certo vico offendit: eiq; omnia à se gesta narrat, simul etiam Cæsarem nūtiat cum magno exercitu ex Italia & Germania comparato adesse, vt vel in Cliuiensem proficiscereturi, vel (quod vero propius erat) Lucemburgensium fines, si inuaderentur, defenderet. Quicquid Langæus de illo Cæsaris exercitu narraret, Rex tamen à prima sententia decedere nulla ratione voluit, quum apud se constituisset, si ipse Cæsar in exercitu adesset, se quoque cum eo in ipsius finibus prælio decertaturum, factúrúmque periculum, num ille coram tam fœliciter pugnaret, atque antea quum per legatos bellum gerebat. Itaque Sammenohaldū ire constituit (quod oppidum est in Lucemburgensis ditionis ingressu) vt si Cæsarem ipsum aduentare nuntiaretur, inde facilius vel ad suos iter faceret, vel hostem anteuerteret. Præterea si ducatum illum totius Christiani populi vetustate celeberrimum Cæsari adimeret (vnde quinque Cæsares prodierant, quorum fere omnium illic sepulcra visuntur) Cæsare tam propinquo cum omnibus copiis ex Hispania, Italia & Germania collectis, qui tamen ad defendendam illam ditionem congredi non sustineret, id verò summæ sibi gloriæ ac laudi fore animo cernebat. Ad rem hanc suscipiendam ducem Aurelium filium natu minorem constituit, cui propter adolescentiam amiralium Annobaldum ad res gerendas attribuit.

REX itaque postquam de hoc bello ita gerendo planè constituisset, principem Melphitanum (quem Landrisio reuersus Guisiæ præfecerat) ad se cum equitatu cataphractorum ferentariorumque & peditatu in agrum Remensem venire iubet. Vndocino imperat, vt ab inferiori Picardia cum iis quas habebat copiis Guisiam veniret, vt Landrisio omnibus in rebus adesset. Melphitanus vt Regis mandatum exequeretur, quoniam ferentarij maxima ex parte in duobus vicis dispersi erant, vltra cœnobium Bohurium duobus infra Guisiam passuum millibus, ad flumen Osiam, quà Bohanium & Landrisium iter est, Brissaco per nuntium imperat, vt omnem illum equitatum Guisiam adduceret, vt omnes simul postero die sub auroram discederent. Hunaldæus & Theodus Bedanius Albanus, qui ducentenis ferentariis præerant, quum se commodo loco esse conspicerent, illic pernoctare constituunt, reliquos abire sinūt, quòd tam maturè se discessuros postridie sperarent, vt Guisiam ante Brissaci discessum petuenirent. Mirificus tum quidam casus interuenit. Nam Cęsarianæ copiæ quæ tum in illa ora erāt, ipso eo die coierant, vt Bohanianum castrum aggrederentur. Quum iter facerent, Liquæus ducis Ascotij legatus ab exploratoribus sit certior nostros illos equites ab aliis seiunctos in eo vico restitisse. Eos igitur aggredi atque delere constituit: quam ad rem perficiendam ex equitatu Cæsariano octingentos lectos equites Burgundiones, ducentos Anglos & quatuor peditum cohortes assumit. Dum iter facit sole iam exorto, ne propter peditum tarditatem illuc non satis maturè perueniret, eos subsequi iubet, ipse

Cæsarianorū equitatus à re gio cęsus.

cum

cum equitatu præit. Simulatque eò venit, in ædes Theodi Bedanij irrumpere conatur. Ille equites duntaxat adesse cõspicatus, nullo peditatu adiuncto, fores claudit, dũmque ex equis desiliunt, & foribus horrei vbi pernoctarat, effringendis occupantur, ipse loricam induit, equum ascendit, lanceam arripit, & obfirmato animo egressus per medios illos vi perrumpit, obuia quæque sternit, seque ad suos & ad Hunaldæum incolumem recipit. Achæus ducentorum equitum scloperatiorum dux, & Bertrandus Fossius Crenensis tumultu exaudito, ex cœnobio Bohuriano egressi & ponte quem hostes tenebant per vim potiti, suis auxilio veniunt: quibus conspectis spes & animus nostris accessit. Horum aduentu hostes submouentur. Rumore Guisiam perlato, Theodus Manes qui in suburbiis erat, iussu Brissaci equitum magistri auxilio suis venire maturat, dũ Brissacus à Melphitano sexaginta equites accipit (nam suos iam præmiserat, qui Marlam versus progrediebantur) quibus ad suos iuuandos vteretur. Cum his flumen in suburbio Guisiæ transit, eo consilio vt planitiem quæ inter syluam & flumen interest occuparet. Etenim quum hostes longinquitate itineris defatigatos & equos æstu delassatos esse arbitraretur, sperabat se in turbatos impetu facto magna clade illos affecturum. Quum mille passus progressus in editum locum euasisset, fit certior à Theodo Bedanio hostibus nonnullam trepidationem iniectam esse, quòd totum exercitum sibi imminere putarẽt, vrgendos igitur esse, antequam se ex eo metu colligere cœpissent. Quod quũ conferto equitatu magna virtute fieret, pulsi hostium equites in suum ipsorum peditatum retroaguntur, omnesq; in fugam vertuntur. Fugientibus nostri tã acriter instant, vt trecenti illic interfecti sternerentur, viui sexcenti, quatuor peditum & duo equitum signa militaria caperentur. Reliqui Cæsariani qui Bohanium tentaturi venerant, huius cladis fama audita, totum nostrorum exercitum adesse arbitrati, metu perculsi conatu desistunt, & Quercetum se recipiunt.

Galli Lucemburgicam regionem ingrediuntur.

IAM pars exercitus Stenæum venerat, in his erant Aumalius, marchio Menius frater, Longouallanus, procomes Straugius, Dampetrus, Langæus, Ecarsius, & alij plerique, vt numerus esset trecentorum fere equitum grauis armaturæ, ferentariorum ad octingẽtos: aderãt etiam totidem pedites Galli, & Germanorum peditum quatuor millia duce Fraxinio: qui omnes ducis Aurelij, amiralij, Annobaldi & reliqui exercitus aduentum præstolabantur. Hostes qui ad Lucemburgum defendendum mittebantur, numero tria peditum millia & quadringenti equites, in magno quodam vico non longè Sammario confederant: qui locus duodecim passuum millia Stenæo abest, in comitatu Siniacẽsi, quò exercitus ægerrimè adire posset. Illic lustrato exercitu stipendium erant accepturi, vt mox Lucemburgum ingrederentur. Hac re Longouallanus intellecta, cũ aliis belli ducibus illos necopinantes opprimere constituit. Ad id perficiendum Stenæo proficiscimur assumptis duabus cannis & totidem longis colubrinis, quibus Sammariũ & finitimas aliquot arces vel vi caperemus, si illuc se hostis reciperet, vel etiam excinderemus, ne hostis equitatu introducto nos commeatu, quum ad Lucemburgum castra haberemus, prohiberet.

NOX dimidiæ horæ spatio iam inceperat, quum syluam ingressi essemus. A qua quum vicus vbi hostes confederant, quingentos fere passus abesset, in planitie ad exiguum flumen situs, aliàque rursum syla pati spatio vltra eum vicum esset, prospici placet ne in eam se reciperent. Itaque Ecarsius cum ducẽtis equitibus præmittitur, quem quadringenti alij submissi insequerentur, postremò trecenti cataphracti cum Germanico peditatu quàm fieri posset celerrimè eòdem contenderent. Huic mandatur, vt quoniã ad syluę oram circiter auroram peruenturus esset, inde admissis equis in vicum procurreret, vt eos in lectis iacentes offenderet, atque ad pugnam parari prohiberet, dum Aumalius cum illis quadringentis equitibus subsidio accederet. Ecarsius ad syluæ oram qua constitutum fuerat hora progressus, Capellam Bironium cum triginta equitibus in vicum citato cursu præmittit, ipse præeuntem proximè sequitur. Bironius mandatum diligenter exequitur, hostes magna ex parte in sternendis & frenandis equis occupatos offendit, alios tunicis indutos, perterritos, vt iis accidit qui insperato hostium aduentu opprimuntur: è quibus nonnullos cædit. Hi tandem quum neminem ponè adesse viderentur, animum colligunt, & eo euntes illius impetum sistunt: interim impedimenta & stipendium in tuto locant, atque ipsi minimo damno accepto proximas syluas fuga pe-

tunt. Si quod constitutum fuerat, atque vt rei gerendæ facultas ferebat, diligenter fuis-
1543. set administratum, non leuis est coniectura vtilissimum hoc Regiis negotiis futurum fuisse: quòd ea quidem ratione & Cæsaris vires quas his locis habebar, labefactabantur, & stipendium quod pomeridiano tempore tribus illis hominum millibus numerandum erat, intercipiebatur.

Sammarium & alia castra excinduntur.

AVMALIVS & Longouallanus irritum hunc esse conatum quum animaduerterent, vires ad castrum Sammarianum conuertunt, quod machinariis aliquot glandibus emissis in nostrorum potestatem deditione cum aliis plerisque finitimis venit, quæ omnia excinduntur, vt hostibus nulli vsui hoc quidè bello fuerint. Quibus confectis rebus nostri se per medias syluas recipiunt, quum quidem ægrè admodum machinas extraherent, propterea quòd totum biduum assiduus imber itineris difficultatem auxerat, locis præsertim illis palustribus, plurimisq; syluæ arboribus cæsis ac transuersa via stratis, quæ equis magno erant impedimento. Itaque maximo vix tandem labore ac molestia Nostra damum Anneum venimus citra syluas, qui locus quatuor passuum millibus Stenæo duobus Mommedio abest. Porro Mommedium atq; etiam Yuæsum tum adhuc iam inde à superiori illa ducis Aurelij expeditione Regi parebant, Danvillerium relictum erat.

ILLVC amiralius venit sperans se in tempore ad hanc rem suscipiendam affuturum, subiratus quòd ad eam non fuisset adhibitus. Verùm nulla ratione in eius aduentum differri potuisset, quòd hostis postero die Lucemburgum profecturus erat. Ibi die vnum commorati Viretonem iter facimus, exiguum oppidum ducatus Lucemburgen sis, ab hostibus relictum: quò dux Aurelius venit. Nocte insequenti metatores profecti Arlonem contendunt, exiguum etiam oppidum illud quidem, sed loco munito in summo monte situm. Brissacus cum omni ferentariorum equitum multitudine vnà cum eis profectus, oppidum cingit, dum machinę adueherentur, nequis vel ingrederetur vel foras exiret. Milites qui præsidio illic erant numero quadringẽti, non expectato totius exercitus aduentu, quũ machinas procul, vtpote è loco edito aduehi conspicerẽt, colloqui se velle dixerunt. Ad colloquiũ admissi saluis impedimentis abeunt, ciues in Regis ditionem ac potestatem fide data veniunt. Aurelius Tabernarium quendam oppido præficit, cui quingentos pedites attribuit. Postero die, qui mensis Septembris decimus erat, Lucemburgum contendimus, atque illuc hora fere decima matutina peruenimus. Lucemburgi erant quadringenti equites egregiè armati, ex ducum numero erat Ægidius Leuantius, cuius magna erat apud Cæsarianos existimatio, & Ioannes Heussius ex ciuitatis Metensis primarijs ciuibus, præterea pedites ad tria millia quingentos, omnium quos vnquam mihi contigit videre optimè armis instructi.

Lucemburgũ à Gallis obsessum.

CASTRIS ad Lucemburgum positis, Aurelius non longè à templo quodam in exigua valle ædes habebat, quà iter est oppido ad montem Sanjanium: qui locus oppido non longius aberat, quam quò colubrini iactus pertinere posset, vt glandes illinc emissæ super illius ædes ferrẽtur. Ante eũ conspexerant Germani pedites, quibus Ludouicus præerat, ad dextram alij duce Fraxinio, ad lævam legionarij Normaniæ & Campaniæ. Totus equitatus locis maximè accommodatis dispositus erat, vt pedites oppidum ingredi vel erumpere prohiberentur. Huius oppidi situs valde inæqualis est & inusitatus. Dimidia pars, quæ Galliam spectat, loco edito sita est: è regione syluas versus extat rupes fastigiata, quæ castrum habet antiquo & superbo opere ædificatum, quod veterũ ducum & Cæsarum, qui ex hac familia prodierunt, domicilium erat. In eius corte infima cœnobium est, vbi duo vel tres Cæsares sepulcris magnificè extructis conditi sunt: ibidem quoque sepultus iacet Bohemiæ rex qui in pugna Cressiana cecidit, quum quidem auxilio venisset Regi Philippo Valesio aduersus Angliæ regem Eduardum cognomẽto Cõquisitorem à multis regionibus bello domitis: huius porro Boemi filius Cæsaream dignitatem obtinebat. Ad manum dextram huius arcis est inferius oppidum, ad quod pertinent tres magnæ & depressæ valles, quibus tres torrentes decurrunt, in rupe arte excisa, vt ægerrimè illis pedestri itinere, nisi certis locis descẽdi possit. Quibus quidem locis auxilium submitti absque vllo impedimento potest, quòd ex Arduennorum finibus cõ facilè occultis itineribus venitur. Hæc causa fuit cur vesperi eo ipso die quo huc ventum est, magna celeritate machinæ promouerentur, quæ ad angulum summi oppi-

oppidi dextram versus, quâ in Galliam vergit, bipartito sic collocantur, vt vtrinque emissæ glandes transfuersis sese mutuò lineis secantibus ferrentur. Alteram oppugnationem administrandam suscipit Aumalius, adhibito Asserio rei machinariæ præfecto, alteram Petrus Strossius, patricius Florentinus, papæ Clementis demortui cõsanguineus. Is modò ex Italia profectus trecentos secum milites genere Etruscos adduxerat, omnes dignitate militari insignes, vt qui vel centuriones vel legati vel signiferi fuissent. Armis erant aurati induti, equis humilioribus quidem, sed expeditis & celeribus inuchentes, ducenti hasta longa pugnabant, reliqui sclopis vtebantur, sempérque cum ferentariis procurrebãt. Hi siue pugna aliquando decertare, siue murum subire, siue transitum vel prohibere vel occupare opus erat, ex equis desiliebant, neque vlla cuiusquã opera egebant, à quo ad certamen instruerentur: ipsi enim quid facto opus esset, per se intelligebant, vt qui ordines aliquando duxissent.

AVMALIVS qui potiorem machinarum locum sortitus erat cum Asserio, ea vtitur diligentia, vt horæ spatio priusquam dilucesceret, suas machinas iam instruxisset. Quum autem certum oppidi locum exploraturus ex vallo exiisset, (neque enim quum irruptio tentaretur, ipse deesse decreuerat) & ornatu candido, vt propter tenebras à suis agnosceretur, indutus esset, repentè ab hostibus è muro conspectus sclopo vncinato in pedio ad ipsum malleolum vulneratur: vnde in ædes suas, & porro Lõgouicum decem passuum millia Lucemburgo relatus grauissimè ex eo vulnere ægrotauit: vt nisi regiorum chirurgorum industria & patris Guisij ducis qui eum inuisit, solicitudo subuenisset, de salute valde periclitaretur, propterea quòd vulnus eo loco neruos & ossa perfracta grauissimum erat.

Lucemburgũ deditione capitur.

POSTQVAM diluxit, amiralius Annobaldus qui toti exercitui secundum Aurelium præerat, & ad fossas pernoctarat, quinque aut sex machinarum displosionibus oppidum petit. Tum oppidanis colloquendi potestatem fieri postulantibus, quatuor illorum primarij fide publica accepta Aurelium adeunt. Post diuturnam disputationem ita paciscuntur, vt militibus cum armis atque impedimẽtis abire liceret, ciues qui in Regis ditione esse vellent, fortunas omnes & bona possidere permitterẽtur, reliquis abeundi quò vellent facultas daretur. Hora fere secunda pomeridiana egrediuntur peditum tria millia quingenti, equites quadringenti egregiè instructi, qui Baltoniam in comitatu Siniacensi ire contendunt. Longouallanus oppido prorex præficitur, qui suos equites & Germanos pedites Fraxinij introducit, ne à militibus diriperetur. Ciuium bona pars cum opibus manet, præter præsides & consiliarios, qui cum militibus abire maluerunt.

HIS rebus perfectis Aurelius ducum omnium apud se concilio habito, de summa rei deliberare cœpit, quòd videbat totum Lucemburgensem ducatum in Regis potestate esse, vna excepta Tionvilla. Oppidum est non ita magnum, sed munitissimum ad Mosellam flumen octo passuum millia infra Metensem ciuitatem. De hoc oppido obsidendo Aurelius ad concilium refert. Obsideri non placet. Causa affertur, periculum esse ne dum Tionvilla potiri conarentur, tam propinqua hyeme facultas nulla daretur, qua Lucemburgum commeatus introduci posset, quam tamen ciuitatem Rex in primis seruare velle videretur. Omnes vno consensu mittendum ad Regem censent qui de loci natura certiorem eum faceret, oppidum ægrè admodũ muniri posse propter ipsum situm & montes qui inferiori parti imminent, quas difficultates vna ratione tolli posse, si duæ oppidi partes fossa & muro sciungerentur: quam ad rem diuturna mora & magnis sumptibus opus esse. Præterea vt muniri posset, non facilè satis magnam vel in sex mensium spatium rei frumentariæ copiam introduci posse, denique quoties alius commeatus conuehendus esset, non parua manu opus fore, si bellum continenter gereretur. Quæ omnia grauissimo oneri & sumptui futura essent. Hostem enim, quumprimũ re frumentaria nostros illic laborare sentiret, paucis diebus è Germania, quam à tergo proximam habet, pedites ad viginti millia singulis coronatis conductos proximè oppidum adducturum esse. Regem contrà, etiamsi è prima Gallia proficisceretur, non citius sex iustis exercitus diebus tum eundo, tum redeundo hanc rem confecturum. Stenæo quippe Lucemburgum trium dierum iter esse, totidem ad reditum requiri, vno deniq; ad exonerandas farcinas opus esse. In summa maximè expedire eius mœnia dirui, Arlonem communiri, quòd & facilius opus illic fieret, & cõmeatus supportaretur. Idem pru-

1543. dentissimis quibusque videbatur. Quinetiam tantisper castra facere ad montem Sanjanum octo illinc passuum millibus statuunt, dum Rex quid fieri vellet significaret, vt exercitu ad iter Tionvillæ & Metarum abducto, facilius interim commeatus in oppidum conueheretur. Sic porro fieri, vt Tionvillæ exercitus proximus esset, si Rex illuc expeditionem susci pi iuberet.

DELIGITVR Martinus Bellaius qui hæc Regi nuntiet. Is Regem Sammenohaldi adit, apud quem Sampaulum & cardinalem Turnonium reperit: huic enim absente amiralio negotiorum regni administrationem crediderat. Mandata diligenter & ordine exponit, quæ à viris rei bellicæ peritis apud Aurelium disceptata essent, commemorat. Sampaulius, cardinalis Turnonius & reliqui apud Regem oppidum propter illam commeatus difficultatem relinquendum & mœnia diruenda censebant, maximè quum præses Oliuarius, qui postea cancellariatum gessit, (huic enim commeatus prospiciendi cura commissa erat) affirmaret vix se exercitui commeatum suppeditare posse, nedum vt Lucemburgi insuper rationem haberet. Rex tamen quicquid tandem illi sentirent, consilium seruandi oppidi noluit abiicere, suum hoc esse patrimonium: quòd si Cæsar ducatum Mediolanensem per vim ac iniuriam sibi ademptum occupabat, æquum esse, vt ipse iure & merito Lucemburgensem possideret, vt non alia etiam iustissima de causa sibi vindicare posset: quod si ipsius ditionis caput non teneret, non rectè ducem Lucemburgensem appellandum videri. His ita constitutis omnes œconomos suos vndequaque dimittit, Semerium, Stanium (quæ oppida sunt agri Lotaringici) Metas quoque, qui cibaria vndique colligerent. Borde serium accersit, quem huic rei præficit, quòd eum idoneum esse cui hæc cura mandaretur, putabat. Ipse quum Lucemburgum proficisci in animo haberet, Bellaium præmittit, qui Aurelio sententiam suam declararet, vt milites etiam obuiam sibi procedere iuberet. Ipse die Septembris quinto & vicesimo Sammenohaldo profectus, Stenæo, Iamesio & Longouico in castra peruenit, ad montem Sanjanum diem vnum moratur, dum de munienda illa arce constituit, cui Sanfacum ducentorum ferentariorum ducem præficit. Postridie, qui dies Michaelis festum antecedebat Lucemburgũ peruenit, vbi equestris ordinis more maiorũ celebres ceremonias vsurpauit: simul etiam muniendi oppidi rationem descripsit.

PAVLO antè quum amiralium Annobaldum vlterius procedere iussisset, vt cũ qua dringentis equitibus cataphractis & peditum decem millibus duci Cliuiensi auxilium ferret, per nuntium factus certior fuerat, pacem inter eos esse compositam. Quinetiam quum Lucemburgi diutius morari constituisset, nuntium eo ipso Michaelis die accipit, Cæsarem in obsequium redacto Cliuiensi, toto exercitu quàm poterat maxima celeritate Landrisium contendere, quod oppidum à Rege proximè in suis finibus communiri ægrè ferebat. Vindocinus insuper Guisia per nuntium ei significat, præter illas copias quas pridem Roxius ad Landrisium habuerat, Ferrandum etiam Gonzaguam summũ Cæsaris legatum cum magno supplemento accessisse, qui Cæsaris aduentum præstolaretur. Quibus ille causis permotus, quòd vereretur ne præsidium infirmius esset, per me diam Roxij custodiam Renatum Capellam Rinsoinum cognomento Spellium Iarnaci legatum cum quinquaginta cataphractis equitibus introduxerat. Id Regi postquã nuntiatum est, periucundum fuit: & quoniam Cæsarem audiebat Landrisium aduẽtare & expectari, decreuit eò postridie proficisci, vt vel cum eo collatis signis præliaretur, vel certè suis laborantibus opem ferret. Neque tamen idcirco Lucemburgi curam abiecit, sed Longouallanum proregẽ illic constituit cum quinquaginta cataphractis equitibus, quibus præerat. Huic Anglurrium cognomento Iurium cum mille peditibus legionis Campanæ attribuit, Haraucurium Lotaringum & vicomitem Riuerium cum quingẽtenis, Hieronymũ Marinum Bononiẽsem cum fere CXX Italis. Is oppidi muniendi curã susceperat, infimúmq; oppidũ fossa & vallo sic diremerat, vt integrũ tamẽ seruaret. Principem Melphitanũ in exercitu proregẽ ad cõmeatum introducendũ constituit, cui Iamesium, Langæum & vicecomitẽ Staugæũ cũ sua quemq; equestri turma attribuit, Senerpontium itẽ Mallerçi & Guliaucuriũ Sedanij legatũ cum ipsis equitibus, Fraxiniũ cũ duobus Germanorum peditum millibus, comitem deniq; Briennium, qui & quinquaginta equitibus grauis armaturæ & decem peditũ millibus partim ex Normana partim Cãpana legione præerat. Ipse cũ reliquo exercitu magnis itineribus Landrisiũ cõtendit.

Rex Landrisium proficisci tur.

QVVM Lucemburgo discessisset, vti dictum est, eo consilio vt cū Cæsare manum consereret, à quo Guisia simul & Landrisium obsidebantur, Brissacus ferētariorum equitum præfectus ostendit, se, si aliquot assumptis sclopetariis equitibus reliquo exercitui præiret, facilè partem aliquam exercitus Cæsariani improuiso occupaturum esse, quem Ferrandus Gonzaga summus Cæsaris legatus ad Guisiam habebat: non esse dubium, quin equites Cæsariani (vt qui nihil de tam repentino discessu Lucemburgo audissent) procul à castris prædæ causa vagarentur, quum neminem obsistentem viderent. Itaque à Rege petit, vt id sibi eius voluntate facere liceat. Consilium hoc Rex vehementer approbat: itaque comiti Sāsecundo Italorum peditum duci imperat, vt quot ille vellet è suis cohortibus milites tribueret. Ille cum lectis ex suo peditatu fortissimis, & vsu præstantissimis militibus Brissacum ipse comitatur. Itaque Liessam & Petropontem prætergressi, Marlam octo passuum millia Guisia veniunt. Ibi nuntium accipiunt, Gonzagam, audito Regij exercitus Cocium reditu, quòd nollet eius aduentum expectare, postridie mane Landrisium, vbi reliquæ erant Cæsaris copiæ, redire constituisse, relicta Guisia, quā obsidere cœperat. Hac re Brissacus intellecta tribus ante lucem horis suos educere cogitat, vt illic in ipso profectionis articulo adesset. Quum in locū editum procedendo peruenisset, vt Guisia duobus tantùm passuum millibus abesset, atque inde proximam syluam, qua occultaretur, habens, Guisianam arcem totam despicere posset, cognoscit Bordilionem ducis Niuernensis legatum eruptione ex arce facta cum equitibus Cæsarianis pugnam iniisse. Quare vt hostis consilium melius perspiceret, Theodum Bedanium cum suis proximè cum accedere iubet: huicque mandat, vt siqua ratione fieri posset, eum ad insidiarum locum alliciat, vt ita illis iter ad castrum intercluderet. Verùm Theodus post longinquam velitationem, vidit se id nequicquam conari, quòd hostis longius à maiori agmine quod Gonzaga duceret, discedere nollet: is porro dum ita pedem referendo pugnabatur, Landrisium se interim recipiebat. Theodus ad Brissacum reuersus, rem totam ordine recenset. Tum ille ex omnium qui aderant sententia quingentos equites citatis equis eos iubet adoriri, ipse cum reliquo equitatu, vt subsidio esset, eos subsequitur. Nostri impetu fortiter facto obuia quęque sternunt, multi ex hostibus capti, interfecti & vulnerati. Inter cæteros eques quidam ferentarius ex Hunaldæi turma Franciscum Estensem ducis Ferrariensis fratrem capit, qui in Cæsarianos equites ferentarios summam imperij obtinebat. Reliquis nostri adeo acriter instant, vt Gonzaga qui se recipiebat, cogeretur exercitu toto collecto, aduersam aciem ad reliquos seruandos cōuertere: is q; fuit certaminis exitus. Ferrādus in castra ad Lādrisium, Brissacus Marlam, vnde profectus fuerat, se recipit. Cæsarianus exercitus ad Landrisium cōscedit, vnà cum exercitu quem Roxius pridem illic habuerat: atque illi simul Marollas & Capellam versus castra habent, Ferrandus in ea parte quę Catellum Cameracorum spectat, ad syluam Mormalianam. Cęsar ad Quercetum morabatur, dum Germanica auxilia tum ducis Mauricij Saxonis, & Martini Rossenij mareschalli Gueldriensis, tum etiam Anglicana aduenirent, quæ decem hominū millibus ab Anglo missis cōstabant. Neq; enim nisi omnibus copiis cōiunctis quas Regi obiiceret, eò progredi statuerat, q. Regem obsesso oppido auxilium ferre omnino decreuisse persuasum haberet.

PRINCEPS Melphitanus accepto à Rege mandato de commeatu Lucemburgum introducendo, post illius discessum Cellas venit, duobus ab oppido passuum millibus. Ibi propter plausirorum penuriam, quæ Stenæi & Musone erat (his enim locis com meatus parabatur) fames tam grauis exercitum occupauit, vt ne ducibus quidē ipsis panis in prandiū suppeteret. Tantæ inopiæ causa fuit q. Stenæi omnia plaustra retenta fuerant, vt vno itinere totus cōmeatus Lucēburgū introduceretur. Quāobrē pedites Germani & legionarij Galli tam necessariæ causæ nullā rationem habentes, & triduanæ ad summum moræ impatientes tumultuari cœperunt. Tamen Germani oratione adducti in officio continentur: legionariorum tanta fuit improbitas, vt ex x.M. tum Cāpanorū, tum Normanorum vix trecenti remanerēt, cæteris in Galliā reuersis. Cēturiones remanent, sed singulis signis militaribus vix tricenos milites habebant. Melphitanus & centuriones qui illi aderant, tanta destitutione perculsi decē passuum millia regredi & Eranciū se recipere statuunt, lamesō millia passuum sex, tum vt facilius frumentarentur, tum vt cōmeatum Lucemburgi expectarent. Qui quum triduo adductus esset, nostri licet duo

Lucemburgū commeatus introducitur.

1543. tantùm millia Germanorum haberent quos Fraxinius adduxerat cum equitatu, audirent autem amplius decem millia Germanorum ad Mosellam & castrum Rocodemarium ad eos impediendos coacta esse, rem tamen suscipiunt, equitatúsque nostri præsidio commeatus in trimestre tempus in oppidum introducitur. Oppidum ingressis Arlonenses per nuntium significant, Tabernarium, qui illic præsidio constitutus fuerat, dire pto oppido in Galliam cum suis non accepta venia rediisse, Bastonienses præterea a Cæsarianis partibus ad occupandum oppidum venisse, verùm se obtemperare nequaq̃ voluisse, q. quam Regi fidem dederant, hanc seruare cogitarent, modò præsidium illis mitteretur. Quãobrẽ petere aliquos ad se tuendos, alioqui ad Cæsarianas partes necessitate coactos defecturos esse. Melphitanus egregia illorũ volũtate perspecta, qui maiorẽ fidẽ q̃ nequissimus ille cui cõmissi fuerant, præstitissent, rebus eos necessariis iuuare constituit. Itaq; Lucemburgo profecti Arlone iter facimus, illic tres cẽturiones relinquuntur, qui tricenos pedites ducebãt, Lanquius, Monsamperius & alius quidã, cũ nõ exiguo cõmeatus numero. Quibus cõfectis rebus Erancium venimus. Inde Melphitanus cunctis quæ imperata fuerant administratis, Langæum veredaria celeritate ad Regẽ mittit nũquid præterea aliud vellet: à quo dum responsum acciperet, exercitus inter Iamesum & Stenæum reducitur, vbi tuto loco esset, & locis appropinquaret vnde cibaria suppedita rentur, propterea q. obortis grauissimis imbribus plaustra progredi non poterant. Langæus Regẽ Feræ ad Osiam conuenit, qui confestim per cursorem Melphitano quid fieri vellet significat, se vel infestis signis in hostẽ contendere, vel certè oppido suo succurrere decreuisse: proinde ad se quamprimum veniret, atq; breuissimo itinere ea Regni ora, q̃ tota syluis cincta est, peragrata Guisiã veniret, vnde quo loco esse auditet, se cõferret.

Cæsariani magno exercitu Landrisium obsident.

CÆSAR interim Querceti erat, totúmq; exercitum ad Landrisium habebat, Germanorum octodecim millia, Hispanorum veteranorum millia decem, Belgarum sex, Anglorum ferme decem (has enim auxiliares copias Anglus illi ex pacto miserat) equitum millia tredecim partim ex censu Belgico, partim ex Cliuiensi & Germanico equitatu. In eo exercitu Ferrandus Gonzaga summam imperij Cæsaris legatus tenebat. Apud Cæsarẽ erat dux Alba, quem paulo antè prætorio præfecerat, comitẽ verò Roxium (qui hunc magistratum gerebat) Flandriæ & Artesiæ præfectura ornauerat: aderant etiã summi tũ Germaniæ tum Belgij proceres. Castris collocatis machinas properè disponit, & magna celeritate promouet, vt omnibus locis mœnia quaterent, hinc toto illo muri brachio q. Regium vocari ostendimus, quódq; à castro ad propugnaculum Aurelium pertinet: hinc deniq; propugnaculo Vindocinensi & brachio q. Catellionẽ spectat. Postea tumulum quendam cõspicatus syluam versus, ex quo illud brachium interius nudum despiciebatur, longum colubrinum illuc subuexit, quò oppidani ruinã obstruere ac pro pugnare impedirentur. Nostri quum id summo sibi damno esse viderent (nã totius munitionis opus vix ad dimidiam iustæ magnitudinis partem perductum fuerat) rationem inire cœperunt qua machinam illam inde tollerent. Tandẽ Germanos quibus illius cũstodia credita erat, è vallo cõspicati negligentius se gerere, vt qui ab vna tãtùm parte nostros erumpere posse arbitrabantur (nam flumen interesse videbant, q. inferius oppidum alluit: hanc porro oppidi partem à reliqua abscissam nostri deseruerant) eos incautos opprimere & machinam clauo adacto obstruere statuunt. Itaq; Ricarvillanum cum quadraginta equitibus emittũt & Sansimonium cum triginta peditibus, duodecim denique fossores cum funibus, quibus pedites flumen transirent. Illi emissi tam nauiter rem gerunt, vt Germanos imprudentes opprimerent, quos statione statim excedere cogunt. Machina potiti, & abducendæ facultatem nacti, funibus reuinciunt quibus flumen transierant, manibus ad propugnaculum Aurelium, quo egressi fuerant, protrahunt. Hostes re intellecta, toto conatu ad eam recuperandam feruntur: sed non prius assequi possunt, quam in flumen deturbata esset: deinde nostrorum concursu facto in ipsum propugnaculum tutò inuehitur, ac repente, quum puluere & globo onusta esset, in hostes ipsos obuersa disploditur. Multi insuper ex eis, qui ad fossæ labrum procurrerant, vt machinam recuperarent, ex ipso vallo scopis interficiuntur.

FERRANDVS Gonzaga quum nostros crebris eruptionibus suis molestos esse videret, fossas ampliores facere & oppidum diligentius cingere decreuit, quò tum pedites tum equites egressu prohiberet. Nõ multo pòst Essæus trecẽtos Anglos fodientes

ex

ex vallo conſpicatus, equites ad CXX aſſumit, & iuuenes aulicos qui illic remanſerant, quibus comitatus in eos erumpit. Sed quum Anglos duntaxat adeſſe putarent, inequites amplius octingentos incidunt, qui inſidias ad eos defendendos valle occulta conſtituerant. Hi Eſſæum ex inſidiis adorti, circiter decem è noſtris vel interficiunt vel vulnerant, Eſſæo ipſi haſta longa brachium traiicitur. Ac maior ſanè perturbatio extitiſſet, niſi quingenti ſclopetarij egreſſi noſtris ſubſidio acceſſiſſent. Horum ope noſtri præliando pedem referunt, ſeque minimo damno accepto, præter illam primi impetus offenſionem, recipiunt.

CÆSAR quum Regem audiret omni conatu ad ſubſidium obſeſſis ferendũ properare, ipſe quoque bombardis muros diligentius quatere inſtituit, paucis diebus ſatis latam muri partem deiicit, ruina amplius viginti dies aperta manet: niſi quòd noſtri noctu aliquid obiiciebant: nam interdiu nudatis vndique vix operi manum admouere licebat. Ad extremum faſces & virgultorum magnã copiam ad foſſas complendas colligi iubet. Noſtri re frumentaria valde laborabant, vt militibus in diurnum demenſum dimidius panis daretur, potus nullus præter meram aquam ſuppeteret. Accedebat etiam hoc incommodi, quòd in oppidi inferiori parte à noſtris relicta, porta quædam ſuperat, quam hoſtes occupatam milite compleuerant, & machinis in ſuprema collocatis in ipſa ruina noſtros vexabant. Eſſæus & Landa id ſibi valde nocere animaduertũt, ſuos præterea exiguo cibo ali, & aſſiduo labore fatigari, vt tanto oneri diutius ferendo pares fore nõ viderentur, portã illam hoſtibus adimere ſtatuunt. Omnibus machinis in eum locum comportatis, ſi fortè vniuerſi hoſtium exercitus concurſus fieret, trecentos milites ſub auroram emittunt, qui pertinaciter præliati hoſtes loco tandem cedere inuitos compellunt, antequam è caſtris auxilium ſubmitteretur. Ea res quietem nonnullam illis attulit: nam ab eo tempore hoſtes locum denuo occupare non ſunt aggreſſi. Cæſar Querceti ſe continebat: vbi licet certò noſſet ſatis latam eſſe muri ruinam ad irruptionẽ faciendam, tamen eam eſſe noſtrorum virtutem non erat neſcius, vt potiundi oppidi ſpem nullam niſi ingenti ſuorum clade dari videret. Quibus cauſis adductus fame illos ad deditionem cõpellere decreuit, quos & commeatus egeſtate premi, & diurnis nocturniſq; laboribus defatigari intelligebat, quibus propediem adeo fractum iri ſperabat, vt vires illis ad arma in manus ſumenda vix ſuppeterent. Hoc inſuper ſibi perſuadebat, Regem minimè in tempore affuturum, quin ille conata prius exequutus eſſet.

Landriſiani & horum pernuria laborant.

DIE menſis Octobris circiter decimo octauo noſtri quum rei frumentariæ inopiam, loci infirmitatem, & ingentem laborem conſiderarent, quem continenter interdiu ac noctu ferre cogebãtur, capitaneum Yuillanum Normanum (quingentis ille militibus in eo oppido præerat) deligunt, cui loca illa explorata eſſe ſciebant, vt rationem inueniret qua egreſſus Regi omnia ſignificaret. Is biduo Regem Feræ ad Oſiam cõuenit, vbi copias vndique cogebat, & ipſum Melphitanum (vti à nobis dictum eſt) accerſierat. Yuillanus quo loco eſſent res oppidi ordine commemorat, niſi breui commeatu iuuarentur, famem inuitos expulſuram eſſe, virtuti quidem hoſtium nunquam ceſſuros, donec vel vnus ſuperſtes relinqueretur. Rex eorum egregia voluntate & maxima egeſtate perſpecta, ipſe potius capitis periculum adire ſtatuit, quàm vt tot ſtrenuos viros perire ſineret. Yuillanum iubet reditum tentare (quod etiam perfecit) eiſque omni aſſeuerationẽ affirmare breui fore, vt auxilium acciperent. Id quo maturius perficeret, cõfeſtim exercitum in cœnobio Hombleriano colligi iubet, duobus ſupra Sanquintinum millibus paſſuum ad ipſum flumen, ipſe Sanquintinum contendit, vt omnes ſequerentur. Illic diem vnum moratus, ad Premontium, magnum vicum extra ſyluam Bohaniam, quã Bohanio iter eſt Cameracum, caſtra facit. Poſtero die Sanſſuplexium contendit, qui vicus eſt ſupra Sammartinum ad flumen: vnde facilè conſpiciebatur Cæſarianorum tormentorum locus, quibus acerrimè oppidum quatiebat, quum Regem aduentare audiret. Erant autem tormenta maxima numero quadragintaquinque. Quum obtenebraſſet, Rex vt obſeſſis ſui aduentus ſignificationem daret, totam machinarum multitudinem diſplodi iubet: quæ res animum illis addidit, quòd certò ſtatuerent ſibi auxilium breui affuturum.

REX ad Sanſſuplexium concilio coacto de itinere faciendo deliberare incipit. Nõnulli cenſent Catellionem proficiſcendum eſſe, quem locum caſtris idoneum eſſe præ-

1543. dicab⁹, esse enim Sembram flumen ab vna parte, ab altera riuum paluſtrem, vnum relinqui aditum, quem tranſuersa ſolla præludi diurno opere facile esset, vt hoſti ad nos irrumpẽdi facultas nulla daretur. Commeatum porro Guiſia & Bohanio, vt nihil ab hoſte metuendum esset, ſupportari poſſe. Porro pontes ad viam ſtratam Catellionis vno die propter illius firmitatem inſtaurari poſſe. Præterea ſi hoſtis copias, quas ſeparatas habebat, coniungere nollet, nos flumine tranſmiſſo partem illam vlteriorem ad Longifauerium adorituros esse. Sinautem ad cõiungendum exercitũ ſuos Longifauerio ad ſyluam Mormalianam accerſeret, tum nos illuc tranſituros, Landriſium milites, foſſores, commeatum & reliqua quæ ad obſidionem tolerandam pertinent, per otium introducturos, iiſq; perfectis rebus Cartinio diſceſſuros. Etenim ſi Cęſar ad nos prælio laceſſendos venire inſtitueret, flumen illi ad Marollas quatuor paſſuum milliũ interuallo tranſeundum erat. Sinautem caſtris noſtris ad Catellionem locatis, ille copias Mormalianas flumen traductas cum Longifauerianis coniungere conaretur, tum nobis ad eum locũ vnde profectus erat progredi facile fore, flumen enim nobis patere, vt vtram in partem iter facere liberet, integrum esset. Hæc ſententia non obtinuit: imò tametſi locus Catelli Cameracorum caſtris parum idoneus erat, illuc tamen in aduerſum hoſtẽ iter faciendum esse videtur: præſtabilius enim esse rectà ad illud proficiſci, q̃. huiuſmodi circuitu velut tergiuerſari. Itaq; comes Sampaulius, amiralius Annobaldus, mareſchallus Dubetius & aliquot alij locum exploraturi mittuntur. Alij addebant, quando illuc proficiſci placebat, optimum videri, vt dum Rex Cæſari aduerſa caſtra haberet, interim Guiſiam & Vervinum mitteretur quidam regionis peritus, qui armenta & greges toto flumine Cera & agro Laudunenſi, omnem farinam, omnia deniq; iumenta quæ Laudunenſi & Sueſſionenſi agro reperiri poſſent, colligeret, Capellam cõuehi curaret. Inde farina tergo iumentorum imponeretur, ſic tamen vt ſingulorum ſarcina non admodum grauis fieret, quò ad iter celerius peragendum ruſticus equo & ſacco inſidere poſſet, quæ omnia, dum Rex Cæſarem ſpecie certaminis occuparet, Landriſium introducerentur. Quæ ſententia quum omnibus probaretur, ad rẽ perficiendam Langæus deligitur, qui imperio & nomine Regio omnia adminiſtraret. Eius quoq; equites, qui Lucẽburgo venirent, Melphitani quoq;, Brienni ac Sanſaci accerſuntur, vt ei ad Vervinum præſto eſſent. Solus tamẽ Sanſacus cũ ſuis adfuit & equites Bellaij. Comes Sãpaulius, amiralius & reliqui Catello Cameracorũ explorato ad regẽ reuertũtur, qui illuc mouet exercitũ.

Landriſij ſub ſuiarigmilites introducũtur.

BIDVO pòſt Sampaulius & amiralius certiores facti Cæſarianos flumẽ tranſiiſſe, & de bombardarum oppugnatione nonnihil remitti poſtquam fama de Regis aduentu peruerberuiſſet, Catellionẽ tranſeunt, vt milites Lãdriſio educerent, qui tot ęrumnas pertulerant, alióſque recentes ſufficerent. Nihilo certè difficilius vniuerſus exercitus illuc progredi potuiſſet. Sed (vt poſtea me audiſſe memini) cõmeatui tum exercitus tum ipſius oppidi adeo parum proſpexerant, vt ne vnum quidem plauſtrum haberetur, cibariorum vix ea copia extaret, quæ exercitui alendo ſatis eſſet. Quę quidem cauſa fuit, cur eorum ſententia (magis tamen probabilis) qui Catellionẽ iter esse faciendum cẽſebant, minus probaretur. Sampaulius certè & Annobaldus oppidum nullo periculo ingreſſi, inde Eſſæum, Landam & Capellã Rinfoinium cum militibus educunt, atq; in eorum locum Vervinium proregem conſtituunt, cũ mille peditibus patria Bolonienſibus ex legione Picardica, & capitaneum Rupebaronem, Lineonis fratrem Bolonienſem cum aliis quingentis peditibus. Poſteaquã Eſſæus & reliqui in caſtra peruenisſent, Rex eorum virtutem ampliſſimis præmiis remunerari ſtatuit, Eſſæum in Regiã cohortẽ allegit, Landam & Capellã œconomos ordinarios cõſtituit: militibus omnibus ſcelera q̃ aliquando patrarãt condonat, eósq; immunitate nobilium inſtar toto vitę tẽpore donat: aulicos adoleſcẽtes, qui animi & exiſtimationis gratia militauerant, pro generis dignitate auxit.

PER id tempus duo exercitus nõ ſine crebris & acribus prælijs tam propinqui morabãtur. Magna inter illos vallis intererat: hanc imam riuus perlabitur, qui Catelli Cameracorum ortus Hapram latum vicum & prioratum, qui medio itinere eſt Cameraco Valencenas, influit. Is quanq̃ exiguus eſt, tamen propter riparum altitudinem vado tranſiri vix poteſt. Die menſis Octobris circiter octauo & viceſimo Cæſar cum exercitu ducis Mauricij & Martini Roſſenij Quercreto in caſtra venit. Poſtea ſummũ collis iugũ magnã ferentariorum manũ ſclopetariis permixtis ſubire iubet, ponè in conualle duos aut tres

Ger-

Germanorum peditum cuneos in insidiis collocat,& equites frequenti agmine ad subsidium constituit. Clamore ad arma apud nostros excitato, statim Brissacus ferentariorum equitum magister riuum transit, Cæsarianos primo aduentu longè submouet: sed confertas illas equitum turmas & peditatum subsequentem conspicatus, cursum reprimit,& Regem commonefacit. Is in monte acie collocata, prospicit fore, si diutius certamen committeretur, vt iustam pugnam loco iniquiore subire cogeretur, quòd graue & incommodum esse iudicaret vallem transire, & aduersus hostem arduo ascensu eniti. Annobaldum submittit, qui nostros è certamine educeret. Ibi dum nostri pedem referunt, nonnulli audacius progressi cadunt: inter cæteros Andoinus Solopi vulnere acceperto moritur. Dum hæc fiunt, Rex acie instructa cõsistit, Vindocinus & Guisius duo cornua tenent, suo quisque loco ad pugnam paratus manet, Cæsar tamen transeundum sibi non esse ratus in castra redit.

LANGÆVS interim Vervini mandatum ea diligentia curat, vt Octobris die vicesimo nono mille ducentos arietes, boues centum nonaginta, & farinæ sexcentos saccos cum totidem numero iumentis quibus imponerentur, collectos haberet. Quo die vesperi Capellam venit, vbi totus apparatus adfuit, in primis Sansacus, qui monte Sanjano Lucemburgorum veniebat, vbi à Rege fuerat constitutus. Nam de Melphitani & Briennij turmis nihil nuntiabatur. Langæus tamen & Sansacus quia intelligebãt, si diutius cunctarentur, dum illi aduentarent, idque hostes aliqua ratione resciscerent, iam se quod cogitabant nunquam confecturos, Regi per nuntium significant, sibi in animo esse postero die iter ingredi: proinde iuberet ille tumultum castris Cæsarianis eo die excitari, ne consilium hoc ab illis deprehenderetur. Postridie qui Cal. Nouem. erat, conata exequi instituunt: in viam se dant cum ducentis duntaxat peditibus è Capellæ præsidio assumptis, qui commeatui ducendo præsidio essent, vsque eo tantùm dum syluis egrederentur. Neque enim plus ab eis impetrari potuit, quòd verebantur ne hostium interuentu, dum iumenta & armenta seruare studerent, ipsi delerentur. Porrò vt iter celerius facerent, iubent suo quemque rusticum iumento & sacco insidere. Iter tanta fœlicitate conficiunt, vt syluis non longè Prissa nemine occurrente egrederentur: ibi peditesdimittunt, exceptis circiter quadraginta, quos ad armentum ducendum retinẽt. Vbi in planitiem descenderunt, hostium equites numero circiter mille ducẽtos ad manum læuam conspiciunt, qui flumen Catellione transierant: quæ res in dubitationem eos adduxit, num susceptum iter pergere, an relinquere præstaret. Tamẽ Langæus quoniam apud Regem receperat se mandatum exequuturum, nisi vel interficeretur vel caperetur, vlterius progredi decreuit: quinetiam Sansaco, licet cum Rege ipse hac de re non egisset, tamen quum ex collega intellexisset quãti ad obsessorum salutem rem perfici referret, idem videbatur. Iter ad dextram flectunt, vt longius ab hostibus discederẽt, riuúmque qui Longifauerium alluit, medium interiicerent, idque eo consilio, vt commeatu introducto ipsi operam darent, vt vel incolumes se reciperẽt, vel hostibus victoriam magno venderent. Quamobrem quoniam festinatio longiorem deliberationem non patiebatur, ilico iter absoluere constituunt, rusticos equis insidentes velut acie instructa progredi iubent, quibus Langæus Marvillanum legatum cum decem equitibus attribuit, vt eos speciem equitum præbere docerent. Hostes eminus illos conspicati, (vt quidem eos postea narrantes audiui) quum equis bellicis inuehere suspicarentur, gradum sistunt, nósque reuertentes aggredi statuunt. Quæ tamen eos spes fefellit, quippe nos commeatu toto Landrisium introducto, rusticos iumenta denuo ad itineris celeritatem ascẽdere iussis, Cartinio rediimus, quod iter à superiore prorsus diuersum est. Ita hostibus nostrum reditum nequicquam obseruantibus, nullis ex toto numero desideratis Capellam rediimus. Landrisio quum discederemus, Sansacus & eques quidam ex Langæi turma Regem adire & de re à se feliciter perfecta certiorem facere constituũt. Itaque assumpto perito itineris duce, quem Langæus illis tradit, paludes ad extremum stagnum Osium transeunt, Catellúmque incolumes ad Regem veniunt. Langæus iter ad Roccoregium facit, vt hostiũ occursum vitaret, suos Capellam reducit: inde ad Regem contendit, quo tempore nostrorum exercitus se domum recipiebat.

Landrisiani cõmeatu iuuãtur.

REX qui id tantùm in animo habuerat, vt Landrisianis opem ferret, quos Cæsar vniuersis Germaniæ, Flandriæ & totius Belgij viribus, adhibitis etiam veteranis Hispa-

Rex exercitũ Landrisio reducit.

1543. nis & Anglicanis auxiliis obſederat,quum à ſe id quod conſtituerat cõfectum eſſe perſpiceret,(nam quindecim ad minimum dierum cibaria in oppidum introduxerant) Cæſarem non poſſe diutius octo diebus milites iis locis in caſtris continere,omni nimirum regione q̃ latè ad duodecim paſſuum millia quaquauerſum patet,tum à Cæſarianis tum à noſtris continenter totos ſex menſes penitus vaſtata,deinde appetẽte hyeme & imbriũ aſſidua colluuie prohibitum:exercitum reducere in hyberna conſtituit,omnibus impe rat,vt ad reditum omnes ſigno dato parati eſſet. Sarcinis expeditis & collectis, conſtituit quo quiſque ordine procederet,agmen primum,medium & poſtremum, denique alaria vtrinque agmina diſponit. Ipſe in primo agmine iter facit,præmiſſis aliquot duntaxat equitibus:medium agmen Delphino filio ducendum tradit cum octingentis ferme equitibus cataphractis,& Heluetiis ad quatuordecim millia acie inſtructa. Briſſacus extremum agmen ferentariis equitibus claudit,aſſumptis aliquot ſclopetariis,quorum ſubſidio,ſiquis occurreret difficilior tranſitus,vteretur. Iter Guiſiam conuertit ſecundo Nouem.die,anno 1543. Rebus ad hunc modum conſtitutis,ſe quiſque ad iter accingit. Rex primus duce Guiſio comitatus iter facit,deinde impedimẽtorum & machinarum turba,ſequebãtur Delphinus,Sampaulius & amiralius,poſtremo loco ferentarij illi & ſclopetarij. Cæſar prima luce certior factus noſtros domum ſe recipere, Ferrando Gonzagæ imperat,vt redeuntes ſubſequeretur,ſpe quadã adductus fore,vt propter impedita ſyluis itinera ordines minus ſeruari poſſent:ferè enim fieri vt qui diſcedunt, non tam circũſpectè ſe gerant q̃ qui progrediuntur. Is quum ad ſyluæ oram veniſſet,reperit machinas ipſas,impedimenta & totum exercitũ iam præteriiſſe, licet ſinguli fere trãſire propter loci difficultatem coacti fuiſſent. Quum porro noſtrorum ſtatũ propius explorare conaretur,ſuos ſyluã iubet ingredi:qui nõ longè tamẽ progreſſi ſunt. Noſtros enim ſclopetarios tã denſa multitudine tota ſylua ſparſos offendunt,vt pauci ex iis qui ingreſſi fuerant,ad ſuos rei geſtæ nuntij redirent. Dum ita in ſylua dimicatur,Cæſar vniuerſo exercitu ad bombardæ iactũ ſubſequitur. Quod vbi ſenſit Gonzaga, rationẽ inuenit qua alio itinere ad manũ dextram Bohanium verſus equites ad mille ducentos,ſclopetarios aliquot & Anglos ferentarios traduceret:qui nihilo plus q̃ ſuperiores illi effecerũt. Etenim Delphinus exercitu traducto quũ machinas & impedimenta turbò iter facere poſſe conſpexiſſet,Briſſacũ vnà cũ ferentariis ſubſiſtere iubet,cui Guichiũ connectablij legatum cũ centũ cataphractis & alios pleroſq; adiungit,vt numerus eſſet ad CCC cataphractos,qui ferentariis ſubſidio eſſent,ponè Heluetios acie inſtructa conſtituit:ipſe reliquũ exercitũ ad vtrunq; Heluetiorũ latus tegendum collocat,vt cum Cæſare,ſi ſylua exiret, collatis ſignis pugna decertaret. Ferẽtarij noſtri firmiore illo equitatu fulti, ſclopetariis inſtar perditorum quos vocãt,præmiſſis,Cæſarianos pedẽ referre & trãs ſyluas recedere cogunt:qui deinceps nunq̃ prodire ſuſtinuerunt. Multi ex illis tum interficiuntur tum capiuntur,ex noſtris aliquot:q; in ea negotiatione vix lucrum abſq; damno fieri poteſt.

Cæſariani Galles redeuntes fruſtra ſub ſequuntur.

REX interim ad Bohurianum vſque cœnobium progreſſus,quod eſt ad Oſiam flumen,vt grauiorem machinam & impedimenta traduceret,neſi pugnandi neceſſitas incideret,iſta peditibus permixta ordines perturbarẽt,certior fit equites Cæſarianos ſyluam eſſe ingreſſos,& Delphinum,ſi vlterius procederẽt,prælium inire decreuiſſe: quãobrem itinere conuerſo illuc ſe confert,quòd prælio abeſſe nollet. Vix quingentos paſſus proceſſerat,quum nuntium accipit Cæſarem pedem referre, Delphinum pulſo hoſte diu eodem loco conſtitiſſe,ſi fortè ille prælium redintegrare conaretur,ad extremũ cum exercitu redire. Quo nuntio Rex accepto Guiſiam ſe recipit, Delphino ſubſequi iuſſo,vt adhuc fecerat. Cæſar ex equo cibum ſumpſerat: ſed deinde ſuos turpiter ſubmotos conſpicatus,conſilium de inſequendo Rege abiicit, poſtremò aliquandiu cunctatus,videns hoc ſuum perſequendi noſtros inſtitutum,non ſolùm irritum ſed ſibi etiam dãnoſum eſſe,eò vnde profectus fuerat reuertitur. Summa eſt, Rex ſuis auxilium tulit in ipſo magni Imperatoris conſpectu, qui vires omnes totius Germaniæ & Belgij cõiunctas habebat,additis etiam ex Hiſpania, Anglia & Italia non paucis. Id quod profectò,ſi omnia rectè expendantur,non parui ducendum eſt.

REX Guiſiam quum veniſſet, quoniam imminentem hyemem proſpiciebat, atque imbrium tantam vim, vt neque ſe neque Cæſarem exercitum ſub dio habere poſſe exiſtimaret,ſuos ad ſeparatim hyemandum dimittere conſtituit: qua ſanè quiete valde

valde illis opus erat post ingentes illos labores, quos tum Hannonienſi tum Lucembur gico agro totos octo menſes pertulerant. Mareſchallum Dubetium cum quadringentis equitibus cataphractis & quatuor peditum millibus Sanquintinum mittit, qui diligẽter prouideret, ſiquid his locis à Cæſare tentaretur. Germanicum peditatum Cretij & Heluetios Aſſij (quæ ambo oppida ad Ceram flumen ſunt) conſtituit: reliquus exercitus ad flumen Oſiam conſedit, locis quæ commodiſſima viſa ſunt ad Cæſaris conatus infringendos, ſi Landriſium relinquere coactus (quod propediem facturus videbatur) regnum inuadere conaretur. Denique Stenæum cum quinquaginta Anguiani (cuius legatus erat) equitibus cataphractis & Scotos aliquot Landriſianis ſupplemento mittit, ipſe Feram ad Oſiam ſe recipit.

Cæſar & omnes ærumnas eorum à diſcedit.

CÆSAR poſt Regis profectionem quatuor aut quinq; dies moratus, Cameracum poſtea contendit. Quumq; apud ſe expenderet quàm turpe ſibi eſſet, qui è Gueldria, profiſciſcens magnificè prædicauerat ſe Lutetiam venturum, q. exiguum oppidum tumultuario opere munitum, imò ne munitum quidẽ, ſed vtcunq; cinctum, cape nequaquã potuiſſet: bilem ſuam in eos effundit, à quibus oppido Imperiali excipiebatur, & Cameracis ſtultè credulis, opera epiſcopi (qui illos prodebat) abutens, falſò perſuadet, Regi in animo eſſe ipſum oppidum occupare, libertatem eis adimere (qua perpetuò vſi fuerãt, vt neutras partes ſequerentur) & ſuo regno adiungere. Cuius rei impediẽdæ cauſa opus eſſe arcem ædificari, quam ipſi cuſtodirent, vt ſartam tectam libertatem tueri poſſent. Cameraci, Epiſcopi, qui ex familia Croyana erat, oratione decepti, facilè aſſentiuntur. Cæſar eorum impenſis opus vrgendum curat: ac militibus quidẽ ciues ſtipendium ſuppeditant, ſed ſacramentum illi apud Cæſarem dicunt, & ciuitati imperant: vt ex liberis eos in ſeruitutem redegerit. Per id tempus ad Fontem Bellandi naſcitur Franciſcus Henrici Viennenſium Delphini primogenitus, quem auus Rex Baptiſmo à ſe ſuſceptum de ſuo nomine Franciſcum appellauit. Natalis dies feſtus & maximè hilaris hoplomachiis, cæteriſq; id genus ludis exhibitis celebratur. Demonſtratũ eſt antea quemadmodũ Rex Anguianum claſſis ſuæ quam ad mare mediterraneum habebat, nauarchum conſtituerat, vt ſe cum Barbaroſſa, qui claſſem Turcicam adducturus erat, cõiungeret. Illud quoque oſtendimus, Anguianum ſpe cuiuſdam occultæ machinationis Nicæam iter feciſſe, ac rei exitum declarauimus. Paucis diebus quàm Maſſiliam redierat, Barbaroſſa cum cx. triremibus Villafrancam nõ longè Nicæa præternauigauit, deinde Tolonem & Maſſiliam ad Anguianum venit, ac de rei ſumma cum omnib. belli ducibus deliberatio inſtituitur. Nicæam oppugnandam omnes cenſent, quam Rex ſuam eſſe iure cõtendit, propterea quòd comites Prouinciæ eam duci Sabaudo certa pecunia oppigneauerãt. Id vbi conſtitutum eſt, ad Villafrancam machinas exponunt, easque aduerſus Nicæam prouehunt. Quibus ſumma celeritate collocatis atque diſploſis oppidum paucis diebus deditione in noſtrorum manus venit, ea lege ne diriperetur. Poſtea caſtrũ ipſum machinarum glandibus impetere cœperunt, vano tamen conatu & inutili ſumptu, quòd in rupe altiſſima & duriſſima ſitum eſt, quam glandibus labefactare perdifficile, ſuffodere etiam difficilius ſit. Barbaroſſa vbi tempus nequicquam illic abſumi & hyemem appetere cõſpicit, claſſem Tolonem reducit: neque enim turò ſe in portu Villafrancano manere aut hyemare poſſe iudicabat. Anguianus Maſſiliam ſe recipit, inde Catellum Cameracorum ad Regem venit, quòd præſidium illic commiſſum iri ſperabat.

Princeps Henricus Delphinus nascitur.

Barbaroſſa cũ claſſe Turcica aduentus.

MARCHIO Vaſtius Cæſaris in ducatu Mediolanenſi princeps legatus, Nicæa obſeſſa & capta caſtrum ipſum in diſcrimine eſſe certior factus, omnes ſimul vires Germanorum, Hiſpanorum & Italorum coniungit, quibus obſeſſis ſubſidio venire cogitat. Montes Tendanos ingreſſus, noſtros Tauroentam rediiſſe, & caſtrum obſidione liberatum eſſe audit. Hoc nuntio accepto ſuas copias aliò conuertere ſtatuit. In Pedemontanum agrum redit, Mondeuiſium primo aduentu obſidet, quod Regiæ ditionis primum oppidum occurrebat. Buterius prorex quòd paucos pedites Gallos pro loci magnitudine habebat, Heluetios introducere cogitur, homines parũ in eo belli genere exercitatos, q. in acie inſtructa lõgè maximũ vſum habere creduntur: tamẽ in ea obſidione ſuſtinenda ſingularis eorũ virtus & opera enituit. Tandẽ multa aſpera perpeſſi, tum ob cibariorũ inopiã tum crebros hoſtium impetus, auxilio deſperato cũ Vaſtio paciſcũtur, vt armis atq; impedimẽtis ſaluis abire pmitterẽtur. Oppido perat Carolus Droſius Pede

Vaſtius Mondeuiſium deditione capit.

1543. montanus vir magni ingenij & bellica laude clarus: qui quum sciret quanto apud Vastium odio flagraret, fidem illi habere non constituit. Itaque dum de conditionibus ageretur, equum Turcicum conscendit, pseudothyro euadit, Roccobaldum ditionis Mondeuisianæ quatuor millium passuum interuallo ingressus, cõmunire diligentissimè cœpit, vt Vastius illac iter faciens locum tentare non auderet. Heluetij pactis cõuentis cum Vastio freti egrediuntur: quos Hispani contra fidei religionem impedimentis spoliant, nonnullos etiam interficiunt. Hanc illis perfidiam postea Heluetij in pugna Serisolana magno vendiderunt, vt à nobis dicetur.

VASTIVS Mondeuisio profectus ad Beniam & Sauilianum iter facit: quæ oppida quum satis magno præsidio firmata esse intelligeret, tentare noluit. Buterium Pinierolam se recepisse certior factus, & Cariniani Alsunium & Franciscum Bernardinum Vicomercatum duntaxat cum suis ferentarijs & perpaucis peditibus reliquisse, qui munitiones anno proximo Langæi iussu extructas diruerent: illuc exercitum ducere statuit, vt capto loco munitiones cœptas absolueret. Eo nanq; occupato futurum erat vt nobis totam planitiem cispadanam adimeret, magnam nempe marchionatus Salussiani partem, planitiem quæ Pinierolam & Taurinos pertinet, quin & ipsam vallem Susaniam Vulpiani præsidio. Nam quæ trans Padum tenebamus, Sauilianum, Benia, Roccobaldum & Centalium, omni subsidij spe destituebantur. Vt cogitata perficeret, Carmaniolam iter facit, tantaque celeritate vtitur, vt prius exercitu Padum traducto Carinianum veniret, quàm nostri opus demoliri possent. Qui quum sibi impetum maximi exercitus (qui peditum millibus fere sedecim & equitum tribus millibus constabat) sustinendum esse prospicerent, se Logam versus recipere instituunt, vt Moncalerium vel Taurinos proficiscerentur. Pedites primo loco instruunt, quos Franciscus Bernardinus cum suis ferẽtarijs subsequebatur, postremus erat Alsunius, qui certaminis molem tantisper sustineret, dum reliqui flumen quod Numo oritur, transirent. Hoc inter Carinianum & Logam fluit, ac propter riparum altitudinem nonnisi ponte transiri potest. Hostes accessione sequentium aucti, Alsunium ita premunt (quos ille adhuc fortiter sustinuerat) vt duplici à ponte machinarum iactu multitudine circunuentus ex equo sterneretur, & magna pars equitum in hostium manus veniret. Reliqui interim pontem transeunt, seque Moncalerium recipiunt, obuiam illinc nostris ad auxilium egressis. Vastius Cariniano potitus, totum illic exercitum collocat, opus à nostris cœptum quàm potest maxima celeritate perficit, suburbiaque ipsa complectitur, vt triceſimo iam die locus esset ad defensionem idoneus. Et quoniam circuniectam regionem vndique tenebat, omnis generis commeatum ex planitie quæ ad Pinierolam, Taurinos, Vigonem, Villafrancam pertinet, & ex Saluſſiani agri parte comportari tanta copia iubet, vt in septimum amplius mensem suppetere possit: machinas præterea & quæ ad rem machinariam pertinent satis magno numero inuehit: Pirrhum Epirotam, quem alio nomine Petrum Columnam vocabant, ei loco præficit, cui veteranos milites genere Hispanos mille quingentos & comitem Fœlicem cum duobus millibus quingentis Germanis peditibus attribuit: ipse cum reliquo exercitu Quersium proficiscitur, vbi Ludouicum Vistarinum patricium Laudensem cum tribus hominum millibus constituit, qui Carinianis subsidio essent, propterea quòd Villanouã Astensium tenebamus, ex qua, nisi Quersio iuuaretur, non parum damni accepturus erat. His confectis rebus Astam se recipit.

Carinianum Cæsarianis ereptum.

REX Feram reuersus, postquam Landrisianos commeatu recreasset, his omnibus de rebus nuntium accipit, Cæsarianum nempe exercitum latè sub dio vagari, & totam regionem tenere. Quibus intellectis rebus Taxium cohortium Gallicarum quæ apud Pedemontanos erant, tribunum illuc mittit, qui nouas cohortes Gallicas duodecim numero conscriberet. Comitem etiam Grueranum, quem equestris suæ dignitatis insigni ornauerat, mittit, qui è sua ditione quinque Gruæorum millia conscriberet, quos deinde in Pedemontanam regionem traduceret, ac cum totidem Heluetijs, quos illic prædebabat, cõiungeret. Illos enim eadem cum Heluetijs virtute, vtpote eorum finitimos, futuros esse confidebat: verùm rem longè aliter accidisse postea ostendemus. Equidem illud semper iactari memini, perdifficile esse vt ex asino Bucephalum efficias. Regi præterea nuntiatur quemadmodum comes Gulielmus Fustembergus cum duodecim Germanorum peditum millibus, magno equitatu & multis machinis Lucemburgum Cæsaris

saris iussu obsideret, vt nostri iam re frumentaria laborarent. Quamobrem quoniã quæ bello acquisierat, omnia tueri statuebat, hyeme licet acerrima & quãtam à viginti annis non extitisse constabat, principem Melphitanum mittit qui obsidionem liberaret, & receptes in fessorum locum subsitueret: cui Brissacum equitum ferẽtariorum magistrum, & circiter quadringentos equites cataphractos attribuit. Tota illa expeditione tam acre gelu extitit, vt vinum militibus diuidendum securibus cæderetur, & trutina appensum distribueretur, quod deinde milites calatis deferebant. Neq; tamen ob eam causam ducum & militum voluntati quicquam decessit: sed Melphitanus Stanæo Eranciũ & Longouicum venit, deinde iter ad manum dextram montem Sanjanum versus flectit, vt equiore loco cum Cæsarianis confligeret. Comes Gulielmus nostrorum voluntate tum equitum tum peditum perspecta, eorum aduentum non esse sibi expectandum statuit, legiones inde abductas in Germaniã reducit: ita nostri liberè oppidum nouo milite munuint. Longouallanus prorex illinc educitur cum ijs quas secum habebat copijs tum pedestribus tum equestribus, in cuius locum sufficitur vicecomes Staugius, cognomento Anglurius, cum suis quinquaginta equitibus cataphractis & peditibus mille quingentis. Princeps Melphitanus mandatis quę acceperat ex animi sententia confectis, Stenęũ reuersus exercitum dimittit, qui in Campaniæ & Picardiæ præsidia spargitur, vt reliqua hyeme hostibus resisteret, & quæ bello parta fuerãt tueretur. Buterius apud Pedemõtanos prorex accepto à Rege quatuor fere millium peditum Gallorũ supplemento, qui in Prouincia, Delphinatu & locis finitimis conscripti fuerant, quibus accesserant quinq; Gruæorum millia & trecenti fere equites cataphracti, tum oppidis exire, quibus antea se continuerat, ausus est. Copijs in vnum locum coactis, ex eorum qui aderant sententia, dum hostis in muniendo Cariniano occupabatur (tametsi iam ad obsidionem sustinendam locus erat idoneus) Vercellas versus iter facere statuit, vt limites Regiæ ditionis cispadanę dilataret. Vercellas & Ivręam contendit: multis infirmioribus oppidis subactis, Sãgermanum, quod est Chiuasso Vercellas, obsidere cœpit. Hoc oppidum quum primo aduentu expugnaturum se cõsideret, offendit milites non exiguo numero illic esse: machinas ad locum minimè firmum promouet. Illud quidem neq; laterum obiectu neq; vallo admodum munitum erat, sed fossarum altitudo erat non pœnitenda, quarum larum mœnium altitudinem adæquabat, vt machinis emissæ glandes ad imum murum deferri minimè possent. Tamen muro deiecto fit ruina non minus nostrorum virtute digna quàm arduo accessu iniqua. Galli pedites quum lucem modò transparentem viderent, in fossam magno impetu vadunt: in primis Achaicus qui Taxij primipilum gestabat, Garruuius eiusdem Taxij legatus, & Sammarius capitanei Renoardi legatus, Cantabri, in summam muri ruinam subeunt, quos multi viri fortissimi sequuntur: sed qua virtute irrumpebant, non minore repelluntur. Garruuius & Sammarius illic cadunt: Achaicus tum corpore tum brachijs tribus aut quatuor glandibus vulneratur, & in fossam signum militare manu tenẽs deturbatur. Vnde quum per vulnerum dolorem & multitudinem globulorum qui ab oppidanis emittebantur, emergere nequiret, se ad murum cum signo iuxta ruinam applicat, vnde nisi lapidibus expelli non poterat, quòd oppidi mœnia lateralibus munimentis carebant. Illic ad auroram vsq; manet, quum nostri aliam muri partem machinis deijcere ad nouam irruptionem faciendam parararent. Oppidani nostrorum virtute & audacia perculsi, non expectandum esse statuunt dum rursus oppugnationem instituerent, sed colloquendi potestate exorata, pacisc̃untur vt saluis impedimentis abirent, oppido cum cibarijs & commeatu nostris deditione traditio. Buterius oppido præsidium imponit, Ivręam contendit, quam obsidione vndique cingere cœpit. Verùm dum ista fiunt (erat autem brumale tempus anno 1543) Rex certior factus Buterij minorem apud milites esse autoritatem quàm æquum esset, Francisc̃um Borbonium Anguianum mittit, qui ab eo prouinciam Pedemontanam acciperet. Quin & illud Regi non parum displicuerat, quòd Buterius hostem tam facilè opere & cibarijs Carinianum munire siuisset.

Galli aliquot oppida in Insubria capiũt.

Rex Anguianum in Pedemontanã prouinciã mittit.

ANGVIANVS Taurinos postquam equis veredarijs peruenit, Buterio, quem ad Ivręã castra habere sciebat, per nuntium mandat, vt milites sibi obuiam Chiuasum mittat, quò in castra proregis dignitate veniret. Buterius siue quòd expugnationem desperaret, siue quòd magistratu abire grauiter ferret, obsidionem tollere, ac totis copijs ob-

1543. uiam illi procedere ſtatuit. Chiuaſi conueniunt: ibi Anguianus exercitum ducendum ſuſcipit, Buterius domum in Delphinatum ſe recipit. Anguianus ex centurionum conſilio, qui regionis ſitum tenebant, exercitum ſecundo Pado ducit, atque oppida Pallezolum, Creſſentinum, Deſannam aliaq́ue finitima loca Regiæ ditioni adijcit, quæ omnia præſidio & opere muniri iubet. Carinianum ire contendit, quòd ſcirethunc eſſe Regis animum vt illud reciperetur, q. inſtar ſpinæ pedi infixæ hęrebat, propterea quòd toti Pedemontanæ planitiei infeſtiſſimum erat. Ad eam rem perficiendam Moncalerium iter facit, vnde milites non exiguo numero mittit, qui noctu pontem ad Padum incenderẽt, quo hoſtibus Aſta, Querſio atque alijs locis quæ obtinebant, commodè cõmeatus ſupportabatur. Hi diligenter imperata faciunt, ſed non abſque ingenti difficultate & moleſtia, propter intenſum quod tum vigebat frigus, quo multi pedibus & manibus mutilati ſunt. Et quoniam Carinianum loco plano ſitum quinque egregijs propugnaculis ex aggere factis conſtabat, cum muri brachijs & foſſa iuſtæ latitudinis atq; altitudinis, vbi homines totius Cæſariani exercitus bellicoſiſſimi ad quatuor millia erant, non placuit tam munitum oppidum per vim tentari, quum præſertim illic tantus eſſet militum numerus, qui iuſti exercitus primam aciem conſtituere poſſent: fame potius conficiendi eſſe videntur. Quamobrem Anguianus Vimeſum contendit, vt illic caſtra locaret (qui locus duo paſſuum millia Cariniano abeſt) & commeatum iuter cludere ret qui ex ciſpadanis locis ſumebatur. Quum porro ex ijs locis quæ ſunt aduerſo Pado Pancalerium verſus magna cibariorum copia conueheretur, ædificatur caſtellum trecentorum fere Carinianopaſſuum interuallo, quà iter eſt Pancalerium in æde quadam Sammartino cognominata, ibiq́ue peditum Italorum cohortes collocantur. Ita hoſtibus omnis commeatus ſpes ex illis locis præciditur.

Galli Carinianо commeatu precludereſtuunt.

NON multo pòſt Anguiano nuntiatur hoſtem exercitum Queraſſij colligere, vt ex tranſpadana regione ſuos commeatu iuuaret. Quamobrem ipſe Padum tranſire decreuit præſidijs Vimeſi, Carpenæi & alijs locis relictis, quibus hoſtes crebrò erumpere citra Padum prohiberentur. Quò tranſitus commodior eſſet, locus diſpicitur ſecundo flumine Moncalerium verſus, duobus infra Carinianum paſſuum millibus, cui loco ab arenis nomen eſt, vbi ratibus pons iungeretur. Porro vt pons ille noſtris ad vtranque flumi nis ripam obeundam vſui eſſet, neúe hoſtes eum occupare atque adimere poſſent, ad duo pontis extrema ſingula caſtella ædificantur, quib. binæ Italicæ cohortes imponuntur, quarum duces erant Hercules Butigerus, Hercules Vicontius, Bernardinus Corſius & alius quidam. His rebus confectis noſtri Vimeſo profecti Padum ponte Arenario tranſeunt, Villam Steloniam veniunt, quæ eſt inter Carinianum & Querſium, hinc tribus paſſuum millibus, illinc duobus diſtans: idq́ue eo conſilio vt hoſtes Carinianum cõmeatu iuuare prohiberentur. Nam ab Aſtę parte ægrè hoc perficere poterant, quin ad prælium veniendum illis eſſet, quòd obſtaret Villanoua Aſtenſium, quæ à noſtris tenebatur. Ad Villam Steloniam caſtra noſtri munitione cingunt, & caſtellum ad extremũ pontem quem incenderamus extruitur, cui præſidium imponitur duarum cohortium ex Delphinatu, ducib. Paſſino & alio quodam. Is fuit caſtrorum noſtrorum ſtatus totum ferè Februarium menſem. Quo tempore crebra committuntur egregia prælia: quòd iuuentus Gallica rei militaris ſtudioſiſſima ſubinde pontem tranſibat, quumq́ue pontis, Vimeſi & caſtelli Sammartini præſidia propinqua haberent, multa vtrinque fortiter gerebantur, prælioq́ue viciſſim noſtri & hoſtes ſuperabant & ſuperabantur: nam hoſtium numerus erat ad quatuor Hiſpanorum Germanorumq́ue millia, & quidem totius Europæ bello exercitatiſſimorum.

MENSE Martio anno 1543 Anguiano nuntiatur Vaſtium exercitum quàm poterat diligentiſſimè comparare, vt obſeſſis opem ferret, cuius rei perficiendæ cauſa Carmaniolam venire conari: quem profectò locum ſi occupaſſet, poterat nullo periculo ſuos rebus neceſſarijs iuuare. Communito enim loco, ponte ad flumen facto, tranſeundi facultatem nactus, nos fame in tranſpadanis locis contabeſcere ſiuiſſet: quum ille Saluſſianum agrum feraciſſimum & integrum, nos regionem iam prorſus exeſam haberemus, deinde Querſio, Aſta, Foſſano, Mondeuiſio, Conio, Buſquio & cæteris locis vrgebamur, vt ægrè niſi armati frumentari poſſemus. His rebus intellectis concilio habito & varijs ſententijs dictis (non deerant enim qui Villæ Steloniæ manendum eſſe cenſebant)

bant)tandem placet hoſtem Carmaniolæ anteuertere, eiſque faciendi pōtis facultatem adimere, ne ex Saluſſiano agro rem frumentariam colligeret. Carmaniola à noſtris occupata, aduerſarios maior penuria quàm antè cœpit vrgere. Itaque Vaſtium certiorem faciunt, niſi intra medium Aprilem iuuarentur, ſe inuitos facturos, quod minimè facere animum inducerent, ſiquidem ſubſidium mitteretur. Quo nuntio ille accepto, copias vndiq; feſtinare iubet, quatuor Germanorum peditum millia ad ſe reuocat qui Genuæ iam nauigare parati erant. His rebus Anguianus intellectis nuntium propere ad Regem mittit qui omnia exponeret, vt trimeſtre ſtipendium, quod militib. debebatur, mitteret. Verebatur enim ne ſi manum cum hoſte conſerere neceſſe eſſet, illi ſtipendio non perſoluto pugnaturos ſe negarent, maximè Heluetij, in quibus præcipuum robur cum veteranis Gallis poſitum erat. Tandem quærit, ſi Vaſtius loco non iniquo pugnandi poteſtatem faceret, num ſibi Rex potius autor eſſet vt prælio decertaret, quàm vt oppidum commeatu iuuari ſineret, quod ad hanc anguſtiam adduci tanti conſtiterat. Respondet Rex ſe propediem Langæum cum pecunijs miſſurum eſſe, quem apud ſe eius rei cauſa haberet. De prælio ineundo, ſe illius & eorum quos ſecum habebat iudicio rem totam committere: hos enim, quum in ipſis locis eſſent, ex præſenti rerum ſtatu melius quàm ſe iudicaturos eſſe. Vbi aula hoc rumore perſonare cœpit, Regem Anguiano prælio decertandi poteſtatem feciſſe, iuuenes aulici ſuſpicari cœperunt rem nō poſſe abſq; cōflictu tranſigi. Quamobrem, qui Gallicæ nobilitatis mos eſt, ſe ad profectionem omnes parant: alii accepta à Rege venia, alii ſua ſponte diſcedunt. Inter cæteros Santandræus, Dampetrus ex Claromontana familia Delphinatica, ambo Delphino chariſſimi, Lanacus, Gaſparus Collinius Caſtillionæus, Franciſcus Vindocinus, Vidamius Carnotenſis, duo fratres Boniueti, Bordillio, Eſcarius, duo fratres Genlij, Aſſerius rei machinariæ præfectus, cuius turma equeſtris quinquaginta cataphractis conſtans apud Pedemōtanos erat, Hunaldæus amiralii Annobaldi vnigenitus, Rupefortius, Luſarcius, Oartius & Laſſinius, vt pauci ex iuuentute nobili in aula manerent, præcipuè quæ Delphinum ſequebatur. Hoc loco ſciendum eſt, Anguianum adeo re numaria tum laboraſſe, vt neq; quæſtores neq; alii quicquam pecuniæ haberent. Itaq; peropportunus fuit iſte aulicorum ad caſtra aduentus. Quum enim ampliſſimo omnes loco eſſent, egregiè nummati veneranr: è quorum ciſtis Anguianus pecunias expromit, quibus tantiſper militum animos placauit, dum totum à Rege ſtipendium mitteretur.

Galli nobiles certatim ad Anguianū dimicaturi veniunt.

REX Enneti extremo Martio crebris nuntijs fiebat certior, Vaſtium, vt obſeſſis ſubueniret, copias vndique cogere. Qua in re ſatis recordabatur Anguianum per nunti um ſignificaſſe, militibus animos ſtipendio non dato à pugna ineunda auerti poſſe. Iſta Rex hac in parte conſiderabat: in altera hæc erant. Ad totum ſtipendium numerādum trecenta francorum millia non erant ſatis, alius præterea numeroſus exercitus ſuſtinendus erat, quem Cæſar in Germania Galliam ingreſſurus comparabat, præter alium quo Anglus alia ex parte aggreſſurus erat. Quibus quum ſe, vel ſi totum ærarium effunderet, vix ſatisfacere poſſe ſciret, tamen Langæum vt redariis equis ad caſtra Pedemontana mittit, quem Lutetiæ quadraginta octo coronatorum millia accipere iubet, quæ ſumma ægrè quadrantem ſtipendii conficiebat quod auxiliaribus militibus debebatur. Sed omnem moueri lapidem iubet, vt ratio tandem iniretur qua militum animi ad pugnam parari poſſent.

Langæus pecuniam in caſtra magno periculo defert.

MENSE Aprilis quinto, anno 1543 ante Paſchalia (nam is dies Iouis dies erat celeberrimas illas ferias proximè antecedens) Langæus Pinierolam venit, vbi audit Cæſarianum exercitum noſtris appropinquare. Quoniam autem Carmaniolā cōtendēti, vbi noſtri caſtra habebant, non lōgius Cariniano quàm ad colubrini iactū iter faciendū erat exiſtimat ſe tutò illac abſq; præſidio tranſire non poſſe, quum ibi (vti dictum eſt) quatuor hominum millia eſſent. Quamobrem per varios nuntios (vt ſi vnus interciperetur, alius euaderet) Anguianum ſui aduentus certiorem facit, eisq; literas notis ſcriptas ferendas dat. Ille Bertinum Sollerium biduo ante Paſchalia mittit, cui quadraginta cataphractos attribuit, qui è caſtris Cæſarianis ad noſtros Centalii Riuenſis opera tranſierant. Is Langæo nuntiat, Cercenaſſii, Vimeſi & ad pontem Arenarium alios ſubinde affuturos, à quibus tutò in caſtra deduceretur. Illic Landæo non exigua difficultas obiicitur, num illorum fidei tanta pecuniæ ſumma rectè committeretur, quum homines Itali eſſent,

qui neque sacramentum apud Regem dixerant, neque stipendium adhuc acceperant.
1543. Etenim si hæc pecunia periret, prosperiebat Regis statum plurimum detrimēti acceptu-
rum: sin milites ob stipendium non numeratum certamen defugerent, hoc verò sibi vi-
tio datum iri non dubitabat. Ad extremum tamen statuit se & pecuniam potius fortu-
næ arbitrio committere, quàm vt Regijs negotijs quicquam periculi crearetur: siquid
enim secus accideret, eos potius in culpa futuros quàm se, qui tale præsidium misissent:
præterea aliud præsidium se Cercenassij & Vimesi repturum, cui plus fidei habere pos-
set. Sed neutro loco vllos reperit qui ad hanc rem constituti essent: vt eius animum subi
ret Moncalerium contendere, vbi pecuniam in tuto deponeret, quòd vereretur ne si ho
stes Cariniano in prætereuntem erumperent, ab ijs ipsis iugularetur quorum fidei se cre
diderat. Verùm Cercenassij intelligit Cęsarianos ad Mutam septem passuum millia à no
strorum castris castra fecisse, ac biduo (vt quidem videbatur) præsidium commissum iri.
Quæ vbi audijt, ad pontem Arenarium progressus, tantundem præsidij atq; cæteris lo-
cis reperit: nisi quòd Bernardinum Corsum iubet equum ascendere, cum omnibus hip
poscopistis quibus tum ipse tum Hercules Butigerus & Vicontius præerant, qui in eo
ponte stationem habebant. Eis comitatus nocturno itinere Carmaniolam post secun-
dam noctis vigiliam ad Anguianum venit. Confestim totis castris rumor spargitur, pe-
cunias ad stipendium persoluendum à Langæo allatas esse: ex quo nuntio magna mili-
tibus voluptas atque animi alacritas iniecta est.

Angvianvs omnes belli duces ex totis castris ad se accersit. Langæus concilio
coacto ostendit quantulas pecunias attulisset, Regem alijs negotijs vrgeri, propter exer-
citus quos Cæsar & Anglus in alia Galliæ loca introducere cogitabant: ac proinde plus
pecuniarum mittere non potuisse, quòd ærarium alijs impensis destinatum nollet ex-
haurire. Eorum tamen prudentia fretum non dubitare, quin rationem essent inuenturi
qua milites in præsium se produci paterentur. Rationibus subductis, reperiunt vix ad
menstruum stipendium sociis numerandum pecunias suppetere, quibus totum trime-
stre debebatur: ne tamen militibus ex illa animi alacritate quam perspexerant, quicquā
decederet, ilico ad arma totis castris conclamandum esse statuunt, vt suo quisque loco
in acie consisteret: interim luce orturam, tum cohortes separatim secedere iuberen-
tur, vt sigillatim ordine recenserentur, neque aliud in vulgus efferretur quàm stipēdium
numeratum iri: denique præconio publico significaretur pecunias à mensa numularia
accipiendas esse. Ita diem illum lustrando exercitu absumptum iri: posterum diem fe-
riarum paschalium non esse abiturum (quantum quidem ex iis quæ nuntiabantur facile
erat coniectura iudicare) quin hostis adeo appropinquaret, vt loco stipendij numerā-
di antè manus essent conserendæ, quàm milites de esse pecunias sentirent. Res vti con-
uenerat, statim perficitur, clamore ad arma edito omnes cum laternis & facibus (quòd
lunæ splendor nullus esset) concurrunt, antè diluxit quàm acies eo ordine instructa esset
quo ad pugnam prodire oportebat. Cohortibus deinde separatis, censu ineundo dies
ille consumitur: & stipendij solutione in posterum diem reiecta, in suum quisque locum
dimissus discedit.

*Serisolana pa-
tens occasio.*

Statim aduenit capitaneus, qui antea bello captus è Cæsarianorum manibus
opera cuiusdam nobilis euaserat, qui Regias partes sequebatur, licet apud Cæsarem sti-
pendia mereret. Is Anguiano ostendit Vastium eo die cum omni Cæsariano exercitu
Muta profectum Serisolas venturum esse, eo scilicet consilio vt quum Villam Stelloni-
am à nobis relictam facilè contendere posset, pontem Arenarium vi occuparet (quod
cum facere non essemus prohibituri) atque copijs flumen Padum traductis, nos in vlte-
rioribus locis manere pecunijs & cibarijs carentes cogeret. Sinautem eum Villa Stelo-
nia arcere conaremur, tum Raconissi iter ingressurum esse, & locis palustrib. metu no-
stri equitatus, (si fortè venienti occurrere cogitaremus) ad tergum Carmaniolæ ventu-
rum, vt Lombriastum & Casalgrassum prætergressus, ponte nauibus iuncto, quem se-
cum vehi iubebat, Padum traijceret. Sic enim eum sibi persuasisse, fore vt in agro Salus-
siano tritici saccos ad triginta millia reperiret (Conij quidem iam extare ad quindecim
millia) quam copiam satis fore ad exercitum alendum & Carinianum inopia subleuan-
dum, postremò nos tota regione excedere coacturum. Ea verò ratione exercitus no-
ster funditus delebatur, propterea quòd stipendio nostris non persoluto exercitum sub
dio

dio habere vix poteramus. Quòd ſi in oppida nos reciperemus, illius conſilium erat tota Pedemontana regione vaſtationem edere, vicos incendere, & omne pecus abigere, quò agri colendi facultas nulla ſupereſſet. Poſtea recentibus militibus Carinianum introductis, & firmiſſimis præſidijs vbiq; impoſitis, Ivræam profecturus erat, vbi ſibi præſto fore arbitrabatur comitem Callanum, quem Cæſar decem hominum millia cõſcribere iuſſerat, vt hoc ſupplemẽto in vallem Auſtanam, Sabaudiam & Seguſianorum regionem contenderent, dum ipſe interim grauiſſima impreſſione Campanorum fines inſ-ederetur.

HÆC omnia quum prudenter ab Anguiano & militum ductoribus expenſa eſſent, placet aduerſus Cæſarianos exercitum moueri, priuſquam in regionem munitã peruenirent. Ac nequid milites de ſtipendij inopia ſuſpicarentur, ſummo mane aciem inſtrudendam eſſe ſtatuunt in ipſis caſtris, loco ad prælium comparato. Deinde hoſtium ꝓpinquitatem prętexendam eſſe, cur otij non ſatis eſſet ad ſtipendium è menſa numularia accipiendum, atq; adeo ſuum cuique cohorti quęſtorem eſſe attribuendum. Sperabamus enim antè prælium commiſſum iri quàm pecunię allatæ militibus diſtribuerentur. Termio leuis armaturæ equitum magiſtro negotium datur, vt viginti equites ad Villam Steloniam mitteret, qui explorarent num hoſtis illac iter faceret, totidem Sommariuam ac totidem etiam Raconiſſium: vt nobis exercitu inſtructo progreſſis iter ad eam partem conuertendi facultas daretur, in quam eos contendere audiremus, ac proinde eos, vel quum caſtra locarent, vel quum diſcedere pararent, adoriremur, priuſquam loca munita occuparent.

DENIQVE ſtatuitur tripartita acie, prima, media ac poſtrema pugnandum eſſe. Buterio, qui prælium commiſſum iri certior factus domo redierat, vt ei intereſſet, prima acies datur cum triginta cataphractis equitibus quibus præerat, & totidem ex tur- *Gallica atiri deſcriptio.*
ma Tendiana duce Torinio legato. Huic Termius ferentariorum equitum magiſter attribuitur cum ducentis ſuis equitibus, Franciſcus Bernardinus Vicomercatus cum pari numero, Cabrius frater ac legatus Mauri Nouatenſis cum totidem, Centalius cum qua draginta ferè equitibus quos ex Cæſariano exercitu proximè ad ſe pertraxerat, deniquè quatuor millia veteranorum Gallorũ peditum, quorum tribunus erat Taxius. In quorum primo ordine conſiſtunt multi nobiles qui aula veredariis equis venerant, vt quoniam equos nullos reperire poterant, pedites pugnarent: inter cæteros tres Boniueti frãtres & minor natu Genlius. Mediam aciem ducebat Anguianus, atque vnà cum eo Langæus Taurinorum præfectus, Aſſerius cum ſuis equitibus, turma equeſtris Baronis Curſolij (is enim abſente Langæo apud Taurinos ſubſtiterat) turma comitis Monraucllij duce Barone Oinio legato, ac plerique nobiles qui nullo autoramento militabant, ad centum equites. Ex his erant Santandræus, Caſtillionæus, Iarnacus, vidamius Carnotenſis, Bordilio, Rupefortius, Eſcarius, Luſarcius, Hunaldæus, Genlius, Laſſinius, Santamandus, cognomento Rupecoartus, cum alijs: qui omnes vexillum Anguiani à Rubempræo geſtatum ſequebantur. Alſunius cum centum quinquaginta cataphractis, Gladius Cahorſii, Piſcarius Moncalerii præfectus, & Heluetiorum peditum quatuor millia. Poſtrema acies Dampetro traditur cum omnibus omnium turmarum equeſtrium ſigniferis & ſagittariis. Ibi aderant Gruæi pedites, quorum numerus ad tria millia eſſe debebat, Itali pedites ad duo millia duce Scroto, & mille quorum dux erat Carolus Droſſus Mondeuiſij præfectus.

EXERCITV ita inſtructo, die Aprilis decimo (qui dies erat Paſchalium annõ 1544) prima luce omnes in acie, loco & ordine quo iubebantur, conſiſtunt. Ea ratione ad meridianam vſque horam manſimus, quum noſtri equites ferentarij hoſtem progredi renuntiant, verùm quam in partem contenderet, Sommariuam, Raconiſſum an Villam Steloniam, nulla adhuc coniectura iudicari poſſe. Ea re intellecta, optimum factu iudicamus, vt ſi Raconiſſium aut Villam Steloniam ire contenderet, velitationibus eum retineremus: quod vt fieret, Anguianus cum equitibus ferentarijs, & circiter mille ducentis ſclopetarijs, tribus medianis machinis (quæ equis duplici numero iunctis, vt equitum celeritatem adęquarent, vehe rentur) in collem mille paſſuũ à caſtris interuallo, non longè à ſylua, quà iter eſt Seriſolas, ſubirent. Anguianus vbi illuc peruenit, Alſunium cum ſuis equitibus & peditatu qui pone ſequebatur, aliũ collem mille inde

1544. passus occupare iubet, vnde in subiectam planitiem deiectus erat, quę inter Serizolas & Sommariuam interest.

Alsvnivs ex eo loco Cæsarianos despicit Serizolis Sommariuam progredientes: quos vt ab instituto itinere auerteret, sclopetarios in nemus conijcit, loco denso & hostium itineri propinquo, ad quos se, siquid vrgere videretur, reciperet. Deinde Anguiano prius cõmonefacto equestri prælio hostes lacessere cœpit, subinde ad sclopetariorum insidias pedem referens. Hostes tamen, veriti ne ordines turbare cogerentur, eum acrius persequi non statuunt. Anguianus interim cum fere trecentis equiti & reliquis sclopetarijs progreditur, iubet aliquot capitaneos quos apud se habebat, it. explorare, à quibus certior fit posse se absque vllo discrimine in summum collem euadere, propterea quòd quum vndique præruptus esset, hostes nisi arduo cliuo ad eum adoriendum ac vix nisi turbatis ordinibus eniti non poterant. Ibi totum equitatum instruit vt hosti conspicuus esset, sic tamen vt quid ponè lateret perspicere non posset, vnde potius totum exercitum adesse quàm deesse suspicaretur. Postea tres machinas promouet, quibus è medio equitatu glandes in cuneum peditatus hostium emittuntur, qui in subiecta planitie constiterat, quorum nonnulli interficiuntur. Præterea subinde alios atque alios submittebamus, qui equestre & sclopetarium certamen redintegrarent: ducib. interim diserte imperantes ne pedẽ propius conferrent, ne si eos hostis submoueret, quid in postremo agmine esset, deprehendere posset.

Dvm hæc fiunt, Vastius Sommariuæ locum castris faciendis circunspicit. Ibi Gallus quiddam miles ex famulitio comitis Tendani (is enim loci huius dominatum obtinebat) turre castri occupata continenter eum machinis petit, neque, quantumuis ille necem minaretur, desistit, neque deditionem vt faceret adduci potest, quòd nostram aciem ex summa turre conspiciebat: vnde etiam postero die pugnam otiosus spectauit. Vastius audito machinarum fragore, sibi vesperi pugnandum esse suspicatus, Sommariua discedit, ac in castra reuertitur. Postea nostrorum gestu atq; ordine diligentius considerato, vereri cœpit ne in se impetum facerent quum castrametari vellet. Itaq; Serizolas vnde profectus fuerat, reuerti & ibi pernoctare instituit.

Angvianvs hostem cum ipsis impedimentis Serizolas redijsse, eius exercitum acie instructa secundum spes considere, denique noctem instare conspicatus, omnes belli duces conuocat, vt quid facto opus esset viderent. Alij cẽsent reliquum exercitum accersendum, & eodem illo loco noctem esse transigendam, vt sub auroram infestis in hostem signis festinaretur. Alijs secus omnino videtur, iã aduesperascere, vt multa demum nocte milites aduenturi viderentur, illos tum equites tum pedites de media nocte continenter in armis absq; vllo cibo & potu, tum ingenti totius diei æstu vexatos fuisse, non minus defatigatos esse quàm si longinquum iter fecissent. Quòd si tria adhuc passuum millia illis procedendum esset, adeo defessos fore & equos & homines, vt si hostis eos, dum castra locare cogitarent, aggrederetur, vix manus tollere ad arma capienda possent: denique plaustra non suppetere quibus cibaria conueherentur. Quin & illud minimè esse prætereundum, hostem, si nostrarum rerum statum nosset, ne otii quidem satis ad castra facienda nobis concessurum esse, sed perturbatos nactum statim iniquæ conditione aggressurum: vt Eduardus Angliæ Rex in pugna Creciana Philippum Valesium Regem prælio superauisset. Rebus longa disceptatione vtrinque agitatis rede undum Carmaniolam videtur, sic tamen vt ducenti equites leuis armaturę relinquerẽtur, qui explorarent & renuntiarent quid ea nocte hostis faceret. Deinde nostris ex itineris lassitudine recreatis, si quidem fama esset hostem Villam Steloniam iter facere, castra inter illos & Carinianum facienda esse, vt pontem ad Padum propinquum haberemus, quò cibaria è citerioribus locis suppeditarentur. Ita eos neque Carinianum venturos, neque pontem occupaturos esse quin nobiscum dimicare cogerentur. Sinautem Serizolis manerent, nos de media nocte profectos sub auroram ad eum ipsum collem vbi consistebamus peruenturos esse, vt eos Sõmariuæ castra facere prohiberemus. Hac probata sententia Carmaniolam redijmus.

Postero die, Aprilis vndecimo, qui dies Lunæ Paschalia insequebatur, anno 1544 hora fere prima matutina è castris profecti iter quod pridie decreueramus quo ordine descripsimus, ingredimur. Vastius Carmaniolã nos pridie vesperi redijsse cõspicatus,

tus, nos Padum tranſire, & locis vlterioribus ſibi cedere cogitaſſe exiſtimauit: quod & valde veriſimile erat, & exploratores renuntiauerant. Itaque mutato conſilio antelucano tempore proficiſcitur, vt nos, antequam Padum tranſiremus, aſſequeretur: noſq; he ſterni noſtri itineris veſtigijs ſubſequitur. Anguianus poſtquã Carmaniola mille paſſus proceſſiſſet, per præcurſores, maximè Albano quodam Paulo Bobonea nuntiante, fit certior hoſtes conſpectos eſſe rectà ad nos venire, iamq́ue in eo colle conſediſſe quem pridie occupandum nobis eſſe ſtatueramus, vt potiori conditione dimicaremus. Adhibitis in conſilium ad eam rem capitaneis, infeſto exercitu in eos procedendum eſſe videtur, etiamſi numero longè ſuperiores eſſent, vt qui decem peditum millibus noſtras copias excedebant. Etenim ſi in noſtras munitiones, vnde iam mille paſſus progreſſi erã mus, rediremus, præcipitio conſimilis fugæ videbatur, vnde noſtris animus decederet, hoſtib. accederet. Quamobrem vbi intellectũ eſt quo ordine hoſtium acies inſtructa eſſet, tres nempe eſſe confertos peditum cuneos, quibus alarij equites propinqui incedebant, ſic vt explicati eadem fronte progrederentur: eam quoque rationem imitari placuit, quòd latiſſima eſſet planities ad dilatandam aciem. Dextrum cornu tenebant veterani pedites Galli ad tria hominum millia, præter ſclopetariorum multitudinem, duce Taxio ſummo eorum tribuno: ad dextram procedebant equites leuis armaturæ duce Termio, ad lævam Buterius cum octoginta fere equitibus cataphractis. Huic ad lævam ſuccedebant Heluetij pari ferè cum Gallis numero, deinde Anguianus ijs comitatus quos antea commemoraui. Sequebantur ad lævam Itali & Gruæi ad quatuor hominum millia, quorum lævum latus claudebat Dampetrus cum ſigniferis & ſagittarijs. His ita conſtitutis, ex pedeſtribus turmis tum Italorum tum Gallorum ſclopetarij circiter octingẽti excerpuntur, qui pro exercitu procurrerent, (quos profligatos ſeu deſperatos vocant) quibus Monlucius præficitur, adiunctis Heuarto & Vaſqucto atque alijs qui maximè expediti & idonei videbantur. Ante Heluetiorum agmen Calliacus progrediebatur cum octo machinis campeſtribus, itidem Gruærorum cuneum frater Manlij Picardus, cum pari numero præcedebat. Denique Martinus Bellaius Langæus iubetur ſingula agmina viciſſim obequitare, vt ad hoſtium rationem noſtram aciem moderaretur.

Cæſariane acies deſcriptio.

VASTII exercitus ſic inſtructus erat, vt è regione dextri noſtrorum cornu eſſet princeps Salernitanus cum decem millibus Italorum, mediam aciem tenebat Aliſprandus Madrucius cardinalis Tridentini frater, cum pleriſque alijs capitaneis & tribunis Germanis. In hoc cuneo erant Germani pedites ad decem millia, omnes ad vnum loricati, quòd Vaſtius arma quæ Mediolani repererat, omnia ceperat. Poſt Germanos dextram verſus, è regione ſiniſtri noſtrorum cornu, quod à Gruæis tenebatur, erat Remondus Cardonius cum ſex hominum millibus, tum Hiſpanis tum Germanis, veteranis militibus, qui bello Tunetenſi & Argeriano ſimul educati fuerant. Ad latus principis Salernitani conſtiterant octingenti fere equites, quos dux Florentinus Cæſarianis auxilio miſerat, duce Rodolpho Ballione. Inter Germanicum peditatum & Hiſpanicum Vaſtius parem equitum numerum habebat: denique extimum Hiſpanorum latus claudebat princeps Sulmonenſis Caroli Lannoſij, proregis Neapolitani demortui Filius, cum totidem numero equitibus: quiquidem in totum equitatum ſummam imperij tenebat.

HÆ Cæſariani exercitus turmæ in edito colle conſiſtebant, vnde pridie veſperi diſceſſeramus. Quem locũ quũ denuo occupare in animo habuiſſemus, Vaſtius anteuerterat, & denas machinas ad duas villas collocarat, quæ Germanicis & Hiſpanicis turmis proximæ erant. Ac tanta erat loci quem occupauerant opportunitas, vt noſtris ad eos progredi non liceret, quin eorum machinę agmen è loco ſuperiore perrumperent. Rebus ita conſtitutis, Vaſtius quinq; aut ſex equitibus comitatus in locum ſuperiorem ſecedit, vnde totum exercitum oculis perluſtrare, & quæ facienda erant, ſubinde ſingulis locis ſignificare poſſet. Principi Salernitano vetat ne ex eo loco vbi conſtiterat, ſuo inſuſſu vlterius procederet. Verùm ipſe poſtea caſu inſperato perculſus, quum Germanicum agmen confertiſſimum à noſtris loco pulſum vidiſſet (vt mox oſtendemus) otij ſatis, credo, non habuit, aut certè in tanta trepidatione oblitus eſt Salernitano imperare quid fieri vellet: quamobrem loco ſuo ille pedem non mouit. Quod profecto noſtris peropportunè ceſſit. Si enim iuxta Germanorum cuneum cum ſuis Italis in aciem

1543. proceſſiſſet, Gallicum noſtrum agmen malè admodum accepiſſet dum in cędendis illis Germanis occupabantur.

Duæ acies cõmittuntur.

ANGVIANVS ad colubrini iactum progreſſus dum colli ſuccederet, vbi Cæſariani conſtiterant, prouidere inſtituit, quemadmodum aciem ita collocaret, vt machinarum ictibus minimè eſſet obnoxia. Commodùm ſol exortus erat, quum duæ acies aduerſæ ſtabant. Confeſtim ſclopetariorum vtrinq; certamen cõmitti cœptũ eſt, quod ad vndecimam fere horam durat: propterea quòd Itali & Hiſpani noſtram aciem ab vtroque latere circunuenire conabantur, qualiter in pugna Papienſi fecerant anno 1524. Idem quum noſtri facere ſtuderent, vtrinque recentes ſuccedebant, vt quinque fere horum ſpatio ſclopetarij ad quinque millia inter duas acies dimicarent. Equidem hoc affirmare non dubitem, qui otio ad ſpectandum è loco quopiam extra teli iactum abundaſſet, cum multos belli dolos & egregia ſtrategemata animaduerſurum fuiſſe. Ad extremum meridie appetente hoſtes perſpecta noſtrorum paucitate, quum tertia parte plures eſſent, nos adoriri decreuerunt. Taxius qui noſtrorum dextram aciem tenebat, in principem Salernitanum impetum conuertit, ac paſſuum circiter CXX ſpatio ab Heluetijs diſcedit. Langæus, cui negotium datum erat vt hoſtis nutum & geſtum obſeruaret, noſtrosque quid agendum videretur moneret (id quod etiam Monnino mandatum erat) videt Germanos pedites Cæſarianos ad numerum decem millium rectà in noſtros Heluetios ferri, quorum numerus duntaxat ad quatuor hominum millia erat, & certamen iniquè comparatum eſſe, principem inſuper Salernitanum pedem non mouere, ſed procul conſiſtere.

QVIBVS perſpectis rebus Taxio per Griſſæum ſignificat vt fronte conuerſa proximè Heluetios accederet, alioqui certaminis periculoſum eſſe exitum, quòd tantæ moli impares viderentur. Quin ipſi quoque Heluetij hoc ſibi pridem promiſſum fuiſſe dicebant, Gallos ſibi proximo loco futuros, quum ad certamen veniendum eſſet: ſe enim ad tantam Germanorum multitudinem ſuſtinendam firmos non fore. Capitaneus etiam Florius Heluetius, qui eo die ſummam in eos imperij tenebat (nam Sanjulianus antea huius dignitatis nomen, titulum & emolumentum perceperat, ſed eo die Florio ceſſerat) Langæo vt progrederetur monenti reſponderat, ſi ſuos prodire iuberet, hoſtium machinas in medium agmen graſſaturas: gentis hunc eſſe morem, vt ſe machinarum glandibus peti non patiatur, ſed rectà ad eas occupandas mox contendere. Itaq; ſi in apertum locum ſe proriperent, ſuos turbatis ordinibus illuc curſu properaturos: id quod hoſtibus occaſionem præberet noſtros à latere circumueniendi. Quòd ſi hoſtes propius accederent, ipſos machinis oppoſitos fore, atque ita ſe poſtea ſuos in prælium ſeruatis ordinibus productũrum. Taxius ita monitus rationem commutat, & fronte cunei conuerſa, proximè Heluetios venit, interſtitio duntaxat relicto, quod Buterius cum ſuis octoginta cataphractis occupat. Germani Cæſariani Gallorum ordinem commutatum conſpicati, ſuum quoq; mutant, ac confertum illud agmen bipartito diuidũt, vt altera parte in Heluetios, altera in Gallos ruerent, tanta tamen, ppinquitate, vt duo cunei à tergo vni ustantùm ſpeciem ꝓberẽt. Anguianus, quem iuxta Heluetios eſſe oportebat, cũ Gruæis ſubſiſtere cogitur, quos metu perculſos eſſe animaduertebat: vt niſi ducum oratione cõfirmati fuiſſent, ne primum quidem impetum expectaturi viderentur, tanta eos trepidatio puaſerat. Termius cum leui equitatu Gallicis cohortib. ad dextram ꝓximus, ducis Florentiæ equitatum, ꝓgredientem conſpicit, vt ſimulatq; prælium cõmiſſum eſſet, à latere aperto pedites Gallos adoriretur. Quod ne fieret, magnis in eos animis impetum facit, diſiicit, & in principis Salernitani aciem retrocedere iubet. In quam mediam ipſe, dũ ſuos ponè ſubſequi arbitratur, prorumpit, & equo interfecto viuus capitur. Hic Termij conflictus maximo fuit adiumento, q; veriſimile eſt, principem Salernitanũ alioqui Gallorum peditum aciem aggreſſurum à latere fuiſſe. Verùm equitatu Florentino pedẽ referente progredi impeditus eſt, vt interim Gallis & Heluetijs res tantùm eſſet cum Germanis peditibus, in quos aduerſos ferebantur. Dum enim Termius ita pugnat, iſti cominus interim congrediuntur. Galli inter duos primos ordines, ſclopetariorum ordinem infarſerant, Germani item Cæſariani piſtoletarios eadem ratione interiecerant, qui vtrinq; poſt primi ordinis milites iacularentur. Quum ad mediæ colubrinæ iactum ap, ꝓpinquaſſent, capitaneus Villafrancus, qui aciei Gallicæ dextrum cornu tenebat, Germanorum

norum frontem latius patere conſpicatus, vt eos à latere circumuenturi ipſo congreſſu viderentur, confeſtim duos poſtremos ordines, qui armatis militibus conſtabant, ad primam aciem traducit, atq; ita dilatata fronte hoſtis conſilium anteuertit, & quod ille facere intendebat, ipſe efficit. Poſtea æquo animorum ardore pedem conferunt, ac diu vtrinque acerrimè dimicant. Tandem equitum Gallorum, quibus præerat Buterius, virtute Germanicus peditatus turbatis ordinibus fuſus eſt. Verè illud affirmari poteſt, nunquam tantum impetum tantamq; molem à tantulo equitatu & peditatu ſuſtineri viſam fuiſſe. Vaſtius Germanorum ſuorum clade cognita, in quibus ſpem totam collocarat, in fugam ſe proripit.

10 EODEM temporis puncto Dampetrus cum ſigniferis Cæſarianos equites quibus princeps Sulmonẽſis præerat, vt Hiſpanis ſubſidio eſſent, adortus fundit fugatq;. Itidem Hiſpanorum & Germanorum cuneus in noſtros Gruæos & Italos contendunt, quos facili negotio ſuperant: omnes enim, exceptis ſolis centurionibus, qui in primo ordine cõſtiterant, fugæ ſeſe mandant. Qui profectò omnes ad vnum interiiſſent, niſi Anguianus cum ſuis ſuperueniſſet. Is Hiſpanos & Germanos ab angulo aggreſſus, totam aciem obliquè ad oppoſitum angulum perrumpens, tranſuerſos ordines perturbat, vt ne vnum quidem militare ſignum erectum maneret. Cruentus tamen fuit hic conflictus, in quo ceciderunt Aſſerius, Baro Oynius comitis Montrauellij legatus, Moſallæus baronis Curſolij ſignifer, Gladius Cahorſij præfectus, Curtauillanus, & duo ipſius Anguia-
20 nĩ armigeri. Laſſinij equus interficitur, ipſe pedes ſaluus è pugna excedit. Santamandus cognomẽto Rupecoartus & Fervaquius ſaucij in occiſorum aceruo poſtea repertimedicorum ope conualuerunt. Complures alij vel interierunt vel vulnerati ſunt, atque ex ipſis ducibus vel ijs qui aliquo numero habebantur, quatuordecim vel quindecim. Anguianus quum ita hoſtium agmen tranſuerſum penetraſſet, ſe prælio ſuperiorem eſſe ea quidem parte exiſtimabat, quòd Gruæos & Italos ſe viros præſtitiſſe putabat: quod longè ſecus accidiſſe comperit. Nam dum curſu conuerſo hoſtem denuo aggredi parat, quum ſuos victores conſpecturum ſe arbitraretur, reperit eos in fugam verſos ne primum quidem impetum ſuſtinuiſſe, præter primum illum ordinem, quemadmodum dictum eſt. Quamobrem primi hoſtium ordines nullos pedites aduerſos habentes, in e-
30 um rectà feruntur, vt in altero conflictu plures quàm ſuperiore ex ſuis amitteret, vt cui nullus ſupereſſet peditatus, à quo fulciretur. Iam verò quidnam Gallis & Heluetijs factum eſſet planè ignorabat: qua de cauſa illos profligatos eſſe ſuſpicabatur: eoq; magis quod inter duas acies collis intererat, vt altera de alterius ſtatu nihil poſſet audire. Ipſe tamen cum ſuis mori potius quàm pedem referre conſtituit. Itaque prælium aliquoties redintegrat: ſed & hoſtes ſclopetarios ſemper magno numero ſuo equitatui permixtos reperiebat, & aliorum cuneo ſe vrgeri, qui prælongis haſtis ordinibus ſeruatis eum ſequebantur, tum ſibi non amplius centum tandem equites ſupereſſe videbat: quæ nimium exigua manus erat ad quatuor hominum millia ſuſtinenda. Verùm hęcvna extabat ſalus, quòd nullam ſalutem ſperarent.

40 DVM ſe dextram verſus ſubducit, vt ſuis collectis rurſus certamẽ ita ſubiret, vt ſclopetariorum multitudine illa permixta non impediretur, quam ſemper ſibi obſtitiſſe cõperat, Hiſpani ſuos eſſe pulſos intelligunt: vnde perriti poſtremo hoc impetu non expectato regredi cœperunt: ſed non ſinuntur q; cogitabant pficere. Anguianus enim Alſuniũ iubet cũ quinquaginta equitib. eos à latere adoriri, ipſe cum reliquis apud ſe collectis poſtremis inſtat. Hoſtes ne hunc quidem impeditum ſuſtinent: omnes ſalutis cauſa vel ſyluas vel domos ruſticas curſu petunt. Pauci tamen euadunt, quin omnes vel caperentur vel interficerentur. Hoc poſtremo conflictu (vt intelligas quò nonnunquam iu- *Cæſarieni exercitus clades.*
uenilis ardor prorumpat) Anguianus conſpecto Santandræo cæteros ad pugnam præ-
50 euntes apud ſe habet. Quumque capitaneus quidam multo rerum vſu prædituseum deterreret, doceretque quid duci Nemorenſi aliquando ob talem conatum ad Rauennam accidiſſet, ille vnum reſpondit, coerceretur ergo Santandræus, qui primus prouolabat: itaque generoſo adoleſcenti mos gerendus, & Santandræus reuocandus fuit. Princeps Salernitanus equitum & Germanici peditatus clade perſpecta, pedem refert, paruamque facit iacturam: quòd Galli & Heluetij victorinam ſpatio amplius

1543. mille passuum persequebantur, obuios quosque cædebant, maximè Heluetij cladis ad Mondeuisium acceptæ memores, vbi Cæsarianis contra armorum leges iniquis & cru delibus vsi fuerant, vt à nobis antea demonstratum est. Quare Mondeuisium inclamantes nemini ex hostibus parcebant, imò illos in eorum complexu & manibus interficiebant qui viuos seruare studebant. Illud certè cuiuis perspicuum esse potest, nisi Anguianus apud Italos & Gruæos consistendum sibi esse animaduertisset, exercitum nostrum planè deletum fuisse. Etenim quum illi ad primum telorum iactum in fugam se cõiecissent, agmen illud Cæsarianorum, quod quatuor veteranorum millib. constabat, in Gallos & Heluetios, qui victos premebant, impetu conuerso, eos celeritate turbatos nacti prorsus concidissent. Id verò facere nequaquam ausi sunt, quòd vererentur ne Anguianus à tergo molestus esset. Contrà si Gruæi viros se pugnando præbuissent, aut certè ingruentibus hostibus subtitissent, agmen illud hostium ipso primo congressu pulsum fu isset. Ita Galli & Heluetij equites que illi qui victoriam persequebantur, cum Anguiano & equitibus, quibus Hispanos profligasset, coniuncti, quod reliquum erat confecissent. Ita nec princeps Salernitanus, nec reliqui equites tam leui detrimento accepto, ex hac pugna se recepissent: quibus debellatis, Astam vsque progressi offendissemus illic Vastium, cui ciues perfugium occlusis portis denegarunt. Sic enim illinc discedens vetuerat ne intromitteretur, nisi victor è prælio rediret. Verùm nostri vt Anguiano laboranti succurrerent, victoriam quam persequebantur, interrumpere coacti fuerant.

PRÆLIO prorsus confecto, neque vllis iam extantibus hostib. præter cæsos, saucios & captiuos, certi constituuntur qui cæsorum numerum inirent. Fit illic ingens præda, propterea quòd Vastius primarios viros ex ducatu Mediolanensi secum duxerat, vt numorum & vasorum argenteorum & reliquæ supellectilis, pretium ad trecenta francorũ millia esset. Tormenta numero quatuordecim aut quindecim abducuntur, cũ põtib. vniuersis ad traijciendũ Padum cõparatis, magna item farinæ aliarumq; rerum copia, quas Carinianum introducere cogitabant. Loricæ numero inito ferè ad octo millia repertæ sunt, vt quod Mediolani duodecim aureis cõstabat, illic viginti ad summum solidis veniret. Rebus vt tempus ferebat constitutis, eques Assalius, Serizolis relinquitur Italorum metator: cui quinque Italorum peditum cohortes attribuuntur, qui modò ex pontis Arenarij custodia veniebant. His omnium Italorum erant bello excercitatissimi: qui si cum Gruæis illis constitissent, credibile est hoc agmen non tam turpiter è prælio abiturum fuisse. Haud equidem scio, num Assalius eos accersere, quemadmodum pridie iussus fuerat, oblitus sit, an verò nuntius mandatum non ea qua decebat fide obierit: illud constat, eos prælio demum confecto superuenisse: quæ res nobis detrimentosa valde fuit. Anguianus his rebus perfectis, victoria clarus Carmaniolam redijt, vt suos ex diuturno labore recrearet, quem totum tridui tempus continenter pertulerant. Eò postquam venit, iubet captiuos recenseri. Qui in aliquot templa secedere iussi, reperiuntur Germani ad MMDCXX. Inter cæteros Alisprandus Madrucius cardinalis Tridentini frater, in cæsorum strage repertus multis locis saucius, Taurinos relatus, ex vulneribus sanatur.

HISPANI captiui DCXXX reperiuntur, in his Remundus Cardonius & Mendoza, Itali ex equitatu Carolus Gonzaga atque octo fere capitanei Hispani. Nuntiatum etiam est repertum esse quingentorum passuum spatio, cæsorum numerum ad duodecim millia & eo amplius ex omni promiscuè gente. Ex nostris occubuere fere ducenti numero: ex quibus qui aliquo essent loco, fuerunt (vti dictum est) Asserius: quanquam is sexto demum die obijt: Baro Oynius, Monsallæsus Curssolij signifer, Alsunij signifer, item nepos, Carolus Drossius Mondeuisij præfectus, Gladius Cahorsij præfectus, Scrotus ex Niceno cõmitatu sex Italicarum cohortium tribunus, denique ipsorum Gruæorum tribunus, qui comitis loco eis imperabat: is porro ex Delphinatu genus ducebat. Ex primo Gallorum ordine interierunt Mola Prouincialis, capitaneus Passinus Dolphinas, capitaneus Barberanus, item Moncaltus ambo Vascones. Capitaneus Mota Altensis inter cæsos iacuit, sed incolumis tamen euasit, nisi quòd oculis captus deinceps fuit. Sangeneuius quoque & aliquot centuriones qui primo ordine cõstiterant, vel vulnerati vel interempti sunt. Ex Heluetiis nemo paulo clarior vulnus accepit, præter Baronem Saxanum qui ad fauces longa hasta ictus est.

POST-

POSTQVAM Deo ob tam illustrem victoriam supplicatum est, cogitur concilium, vt de summa rerum deliberaretur. Placet nuntios Romam, Venetias & Mirandulam ad Regios oratores dimitti, quibus de tanta re certiores fierent. Ad eam rem Hercules Viscontius deligitur, quòd commodissimè & tutissimè omnium iter facere posse videbatur. Mittitur etiam ad Regem Escarius, qui partim tam lætum nũtium perferret, partim etiam doceret quàm opportuna rei gerendæ facultas videretur, siquidem mẽstruum exercitui stipendium, deinde aliquid numorum ad vehendas farcinas mittere non recusaret: præterea Rhetos ad numerum sex millium (tot enim iam conscripti crãt) Mediolanum duci iuberet, vnà cum copiis quas Italiæ dynastæ, comes Petilianus, comes Mirandulanus, Petrus Strossius ac plerique alij conducebant, vt Mediolani se cum Anguiano cõiungerent. Illum enim hac ratione cum equitatu, Gallis & Heluetiis rectà iter Astam facturum, relictis ad Carinianum septem aut octo hominum millibus Gruæis, Italis & Gallis, qui castellis aggeribúsque excitatis & fossis ductis hostes erumpere prohiberent. Ipsos quidem capitancos omnes ita statuere, in tanta trepidatione & solitudine propugnantium, quæ post tantam offensionem accidere solet, facile esse ducatum Mediolanensem Cæsari adimere, præter arcem Cremonensem & Mediolanensem. Vastius certè viginti dierum spatio tympani strepitu ad militem conscribendum vsus est, quo toto tempore nemo omnino prodiit qui nomen vellet profiteri. Hæc sententia Regi initio probabatur, postea animum ab ea abduxit, propterea quòd quotidianis nuntiis certior fiebat, Cęsarem maximas omnium quas vnquam habuisset copias ad Rhenum cogere: quocirca suas vires aliò proficisci nolebat, imò ex Italia accersendas sibi esse iudicabat, quibus ad Galliam defendendam vteretur. Quare Anguiano mandat vt de Cariniano fame premendo tantùm cogitaret, quò facilius Pedemontanas copias ad regni defensionem euocaret. Qua in re, meo quidem iudicio, parum Gallicis rationibus consultum est. Etenim si Cæsar motus Mediolani excitari sensisset, vt aliquid periculi non obscurè impendere iudicaret, eò vires suas conuertere coactus fuisset, maximè quum summæ essent apud Neapolim factiones. Potius enim seruanda esse quæ possidebat, quàm aliena nullo profectu tentanda iudicasset.

Rex copias ex Italia accersit.

ANGVIANVS hac Regis sententia intellecta, dispicere cœpit qua ratione suis victũdi facultatem præberet, quibus stipendium nondum erat persolutum: nam quod sub pugnę diem acceperat, id Heluetiis, quò eos apud se retineret, dederat. Quibus quidem pecuniis datis, adhuc bimestre stipendium debebatur, præter ipsum etiam pugnæ mensem. His causis adductus Taxium emittit cum cohortibus Gallicis & equitibus cataphractis fere ducentis, quos ex omnibus vndique turmis collegerat, vt ex hostico viuerent, sex cannis & aliis aliquot machinis attributis, quibus sibi in oppida receptum & ingressum pararent. Ipse cum reliquo exercitu Padum transit, & ad Carinianum castra facit, quâ Vimesum iter est. Totum oppidum castellis passim ædificatis circuncingit, vt duo extrema vtrinque ad Padi ripas pertinerent: sicque obsessos eruptionibus prohibere constituit. Taxius Villa Stelonia profectus (ibi enim castra habebamus) Sandamianum contendit: quod oppidum Monferratensis ditionis neque Gallis neque Hispanis adhuc paruerat. Oppidani auxilio desperato deditionem ea lege faciunt, vt vetusta priuilegia retinere liceret, Gallos tantùm præsidio impositos haberẽt, nullos Italos, quibus conditionibus duas Gallici peditatus cohortes relinquit. Illinc progressus Mõcalerium locum munitum in medio Monferratensi dominatu pactione capit: Vigonem itidem, pontem Sturium, Saluatorium, Fresenetum ad Padum, quod duobus infra Casalium passuum millibus situm est. Denique tanta fuit ob acceptam à Cæsarianis cladem trepidatio, vt tota Monferratensis regio in eius potestatem veniret, exceptis Casalio, Trino & Alba. Interim vix vllus intermittebatur dies ab Aprilis XVIII ad viceſimum Iunij diem, quo non à solis ortu ad decimam diei horam, item à secunda pomeridiana ad solis occasum inter Carinianum & nostrorum aggeres leuibus certaminibus contenderetur. Adeo tamen fame premebantur, vt sæpenumero ex eis nonnulli vallum ad panem quærendum transilirent: ad extremum vt in fidem deditione acciperentur, petere coacti sunt. Quod vt obtinerent, delectos ex suis ad Anguianum mittunt, comitem Fœlicem Germanorum ducem, & Sammiquellum Hispanorum metatorem.

Carinianum à Cæsarianis deditur.

HIS Anguianus, quando virorum fortium officio functi fuerant, æquissimas con-

1543. ditiones tulit, vt armatis exire concederet, absque signis tamen militaribus & tympanis. Preterea iurisiurandi religione tum duces tum milites obstrinxit, semestri tempore bellum cum Rege & sociis non esse facturos, Addam flumen transituros, neque eo temporis spatio huc remeaturos. Petrum denique Columnam octauo abhinc die Mediolano reuersum, in Galliam, vt se in manus Regis traderet, profecturum, illicq; totum annum moraturum, nisi quid à Rege de temporis diuturnitate remitteretur. His rebus morem gessit Columna. Anguianus quicquid illis pollicitus est, bona fide præstitit. Langæus & Alsunius deliguntur, qui oppidum ingressi omnia quæ illic erant, describerent: quoniã cautum erat ne vel machinas vel è machinario apparatu quicquam auferrent. In commeatu describendo non magna diligentia opus fuit: duo tantùm panes furfuracei reperti sunt, nihil tritici, pisorum, fabarum aut cuiusuis leguminis, nihil vini, salis, aceti aut olei denique repertum est. Mirum fortasse cuipiam videatur cur tam æquis conditionibus pactus sit Anguianus, ac nõ potius eos nudos ignominiosè dimiserit. Is sic habeat velim, Heluetiis tum debita esse trium mensium stipendia, absque eo mense quo pugna illa commissa est, Gallis etiam ipsis panis tantùm in diurnum demensum tribuebatur: vt Hispani quotites certarunt ad munitiones dimicarent, eos per ludibrium milites panarios appellarent. Itaque Heluetij quum nos oppido pactione iam potiri posse viderent, Anguianum adeunt, docent, nisi has pacti conditiones admitteret, vel stipendium debitum numeraretur, se postero die domum redituros esse: neque vlla ratione aut verbis nisi illa compositione retinere eos potuit. Ita sub armis Cariniano exeunt, vultu & incessu ad grauitatem dignitatémque composito: sed nondum mille passus processerant, quum adeo viribus omnibus exhaustis defessi sunt, maximè solis æstu post illas durissimas calamitates torrefacti, vt non solùm ad arma, quæ iam gestare non poterant, verùm ad ipsos etiam vehendos plaustra exhibere opus fuerit.

Nvnc ad Herculem Viscontium redeamus, quem Anguianus ad Regios oratores Romã & Venetias miserat, quos de victoria certiores faceret. Rumore statim huius rei sparso comes Petilianus, Petrus Strossius (hi ex Gallia nominatim ad hanc rem ornatu mutato venerant) comes Geogius Martinengus, dux Sommius, Robertus Malatesta, aliique Gallicarum partium studiosi prodeunt, Romæ atque aliis locis finitimis tympani sono militem colligunt, Mirandulæ locum cõstituunt vbi coeant, illinc cum Anguiano copias coniuncturi, quòd sperabant Regem libenter auxilia quæ ille petierat concessurum, quemadmodum ab Hercule Viscontio intellexerant. Exercitum colligunt ad decem peditum millia, equitatu perexiguo, aut planè nullo: nihilo secius in Placentinum agrum properant, libenter ab omnibus excipiuntur, & cibaria eis benignè suppeditantur. In Cremonensem postea regionem iter faciunt, vbi Guelfi omnes & complures alij ex Mediolanensi ditione crucis albæ tesseram sumunt. Has ob causas tantus terror Mediolanenses occupauit, vt valde credibile sit, si exercitus ille qui Monferrati substiterat, initio Mediolanum rectà se contulisset, seq; cum Strossianis coniunxisset, antequã ducis Florentini auxilia aduenirent, ciues portas eis aperturos fuisse. Strossius & reliqui certiores facti expeditionem Anguiani, quam Mediolanum parabat, irritam esse, quoniam equitatu se carere videbant, vlterius progredi seque cum Anguiano coniungere, quocunque loco esset, decreuerunt. Vastius Salernitanum & Sulmonensem iubet quammaximam manum colligere, qua illis ad certum transitum occurrerẽt. Hac re illi intellecta à Taxio (is tum Monferrati cum suis erat) per literas petunt, vt equitatum mittat, qui die constituta ad Sarrauallium, vbi transitus est fluminis, præsto esset. Taxius se facturum quod petebant pollicetur: quod affirmare non dubito, vt qui literas viderim. Verùm non stetit promissis: cuius rei causam ignoro. Eò Strossius & reliqui postquam venerunt, ad vlteriorem ripam equitum & peditum multitudinem conspicati, & à præcursoribus quos miserant, hostes esse certiores facti, turpe sibi fore statuunt, si pedem referrent: & pedites longè ab equitatu seiunctos adorti superant. Postea locum in quo constiterant, ad pugnandum commodũ relinquunt, & ordinibus neglectis in planitiem latè patentem, tanquam victoria parta progressi, ab vtroque latere equitatus Cæsariani interuentu cincti funduntur fugantúrque. Plurimi clari viri capiuntur, pauci interficiũtur: vnus Valerius Vrsinus eadit, quiquidem aliquo numero esset. Qui ex prælio euaserunt, Quercassium & Carinianum se receperunt. Id accidit medio ferme Iunio, duodecim

Strossius & Cæsarianus celebrantur.

cimo die antequam Carinianum in noſtrorum poteſtatem veniret. Quòd ſi Taxius equitatum miſiſſet, quemadmodum ſe facturum receperat, à quo fulcirentur, veriſimile eſt illos Cæſarianis ſuperiores futuros fuiſſe: propterea quòd profligato peditatu, cētum cataphracti victoriam perſequi & conficere poterant.

CARINIANI deditione facta Anguianus Regem per nuntium ea de re certiorem facit, tum etiam quid fieri velit, rogat. Rex mitti ad ſe ex Pedemontanis locis Gallorum veteranorum ſex millia, Italorum parem numerum iubet, his ſibi opus eſſe, vt aduerſus Cæſarem & Anglum ſe pararet, qui iam legiones eduxerant, & impreſsionem in regnum facere maturabant. Cæſar enim pro inueterato odio quo ad illius regni pernicíem & interitum incēdebatur, iniurias quas ab Anglo acceperat, depoſuerat, aut certè diſsimulabat, cúmque eo ſocietatem inierat: quanuis papæ ſeriò confirmaſſet ſibi nunquam cum illo amicitiam vllam, ſed ſempiternum odium atque acerrimum fore, quoad iniuriam ſedi Romanæ factam expiaret, quum ſe Eccleſiæ Anglicanæ ſecundū Deū caput profeſſus fuerat, eóſque capite damnabat qui papæ & Eccleſiæ Romanæ autoritatem tuebantur. Cuius tantæ audaciæ cauſa fuerat (vt ſuprà à nobis eſt demōſtratum) quòd papā cum tanquam hæreticum diris deuouerat, ciúſque ditionem prædæ addixerat, idque inſtigante Carolo, quòd ſuam ab eo amitam repudiatam eſſe dolebat. Illo igitur fœdere conſtituto ſic inter eos conuenerat, vt Cęſar Campanorum fines cum exercitu, quem tum in Germania omnium quos vnquam habuerat maximum compararat, ingrederetur. Hic tantus exercitus maxima ex parte ab Imperij ordinibus alebatur tum Catholicis tum Proteſtantibis: nam ipſos etiam Proteſtātes huc adduxerat, quum prædicaret ſe omnibus modis operam dediſſe & à Rege contendiſſe, vt Concilium cogeretur, quo Eccleſiæ pax & concordia conſtitueretur, atque in papam cæteróſque Eccleſiæ miniſtros ex diſciplinæ ſeueritate inquireretur, ac errata emendarentur: verūm Regem vnum tam ſancto inſtituto aduerſari. Denique adeo illos conſueta vanitate & dolo delinierat, vt tum Proteſtantes principes tum ciuitates Imperiales, quibus nunquam antea fœdus vllum interceſſerat, propriis ſumptibus hoc bellum gerere conſtituerent. Anglus porro Caletum cum omnibus ſuis viribus nauigaturus erat: id quod etiam perfecit. Cum eo comes Buranus & Roxius ſuas copias coniuncturi erant, vt hic copias è Belgio conductas, ille peditum Germanorum decem millia & equitum eiuſdē gentis ad quatuor millia adduceret. Conſilium erat, vt relictis à tergo munitis oppidis, rectà vtrinque Lutetiam contenderent: ibique coniunctis ſimul vniuerſis copiis (in quibus pedites futuri erant octoginta fere millia, equitum amplius millia octodecim cum bombardarum, pulueris atque telorum infinita vi) Regem ad dimicandum iniquiſsima conditione compellerent, niſi mallet patriam & regnum ſe coràm inſpectante vaſtari.

Bellum à Cęſare & Anglo aduerſus Regem paratur.

ANGLVS vbi Caletum appulit, magnam offendit tota Picardia propugnantium ſolitudinem, propterea quòd Rex inde in Campaniam vires ſuas traduxerat, quò Cęſar iter facturus erat, ducémque Vindocinum in Picardia cum exiguis copiis reliquerat. Quinque ſunt oppida quibus proſpiciendum erat, Ardrea, Bolonia, Teroana, Montrolium & Hedinum: ex quibus Anglus quòdcunque primum liberet aggredi, æquè facilè poterat. Ad hæc oppida præſidiis firmanda vix ſatis magnæ copiæ Regi ſuppetebāt, nedum vt hoſti obſiſteret. Ea fuit Anglo cauſa cur conſilium de ducendo Lutetiam exercitu mutaret: ac proinde ducem Northfolcum cum Burano & Roxio mittit, qui Montrolium obſideret, ipſe decimo pōſt die Boloniam cœpit obſidere. Huic oppido præerat mareſchallus Dubetius, imò Picardiæ proregem agebat dum abeſſet Vindocinus, eique nominatim negotium datum erat, vt quinque illis oppidis proſpiceret. Is quum hoſtem Montrolium progredi videret, eò ſe relicta Bolonia confert, ac ſecum conneſtabliani turmam centum cataphractorum ducit, cui legatus Guichius vir rei militaris peritiſsimus præerat. Adeſt etiam Genlius cum quatuor cohortibus Gallorum peditum, comes Berengarius Neapolitanus cum mille Italis peditibus, Franciſcus Claromontanus Neapolitanus & ipſe cum pari numero. Boloniæ præter omnium opinionem Vervinium generum præficit, virum modico rerum vſu præditum, Linionem cum quingentis peditibus, Axium cognomento Rentium, ambos per ætatem & imperitiā ad rem arduam parum idoneos, capitaneum Philippum Corſum, qui lōgè maximum rerum vſum ha-

Anglꝰ in Picardiam deſcenſus.

1544. bebat, denique Samblimontium ipsius Dubetij signiferum, cum eiusdem dimidiata equestri turma, quæ centum cataphractos complectebatur. Ardream mittitur Rupepotius cum suis equitibus, qui Regis legatus ei præesset. Quod quidem oppidum quum infirmum valde & minimè instructum offendisset, tanta tamen diligentia prosp exit vt nihil inde damni acciperetur.

DVM hæc geruntur, Cæsar Spiræ fit certior Anguianum victoria parta apud Pedemontanos copias continere, neque Mediolanēsem expeditionem suscipere, quemadmodum cogitarat: quam Cæsar vehementer reformidabat, quàmq; si ille vrgereinstituisset, dubium non est (quantū quidem postea compertum est) quin vires in Italiam cōuertere relicta Gallia coactus fuisset. Itaque hoc nuntio accepto comitem Gulielmum Fustembergum cum exercitu Lucemburgum obsidere iubet. Vicecomes Staugius tādiu obsidionem tulit, quoad cibariorum inopia coactus deditionē facit ea lege, vt ipse cum militibus saluis impedimentis abiret. Inde hostis Commercium proficiscitur: castrum verò hoc ad Mosam flumen situm duodecim passuum millia vltra Linium, sex millibus Valcolorio abest. Maxima turri machinis concussa, & ruina patefacta (in ea autē omnia tela & puluis tormentarius asseruabantur) centuriones oppidi infirmitate perspecta Cæsari deditionem faciunt, quibus quò vellent abire, impedimentis saluis permittitur. Cæsar Commercio profectus Linium Barrorum obsidet, cuius propugnandi causa comes Briennius (qui huius quoque oppidi dominatum comitis titulo tenebat) illuc venerat, cum comite Russio fratre, Schenasius insuper à Rege illuc missus, qui summam autoritatem haberet, cum quinquaginta cataphractis venit, Guzollius prætercahippocomiæ Regiæ cursor, & complures alij, vt numerus peditum ad mille quingentos esset, equitum cataphractorum circiter centum. Rex interim quanta maxima poterat diligentia, vt hosti obsisteret, Heluetiorum decem millia, Rhetorum sex, Germanorum peditum totidē, (in quos summā imperij duci Niuernēsi detulerat) progredi iubet, duodecim quoq; illa tum Gallorum tum Italorum millia quæ ab Anguiano acceperat, denique magnam & legionariorum & aliorum militum manum: vt totius exercitus multitudo ex variis gentibus esset ad quadraginta peditum millia, equitum grauis armaturæ duo millia, ferentariorum totidem. Huic exercitui Delphinum præficit, adiūcto fratre Aurelio, quibus amiralium Annobaldum attribuit, qui rebus consilio atque prudentia administrādis incumberet. Dúmque tantus exercitus cogeretur, quo hostis cursum sisteret ac remoraretur, comitem Sancerranum Sandiserium mittit, qui proregis autoritatem illic obtineret, quod profecto oppidum vallo & muro malè munitū erat, & impar exercitui Cæsariano sustinendo. Ille tamen se bonam & fidelem operam nauaturū esse recipit, nec datam fidem fefellit. Aurelij equestris turma centum cataphractorum ei attribuitur, in qua legatus ipse erat, capitaneus item Landa & vicecomes Riuerius, qui ambo millenis peditibus præerant.

Linium à Cæsare capitur.

CÆSAR summa celeritate ad Linij arcem oppugnandam machinas promouet: nostri quum nusquam ad propugnandum se consistere posse viderent, quòd illi oppido duo vel tres montes circuniecti imminent, ad colloquium venire statuunt. Dum colloquuntur, hostes porta qua subsidium venturū erat, ingressi, eos à tergo opprimunt qui ad ruinam propugnaturi stabant: quos perpaucis interfectis capiunt. Huius tantæ incogitantiæ quæ fuerit causa, non possum affirmare, nisi quòd Brethauillanus comitis Briennij legatus primus ad colloquium egressus est. Ipsi quidem duces culpam alij in alios mutuò transferunt: verùm purgationem nullam idoneam afferre possunt. Quanquam enim locus infirmior erat, quàm vt Cæsaris potentiam, qui præsens aderat, ferre posset, tamen nondum eò difficultatis venerant, quin æquis quibusdam conditionibus cum hoste pacifci possent. Huc accedebat, quòd primarij ex eorum numero Regi persuaserant oppidum defendi posse, seque seruaturos esse receperant: verùm (vt quod sentio dicam) isti pollicitatores Cæsarem aliò progressurum esse arbitrati, hanc gloriam aucupari studebant, quòd oppidum defendere aggressi essent. Non pauci ita decipiuntur, nuntiis parum certis consisi: quorum permulta ipse documenta animaduerti. Rex captum esse tam citò Linium certior factus, confestim ducem Niuernēsem cum quadringentis cataphractis & peditibus circiter ad sex millia Catalaunum Campanorum mittit: deinde nuntio accepto Cæsarem ad Sandiserium consedisse, Delphino per nuntium impe-

imperat, vt castris loco commodo ad Matronam flumen positis hostem vlterius progre di prohiberet. Quo Delphinus accepto mandato loca maximè accõmodata circunspici iubet: & ex ducum sententia placet exercitum ad Iallonem collocare, qui locus est citra Matronam medio itinere Spernæi Catalaunum. Ibi etiam Delphino præsto fuit peditatus ille Gallorum & Italorum, quos Anguianus Regi mittebat, qui & armis egregiè instructi & animis ad pugnam optimè erant comparati.

Strosius cum Anguiano se coniungere cõnatur.

PETRVS Strosius, quem paulo antè infœliciter pugnasse demonstrauimus, ipse tamen ex ea clade incolumis Mirandulam se receperat, vbi cum duce Sommio (qui in eo prælio captus à principe Salernitano consanguineo dimissus fuerat, quòd verebatur ne Cæsar, si in eius manus incideret, grauius aliquid in eum statueret) nouo peditatu ad sex hominum millia coacto, statuunt inuitis Cæsarianis Mediolanensem agrum pertãsire, seque cum Anguiano coniungere, cui exigua sanè hominum manus reliqua erat, vt qui præter duodecim illa Gallorum & Italorum millia quæ Rex accersierat, omnes Heluetios (duobus tantùm millibus exceptis) dimiserat, quibus stipendium domi numeratum iri, syngrapha cautum erat. Vastius nuntio denouis istis copiis accepto, equites & pedites quam potest plurimos conuocat, quibus eos transire prohiberent: vt Strosius, quòd equitatu carebat, cogeretur relicta planitie è Parmensi agro alpes Coctias cum summis laboribus & difficultatibus perreptare. Postea quum Vastium intellexisset ad alpium radices descensum obseruare, Anguiano per exploratores significat quâ iter facere & transitum moliri cogitaret. Anguianus tum Taurini se continebat, quòd copias duntaxat ad seruanda oppida habere sibi videbatur: qui eodem etiam temporis vestigio à Cẽtalio Quæstii præfecto certior fiebat, Vastium, quò facilius Strosij copias deleret, milites vndique ex præsidiis educere, vt paucos tantùm relinqueret, qui ad oppidorum portas sederẽt: quinetiam Albæ duntaxat esse Ciapinum Mantuanum præfectum cum circiter CXX militibus. Quo nuntio accepto Anguianus in summa licet hominum paucitate reiq; pecuniariæ inopia (nam præterquam quòd ne coronatum quidem habebat, Heluetiis quatuor mensium stipendia debebantur) vtrunque tamen simul perficere aggreditur, vt & Albam occuparet, & Strosio auxilium ferret. Itaque eo ipso temporis articulo Montasienum ad exiguum castrum mittit, quod nomine Castelletum vltra Albam tenebat, quâ Sauonam iter est, qui rationem inueniret qua Strosius monitus Castelletum & porro Albam contenderet, quo quidem itinere eum vterum esse Vastius nunquam suspicaretur: se quidem ad Albam cũ peditatu & equitatu quam posset maximo præsto futurum, vt eum exciperet.

HIS ita constitutis Carmaniolam ire contendit, tum vt illic pernoctaret, tum vt Heluetiis progredi persuaderet: quod illi facturos se negabant, docebántque nulla ratione militem ad procedendum adduci posse, quòd nihil stipendij acciperent, seque tãdiu ludi & verba dari conquererentur. Ad extremum pollicetur illis cibaria gratis datum iri, dum Carmaniolam redirẽt: id enim demum erat quod præstare poterat, quem numi prorsus deficiebant. Addit etiam cohortationem, qua ostendebat magnam gloriæ accessionem fore ad priorem illam qua Germanicum peditatum altero tanto maiorem profligarant, si nunc tanta paucitate Cæsaris legato se auderent opponere: equites quidem Gallos ad extremum spiritum ab ipsis non discessuros. Hac oratione permotis progredimur, & Sommariuam vesperi venimus, postridie Querasium: vbi Heluetij se rursus progredi nolle significant, nisi quingenteni in singulas cohortes coronati mutui nomine darentur. Quod quum illis concederetur, Centalius ad hanc summam perficiendam mille quingentos coronatos confert, fororis suæ Montasieni vxoris monilibus oppigneratis. Fausi pergus capitaneus Heluetius mille mutuò dedit, ac quingentos suis insuper largitus est, idem Forlius apud suos facit: denique supererat Sanjuliani cohors, quiquidem tribunus erat: statuitur ante lucem discedendum esse, vt Albam iretur. Secunda noctis vigilia Sanjulianus ad me venit, monet renuntiem Anguiano milites tumultuari, neque vt progrederentur adduci posse. Ego tamen inquirendo comperio eum ipsum esse tumultus autorem. Cui malo quandoquidem nullum tum temporis remedium afferri poterat, Anguianus accepto nuntio Strosium circa meridiem Albæ futurum, veritus ne mora interposita auxilium oppidanis ferretur, iter ingreditur. Ibi tum Heluetios puduit resistere, & inuito tribuno nobis iam profectis mouent, vt ad

1544. solis occasum oppido appropinquaret, quum quidem nos ad murum accedere pararemus. In nostro exercitu erant Anguiani equites cataphracti quiquaginta, Alfunij & Fráciſci Bernardini ferentarij, & centum circiter equites Mauri Nouati. Cannas murales quatuor tantùm habebamus, eáſque non admodum inſtructas: ex quibus duas commodato à Beniæ domino acceperamus, quòd è remotioribus locis accipere nullas liceret: foſſorem numorum inopia nullum habebamus. Quinetiam ne ipſas quidem cannas habere potuiſſemus, niſi Benius ſuis ſumptibus eas vehendas curaſſet. Equidem ipſe, dum Carinianum obſidebamus, triginta coronatorũ millia Taurini mutuò acceperam, quibus Heluetiòs placatos retinueramus.

Galli Albam deditione capiunt.

Eo ipſo die veſperi pauculas machinas aggeribus obiectis admouemus, vt poſtero die ad ortum ſolis mœnia verſus portam quæ montem ſpectat trans flumen, concuti & ſterni cœpta ſint: fiéque aditus pertuſo muro fere decem pedes patens. Ciapinus videns quoquouerſum Stroſſij & Sommij milites ſpeciem præbere, quaſi ſcalas admouere vellent, alios ad exiguam illam ruinam (quæ tamẽ haud multo latior fieri poterat, propterea quòd duæ ex machinis nulli iam erant vſui) metu perculſus deditionem facit, vt ipſi cũ militibus abſque vllis vaſis quò liberet diſcedere liceret. Hoc interim habendum eſt, Stroſſij milites diſcalciatos penitus fuiſſe, qui calceos montanis itineribus detriuerant. Vaſtius de noſtro aduentu certior factus, cum exercitu magnis itineribus, vt ſuis auxilio eſſet, venerat: vt quo tempore oppidum ingrediebantur qui ab Anguiano delecti fuerant, illius præcurſores in noſtrorum equitum ſtationem irruerent. Verùm intellecta oppidi deditione, celerius quàm venerant regredi cœperunt, præter nonnullos quos Alfunius cepit: quæ cauſa fuit cur Vaſtius, vbi ſe ſpem fefelliſſe videt, propius ſibi accedendum non putaret. Anguianus oppido potitus Cornelium Bentiuolum conſtituit, cui duo Italorum millia attribuit, ipſe multis per finitimam regionẽ caſtris ſubactis Carmaniolam reuertitur. Poſtea Vaſtius Alexandriæ ſtudio atque opera bellum, vt ad aliquot dies intermitteretur obtinet, vſquedum miſſis ad Cęſarem & Regem nuntiis ſcirent num illis inducias fieri placeret. Itaque vtriuſque permiſſu pacem ſequeſtram tri meſtrem conſtituunt.

Sandiſerium à Cæſare obſidetur.

Cæsar (vtad Campaniam redeamus) Linij caſtro deditione capto, præſidium imponit, quòd illac iter eſſet Metis ac Lotaringia, vt Sandiſerium (quò exercitum ducere in animo habebat) commeatus veheretur. Itaque ratione conſtituta, qua illuc tutò importari poſſet, recta ad oppidum illud decem Linio paſſuum millia ad Matronam flumen contendit, illúcque ad octauum Iulij diem, anno 1544 peruenit. Comes Sancerranus quum eius aduentum præſentiret, ſtagna quędam ſupra oppidum verſus ſyluas perfodi iubet: vt per aliquot dies Cæſar his locis progredi impediretur, atque adeo caſtra alio loco ad oppugnationem inſtituendam faceret. Sancerranus Telinium ſignifer um cum quinque & viginti equitibus emittit, vt de Cæſaris rationibus aliquid cognoſceerent. Hi captiuos ad duodecim numero adducunt, ex quibus quod eſſet hoſtis conſilium intelligit. Cæſar ſimulatque Sandiſerium venit, foſſas & aggeres quam celeriſſimè expediri iubet quâ ſpatium intereſt inter molẽdina & portam quæ recta Partham & Vitrium ſpectat. Delphinus interim Briſſacum iubet ferentariorum equitum magiſtrum cum duobus fere millibus partim Gallorum partim Italorum Vitrium Parthenorum proficiſci, decem Sandiſerio paſſuum millia, medio illinc Catalaunum itinere, qui Cæſaris caſtris negotium faceſſeret, cõmeatum interciperet, & in metu quodam contineret, ne irruptionem in oppidum tẽtaret. Oppidulum hoc eſt infirmis admodum mœnibus cinctum, exiguum item caſtrum in ſummo monte ſitum: oppidum flumine medium alluitur, quod Linio Barloducum fluit, deinde infra Vitrium in Matronam illabitur. Illinc noſtri cõtinenter caſtris Cæſarianis moleſtias exhibebant, frumentatores & pabulatores ſubinde capiebant, vnde magna annonæ penuria hoſtes premebantur. His adductus cauſis Cæſar loco eos expellere conſtituit: ac proinde Franciſcum Eſtenſem Ferrariæ ducis fratrem, ferẽtariorum equitum magiſtrum cũ toto equitatu mittit, Mauricium inſuper Saxoniæ ducem cum mille ducentis Germanis equitibus, ac comitẽ Guielmum Fuſtembergenſem cum octo amplius Germanorum peditũ millibus, quibus etiã bõbardas aliquot addit. Ita porro cõſtituerant, vt equitatus flumẽ illud quo alluitur Vitriũ in vico Cangio tranſiret, duobus infra ipſum Vitriũ paſſuũ millibus, ſicq; iter quo

Cata-

Catalaunum contenditur occuparent:id eo sanè consilio,vt si nostri illuc se recipere cogitarent,in eos obuios inciderent:sinautem Vitrium regrederentur,tum comes Gulielmus cum bombardis subsequeretur,quibus aditum vi in oppidum patefacerent.

PRIVSQVAM Cangium venirent,iam diluxerat:ibi equitum stationem ex turma Langæi offendunt,quos ducebat Marvillanus legatus,vt pote quum Langæus apud Pedemontanos esset.Is hostium præcursores conspicatus qui propius ad locum explorandum accedebant,conferto agmine ad extremum pontem subsistit:idem fit ab hostibus,dum suorum multitudinem præstolantur.Marvillanus interim Mottogondrinũ ferentariorum equitum ducẽ moneri iubet:qui statim vbi accessit,traiecto flumine hostium præcursores adortus magno eorum impetu vrgetur,ipse valde saucius ad eum vsque locum summouetur vbi Langæi equites subsistebant:qui quinque aut sex ferentariorum equitum turmas in se incumbentes conspicati,pedem referre & præliando Vitrium regredi cœperunt.Decem aut duodecim ex eis capiuntur,complures interimuntur.Albani,qui non longè ab eis collocati erant,audito tumultu diuersi Catalaunũ versus ire maturant.Nostri non procul Vitrio collecti equestrem Hunaldæi turmam,duce Michaele Angelo legato offendunt,cuius accessione recreati ad oppidum vsque retrocedendo & pugnando perueniunt.Ibi Brissacum cum aliquot sclopetariis Petri Corsi in vineis reperiunt,à quibus hostis impetus non parum retardatus & cohibitus est.Id quod commodissimè nostris cessit,qui nisi hoc auxilium occurrisset,planè erant profligati.Brissacus quòd se inferiorem sentiret,se recipere parat,& secundo Matrona flumine iter facit,vt sese Catalaunum vel certè ad medium iter reciperet.Niuernensis trecentos amplius cataphractos equites Catalauno emiserat,qui nostris subsidio venirent:verùm iter aliud ingressi(quã locum nomine Calciatam itur) ab eis aberrarunt,vt obuios non haberent.Quamobrem Brissacus cum iis ferentariis quos habebat reliquos,traiecto flumine,dimidiam eorum partem ad dextram collocat,ipse læuum latus tenet,pedites aliquot cum pilis & sclopis ad trãsitum fluminis præmittit,qui hostis impetum infringerent.Ex hostibus ilico prouolant circiter octingenti pistolarij,totidem equites leuis armaturæ,& sclopetarij equites magno numero,qui Sansacum(ille enim nouissimũ nostrorũ agmen claudebat)cogunt fugã præcipiti in vicum ferri,vbi transeundum erat.Ea res nostris peditibus maximè nocuit,quos nostrorum equitum interuẽtu hostis perturbatos & discissos quum offendisset,vniuersos cõcidit,præter aliquot qui se in ædem sacram recipiunt.Hi quum ad comitis Gulielmi aduentum deditionem facere recusarent,machinis ædem ille cœpit labefactare, deinde subiectis ignibus omnes cremantur.Brissacus interim tergo dato se recipiebat,sic tamen vt subinde,quoties facultas data batur,in hostes aduersus rueret:quo factum est vt bis ab hoste captus bis ereptus sit.Ita virtute & prudentia vim superat,& obfirmato animo prælians Catalaunum peruenit.

Brissacus cum Cæsariano equitatu dimicat.

CÆSAR Sandiserium obsidione premere pergebat,omnésque rationes excogitabat,quibus nostros vexaret.Comes Sancerranus omnia quę ad salutem pertinẽbãt diligenter administrat,oppidi regiones describit, vt suum quisque locum, vbi pugnandum erat,nosset.Vicecomiti Riuerio defendendum tradit propugnaculum victoriæ,qꝫ ad portã Parthenam erat:huic vnam ex cohortibus attribuit,alteram esse iubet ab eo pro pugnaculo ad planum aggerem qui Sãmenehaldum spectat:inde ad castrum vsque aliã cõstituit.In castrũ ingredi iubet capitaneum Nouilletanum Andreã Alburgum, qui vni ex Landæ cohortibus legatus præerat.Deniq; à castro ad propugnaculum illud Vicecomitis Riuerij cõstituuntur ducenti equites qui Durrerio parebant,quiquidem Linij captus fuerat.Ad illas oppidi singulas partes deni equites cataphracti cõstituuntur,deinde viginti qui & plateã seruarent,& laborantibus submitterentur,adiunctis quingentis peditibus quos Ricarvillanus ex Landæ legatis ducebat.Cæsar non procul à scalis patibularibus cõsederat.Hinc Hispanos suos ad planiciem procedere iubet, quæ inter flumen & oppidum interest,vbi nullũ à machinis periculum illis impendebat. Hi aggeribus & fossis ad propugnaculi Victoriani mucronem ductis,bipartito machinarũ ordines collocant,vt vnis oppugnaretur oppidũ ab ipso propugnaculo ad portã, qua ad molẽdina descenditur,alteris Parthã versus,cuius oppugnatio in obliquũ ferebatur. Sancerranus

1544. conſpecta hac hoſtium diligentia, eò viginti illos cataphractos & Ricarvillanos pedites ex platea traducit, qui locum muro labefactato nudatum obſtruerent, Cæſar quum oppidanos crebris eruptionibus è caſtro factis ſuis eſſe moleſtos perſpiceret, Principē Aurangiū mittit cum Germanorum octodecim cohortibus & ſex prælongis colubrinis, qui ab eo loco interiora oppidi loca infeſtaret & noſtros erumpere prohiberet. Is ad ferrariam quandam officinam è regione caſtri, caſtra locat, iuxta pontem qui eſt ad Matronam flumen, & rationem inuenit, qua ex foſſis oppidi aquas deduceret: quę res oppidanos ad ſummam aquæ egeſtatem redegit, vt qui tres tantùm puteos reliquos haberent, vnde aquæ ſatis ęgrè poterat militibus ſuppeditari. Acceſſit etiam ad iſta hoc mali, quòd quum Cæſar tormentorum oppugnationi inſtaret, Landa diurno labore in ruinis obſtruendis defatigatus, quum ſe in cubiculum recreandi cauſa recepiſſet, glande tormenti interficitur, quæ à ruina ſublimis in ædes delata, caput illi aufert. Illius viri morte magnum acceptum eſt detrimentum, quippe fortiſſimi & plurimi in re bellica vſus. Huius mortem eo quidem die Sancerranus, ne milites hoc nuntio perterrerentur, celandam curauit. Eodem die Aurangio caſtris profecto, vt Cæſarem adiret, dum in foſſis eſſet, glans ab oppidanis colubrino librata in ſummum aggerem lapidibus refertum incidit: lapidum fragmentis diſſilientibus ille ictus interficitur, magno Cæſarianorum omnium ipſiúſque Cæſaris mœrore & luctu.

Strenuè oppugnatū fortiter defenditur.

BIDVO pòſt Cæſar ſatis latam muri partem deiectam conſpicatus, ſtatuit oppidum expugnare, atque ad eam rem ſuos circiter nonam antemeridianam paratos eſſe iubet. Hiſpani Germanis eum honorem inuidentes ne primi prodiiſſe viderentur, nullo expectato imperio repente octodecim cohortibus muro ſuccedunt, & cum noſtris cominus horæ vnius ſpatio dimicant: Cæſar quoq; ea re perſpecta, Germanorum fere decem millia properare ſubſidio iubet. Noſtri acriter ſummaq; virtute dimicantes, Hiſpanos è ſummo ruinæ loco deturbant. Cæſar poſtea ad octingentos prodire iubet paludamentis holoſericis ornatos, Burgundicis galeis indutos: quorum impetum non minori animo noſtri ſuſtinent, eóſq; in foſſas deiiciunt. Rurſus oppugnationem inſtaurat octo cohortium peditatus Germanici, cū plurimis tormentarij pulueris doliolis, làceis aliiſq; id genus ad ignem eiaculandū artificioſè excogitatis inſtrumentis. Qui rem tam fœliciter geſſerunt, vt nō ſolùm iſta relinquerent, ſed ex tribus illis oppugnationibus ſeptingēti homines deſiderarentur. Cæſar noſtrorum virtute perſpecta, quū multos ex ſuis peritiſſimos amiſſos eſſe videret, ad ſuum quemq; locum recedere iubet. Hic fuit exitus, quo à nona matutina ad quartam pomeridianam cōtinenter dimicatum eſt. Sancerrano gladius è manu tormentaria glande extorquetur, neq; damni quicq̄ accepit, q̄ q; in facie ruderibus quibuſdam ictus eſt: verùm ex ſuis ad quadraginta tum cataphractos tum ſagittarios, pedites ducentos amiſit. Paucis pòſt diebus Cæſar miſſo tubicine noſtrorum animum explorare inſtituit, q; putaret eos virtutis ſuæ tam illuſtri ſemel edito documēto, honeſtas pacti conditiones non recuſaturos. Cuius orationem noſtri ne audire quidem ſuſtinuerunt, nequid militibus terroris afferret, eorúmq; animos adhuc firmos & conſtantes perculleret. Sancerranus excubitorum ſtatione collocata centurionum concilium conuocat, in primis Hieronymum Marinum Bononienſem adhibet, qui operi faciendo præerat, cum his de ſumma rerū deliberare cœpit. Tandem ſtatuunt ipſi Hieronymo & Ricarvillano x x. ex militibus aſſumptis in foſſas deſcendendum eſſe, qui ad ruinæ murum infimum crepidinem ſubſternerent. Hoc illi non ſolùm perfecerunt, ſed etiam magnam pulueris vim à Germanis ſecum auferunt: q; cōmodiſſimè noſtris ſelopetariis accidit, quos iſta iam deficere incipiebant. Nihilo ſegnius ruina obiectis aggere & aliis rebus obſtruitur, vt mane firmior locus ille q̄ antea eſſet. Quibus rebus Cæſar cōſideratis à machinis ad cuniculos animum cœpit aduertere, foſſas celeritate ſumma & aggerem quibus rectà ad propugnaculum Victorianum iretur, duci iubet. E regione prę terea ipſius ruinæ planum aggerem ex octodecim doliis vimineis ſerie in latitudinē diſpoſitis excitat, quibus terra oppletis alia ad iuſtam altitudinē imponebant. Qui in opere erant, vt propugnaculum ſuffoderent, quum iam ipſi propugnaculo appropinquarent, quod ſuffodere conabātur, in fontis magnavi erumpentem ſcaturiginem incidunt, qua vlterius progredi impediuntur. Noſtri ex aqua q̄ foſsis hauſtam eiici cōſpiciebant, ſuſpicantur hoſtes vel ſuffodere vel cuniculos agere velle. Itaque vt rem planè explorarent,

noctu

noctu capitaneum Linierium Normanum genere cum aliquot militibus emittunt: qui magno impetu Hiſpanos adortus loco pellit,& opus totum circunſpicit, nonnullos ex foſſoribus, cæteris interfectis, in oppidum ſecum adducit, qui rem omnem exponerent.

DVM Sandiſerium obſidetur, Aumallius filius ducis Guiſij primogenitus Stenẽ, oppidum ad Moſam (vti diximus) ſitum cum CL cataphractis atque aliquot peditibus tenebat, atque eo quidem conſilio, vt etiamſi Cæſar exercitum illuc adduceret, defenſurus omnino eſſet. Ex eo oppido crebris excurſionibus Cæſarianos maximè vexabat, commeatum intercipiebat, eum præſertim qui Barloduco aduehebatur: vt Cæſari molleſtiſſimæ eſſent huiuſmodi procurſiones. Poſt illum ad ruinam conflictum octodecim fere dies interceſſerant, quum ex noſtris quidam tympaniſta in hoſtium caſtra captiuorum cauſa profectus eſſet: is literas notis exaratas reuerſus Sácerrano reddit, quas ei dederat quidã ſubornatus homini ignotus, ſibique à duce Guiſio in mandatis eſſe datũ addebat, vt eas ad Sancerranum clam perferendas curaret. Has Sancerranus aperit, & notis explicatis perlegit, deinde capitaneos conuocari iubet, quibus illarum ſententiam exponeret. His ſignificabatur Guiſium ad eos ſcribere, Regem, quum ſciret quanta rei frumentariæ & machinariæ penuria vrgeri inciperent, monere rationem inirent qua tam honeſtis conditionibus cum hoſte paciſcerentur, vt hominum ſaluti conſuleretur: ſubſidij quidem mittendi aut auxilij vllo pacto ferendi nullam omnino rationem ſuppetere. Iam verò Granvellanus antea literas quaſdam interceptas acceperat, quibus notarũ alphabetũ inerat, quibus Guiſius & Sancerranus mutuò inter ſe ſcripturi erant: ad has notas ſubiecto Guiſij nomine iſtas literas conſcripſerat. Sácerranus & reliqui duces quũ hunc dolum planè ignorarent, in varias ſententias initio ducebãtur. Ad extremũ quum apud ſe diuturnum laborẽ reputarent, quem milites totum ſeſquimenſem obſeſſi pertulerant, deinde omniũ iam quæ neceſſaria ſunt egeſtatẽ proximam proſpicerẽt, adeo qui dem, vt vix ſatis pulueris ſuperesſet, quo hoſtium primũ impetum, ſi denuo irruptionẽ tentarẽt, ſuſtinere poſſent: animũ Cæſaris explorandũ eſſe cenſent. Itaq; miſſo in caſtra tubicine petunt vt nobili delecto fide publica poteſtas fiat Cæſarem adeũdi: quo cõceſſo ex omnium ſententia mittitur Iacobus Caſtanereus comitis Sãcerrani legatus. Is quũ iniquas à Cæſare conditiones ferri animaduerteret, re infecta rediit: concilio ter de cõditionibus habito tandem duodecim dierum inducias conſtituuntur, quo temporis ſpatio fidei publicæ præſidio dato Regi omnia ſignificarent, rogarẽtq; nũ intra id tempus vel auxilium laturus eſſet, vel conditiones ratas habiturus: qui ſi neutrum aſſentiretur, illi in priorem ſtatum reſtituti eſſe viderentur: ſinautem conditiones Regi probari conſtaret, neque aliunde auxilium eo tempore latum eſſet, tum oppidũ Cæſar in deditionẽ caperet, abirent noſtri, equites cum armis & equis, galeati, ſignis explicatis: pedites item armati, acie inſtructa, tympani ſtrepitu: impedimenta omnia & quatuor bombardas, quas ex toto numero deligerent, cum toto apparatu abducerent.

HIC cauſam ſiquis quærat, cur obſeſſis noſtris, qui Cæſarem omnium potentiſſimum à Carolo Magno remorati ex curſu fuerant, quum ille ad oppidum imbecille, obſcurum & non alio vnquam numero habitum quàm quæ appellantur oppida plana ſeu ruſticana, cũ totis occidentalis Imperij viribus cõſediſſet, tam honorificæ atq; illuſtres conditiones ferrentur: is ſciat, Cæſarẽ Anglo omnem expoſtulãdi anſam præcidere voluiſſe: qui quum Boloniã & Montrolium obſediſſet, cauſam hanc afferebat, quãobrẽ vlterius non procederet, q; inter eos conuenerat, vt ambo nuſquã intermiſſo itinere progreſſi copias ad Lutetiã coniungerẽt, vt Regẽ illic iniquiſſima cõditione ad certamẽ cõpellerẽt, niſi coràm mallet totius Galliæ depopulationẽ ac vaſtitatẽ ſpectare. Nã Cæſarẽ alioqui q̃ magna noſtrorum egeſtas eſſet nõ fugiebat, quámq; exigua auxilij ſpe ducerẽtur, vt vel XV dierum ſpatio nõ dubitaret illos fame ad deditionẽ faciendã deſcenſuros eſſe. Verùm illud quoq; cõſiderabat, ſibi ſoli, imò vel adiunctis etiã Angli copiis, perdifficile eſſe Gallicum regnum, quẽadmodum cõſtituerant, expugnare & delere: proterea q; Delphinus exercitum recentẽ & integrum in propinquo habebat, à quo tandẽ labore & inedia attritis copiis, miſerrimè conficeretur: quæ res longè maiori detrimẽto & probro quàm Prouincialis illa expeditio futura eſſet. Quæ quum ita eſſe animaduerteret, oſtẽdere cupiebat minimè per ſe ſtare, quominus q̃ ipſi inter ſe facere decreuiſſent, reuera perficerentur: ac proinde conditiones iſtas Sandiſerianis vltrò tulit, quòd Anglum ad

Anglus quæ Cæſari pollicitus fuerat, non præſtat.

1544 se allici hac ratione posse confidebat, vt illius exercitu auctus quæ animo agitauerat exequeretur. Illud quoque è re nata monere libet, iam inde quum hæc expeditio suscipereturplurimos ex iis quorum consilio Anglus vtebatur, censuisse exercitum in Normanorum finibus exponendum esse, vt in ea re maiorum exemplum imitaretur. Quum enim triginta hominum millia haberet, si tripartito Normaniam ingressus, tria loca denis hominum millibus inuaderet, existimabant amplissimo illo ducatu (quæ prisca est Angliæ regum possessio) facilè esse potiturum, quando & latè vagari propter militum solitudinem liberè posset, & Rex multis difficultatibus implicaretur, vt totis viribus ægrè potentissimo exercitui quem Carolus ducebat, atq; eiquo Roxius & Buranus impressionem in Picardiam facerent, obsisteret. Verùm Deus Gallici regni custos ac seruator aliò eius mentem auertit, vt Montrolium & Boloniam subigere conaretur. Ea enim fuit maxima Anglorum calamitas ac propè interitus: vt facilè demòstrabũt, qui postea res Gallicas Hẽrico (qui hodie dominatum tenet) gestas literarũ monumẽtis celebrabunt. 10

Cæsar Sandiserianam deducit ac capit.

REX pactionem Sandiserianam, q̃ suo arbitrio permitti videbat, ratam habet. Itaq; oppidum in Cæsaris potestatem venit, nostri quibus dictum est cõditionibus & ordine egrediuntur. Rex quum Cæsarem secundo Matrona flumine iter cum exercitu facturũ esse prospiceret, Delphino mandat vt Catalaunum præsidio maiori, commeatu cæterisque necessariis rebus firmaret: quod quum infirmum valde esset, hominum virtute defendi oportebat: ipse ad flumen copias quammaximas & optimè instructas haberet, eaque prudentia suis rationibus prouideret, vt si hostis exercitum traducere conaretur, eum conditione sua potiore, quum dimidia pars transisset, aggrederetur: secus discrtè vetabat ne prælium committeret: rem esse nimij periculi plenam, si prælio in media Gallia superaretur, maximè quum Anglus infestus ac potens hostis a tergo immineret. Delphinus parentis mandata diligentissimè curauit & secutus est. Quum autẽ connesta blij Mommorencij (qui tum domi se continebat) maximo desiderio teneretur, cuius cõsilio magnopere vti cupiebat, a Rege summis precibus contendere cœpit, vt hominem ad se accersere eius volũtate liceret. Regi ista Delphini postulata vehementer displicuerunt, adeo tum iniqua erat in connestablium voluntate: & primariis viris qui apud Delphinum locum quendam tenebant, hac de causa valde infensus fuit. Dum Anglus Bo- 20

Angli à Gallis cõtemnuntur.

loniam & Montrolium obsidione premeret, præclara multa vtrinque facinora edebantur, vnum hoc inter cætera commemorabo. Vindocinus certior factus, Santaudomarò & Area magnam cõmeatus vim ad castra Montroliana conuehi, cum intercipere, dum agro Bolonienſi iter faceret, instituit. Quam ad rem suscipiendam profectus, nuntium, dum progreditur, accipit illic esse hostium octingentos equites & Germanos pedites mille ducentos, quatuor colubrinos mediæ magnitudinis secum ducere, quibus sicubi fortè impetus hostis sustinendus esset, se se tuerentur. Vindocinus sex millium passuum itinere magna contentione & citatis equis cõfecto, quo toto tẽpore cataphractus galeã capite & lanceã ad crus gestarat, Villabonũ, Stratæum & Aculiũ præmittit qui hostẽ prælio lacesserent: ipse suos cataphractos equites centum numero, Castaneream cum quinquaginta ex Delphini turma, & Senerpontium cum pari numero secũ ducit. Hostes cõ- 40 se quuti tanto impetu adoriuntur, vt eos statim palantes in fugam coniicerent, multi cæsi, captiui octingenti. Teroanam abducti, ex quatuor colubrinis duo: nam reliqui plaustro contracto loco moueri non potuerunt. Germanici peditatus quatuor signa militaria ablata. Ipse quidem equites Crequianos & Hellianos centum numero ad nouissimũ agmen ponè se subsistere iusserat, qui sibi subsidio essent: verùm non ita res tulit, vt illis vtendum esset.

CÆSAR vt quæ cogitauerat perficeret, Sandiserio præsidium imponit, & Vitrium Parthenorum postridie venit. Ibi per nuntios fit certior, Anglum, quicquid tãdem pollicitus esset, in animo habere, non prius copias promouere, q̃ Bolonia & Montrolia potiretur. Hæc Cæsar accuratius apud se considerat, si solus vlterius progredi pergat, suis iam & labore militari, & inedia, quam & apud Sandiserium pertulerant, & etiam tum perferebant, confectis, satis in ipsa fame difficultatis positum esse qua vinceretur, vt etiam Regius exercitus, quem florentem & fœliciter agentẽ consipicibat, non cogeret se quauis ratione è Gallia excedere. His causis permotus animũ ad obscuros sermones cœpit appellere, quos antea de pace inter se & Regẽ ineunda ab eo quẽ à cõfessionibus habebat

Gran-

Granvellano quibuſdam Regis familiaribus iniectos fuiſſe reminiſcebatur. Quaquidem de re ſibi agere licere putauit, vt nulla cum Anglo communicatio fieret, quòd & ille iam promiſſis minimè ſteteret, & eum ſuſpicabatur in poſterum, quando ſuã in locis ciſmarinis potentiam auctam videret, in pactis ineundis difficiliorem fore: quin & illud animo cernebat, cum Boloniam & Montrolium, ſi potiretur, ſibi deinceps habiturum. Hæc quum ita habere perſpiceret, illum tamen per nuntium, priuſquam ſeriò de his rebus ageret, pacti conuenti commonefacere ſtatuit, vt ad exercitus coniungendos propius accederet. Cæſar reuera iam inde quum Galliam ingrederetur, rei ſuſceptæ difficultatem in animo reputans, hos de pace ſermones obiter neque ſuo nomine prodi-
10 to ſparſerat: ſed poſtea apud ſe continuerat, eo tamen conſilio, vt illos ſibi repetendos eſſe arbitraretur, ſiquidem eò ſe neceſſitate compelli perſpiceret. Itaq; quum magnam ſuo exercitui calamitatem impendere animaduerteret, quæ de pace componenda animo conceperat, maturare atque vrgere inſtituit. Dies conſtituitur qua die delecti vtrinque conuenirent, loco quem Calciatam antea nominauimus, qui medio eſt itinere Vitrio Catalaunum contendentibus. Delecti à Rege mittuntur amiralius Annobaldus & Chemanſius procancellarius, à Cæſare Ferrandus Gonzaga & Granvellanus. Rex præterea cardinalem Bellaium, Remundum primum Rotomagenſis ſenatus præſidem, & Albo ſpinium ærarij publici ſeeretarium ad Anglum mittit. Qui vtrinque delecti erant, aliquot dies concilio habito quædam pactionum capita informare cœperunt: verùm
20 quum nihil certi conſtitutum eſſet, amiralius in caſtra reuerſus Regi quid factum eſſet ſignificat, vt ille quid fieri vellet oſtenderet.

Delecti de pace commentanb

CÆSAR interim Thinum Epiſcopium venit quatuor Catalauno paſſum millia: deinde inter oppidum & Spinam itinere facto, ad flumen Matronam duobus infra Catalaunum & quatuor à noſtris caſtris paſſuum millia caſtra facit, ſic vt flumẽ intereſſet. Quum ad ipſum oppidum exercitus iter faceret, quia ſatis conſtabat Cæſari in animo eſſe præterire, neque illud aggredi, iuuenes qui apud Niuernenſem erant, oppido egredi, vt certamine hoſtes laceſſerent inſtituunt: ſequũtur eos ferentarij. Diu & acriter velitantur, crebris prælijs multi vtrinque capti & erepti ſunt: ad extremum quum tota hoſtium exercitus moles incumberet, noſtri gradum ſiſtere coguntur. Intereunt vtrinque
30 viri fortes, ex noſtris Bordæus & Genlius minor natu, ex Aurelij ducis comitatu, piſtolis ambo icti. Sclopi ſunt minores, quorum fiſtula circiter pedem longa eſt: vnica manu vibrantur, igne rotularum celeritimo attritu excitato. Dum Cæſar eo loco quem dixi caſtra haberet, comes Gulielmus Fuſtembergus (qui ex eorum numero erat qui principes Cæſari perſuaſerant, vt iter hoc faceret, cuius ille peritiam multam ab annis ferme octo, quibus Regi militauerat, conſequutus fuerat: & quoties è Germania exercitũ adduxerat, ſecundum hoc flumen perpetuò progrediebatur) de media nocte caſtris egreditur, vno tantùm itineris duce comitatus, vt vadum quo ſe aliàs tranſiiſſe memoria tenebat, exploraret, quo totus exercitus flumen traiiceret. Ad eum locum vbi peruenit, ducem ad ripam fluminis relinquit, ipſe vadum tentat: quod perfacilè nactus pertranſit.
40 Aliquot ex Regia turma & nonnulli ex Amiraliana turma equites qui in ſtatione erant, & excubitorem non longè ab eo loco habebant, (nam excubitores ad ipſum flumẽ collocabantur) hominem deprehendunt, taciti nullo excitato tumultu ſpatium inter eum & flumen occupant: vt quum ſe recipere cogitaret, ſine vlla vi in noſtrorum manus veniret. Ad caſtra adductus agnoſcitur: Lutetiam in arcem Baſtildam mittitur, tandem redemptionis pretium triginta coronatorum millia numerauit.

CÆSAR ſuos fame laborare quum perſpiceret, quòd commeatus quoquouerſum à noſtris impediretur, Sueſſionenſi agro ſe recipere decreuit. Itaque opera monachi cuiuſdam Hiſpani ex Goſmentiana familia, (quo Cæſarianus ille cõfeſſor præcipuo
50 organo antea vſus erat) de pace cõponenda rurſum vt ageretur curat, ſic tamen, vt eos ſermones à ſe prodire diſſimularet: interim vt res frumẽtaria ſuppeditaretur, ſecũdo flumine iter facit. Ibi ſanè futurũ erat vt ad ſummam omnium rerũ inopiam redigerentur, niſi Cæſari nuntiatum fuiſſet, quendam peditum centurionem à Delphino Spernæum miſſum eſſe, qui commeatum omnem ex eo oppido educeret, pontẽ effringeret, quicquid verò frumenti, vini & cæterarum rerum auehi non poſſet, in profluentem abiiceret & deuaſtaret. Ille enim rem quum negligentius adminiſtraret, à Cæſarianis oppri-

Magna in Cæſaris caſtris ſames.

1544 mitur, qui ponte nondum diruto magnam commeatus vim nacti(quòd illic noſtris forum conſtitutum eſſet)Caſtellum Theodorici progrediuntur, vbi nõ minorem etiam copiam reperiunt: vt hac ratione exercitus fame prope confectus illic ſe recrearet. Ibi grauiſſima inter Germanos & Hiſpanos in caſtris Cæſarianis rixa oborta, vix contineri vtrinque potuerunt quin collatis ſignis pugnarent. Cauſa erat quòd Germani commeatum demenſi inſtar ſibi ab Hiſpanis præberi gratiiter ferebant. Delphinus vbi per nuntium certior factus eſt rem malè Spernæi adminiſtratam fuiſſe, vt ex ea offenſione facultas Cæſari dari videretur qua Lutetiam vſque procederet, Lorgium cum octo fere hominũ millibus & quadringentis grauis armaturæ equitibus mittit, qui, ſi opus eſſe videret, Lutetiam ingrederetur. Is Lanij ad Matronam ſubſiſtit, locum eſſe commodiſſimum ad mandata perficienda arbitratus, vt quod Lutetia decem paſſuum millia abeſt. Poſtea magnis itineribus aduerſo flumine iter occupat, & Fertam infra loarram venit, quod oppidum eſt octo paſſuum millium interuallo infra caſtrum Theodorici, ad idem flumen ſitum. Meldas inſuper magnam militum multitudinem Delphinus mittit, qui Cæſarem tranſitu prohiberent: ipſe cum exercitu Lutetiæ appropinquat, quòd vereretur ne Anglus exercitum eò promoueret. Cæſar vbi hæc omnia Delphini iuſſu perfecta eſſe cognouit, vt omnes aditus præcluſi eſſent, veritus ne in extremam famem ſuos adduceret, iter Villerium Coſterærorum conuertit, vt tranſuerſo Valeſio tractu in Sueſſionum oppidum veniret.

Rex ad pacem faciendã animum appellit.

REX interim Lutetiæ à multis ad pacem faciendam ſolicitabatur: ad quam tandẽ deduci ſe paſſus eſt, licet amittenda ſibi eſſe videret quæ proximè bello acquiſierat. His porro cauſis ad eam faciendam impulſus eſt, quòd videret pugna ſe cum Cęſarianis dimicare (quicunque tandem eſſet rei tam incertæ exitus) abſque multorum militũ iactura non poſſe: deinde ſupereſſe adhuc Angli & comitis Burani non minorem exercitũ, quibuſcum alia pugna eſſet committenda: quarum ex altera vel etiam vtraq; ſi inferior diſcederet, regni ſalutem in ſummum diſcrimen vocari: ſi ſuperior euaderet, nihil propemodum ſibi acceſſurum eſſe, maximè quod ad Anglum inſulani regni finibus circũſcriptum attinet. Ad hæc Dubetius quotidie per nuntios ſibi cibaria Montrolium mitti petebat, alioqui ſe inopia compulſum deditione hoſti oppidum traditurum. Nec verò Vervinium ea virtute & prudentia eſſe confidebat, qua ad Boloniam propugnandam opus eſſet: quibus occupatis oppidis magnus hoſti aditus in regnum patefactum eſſe intelligebat. His porro vt ſubueniret, nonniſi pace cum Carolo facta fieri non poterat. Quare amiralium properè mittit, qui ad Cæſarem in abbatiam Sãjani cognomento Vinearij in ſuburbiis Sueſſionenſibus peruenit. Vbi quum eſſet, Rex ei per nuntium ſignificat ad ſe perlatum eſſe quemadmodum Vervinius Boloniæ deditionem feciſſet, proinde de pace quamprimum conſtituenda laboraret: quippe Cæſarem fama huius rei audita, tametſi pacem fieri ex illius vſu eſſet, tamen longè iniquiores conditiones laturum. Superioribus commentariis demonſtratum eſt omnes controuerſias inter Cæſarem & Regem inde propemodum ortas eſſe, quòd Rex ducatum Mediolanenſem omni contentione repetebat. Nam viuo etiam Francisco primogenito Delphino, eam ditionem Henrico tum duci Aurelio (qui poſtea Delphinus ac porro Rex fuit) tradi poſtu lauerat, tametſi pacem fieri ex illius vſu eſſet, tamen longè iniquiores conditiones laturum. Superioribus commentariis demonſtratum eſt omnes controuerſias inter Cæſarem & Regem inde propemodum ortas eſſe, quòd Rex ducatum Mediolanenſem omni contentione repetebat. Nam viuo etiam Francisco primogenito Delphino, eam ditionem Henrico tum duci Aurelio (qui poſtea Delphinus ac porro Rex fuit) tradi poſtu lauerat, tanquam verum Aureliæ gentis patrimonium. Id verò Cæſar nunquam vt faceret adduci potuit: ſed Carolo duci Angoliſmenſi minimo natu ex Regis filiis filiam aut neptim deſpondere non recuſabat, hac lege vt ducem eum Mediolani conſtitueret. Hanc Rex conditionem non eſſe accipiendam cenſuerat, ne inter duos fratres malum aliquod diſcordiæ coniiceret, quòd minorem maiori prætuliſſe videretur. Nunc poſtquam hæc pacis cum Cæſare faciendæ occaſio rurſum oblata eſt, cuius cauſa amiralius ad eum à Rege mittebatur, illæ conditiones denuo in medium proferuntur, de Caroli Angoliſmenſis (qui tum dux Aurelius erat) matrimonio.

Pacis inter Cæſarem & Regem conditiones.

ITAQVE illic pacis conditiones ſtatuuntur, vti ipſe Cæſaris filiam aut certè eius ex fratre Romanorum Rege neptim intra biennium vxorem duceret: vtique quo tempore exacto biennio coniugium reipſa perficeretur, ei Cæſar vel Mediolani vel Flandriæ ac Belgii dominatum, vtrum tradere mallet, traderet. Vtique Rex ab omni deinceps iure atque actione in ducatu ipſo diſcederet, ac in regno etiam Neapolitano, ſiquidem Belgium filio Aurelio daretur. Vtique Sabaudo omnia quæ adempta fuerant,

reſti-

restituerentur, simulatque Aurelius alterius ditionis compos esset. Vtique dum biennij illius tempus adesset, quicquid vtrinque tum in transalpinis tum cisalpinis regionib. iam inde à Nicensis inducijs bello captum fuerat, restitueretur, omniaque pristinum statum reciperent, quo esse quum illæ induciæ fierent, constaret. Cæsar cis alpes Regi Sandisferium, Linium & Commercium restituit, Rex Yuesum, Mommedium & Landrisium. Stenæum Lotaringo duci munitionibus prius dirutis restituitur. In Italia Cæsar Monteuisium duntaxat restituit, Rex ei reddit Albam, Querassium, Antinianum, Sandamianum, Palczolium, Crescentinum, Verruam, Moncalium, Bargas, Pontem Asturæ, Lansium, Vigonem, Sassaluatorium, Sangermanum, magnam regionis Linguarũ, Marchionatus Seuiani partem, & Valpergam. Paee ad hunc modum constituta Cæsar Roxio & Burano, qui ad Montrolium cum exercitu apud ducem Northfolcum erant, mandat vt dimisso exercitu domum redirent. Ipse vt Suessione Valencenas contenderet, Nisum castrum, Crispium Laudunatum ac porro Feram ad Osiam iter facit. Quo loco illi præsto fuit Dux Aurelius, vt cum Gallici regni finibus exeuntem prosequeretur: atque vnà cum eo Ioannes Cardinalis Lotaringus, Meldonius, comes Laullius, Hunaldæus & alij, quiquidem Cæsarem velut obsides Bruxellas vsque comitati sunt, donec transalpina oppida à nostris bello capta restituerentur. Cæsar & Rex deinde Vastio & Anguiano legatis per nuntios imperant, vt pacem publico præconio euulgarent, & vterq; ab altero capta mutuò oppida restituerent. Qua in re Vastio non fuit valde laborandum, qui à Ni cenis inducijs Mondeuisium duntaxat nobis ademisset.

IAM ad Anglum redeamus, ad quem Rex cardinalem Bellaium tum miserat quũ vtrinque delecti de pace missi ad Calciatam (vti dictum est) cõuenissent. Ad eam pacem faciendam Anglus facilè poterat adduci, maximè quum Cęsarem ipsum in ea esse sententia intelligeret: verùm quoniam Vervinium Boloniæ prefectum vehementi terrore perculsum esse certò sciebat, dissimulandum sibi esse iudicabat, remq; extrahere cœpit, quòd non dubitabat quin breui suæ obsidionis exitum quem cupiebat, habiturus esset. Interim ipsum Bellaium & comites in castrum Hardelotium, vbi commodius excipererũtur, mittit. Veruinius rei militaris parum peritus (vti demonstrauimus) post vehementem & diuturnam machinarum oppugnationem hostium quoque irruptionem tentãtium impetum sustinuit. Verùm (vt ex eo ipso audiui) Philippi Corsi virtus in causa fuit vt tandiu propugnaret: qui tandem in ipso ruinæ aditu machina ex hostium castris vulneratus interijt. Vervinius tanto viro orbatus, iuuenes tantùm rerum imperitos apud se habens, ipse perterritus ad colloquium venit, resque colloquendo eò processit, vt Samblimontius, miles veteranus Dubetij signifer & Freumesellius rei machinarię prefectus egrederentur, vt Angli voluntatem cognoscerent: qui conditiones has dat, vt milites & ciues cum impedimentis abirent, oppidum cum tormentis, telis, commeatu & armis (quorum omnium ingens erat copia) sibi traderent. Ciues has conditiones accipere recusabant, imò Maior ipse oppidi qui vocatur, Vervinium alloquitur, si abire statueret, abiret sanè, se ciuium & militum qui sua sponte manere vellent, virtute fretum oppidum defendendum suscipere: sed nihil oratione sua profecit. Postero die quum deditionem fieri conuenisset, obsidibus tamen nondum datis, tanta vis impetusque venti & pluuiæ coorta est, vt in hostium castris nevnum quidem tabernaculum rectum stare, neq; quisquam pingui illius regionis solo vel progredi vel regredi posset. His tamen rebus Vervinius permoueri nequit, vt sententiam de oppido dedendo mutaret: quòd negaret se fidem hosti datam fallere vnquam velle. At fidem quam ipsi suo principi nato debebat & dederat, fallere non dubitabat: cuius etiam delicti pœnam Lutetiæ postea capite luit. Hoc sanè certò statui potest, si biduo oppidum tenuisset, hostem non fuisse potiturum: quòd & pluuia (vti diximus) omnem irrumpendi facultatem hostibus eripiebat, & Delphinus interim illuc magnis itineribus properabat, cuius aduentus Angli rationes & cõsilia perturbasset. Dum obsideretur oppidum, Santandræus maximi vir animi, quique summa apud Delphinum gratia & autoritate valebat, Boloniam se ingressurum recipit, lectissimos viros & magnum in bello vsum habentes asciscit: vt hac ratione principi suo rem gratissimam faceret, si oppidum, cuius salutem vehementer periclitari videbat, seruaret. Quumque pedestri itinere ingrediendi nulla esset facultas, ob ingentes fossas & aggeres quibus magna hostium custodia adhibebatur, nauibus rem tentare instituit: ve

Anglus Boloniam turpi deditione capit.

1544. rùm venti adeo aduersi extiterũt,& tempestas adeo sæua, vt bis vel ter ad ipsum naualis ostium progressus in altum reijceretur. Itaq; omnibus licet extremis etiam tentatis, eò redire vnde venerat cogitur.

Anglorum exercitus Montrolio dijcedit.

REX pace cum Cæsare facta, exercitum suum celeriter progredi iubet, vt hostes qui Mõtrolium obsidebant opprimeret, Anglum ad Boloniam Cæsariano exercitu destitutum vel pugnam committere vel obsidionem tollere & exercitum abducere compelleret, Boloniam ipsam denique,antequam ab Anglo communiretur, (nam valde fuisse tormentis labefactatam fama erat)reciperet. Dux Northfolcus nostrorum exercitũ Hedino appropinquare certior factus, veritus ne inter sua castra & Boloniam medium se interponeret,quò receptu prohiberetur,suos ex obsidione Mõtrolij abducit, & precibus à Burano impetrat vt sibi,dum ad locum tutum perueniret, præsidij causa comes esset. Anglus Northfolco coniuncto, quoniam se à Cæsare seiunctum Regio exercitui imparem esse videbat, Caletum se recipit, maiorum tormentorum partem è Boloniæ nauali in Angliam transportari, ducem Sombresettum quæ illo bello acquisierat tenere iubet. Is alias milordus Semerus appellabatur,eratq; reginæ frater quæ postrema Anglo nupserat, ex qua Eduardum postea regem susceperat. Delphinus nuntio accepto Montrolium obsidione liberatum esse,Anglum,quum Caletum se reciperet,præ nimia properatione magnam tormentorum partem,cibariorum & omnis apparatus ad inferiorem Boloniam reliquisse,Alcio castro profectus,superiori Bolonien si agro iter facit, & ad vicum Scutellas nomine,tum Fossa ad lęuam relicta Marcusiam peruenit. Quo loco postquam exercitum itinere fessum ad tres fere horas recreasset, profectus Boloniam antequã dilucescereret, vt constitueratur, venit. Sic enim omnia quæ illic erant, opprimi repentino aduentu posse cõfidebat, maximè quum oppidum modicis tantùm quibusdam fossis cinctum esset. Postquam nostri huc venissent, bipartito suas copias collocãt: priorem ducebat Fuxollius, qui quod constitutum fuerat exequi debebat: altera & ea maiore Taxius subsidio veniebat: posterè subsequebantur Rheti numero ad sex millia,qui in vallem abditi expectarent dum eorum opera desiderari videretur. Mihi quidem rectius facturi fuisse videntur si ad decem peditum cohortes inter vtranque Boloniam promouissent,qui hostes è superiori oppido erumpere prohibuissent: quod quidẽ haud scio an imperatum fuerit,illud scio,non fuisse perfectum. Quin & illud quoq; omitti minimè debebat,vt in Bolonię inferioris platea, dum Fuxollius rem gereret, starent quatuor vel quinque cohortes instructæ, ad quas omnibus receptus esset. Fuxollius,vti mandatum erat,locum magna vi ingreditur subsequente Taxio, hostes quoscunque obuios habent,sternunt & concidunt,nostri machinis Anglicanis & toto apparatu potiuntur. Ita se planè victores dum putant, rem statim aliter habere comperiunt. Hostes enim superiore oppido aliquot cohortibus egressi, nostros nullo ordine dispersos (vt in præda facienda fere fit)nacti in fugam conijciunt. Fuxollius dum plateam occupare ad sustinendum impetum cogitat,occiditur: Taxius pedem referens sagitta vulneratur: milites territi diffugiunt, neque vel ex fuga colligi vel vlla capitaneorum cohortatione confirmari possunt, vt paucis illis qui eruperant te aduersos opponerent: quin ipsi quoque Itali perturbati ad eum vsque locum fuga effusi peruenerunt, quo loco Rhetos collocatos esse diximus: quibus tamen non existimo tota Europa fortiores milites aut bellicosiores tum temporis reperiri potuisse. Vt vel hinc discamus, quum quid suscipere placet,diligenter prouidendum esse quicquid aduersi potest incidere, vt malum maturè anteuertatur: propterea quod fere nimium serò, imò nequicquam, vbi semel confusio incidit,remedium quæritur. Delphinus ipse omni cõtentione ad eum locum perrumpere & tantum discrimen adire conabatur, nisi à multis & cordatis viris impeditus destitisset,quòd iam diluxerat, hostes ex ipso oppido recta collimatione tormentis nostros petebant,vt sui colligendi nullam haberent facultatem, denique tanta vis erat pluuiæ, vt nostri maxima ex parte igne ad sclopos incendendos carerent, reliqui ob cæli intemperiem arma tractare nequirent. Aliquot ex nostris equitibus, dum hæc fiebãt, inter Boloniam & turrim Ordream procurrerunt: verùm se à peditibus desertos esse cõspicati,pedem referre coacti sunt.

Angli Galles ad Boloniam cedunt.

HAC clade accepta Delphinus ex omnium capitaneorum sententia exercitum Montrolium reducit. Causa fuit tum quòd imbres assidui molesti erant, tum quòd magna

gna rei frumentariæ in castris inopia erat, quandoquidem tanta celeritate iter veniendo fecerant, vt commeatus, præsertim itineribus ob pluuiæ copiam difficillimis, tam propere vehi non posset. Quibus difficultatibus effectum est, vt maxima militum pars totum triduum pane careret, & miles libenter vel vnum panem armis emeret. Accedebat quòd commeatus propius quàm Abbauilla haberi non poterat: totus enim Bolonienſis ager Mõtrolium ac porro Abbauillam vſque (quę regio triginta amplius paſſuum millia in longitudinem patet) incendio & populationibus vaſtatus erat, neque fœnum aut pabulum vllum ad alendos equos reperiri poterat. Montrolij acceptis à patre literis Heluetios & Rhetos dimittit, Dubetium cum Gallis & Italis qui ex Inſubria venerant, illic relinquit, vt Bolonienſes reprimeret, ipſe Sangermanum Layorum ad Regem venit. Anguianus etiã relicto apud Pedemontanos Termio, qui ex pacis formula loca bello parta Cæſari, cui adempta fuerant, reſtitueret, ad Regem ſe recipit, quem Mantæ biduo antequam Delphinus eò veniret, reperit. Tota hyeme nihil magni geſtum eſt: niſi quòd Dubetius collectis omnibus copijs quæ apud Picardos reliquæ erant, Porteti caſtra facit (exigui portus nomen eſt, in quem ſe piſcatores tantùm recipiunt) trecẽtorum circiter Bolonia paſſuum interuallo, ſic vt flumen intereſſet, cui à ponte lateritio nomen eſt. Cõſilium erat, ſupra eum locum Boloniam verſus ad oram maritimam caſtellum quoddam communire, quo hoſtiũ ex oppido procurſiones coercerent. Sorelius Northfolci ducis filius vt hũc hominis conatum infringeret, quicquid militum Anglus in ciſmarinis locis reliquerat, colligit, Dubetium opprimit antequam locum opere munire poſſet: vt ſe Montrolium recipere cogeretur. Quòd niſi capitaneus Villafrancus veteranorum Gallorum tribunus poſtremum agmen claudens, omnibus ſumma diligentia proſpexiſſet, non multum ab eo noſtri aberant, vt grauiter profligarentur. Viri vtrinque virtute præſtantiſſimi interierunt: ac dum noſtri recederent, duo campeſtria tormenta præ itineris ſumma ob pluuias difficultate relinquere coguntur, reliqua auehunt: Dubetius duobus Montrolio paſſuum millibus, quà iter eſt Boloniam (vt ex eo oppido commodius cibaria acciperet) caſtra ponit.

Iacobi Stvrtæ regis mors.

EODEM tempore Iacobus Scotiæ rex moritur, cuius morte regnum omni tutela nudatum videbatur. Rex vt opẽ ferret, illuc comitem Lenotum cum magna militum manu & pecuniarum vi mittit. Is ex familia erat Stuartia, demortui mareſchalli Albinij nepos, centum cataphractorum Scotorũ equitatus regij præfectus. Hunc reginæ viduæ auxilio mittit, quæ filia erat ducis Guiſij, & ex marito rege vnam filiam regni hæredem pepererat. Ille vbi in Scotiam nauigaſſet, iuuenis nulla prudentia & conſilio valens, regiam pecuniam malè profundit: cuius rei cauſa quum ſe omnibus inuiſum eſſe perſpiceret, conſilium inire cœpit quo ad Anglum tranſiret, qui eum libenter excipit, quòd illius operam ſibi vtilem fore putabat, ſuamque ex ſorore neptim in matrimonium dat: ſororem enim habuerat, quæ Iacobo quarto Scotiæ regi iſtius modò dicti patri nupſerat, quo mortuo nobili cuidã Anglo nupta, hanc de qua nunc agimus, Angli neptim pepererat. Hac defectione Rex intellecta Broſſiũ quendã Borbonienſem genere, hominẽ ſapientem & conſideratũ eò mittit, qui conſolatione & conſilio Scotiæ reginã iuuaret: non multo pòſt denique Lorgium equeſtris dignitatis virum cum exercitu mittit, qui Scotis opem ferret. Rex poſt miſſum in Scotiam auxilium Romorantinum ſe recipit, vbi ad menſem Maium ineuntem commoratur, anno 1545. Ibi quum apud ſe reputaret quàm malè regni ſui rationibus conſuleretur, ſi Anglum diutius Bolonia potiri atque adeo in Gallia augeri & inueteraſcere ſineret, omni ratione operam dare conſtituit, vt eos inde expelleret. Ita numeroſam claſſem inſtruere decreuit, cui Amiralium præficeret: eamque tam firmam eſſe voluit, vt & cum Anglis nauali prælio decertare, ſi occurreret, & in Angliam appellere poſſet, ſiquidem res ita ferre videretur. Capitaneum Pau linum (qui poſtea Baro Gardiæ dictus eſt) è Prouincia iubet viginti quinq; triremes è ſinu Gallico in oceanum occidentalem freto Gaditano traducere. Quod fieri nunquam antea conſpectum fuerat, niſi anno 1512. quum capitaneus Pregentius quatuor triremibus traiecit. Cõſtratas naues quoq; Genuenſes octo ad augendam claſſem accerſit, quæ ſerius adductę nulli vſui fuerunt: imò quũ oſtium Sequanę ingrederentur, naucle rorum imperitia magna earum pars perijt. Iubet præterea magnas terreſtres copias comparari, quæ, dum claſſis mari hoſtem ſectaretur, ad Boloniam interiecto flumine caſtrame-

Rex claſſem comparare inſtituit aduerſus Anglum.

1545. tarétur, ibiq; caſtello extructo cui hominum circiter quinque millia præſidio imponerentur: ita & Bolonienſes reprimi poſſe, ne citra flumen latius vagarentur, & ex eo caſtello(quod nimirum è regione turris Ordreæ extructum eſſet)tormentarijs ſphęris naues Anglicas prohiberi, ne auxilio hoſtibus ad portum appellerentur. Sperabat enim fore, vt medio Auguſto menſe, quum claſſis rediret, caſtellum hoc egregiè munitum eſſet: id enim illi plurimi confirmabant. Quibus confectis rebus, vniuerſo exercitu tum terreſtri tum nauali collecto ipſe expeditionem ſuſcipere cogitabat, vt relictis ad Boloniam in ſtatiuis quatuor ad ſummum hominum millibus Guineas obſeſſum iret, & captum oppidum(vi enim facilè captum iri confidebat)ita communiret, vt Caletum & agrum Oyanum cohiberet, eaque ratione Boloniam fame premeret. Verùm longè aliter tota res accidit, vt à nobis dicetur. In Germaniam quoque, vt vtrunque exercitum numeroſiorem haberet, comitem Ringrauium, tribunos Recroquium & Ludouicum mittit, qui peditatum illic conſcriberent, vt quum ſinguli iam fere bina millia haberent, ad quina tandem millia conficere conarentur. In Narbonenſem denique prouinciam & Vaſconiam mittit qui decem hominum millia ſupplemẽto ad cohortes Gallicas percicndas adducerent. Terreſtribus copijs Dubetium præficit.

REBVS hoc modo conſtitutis Romorentino profectus in Normaniam ire contendit, quòd claſſem, quum in altum ſubduceretur, ſpectare è portu Gratiano cupiebat, qui eſt ad Sequanæ oſtium. Argentano igitur iter faciens extremo Iunio Toccas venit: vbi quum triremes è mari mediterraneo profectæ conſpicerentur, ſuſpicio eius animũ ſubijit (vt qui ignarus rei eſſet) claſſem eſſe Anglicam, quæ inferiorem Normaniam ingredi, expeditionem illam ſuſceptam remoratura conaretur: ſtatim verò myoparonis cuiuſdam aduentu triremes eſſe fit certior. Paucis pòſt diebus quinque Anglorum naues ad promontorium Calletorum accedunt, quæ aliquot machinas nullo ſcopo diſplodunt: conſpectis deinde noſtrorum triremibus appropinquantibus in portum ſe recipiunt. Toccas Langæus ad Regem venit, quem ille in Campaniæ oram ad excipiendos Germanos miſerat. Nuntiat eos Maſſeriam adueniſſe, rectáque (quemadmodum ille iuſſerat) pergere, annona certis locis diſpoſita, vt Montrolium accederent. Hoc nuntio Rex accepto, quòd præcipuum exercitus robur in Germanis erat poſitum, Dubetio mandat vt ſimulatque Montrolium peruenirent, Boloniam propetaret, locum muniret quem antea deſcripſimus, ſeq; certiorem faceret quàm breui ſatis ad propugnandum munitus eſſe videretur. Foſſorum ſex aut ſeptem millia, magnum iteri plauſtrorum numerum, quibus ceſpites, faſces & cætera id genus ad opus veherẽtur, mittit. Dubetius per nuntium ſignificat, medio Auguſto opus ad propugnationem idoneum fore: quod tamen minimè præſtitit, vt conſtabit. Illius pollicitis Rex fretus de ſumma deliberat, & ad pactum tempus rerum gerendarum momenta temperat: vt ſexto Iulij die claſſem è nauali Gratiano ſoluentem ipſe è Calletorum promontorio ſpectaret. In eo numero erat prætoria nauis, in qua Amiralius pugnaturus erat (Carraconem vocabant) omnium ampliſſima & velis celerrima, quæ vnquam in Oceano conſpecta ſit, octingentorum doliorum capax. Dum illius ancoræ tolluntur, tota repente incendio corripitur, vt nulla vnquam diligentia ſeruari potuerit, quominus in cinerem redigeretur. Centum ibi erant maxima tormenta ænea, vnà cum pecunia regia, quæ tamen ex incendio erepta eſt. Plurimi quum flammam vitare ſtuderent, in mare ſe dabant præcipites: quorum non pauci ab ijs qui erant in triremibus, ſeruati ſunt. At poſteaquam ad nauis carinam ccepit deſcendere, coacti ſunt illi longiſſimè abſcedere: propterea quòd igne in machinis accenſo glandes quoquouerſum emiſſæ omnia protrudebant atq; demergebant. Claſſis conſtabat centum quinquaginta nauibus onerarijs quas conuocant, præter ſexaginta acatia & vigintiquinque triremes: quæ omnia ſimul die Iulij ſexto ex omnibus naualibus Gratiano, Evrano, Honflorio, Harflorio & Deppano in altum ſubducuntur, & velificationem inſulam Huictiam ac nauale Portenemutium verſus inſtituunt: illic enim Angli claſſis in ſtatione erat, quam noſtri prælio adoriri ſtatuerant.

Maxima totius claſſis nauis incendio abijmitur.

Duarum claſſium deſcriptio.

AD eam inſulam quum veniſſet Amiralius ipſius menſis die decimooctauo, Baronem Gardiæ cum quatuor triremibus præmittit, quem inſulam ad Helenes iſthmum vſque explorare & hoſtium geſtum habitumque pertentare iubet. Iſthmus ille procurrit ad ingreſſum freti quo inſula hæc ab Anglia diuiditur, è regione Portemutij. Hoſtium claſſis

classis erat sexaginta naujum lectarum & ad pugnam egregiè instructarum: ex quo numero quatuordecim velis passis è portu contentissimo cursu egrediuntur, tam decenti ordine vt quiuis facilè suspicaretur, consulto ad nostrorum impetum sustinendum sic fu isse instructas.

AMIRALIVS cum reliquis triremibus illis obuiam proceditilli verò vniuersa classe progrediuntur. Tum multis vtrinque diuisplosis machinis hostes læuam versus oram legentes cœperunt elabi, tuti hinc castellis quę locis in litore editis ædificata erãt, illinc scopulis qui sub aqua non conspicui iter obsident, vt angustus paucis nauibus itinere obliquo aditus pateat. Hoc Anglorum regressu & noctis interuentu prælium dirimitur, vt nullam insignem iacturam feciisse videremus. Triremibus ad isthmum Helenes reductis Amiralio nuntiatur primariam nauem, quam ille consensurus erat, quæque totius classis erat præstantissima, pessum ire, neque vllam superesse spem nisi vt hominum saluti prospiceretur, & pecunia regia, quæ militibus numeranda erat, eriperetur. Tanti detrimenti causam fuisse putant, quòd quum è portu subduceretur, illisa cœpisset rimas agere, & carinæ materia ictus vehementia succussa, assetibusque diffluxis, stuppa illic infarta aqua imbueretur: ac postridie vento flante humido nauis agitata tantam aquę copiam influentem hauriret, vt exinaniri, quantumuis magna adhiberetur diligentia, non posset.

Galli nauali prælio superati.

HOC nuntio Amiralius accepto eò celeriter venit, vt tum hominibus tum pecuniis opem ferret. Reperit Malleræum proamiralium eam adhibuisse diligentiam vt exoneratam nauem in portum reduci iuberet, vt illic reficeretur. Amiralius alia naui delecta prætoria, in qua ipse pugnaret, de classe in posterum diem ad certamen instruenda cœpit statuere. Nauem prætoriam in fronte collocat, cui triginta alias lectas attribuit: Buterium ad dextrum cornu cum triginta sex nauibus, Baronem Curtonium cum totidem numero ad lævum consistere iubet. Et quoniam locus maximam hostibus opportunitatem dabat, ad eos inde educendos statuit vt triremes ad eos prima luce, vbi in ancoris erant, accederent, eosque quã possent maxima vi machinis impeterent, ac sensim se ad classem reciperent, vt ea ratione ad pugnam illos ex freto in apertum mare elicerent. Res audacissimè perficitur: verùm tempestatis repentina commutatio ita periculum ex aliis in alios conuertit, vix vt diiudicari posset, vtris tantulo temporis spatio fortuna magis fauisse videretur.

ETENIM matutinis horis tranquillo mari, quum neque venti neque æstus vlla esset fœuitia, triremes nostræ facilè regi atque duci poterant, hostibusque, qui nulla venti aura spirante loco se mouere non poterãt, maximè nocebant. Sic enim nostrorum machinis expositæ manebant eorum naues, quas eo facilius attingebant, quòd illæ nostris sunt editiores & vastiores, triremes verò remorum vsu periculum declinare & in locum commodiorem cursu elabi poterant. Hac ratione vnius horæ spatio & eo amplius pugnatum est maximo hostium detrimento, quorum vna ex præcipuis nauibus, Mariosa nomine, glandibus pertusa deprimitur: ex hominibus ferè sexcentis numero vix triginta quinque euadũt: prætoria eorum natis qua vehebatur Amiralius, cui Henrici magni nomen erat, ita circumuenientibus nostris iactata est, vt eundem videretur exitum habitura, nisi proximæ naues auxilio adolassent. Alia multo maiora detrimenta erant accepturi, nisi ea quam dixi tempestatis commutatio accidisset, quæ non solùm illos præsenti periculo exemit, sed etiam illis aduersus nos mirificè fauit, exorto duntaxat è continenti vento, quo vna cum æstus fluxu eorum naues passis velis in nos ferebãtur. Quæquidem mutatio adeo repentina extitit, vt ægrè nostris otium & facultas ad conuertendas proras daretur. Etenim mari tranquillo quum in ipso conflictus ardore triremes proximè accessissent, subitò naues tanta vi in eas ferri cœperunt, vt penè incumbentes sua mole eas depressuræ viderentur, nisi animi præsentia qua valebant duces, agilitate atque peritia nautarum & remigum, incredibilis celeritas triremibus ad torquendas proras ilico allata fuisset.

HAC ratione nostri circumactis triremibus, temporis puncto ad machinæ iactum summa velocitate velis & remis ab hostib. auulsi, lentius regredi cœperunt, vt eos è locis illis scopulosis ac difficilibus (vt sibi mandatũ esse meminerant) in latũ æquor elicerent. Est genus quoddã nauiũ quo hostes vtebantur, quę forma sunt oblõga, multo triremib.

angustiores,quò facilius eas circunducant quò velint, etiam sæuiente æstu, qui multus est in eo mari. Quo in genere nauium gubernando tantam sibi peritiam longo vsu pepererunt,vt cum triremibus de celeritate contendant: cuiusmodi naues Rambergas illi appellant. Aliquot eius generis habebant quùm nostri se reciperent, quibus incredibili velocitate triremium nostrarum puppim vrgebant, & machinis mirum in modum instantes negotium facessebant. Neque verò illis resisti vllo pacto poterat, quòd auersæ puppes machinas non haberent, vt si pugnare nostri conarentur, obuertenda omnino aduersa prora esset ad eos adoriendos: quod sine certissimo eorum interitu fieri non poterat, qui dum ad pugnandum ita trirememtorquerent, hostibus tempus præbituri erant quo passis velis rapidissimo nauium impetu triremes obruerent. Prior tamen Capuanus Petri Strossij frater rei indignitatem non ferens,suæ triremis celeritate fretus,in nauem illius generis quandam,quę cæteras cursu anteibat,& vnius triremis puppim pene assequuta erat,aduersus impetum facit. Hostes breuitate nauigij citò elapsi cursum ad suos auertunt, ab eoq; tempore nostros sequi destiterunt. Amiralius interim in prætoria naui totam classem quo suprà diximus ordine ad prælium instruxerat, iamque signo dato progressurus erat,nisi hostes consp exissetperfequi desijsse,ac munitiones versus cursum tenere. Ex quo prorsus hoc esse illorum consilium intellexit,vt putarent nos nostris viribus cõfisos temere in locum iniquiorem progressuros esse, illos verò nostris triremibus regredientibus tantisper à tergo instare decreuisse,dum nullo discrimine id facere possent, vt tandem nos in breuia & scopulos allicerent. In eo conflictu remiges aliquot & milites gregarios amisimus,nemo quidem qui paulo maiore loco haberetur, interijt.

Galli Anglis ingrediuntur.

AMIRALIVS hostium mẽte perspecta,alia eos ratione ad pugnam allicere statuit. Anglum quum audijsset Protemutium venisse,existimauit,si expositis militibus regionem in eius oculis popularetur atque vastaret, homines in ipsius tantumnõ complexu interficeret, illum iniuriæ atrocitate, cædisque ciuium atque patriæ vastationis commiseratione tandem commotum classem ad subsidium ferendum missurum esse, maximè quum à nostris non longius gemino bombardæ iactu abesset: sin minus de suis iuuãdis cogitaret,ciues indignè ferentes principis præsentiam nulli sibi præsidio esse, turbarum aliquid tandem moturos. Quamobrem descensionem tripartito ad hostium vires distinendas, eodem temporis vestigio fieri iubet. Strossius ad exiguum castrum properat, vbi hostes aliquot machinis triremes nostras à latere aperto petebant: eò se pedites incolæ non magno numero receperant. Qui conspecta nostrorum audacia locum deserunt, & fuga in syluas cæduas ad regionem interiorem se abdunt: quorum nonnulli à nostris insequentibus interficiuntur,ædificia vicinis locis incenduntur. Alium locum petunt Taxius peditatus vniuersi tribunus,& Baro Gardiæ trierarcha. Hi neminem descendentes obuium nacti vlterius procedunt, vt regionis situm accuratè explorarent: neque multum progressi reperiunt peditum aliquot cohortes,qui occultis & cæcis itineribus per syluas coacti,loco quem ad dimicandum opportunum delegerãt freti,nostros accedentes excipiunt,nonnullosque vulnerãt, in quibus Monnino manus sagitta traijcitur. Postea reliquos ex nostris instructo agmine procedentes conspicati loco excedunt,palantesque quibus venerant itineribus fugæ se mandant: quos insequi nisi turbatis ordinibus propter itinerum angustias nostri non poterant. Tertio loco descendunt Marsaius & Petrobonus triremium centuriones, qui ambo cum Anglis illic occurrẽtibus pugnantes vulnerantur. Reliqui ex nostris interim in nauibus morabantur, dum exeundi signum Amiralius daret: ex quibus non paucì incendium tota regione & litora defensoribus nudata conspicati, absque imperatoris iussu procul,ne ab eo prohiberentur, taciti appellunt, & nullo duce cuius autoritate in officio continerentur, liberius & minus considerate vagantur, montem editum, qui totam insulæ Huictiæ latitudinem transuersam dirimit, occupant: ibi ab equitibus & peditibus Anglis magno impetu irruentibus partim interficiuntur,partim capiuntur, reliqui dispersi insequentibus hostibus, ad montis vsque radices mari propinquas decurrunt. Tum nostrorum acie freti, fossamque ac sepem nacti aduersos se hostibus insequentibus conuertunt. Nonnulli ex ijs qui in nauibus erant, scaphis celeriter eis auxilio nauigant: vnde redintegratis viribus & animis in montem denuo subeunt, hostes in fugam se cõijciunt, qui procul fugientes

entes,riuo transmisso pontem diruunt,ne à nostris longius premerentur:ibique supplementum præstolantes consistunt. Hæc re Amiralius intellecta, veritus ne milites nullo duce palantes ab hostibus circumuenirentur, Taxium iubet ad eos reuocandos illuc prodire:quod ille statim perfecit.

AMIRALIVS vbi videt nulla ratione hostes ad pugnam allici posse, postridie eos ipsa in statione aggredi constituit, eoque consilio concionem publicam aduocat nauclerorum,nautarum & centurionum,a quibus loci situm ingeniumque disceret,& qua tandem ratione scopulorum illis difficultatibus occurri posse videretur: nos & nauium multitudine & militū numero hostibus longè esse superiores,ex hac victoria(quā pene in manibus haberet,si modò illuc peruenienti vlla ratio posset inirī) maximam vtilitatem ad Regem &regnū peruenturam esse. Ipsorum quidem centurionum & militum voluntas ad prælium egregiè erat comparata:sed loci incommoditas tantum discrī minis afferebat, vt nauicleri & rei maritimæ præfecti omnino negarent illud sine manifesto exitio posse penetrari. Ostendebant freto ingrediendum esse, quod non latius quàm vt quaternis nauibus aditus daretur, patet,quē hostis pari nauium numero facilè prohibiturus esset:præterea naues venti tantùm impulsu & aquę fluxu illuc ferri,ita quū quatuor primò ingressæ in conflictu essent, reliquas ponè sequentes fluxus impetu interuenturas esse, à quibus illæ effringerentur. Huc etiam accedere, quòd hostes proximè continentem pugnaturi essent,vnde machinarum glandibus iuuarentur,nostri contrà læderentur.

QVÆ causæ si minus idoneæ reperirentur, hoc quidem certò statuendum esse,si naues implicitæ semel permiscerentur,fluxus vi factum iri vt in litus aceruatim aliæ alijs superiectæ eijcerentur. Ibi sermone iniecto vt in anchoris pugnaretur, subijciunt naucleri fieri facilè posse vt rudentes absciderentur: quod vt etiam minus fieret,nihilo leuius fore periculum:eam enim esse fluxus naturam, vt ad se proram perpetuò conuerti cogat,sicque hostibus necessariò puppis aduersa obijceretur,quum prora aut certè latus obuerti debeat. Addebant denique,deiectis anchoris non esse tamen futurum, vt naues statim sisterentur,quòd tanto ferantur impetu,vt si vis fieret, vel pessum irent, vel ancoras aut rudentes disrumperent. Ita sensim rudentes adducendos esse,vt nauis cursus coerceatur:porro hac ratione in littus impactas rimis actis perituras esse. Harum rationum tanta videbantur momenta,vt contradici minimè posset. Amiralius tamen quòd existimabat naucleros præ metu rei difficultatem verbis amplificare, licet eos sibi constare perspiceret,non aliter potuit animum explere, quàm si freti altitudinem & latitudinem explorari iuberet, ac denique quàm commodus esset hosti intimus sinus. Tres naucleros cum totidem militum centurionibus ad rem perficiendam mittit, qui totam noctem omnia accuratè tentarent.

MANE reuersi idē renuntiant quod suprà ostensum est, illud insuper addentes freti aditum non rectū esse,sed sinuosum & ad hostium classem vergere, vt nauis externa ægrè illuc absque nauclero etiam nulla prælij suspicione penetrare posse videretur. Res ad cōcilium refertur, disceptaturq; vtrum fieri satius esset, & ad Regis rationes magis accommodatum,ex eo loco soluerent,ac in Picardiæ oram nauigarent,an insulam Huic iam communirent,id quod Anglo sanè maximè incommodum foret. Qui hoc potius faciendum esse censebant,his potissimùm rationibus in hanc sententiam deducebātur, hac insula occupata facile Portemutio nostros potituros esse, qui commodissimus & præstantissimus est totius Angliæ portus: vnde infiniti sumptus hostibus essent sustinendi,qui exercitū terra & mari continenter alere cogerentur, vt nostris pares esse possent. Præterea nauigationem ab Hispania in Flandriam in nostro arbitrio fore: deniq; insulam ipsam procedente tempore cultu & industria ferendis frugibus idoneam reddi posse,vt inde milites alerentur qui Regis iussu in ea præsidium haberent.

De Huicthiana insula occupida & commienda deliberatio instituitur.

MAGNÆ videbantur profecto illæ vtilitates:verùm ab alijs difficultates longè maiores obijciebantur:principiò,qui locus operi faciendo aptissimus esse videbatur, eum esse forma semicirculi,atque adeo ex Taxij & Sarremigij sententia aliorumque qui huius rei peritiam habere videbantur, eodem tempore tria castella extruenda esse, duo in vtroque cornu,quæ nostris nauigantibus & ipsis nauibus in statione præsidio essent, tertium ad cōuexū semicirculi sinum,vbi milites collocarētur:hoc & maxima impensa

1545. egere, nec posse breuiori quàm trimestri tempore absolui, etiam vt tria fossorum millia adhiberentur, deinde non minorem militum numerum quàm ad sex millia præsidio relinqui debere, vtpote loco fere Angliæ intimo: id verò nulla ratione præstari posse, si quidem classem armatam seruare liberet. Præterea exercitum nefas esse prius illinc discedere, quàm castella ad propugnationem idonea reddita essent: commorandi autem nullam esse facultatem, quibus nullus esset aduersus ventorum sæuitiam & impetum portus, neque magna satis cibariorum copia suppeteret: deinde appetente autumno (quæ pars anni ventis & imbribus incommoda est) neque naues illic tutò futuras, neque milites qui insulam tenerent, cœli iniuriæ ferendæ pares fore, qui nec ædes nec tabernacula nec aliud quo tegerentur haberent. His difficultatibus consideratis, alij à sententia deducuntur, resq; in aliud tempus reijcitur, dum Rex quid sentiret, nuntiari iuberet. Equidem cum bona Taxii & Sarremigij venia affirmare non dubitem, quum Rex quietem Galliæ ab hoste Anglo conciliare in primis cuperet, eam tum tantæ rei perficiendæ facultatem fuisse oblatam, quæ vix postea ad multos annos dabitur. Verùm Deus omnia suo arbitratu moderatur.

NOSTRI interim triremes aqua recenti instruunt, vt vesperi Darvernum velifico cursu contenderent, insulam Huictiam præternauigantes, ac deinde Boloniam transfretarent. Locus insulæ commodissimus vnde aqua sumebatur, subiectus est mons ti qui latus oppositum portui Gratiano obtendit. Huc quum venisset eques Ausc ius, Prouincialis, triremium in Normania ædificatarum præfectus, ne aquari prohiberetur, neue milites improuiso hostium aduentu occupati opprimerentur, naui egressus stationem militum collocat, quòd speculatori nõ satis confideret: quo relicto vnà cum alijs multis, ipse in summum montis iugum, vt certius adhuc specularetur, euadit. Illic in Anglorum insidias delapsus, à suis desertus (qui hostium impetu territi sui colligendi facultatem nõ habuerunt, & fugæ se repentè mandarunt) sagitta ad genu ictus cadit, deinde quum assurgere conaretur, tragula in caput tã grauiter vulneratur, vt casside ictus vehementia excussa saucius in terram rursus procumberet: vbi geminato ictu cerebro humi sparso moritur. Cuius mors non paruo Regi detrimento fuit, vtqui singulari animi magnitudine & plurimo rerum vsu polleret. Eum quum nonnulli ex hostibus armis exuerent, alij nostros insequi pergunt, qui non prius ex fuga se titerunt, quàm ad litus venirent. Hac re Amiralius intellecta, Taxium mittit, qui dispersos colligeret, atque in vicinis ædificijs consistere iuberet, ne aquatores prohiberentur. Eò quum accederet, strenui quidam milites quos adducebat cum alijs qui aquatoribus præsidio erant, agmine facto in hostes properant, eosque in montem repellunt, neque plus damni nostris illatum est. Priorem Capuanum alibi hostes adoriuntur, sed fortib. viris comitatus, omni bus tanta prudentia prosperexerat, vt amplius triginta cæsis reliquos in fugam conijceret.

AMIRALIVS sub vesperum se recipit, postridie ex eo loco soluit, sic tamen vt ipse cum triremibus apud notissimos esset, vt hostes, siquam facerent eruptionem, sustineret. Classem adeo secundus ventus propellit, vt prius Valseum fere triginta ab Huictia passuum millia perueniret, quàm triremes eam à tergo consequerẽtur. Locus hic aperta planicie amœnus nostris adeo arrisit, vt multorum animos cupiditas descendendi occuparet, idque nullo imperatoris iussu, nulloque ordine. Longius à litore progressi vicum, quem remoto loco conspiciebant, prædæ spe inuitati adeunt. At hostes eos iuxta riuum, cuius magna erat propter æstus accessum altitudo, accedentes præstolabantur, ac nostrorum partem quandam assseribus iniectis transijsse conspicati, repente ex castello, vbi in insidijs latebant, prosiliunt, ac ponte effracto, vt reliquos intercluderent, eos qui transierant tanta vi adoriuntur, vt in fugam statim se darent. Quum ad riuum fugiendo ventum est, alij aquæ impetu abrepti submerguntur, alii qui nando aquę vim infringere poterant, suorum ope, qui ab vlteriore ripa sclopis hostes submouebant, salui & incolumes euadunt.

Galli aliquot ab Anglicesse.

AMIRALIVS interim cum triremibus accedit, qui bombardis hostes castello cedere cogit, atque ita suos ad se recipit. Sub vesperum velificationem versus Album promontorium instituit, Riam præternauigans non procul Darverno, Boloniam nauigat, ibiq; classem commeatu recenti sustentat. Ad Portetum non longè Bolonia quatuor hominum millia & fossorum tria exponit, quibus exercitum terrestrem augeret, sic tamen

tamen vt satis multi nihilo secius in classe remanerent. Ex quo manifestè perspici potest quod suprà docui, insulam Huictiam facilè à nostris teneri & communiri potuisse, si illam pari hominum multitudine occupari placuisset, dum supplementum mitteretur: nam cibaria quidem ad mensis spatium, & eo amplius, illis relinqui potuisse ipse ab annonæ præfectis audiui. Quum Bolonia profecisceremur, auster spirare cœpit, vt ad locum quę rendum vbi tutò essemus, cursu mutato Angliam versus nauigare cogeremur. Postquam ad locum peruenimus quē Perræsum appellant, illic & venti vehementia & fluctuum sæuitia detinemur, vt classis profligandæ non paruam facultatem sibi tum datam esse Anglus putaret. Qua quum vti decreuisset, nihil diligentiæ prætermittendum sibi esse censet, vt classem suam in altum subduceret (hæc centum firmis nauibus constabat) vt tempestate tam secunda sibique adeo opitulante inflatis velis nos adoriretur. Quam in sententiam hæc quoq; præter cæteras rario eũ deducebat, quòd ventorum & maris impetu triremium nobis nullum fore vsum prospiceret, quumq; ad prælium classem instructam produceret, eò nos adactum iri, vt vel nulla pugnandi facultate in litus impingeremus certissimo internecionis periculo, vel fretum Caletense adiremus, nullo scilicet ordine, atque adeo non citra graue periculum. Anglus classem regiam aduersi parat.

Vtrunque Anglo perfacile esse videbatur. Siue enim tantisper in ancoris esse mallenus, dum illi ad nos accederent, vt tum demum ancoras tolleremus, ibi & maris & venti vehementia (quibus illi secundis rapidissimo in nos cursu ferebantur) in ipsam continentem classis illisa frangeretur: siue non expectandus esse illorum aduentus videretur, futurum erat vt nos dispersos offenderent, vt qui metu tempestatis coniungere naues non auderemus: hacque conditione multo superiores nos adorti facilè profligarent. Iam verò si vt his periculis obuiam iretur, eorum aduentum anteuertere ac maturè soluere placeret, tum vẽti nos in Flandriam vel inuitos propulsuri erant, vt fretum transire cogeremur, quo postea, quum reuerti conaremur, hostes nos arcerent. Ad quas difficultates hæc quoque accedebat, quòd si aduersis ventis diutius fortè illic hærendum nobis esset, in rei frumentariæ penuriam incideremus: interim porro hostes, qui Boloniam ad nos reditu prohibendos nauigarent, munitionum opus, quod illic à Rege fieri iubebatur, impediturі essent. His omnibus malis quum amiralius omni ratione mederi studeret, res ipsa tam præsens remedium flagitabat, quàm graue erat periculum: quandoquidem Flander quidam nocte superiore fuga ab illis elapsus affirmabat eo ipso, aut certè postero die, illorum classem appropinquaturam.

Amiralivs his omnibus consideratis rebus, ex communi ducum sententia statuit, in commutatione æstus, siquidem ventus quoque vel mutaret vel omnino poneret, sublatis ancoris soluendum esse, vt cursum perpetuò hostes versus teneremus, vt cũ eis aperto æquoreventoq; secundo vtentes dimicaremus: sinautem temporis ratio longiorem moram inijceret, faciendum censet vt triremes ad lingulam quandam proximam secederent, quę ab eis ventum arceret, naues onerariæ quo constiterant loco, puppibus continentem spectantibus manerent, constratæ denique naues paulo infrà ad prælium instructæ starent. Idque eo consilio vt hostibus, quum nos adoriri conarentur, in triremium conspectu transeundum esset, quæ hae quidem ratione vento superiores illi essent. Quòd si vt hoc deuitarent malum, in ipsas triremes impetum facere constituerent, id verò nullo pacto facere poterant, quòd propter minimam maris altitudinem, ne breuissimæ quidem naues eò accedere possent, quin vado impingerent. Præterea tantulum spatiũ inter triremes & reliquam classem intererat, vt illi non solùm triremes prætergrederentur, verùm etiam fluxus rapiditate vltra ipsas naues fortasse ferrentur. Rebus ad hunc modum constitutis, æstus commutationem in ancoris expectamus, siquid fortè tempus afferret.

Tempestatis, eandem sæuitiam experti in diem sequentem morari cogimur: quòd die tanta vento mutato extitisset malacia, vt confestim soluere & in eam partem nauigare contenderemus, vbi hostem esse audiebamus. Ea tranquillitas adeo sensim augebatur, vt meridiano tempore nihil magis optaremus, quàm eos nobis in conspectum quam primum dari, qui se aduersus nos venire velle gloriabantur. Quo temporis articulo conspectis procul aliquot velis, triremes nostræ ilico prouolant, vt quinam essent explorarent: hos esse Flandros reperiunt, qui hostiũ etiam classem nõ longè

1545. abesse nuntiant. Hoc nuntio amiralius accepto nauem rotundam ingreditur, qua cum Angliæ amiralio congredi in animo habebat: triremes præire iubet vt de hostium aduentu certius cognoscerent, ipse quàm potest celerrimè cum nauibus subsequitur. Triremes prima luce in hostium cõspectum veniunt: sed tanta erat malaciæ quies, vt naues vento destitutæ non plus itinetis conficere possent, quàm fluxus vi propellebantur.

HOSTES triremibus nostris conspectis, ne mari adeo tranquillo inter eas & reliquam classem interciperentur, omni conatu vento secundo vti contendebant, quo & nostræ triremes vicissim potiri enitebantur. His rebus fiebat vt ambę classes totum propediem adnauigando remigarent, adeo quidem propinquæ, vt de nauium numero & magnitudine facilè iudicari posset. Qua quidem in nauigatione hostes velle congredi præ se ferebant, sic tamen vt à continenti sua non longè discederent. Ad extremum quũ nostros ventum secundum obtinuisse, & optimè instructa classe omni dissimulatione posita infestos occurrere perspicerent, velis in altum datis insulam Huictiam cursu petunt. Hac re Baro Gardiæ animaduersa, vt eos moraretur, nostrisque nauibus accedendi tempus præberet, nouissimas quasdam ex nauibus à tergo adoriri instituit, quæ grauitate reliquas consequi prohibebantur: sic enim totam illorũ classem de celeritate aliquid remissuram. Aura statim increbescere cœpit, non tamen vt procellam vllam excitaret: quo effectum est vt seruatis ordinibus recipiendi sui facultatem haberent. Neque tamen breuior quàm ad duarum horarum spatium pugna fuit, adeo quidem admotis nauibus vt nostræ bombardę vix possent displodi. Illi quidem toto conatu in nostros irruebant: verùm triremes nostræ sua humilitate illorum machinis minus obnoxię erant. Acriter dimicatum est, vt postridie mane multa in mari cadauera & tabularũ fragmenta conspicerentur, & glandes vtrinque amplius trecentas emissas esse constaret. Postero die manè missi exploratores comperiunt eos in locum tutum recessisse. Itaque amiralius in portum Gratianum vela facit, vt exercitum recrearet, & ægrotos (quorum non parua erat multitudo) exponeret. Maximæ naues hunc portum tenent: ipse triremem conscendit, qua Deppam die Augusti decimosexto venit, quòd Regem Arquijs, quatuor inde passuum millia, esse per nuntium intellexerat.

Dubetius munitiones non promouit, vt polliceitur fuerat.

HOC ipsum nimirum tempus erat quo Dubetius (vt suprà demonstrauimus) Regi futurum receperat, castelli illius opus quod ad Boloniam extruebatur, ad propugnandum idoneum fore. Postquam igitur ea dies venit, Rex quòd Guineanam expeditionẽ suscipere cogitaret, de qua diximus, Langæum in castra ad Boloniam equis veredarijs mittit, qui opus inspiceret, & quàm promotum esset renuntiaret. Ille haud multo plus processisse comperit quàm octauo die quàm inchoatum fuisset. Principiò non erat ad eas angustias locatum vbi esse debere placuerat, vt è regione turris Ordreę positum portus aditum impediret: sed in loco cui Vltraquio nomen erat, fundatum, Boloniam inferiorem aduersam spectabat, vt nihil omnino portum adituris obesset. Causas afferebat Dubetius cur locum alium delegisset, quòd illic aquam deesse multis nuntiantibus intellexisset: deinde milites ventorum iniuriæ obnoxios ægrè moraturos esse. Enimuero fidem habebat Italo cuidam Antonio Melloni, quem munitionum atque adeo totius rei belliceæ peritissimum existimabat. Is dimensionum rationem non tenens, opus pentagoni figura ex quinque propugnaculis compositum descripserat: deinde quò maturius idoneum ad propugnationem esset, fossas tum propugnaculorum tum brachiorũ quadraginta pedes latas octo decim altas duxerat, eo consilio vt quoniam nullus vsquã mons extabat qui illud despiceret, exiguum aliquem neque valde editum aggerem excitaret (cuiusmodi parapetta appellant) quo miles tegeretur. Perfectis fossis & egesta terra intrò coniecta, qua ille agger fieret, vt iam fasces tantùm & cespites deesse videretur, repertum est illum in metiendo hallucinatum fuisse, vt qui interiora fossarum intervalla ad fundum eo modulo descripsisset, qui ad labrum erat adhibendus, neque statuminandi rationem animo tenuisset. Qua incogitantia factum est, vt ob breuiores dimensiones, propugnaculorum ea fuerit angustia, vt nusquam collocandæ machinæ locus extaret: atque adeo totum operis interius spatium vix quingentos milites caperet. Itaque fossæ complendæ fuerunt, terramque qua complebantur, quoniam emota erat, vincire necesse fuit infarciendis virgultis & pangendis crassissimis quercubus: quam ad rem perficiendam maxima pars quercuum sylvæ Hardelotæ, quæ tribus passuum millibus

bus illinc abeſt, cæſa eſt, & plauſtra omnia tum quibus machinæ vehebantur tum alia adhibita ſunt, deniq; totum illud duorum propè mẽſium opus inutile fuit, vt tempus & ſumptus oleo & opera perditis nequicquam conſtitiſſent. Langæus omnia Regi Senerponti renuntiat: quò poſtridie Sangermanus quidam Vaſco à Dubetio miſſus venit, qui Regi perſuadere conabatur opus octo diebus abſolutum iri. Huius verbis Rex facilè fidem habet, quòd à prorege & Galliæ mareſchallo nuntius miſſus eſſet: ſtatimq; abbatiã nomine Syluam monaſterienſem proficiſcitur, vnde Langæum rurſus in caſtra mittit, eum dies octo morari iubet, & ſingulis dieb. videre quantũ promoueretur & ſurgeret tũ brachiorum tum propugnaculorum opus: vt hac ratione intelligeretur quando tandem Rex exercitu ſuo ad aliam rem quam animo agitabat, vti poſſet. Is porro exercitus duodecim millibus peditum Germanorum, totidem Gallorum, Italorum ſex, legionariorum quatuor, amplius mille equitibus cataphractis, & ferentarijs octingentis conſtabat.

LANGÆVS in conuentu primariorum belli ducum (quales erant Rupemenius, Guichius, Strateus, Villabonus, Hellius, Briſſacus ferentariorum equitum magiſter, Rin grauius & cæteri) Dubetio mãdata Regis exponit. Ille ſubijcit ad ſe perlatum eſſe quem admodum hoſtes exercitum Caleti cogerent, vt Bolonienſib. auxilium terreſtri itinere ferrent, quos re frumentaria ſummopere laborare dictitabat, quo circa ſtatuiſſe ſe exercitum flumen traducere, relictis quatuor hominum millib. qui in opere eſſent, ad Montilambertum caſtra facere vbi hoſtibus occurreret, & prælium committeret, ſi ſuis ſubſidio venire conarentur. Plurimis capitaneis non fiebat veriſimile, Anglum velle terreſtri pugna cum periculo dimicare (quo multis partib. eramus ſuperiores) vt oppidum re frumẽtaria iuuaret, quòd in oculis noſtri exercitus turò nauib. quotidie cõmeatũ impor tabat, vna naui maiora multo quàm ſexcentis plauſtris onera vehi. Quę quum ita eſſent, minimè omnium probabant, vt relicto opere flumen traijceretur, præſertim quum illa exercitus, pfectione opus admodum retardaretur, præter Regis voluntatẽ & imperiũ. Etenim caſtris ex eo loco motis tolli dicebant eã cõmoditatem munitionis accelerãdæ, q; milites tũ Galli, Itali tum Germani, ad quatuor ferè millia continenter erant in opere, quingenti pterea calones tormentarij: quos omnes abeſſe oporteret, & hos in machinis occupari, illos in caſtris præſto eſſe: deniq; quingentos etiam equos machinis vehendis deſtinatos abducendos eſſe, qui faſces & ceſpites perpetuò ſuppeditabãt. Verùm ſurdo canebatur fabula: quum enim in illo concilio nihil ea de re ſtatuiſſet, poſtero tamen die Villabonum prima luce præmittit, qui pontem lateritium ad machinas & copias traducendas reficeret, & Momtilambertum contendit, neipſo quidem Stratæo monito, qui tamen vnà cum Villabono caſtrorum præfectus erat, id adeo quoniam hanc ſentẽtiam ei minimè probari intelligebat. Vt tamen apertè quod ſentio dicam, eum puto per inſolentiam iſta omnia feciſſe, q; in ordinem ſe coactum vllo pacto videri nollet: nam & ipſe remotis arbitris hæc à Regis ſententia diſcrepare docui, ſed nihil mea oratione profeci. Quin & ipſum Regem me audiuiſſe memini, quum diceret Dubetium non optare Boloniã receptã eſſe, ne ſummo illo gradu excideret, ad quẽ illum extulerat, vt in tãto exercitu atq; adeo apud principes ipſos ſummã imperij obtineret. Poſtquam in aula rumor peterebuit Dubetium cum hoſte præliũ cõmiſſurum eſſe, omnes qui apud Regẽ erant patricij iuuenes, ex aula alij à Rege dimiſſi, alij venia non accepta vt prælio intereſſent, proficiſcũtur: in his erant Anguianus, Aumalius. Niuernenſis, comes Lauallius, Trimollius, cũ alijs, qui Montilambertũ veniunt. Aumalius in primã aciẽ ſe cõfert, cui Briſſacus præerat. Locus hic tãtulum abeſt Bolonia, vt vtrinq; emiſſæ glandes ad oppidũ & caſtra accident: ibi quotidianis prælijs dimicabatur, quib. vtriq; & illatis & acceptis vulneribus interimebãtur. Rex interim in abbatia quã ſuprà diximus morabatur, viginti paſſuum Bolonia millib. quà Abbauilla Mõtrolium iter eſt. Ibi aliquot dierum interiecto ſpatio Aurelius Regis minor natu filius, ætatis anno tertio & vicesimo, in febrem continentem incidit, quam medici peſtilentem eſſe arbitrabantur, qua etiam, humana ope deſperata, octauo Septemb. die moritur anno 1545. Quæ res patri non paruum mœrorem attulit (vt facilè eſt cuiuis ſuſpicari) qui duobus liberis in ipſo adoleſcentiæ flore ſe orbatum eſſe videbat. Verùm res aduerſas placatè Dauidis exemplo, tanquam diuinitus miſſas ferre inſtituit: atque vt animum dolore leuaret, ſimul quòd non aberat ſuſpicio quin ipſe Aurelius peſte obijſſet (quod tamen falſum eſſe poſtea compertum eſt, licet re

Dubetij dubia fides.

Ducis Aurelij mors.

1545. gio illa ob ærumnas quę bella & incendia comitari solent, aere infecto vexabatur) confestim ex eo loco profectus, in vicum quendam Hospitalium nomine in extrema sylua Cressiana situm contendit. Ibi Rex quum tam multa atque varia nuntiari audiret de ea stello quod extrui iusserat, quo impediebatur quominus de exercitu mouendo quicquam liquidò statuere posset, vt tandem aliquid certi constaret, amiralium Annobaldum cumque eo principem Melphitanum Galliæ marescballum, Malgeronium item equestris dignitatis virum Delphinatus proregem eò mittit, qui opus perlustrarent, sibique quo loco res esset renuntiarent. His Langæum, qui aliquòties ipsius iussu locum inuiserat, adiungi voluit, vt in rem præsentem veniret, eisque quicquid antea oculis vsurpauerat, demonstraret. Nõ multis antè diebus qui Ardreę, Caleti & Guineis præsidio erant, quotidianis incursionibus inter se pugnabant. Dampetrus Ardreæ præfectus aliquando accersito è castris ad subsidium Tauanio cum turma equestri ducis Aurelij (cuius ipse legatus erat) hostes adoritur: vbi accepto vtrinq; nõnullo detrimento ipse Dampetrus interficitur. Amiralius à Rege dimissus Mõtrolium inde Nouocastellum sex passuum millibus Bolonia venit, vbi febre ardenti vehementissima correptus, resistere cogitur. Melphitanus, Malgeronius & Langæus ire porro pergunt, vt Regi quæ mandata acceperant, renuntiarent. Postquam ad locum peruenerunt, omnibus accuratè circunspectis, quampridem inchoatum esset, & quam diuturnum adhuc opus esset vt absolue retur, considerant: iudicantque vix multa de mum hyeme eò processurum, vt à militibus defendi absque exercitus propinqui præsidio posset. Ad extremum omnibus diligenter expensis ad Amiralium redeunt, quem adhuc ægrotantem offendunt in castro Curtauillæ, qui locus abest Montrolio, quà Boloniam iter est, sex passuum millibus. Ita ad Regem vniuersi redeunt, vt quæ coràm viderant renuntiarent. Is vbi spe sua excidisse se vidit, anni porro tempus nimium præceps esse, vt vlli suscipiendæ expeditioni idoneum esset, in abbatiam Fuscianam quatuor supra Ambianum passuum millib. (nam pe stis in ipso oppido grassabatur) se recipit.

Duris Christi lancea grauiter vulneratis fortitudo.

PORRO quum nostri tam propinquo loco Bolonię (vti dictum est) castra haberent, crebra subinde commissa fuisse certamina dubium non est: ex quibus vnum celebre commemorare libet. Franciscus Lotaringus Aumalius ducis Guisij primogenitus quum hostium impetum à nostris parum fortiter sustineri animaduerteret, vt iamiam terga daturi viderentur, vt prælium restitueret, Anglorum quoddam agmen quos à latere appropinquare perspiciebat, magna vi atque ardore animi aggreditur, eorumque cursum omnino sistit. Ibi tamen à suis destitutus, quos sperabat sibi certissimos comites fore, lancea in aduersam faciem vulneratur, quæ in malam, quâ inter nasum & oculum patet interuallum, impacta, in ipsum caput lõgitudine ferme dimidij pedis adigitur. Nã spiculum ipsum totum, quod minimè crassum erat, tribus laterib. constans, palmum longum, vna cum hastula & hastili duorum digitorum longitudine, vulnere, lancea fracta cõditur. Neq; tamen tanti vulneris vehementia aut sella motus, aut mente vllo pacto perturbatus est: quæ res sanè illi saluti fuit: propterea quòd si ex equo decidisset, nemo vnquam eum è peditum Anglorum manibus, qui paucissimis parcebant, eripuisset. Postquam in castra redijt, medici omnes vehementer metuere cœperant, ne vis ingens, qua ad extrahendum spiculum vti necesse erat, eum in manifestũ discrimen adduceret, neu vehementi succussatione exanimaretur. Ille tamen grauissimum cruciatum tam leniter tulit, quàm si pilus è capite extraheretur: delatus lectica Picennium triduum nulla salutis spe ægrotauit, vt seriò de migrãdo è vita cogitaret, familiaribusq; omnibus prospiceret. Equidem sic statuo, diuino beneficio non medicorum arte vitam illi fuisse prorogatam, vt Regi postea ad maiora efficienda operã suam præberet. Alia virtutis egregia facinora edita sunt, quæ difficile sit literis mandare. Franciscus Totouillanus Villaboni frater lanceæ & prælongæ hastæ vulneribus confectus interijt. Idem periculum adijt Ioannes Ve riuillanus Fretæus, genere Picardus, qui magnam sui expectationẽ cõcitarat. Sic porro habendum est, in crebris istis certaminib. Angli conditionem longè potiorem fuisse: nã quo loco ista fiebant (is autem est qui à castro hinc ad turrim Ordream illinc ad turrim Franciscanam vergit) anno superiore Anglus castra ad oppidum obsidẽdum fecerat: ac proinde magnæ erant & latæ fossæ atq; aggeres vbi Germanicus illius peditatus consederat. In has foslis nostri deturbabãtur, quũ Anglos in fugã coniectos persequi conarẽtur.

REX

REX quoniam Guineanam expeditionem irritam esse perspiciebat, audiebátque Anglum è Germania decem peditum & quatuor equitum millia accersiisse, qui Belgio iter facerent, & cum reliquis copiis in agro Oyano sese coniungerent, vt tanto supplemento auctus Boloniam obsidione liberaret: statuit has Germanorum copias transitu prohibere, eóque magis ne huius expeditionis prætextu in Terracinorum fines circa Vervinum, Albentonum & Guisiam impressionem facerent. Quamobrem vt totam regni oram ab hoste tutam redderet, néve dum alienos fines ingredi cogitat, alius Galliam inuaderet, Feram ad Osiam ire contendit: quo ex loco commodissimè pro data facultate de omnibus statueret. Dubetio antequam proficisceretur, mandat vt agrum Oyanum ingressus popularetur, ferróque & flammis deuastaret: idque eo consilio tum ne Germanicus ab Anglo accersitus exercitus haberet, vbi se ex itineris longinquitate & lassitudine recrearet, tum vt hosti adimeret quascunque ex eo agro commoditates percipit. Etenim Caleto, Guineis & castro Hamæso (quæ oppida Anglus in locis cismarinis tenet) non aliunde commeatus importatur: neque quoties exercitum mare traducit, quos primos exponit, alibi castra facere solent. Nam magna classis vnico traiectu transportari non potest, sed locum parari necesse est, quo excipiantur qui primi appellunt, dum reliquus exercitus accedit. Hæc regio palustris est, vliginosa & herbida, patet in lõgum octo fere passuum millia, in latum sex, ab vna parte litoralis, cuius in extremis hinc Caletum situm est, illinc Gravelina, quæ Flandricæ est ditionis. Quà ad continentem pertinet, atque in extremis palustrium locorum oris, sitæ sunt Guineę & castrum Hamę sum: quà in Artesiorum fines vergit, sita est Ardrea quæ Regi paret. Vlterius erat castrũ Turnohanum in Flandria, non semel à nostrorum exercitu deletum. Dubetius accepto Regis mandato Mõtilamberto castra mouet, & Oyanũ agrũ ingreditur. Brissacus cũ sua cataphractorum turma & ferentariis quibus præerat, primum agmen ducit: succedunt connestabliani Guichio legato duce, quinquaginta alij quos Hellius ducebat: deinde Bosij, Ecarlij, Rupemenii & aliorum turmę: Taxius peditatus Gallici tribunus, multi denique ex aula profecti iuuenes pugnandi cupiditate inducti, vti diximus: in primis Frãciscus Borbonius Anguianus, dux Aumalius, dux Niuernensis, comes Laualius, qui in hac expeditione glande sclopetaria ad brachium ictus est: multique alij, quos enumerare nimium prolixum fuerit. Iam verò Angli Oyanum agrum (quem palustrem esse do cuimus) vt excursionibus minus pateret, ab ea parte quæ continentem spectat, latis fossis aqua perpetuò plenis cinxerant, vallum etiam addiderant, & certis interuallis castella (quæ blocuta appellant) quæ vallum ab omni latere munirent, in quibus præsidia semper habent, vt aditus in eam regionẽ sit longè difficillimus, propterea q. signo ad illa castella dato fit repentinus incolarum ad vallũ defendendũ concursus: præterea etiam bel li tempore præsidium habent in amplo vico nomine Marco in ipsa media regione sito.

Anglus Germanos, quos accersiuerat, accipere non potest.

PRIMVM nostri exercitus agmen magna celeritate potissimo horum castellorum appropinquat, quod tanta veteranorum Gallorum virtute oppugnatur, vt vi tandem irruptio fieret: hostes ad vnũ omnes conciduntur. Põtes magno numero à nostris facti fuerant, quibus machinæ & equites fossas illas traducerentur: qui tamẽ Ardreæ relicti erant: quod an præfecti culpa vel negligentia acciderit, non possum affirmare. Manlij frater genere Picardus, rei machinariæ præfectus, tam diligentem & opportunam operam adhibuit, vt deiectis fossarum labris machinas traduceret, quod plærique nulla ratione fieri posse credebant. Equites quoque, ne minorem virtutis & fidei laudem referrent, transeunt: nonnulli ex equis desiliunt, quos fræno ducunt, ipsi sub armis ilium tenus in aquis incedunt: alij equis inuehentes, transire conantur, ex quibus nonnulli cadunt, & oereas aqua superne ab ipso thorace (quod dici solet) ingrediente opplent: totus denique exercitus euadit. Quo traducto Brissacus rectà Marcum ire cõtendit: equites vix mille passus procurrerant, quum obuios habent Anglos ad numerum duorum millium, qui auxilio suis ad castellum defendendum festinabant, quos cæsos esse ignari erant. Hos equitatus noster maximo impetu facto fundunt & fugant: plurimi illic interficiuntur, reliquis fosse saluti fuerunt, quas equites transilire nõ poterant, vt eos insequerentur. Neque verò incruenta fuit victoria: ex nostris enim fere centum equites vel vulnerati vel interfecti sunt, & complures etiam cataphracti, maximè ex Bosiana turma, cui præerat Sassirius legatus. Castello occupato & deletis qui auxilio veniebant, nostri ca-

Angli à Gallis cruenta pugna vincuntur.

stra faciunt. Pluuiæ mox ingentes accedunt, vt fossæ omnes quæ tota illa regione spar-
5. sim fiunt ad exiccãdos agros, instar fluminum crescerent, ac totidẽ pontibus opus esset. Quæ quum ita essent, statuunt redeundum esse, præsertim quum machinæ nõ sine periculo in tanta eluuie abduci posse viderentur. Bona tamen vicorum pars ad Marcum vsque incendio deletur.

DVM hæc à nostris geruntur, Angli Boloniam tum superiorem tum inferiorem & turrim Ordream firmo & magno præsidio tenebant. Turris hæc in extrema ora sita est, vbi flumen q; est ad pontẽ lateritium in mare influit. Eam I. Cæsar ædificauit quum rursus in Angliam nauigare constituisset, in qua summa lucernã accẽdi iussit, cuius lumine nauium cursus dirigeretur, si forte contingeret vt tẽpestate in oceano iactarentur: quẽ- 10
admodum prima nauigatione acciderat. Hãc Angli castello cesspitio vndiq; cinxerãt, egregiè lateralibus munimentis circundato, tum vt turrim propugnarent (quæ nauibus in ostium fluminis ingredientibus præsidio est) tum vt eo maiorẽ hominum numerum in tuto collocatum haberent. Itaq; suorum multitudine confisi, noctu vniuersi ad octo fere hominum millia magnis animis vndiq; erũpunt, vt munitiones occuparẽt, quas in citeriore ripa è regione inferioris Boloniæ ędificaueramus, ad quas magna ex parte absque scalis ascensus facilis erat. Inter eas & inferiorem Boloniã spatium intererat q; æstus maris occupat, vt glandes vltro citrõq; colubrinis emissæ ad lineam ferrentur: quũ æstus
Angli munitiones noctu egrediuntur decessit aqua vix suram alluit. Munitionibus appropinquãt vnius ante primam lucẽ ho- 20
ræ spatio. Theobaldus Ruhaltus qui Regis nomine loco præerat, & capitaneus Villafrãcus legatus, q; suos procul abesse intelligerent, noctu excubias cum maxima militũ parte faciebant, interdiu quieti se dabant, sapienter profecto & considerate. Hostes primo statim aduentu in summũ vallum enituntur: sed qua virtute & impetu irrumpebant, nõ minor à nostris excipiuntur, vt qui suis rationibus diligentissimè prospexerãt, quidq; facẽdum esset, optimè tenebant. Qui in summũ euaserant, omnes interficiuntur, reliqui subeuntes deturbantur, & in fugam coniiciuntur, vt tantam rem tentare non auderent. Rex iui exercitus reditu intellecto Dubetium iubet ad Portetum castra facere, vt iis qui in opere erant præsidio esset: nam locus non longius q; ad cannæ iactum abest: ipse Corbian, Hamum & Feram proficiscitur. Ibi nuntium accipit auxilia Germanorum peditũ quos Anglus accerserat, iam Florinis esse, qui vicus est in Eburonũ finibus viginti pas- 30
tuum millia Masseria. Quamobrẽ Anguianum cum ccc equitibus & aliquot peditibus Guisiam mittit, qui manum illam Germanorum ex parte Galliæ ingressũ arceret. Longoualla num in Campaniã ire iubet, vt legionem illius prouinciæ cogeret, omnésq; aditus quos hostis tentaturus videretur, teneret. Masseriam (quę maximi momẽti erat, si fortè occuparetur) Langæum mittit, cui mille pedites & nobiles qui ex Burgundia subeuocatione edicta cõuenerant, itẽ aliquot ex Cãpania attribuit. Quibus confectis rebus diligenter prouidet, vt hostium conatus cognosceret. Quũ enim Cæsar Germanos Belgio iter facere non sineret, veritus ne tanta hominũ multitudo fines suos ingressa, vbi nulli erãt milites, detrimentum inferret: Rex sibi metuendum esse iudicauit, ne illi denegata transeundi facultate Galliã ingredi conarentur. Germani postq; Florinis circiter xx dies 40
consedissent, vt de itinere nihil statuere possent, diésq; qua stipendium numerari oportebat, venisset, quia pecunias præsentes non videbant, domum redire statuunt, neq; vt fidem cõmissariis & quæstoribus Angli haberẽt adduci possunt, qui stipendiũ breui afore dicebant: imò eos vna secum in Germaniam abducunt. Ita Anglus grauem impẽsam fecit, cuius nulla extitit vtilitas, ærariúmq; suũ valde iam imminutũ propè exhausit.

POST illorum discessum Rex quum intelligeret pactas cum Cæsare conditiones morte Aurelij filij irritas esse, amiraliũ Annobaldũ & Oliuariũ Galliæ cancellariũ ad Cęsarẽ mittit, qui aliis conditionibus pacẽ renouarent ątque cõfirmarent. Dimissi à Rege Folambræi Cal. Nouem. Cameraco, Valencenis & Cortraco iter faciunt, Cæsarémque Brugis cõueniunt, qui posteaq; aliquoties cum illis egisset, totum negotiũ in aliud tẽpus 50
differt, quum Antuerpiam venisset. Cæsari causa Brugas veniendi Antuerpiámq; proficiscendi ea tum erat, vt exercitum compararet, quo Germanos Protestantes aliósque principes & Germaniæ ciuitates subigeret, quibus nõ tam morigeris vtebatur quã cupiebat. Ad hunc exercitum cogendum quum magna pecuniarum vi opus esse intelligeret, Antuerpiã cõtendebat, vt à ciuibus eas tum mutuo tum dono acciperet. Quare

legatis

legatis regiis non prius respondere in animo habebat, quàm Antuerpiensium voluntatem cognosceret, vt pro rationum suarum statu æquiorem se vel iniquiorem præberet. Regis legati octo dies in eius comitatu morati, quum se dissimulationibus diutius duci intelligerent, redeundi potestatem sibi fieri postulant, hoc duntaxat responso accepto, si Rex bellum prior non inferret, se quidem nihil moturum esse. Illi ad Regem Villerium Costerçorum extremo Nouembri mense perueniunt. Hoc nuntio Rex accepto ex Cæsaris oratione suis rebus prouidẽdum esse statuit, quòd illi hoc vnum deesse videbatur, vt occasio belli conditione superiore incipiendi occurreret. Quibus causis adductus quoniam Anguianum Narbonensi prouinciæ præfecerat, Melphitanum, quem modò mareschalli dignitate ornauerat, apud Pedemontanos proregem constituit. Insuper quum prospericeret fore, vt Cæsar subacta semel Germania, vires tum Catholicorum tum Protestantium in Galliam conuerteret, Vindocino Picardiæ proregi quæstores cum magna pecuniarum vi ad infirmiora oppida munienda mittit: idem in aliis prouinciis & ad forum Segusianorũ (Burgum Bressianorum vocant) fieri iubet. In primis verò quũ superiori bello didicisset Germanis in Galliam iter commodissimum & frequentissimũ esse vt Campaniam primùm ingrediantur, quæ tamen præter cæteras prouincias munitis oppidis nudata est, vt aduenientem magnum exercitũ propulsare nequeat, hanc rem sibi cogitandam & curandam esse statuit: statimque Langæum Campaniæ proregem totam prouinciæ oram Vervino Coffium vsque perlustrare iubet, deinde nuntiare quæ loca minimè firma ad hostem excipiendum viderentur. Langæus medio circiter Decembri mense proficiscitur, secum vnà ducens Hieronymum Marinum Bononiensem virum huius rei peritissimum.

Rex Campaniæ oram munitionibus firmat.

Tota regione peragrata & circunlustrata, Regi significat optimum factu esse vt locus quidam inter Capellam & Masseriam extrueretur, interesse magnam regionem, quæ ampliùs triginta passuum millia in longitudinem nuda pateat: commodissimum ad eam rem esse oppidulum Albentonum, ibi ædificari posse in superiore loco arcem versus syluam, quæ oppido immineret. Extitit tamen causa cur Rex nollet hunc locum deligi, statueretque alium muniri supra Malberfontanum in ipso syluarum egressu, qui locus quindecim Vervino, Masseria decem passuum millia abest. Præterea Masseriam & Musonem iubet muniri: verùm Musonis locus valde incommodus videbatur, cui mons quà Yuæsum spectat imminet, è cuius regione Galliam versus citra flumen Mosam ex loco superiore despici potest ipsum oppidi solum, & imi eorum pedes qui ad propugnandam ruinam prodirent. Quod tamen in primis necessarium factu esse videbatur, præstitum est, excitatur murus per oppidum interius transuersum, quo tegerentur qui ad vallum concurrerent, extra oppidum fossa ingenti latitudine & altitudine ducitur. Postremò quia pace Suessionensi placuerat Stenæum duci Lotaringo restitui, Rex iubet oppidum in Gallia ad citeriorem Mosæ ripam ædificari inter Stenæum & Dunocastrum. Oppido nomen Villafranca ad Mosam inditum est, non longè à Samorello vico, è regione alterius qui in vlteriora ripa est nomine Mozassum. Hoc oppidum Cæsar menſe Iunio insequenti, quum Yuæso ad Germanicam expeditionem profectus Lucẽburgensem prouinciam perlustraret, & è regione Iamæsi iter faceret, conspexit, & cum regio oratore, quem secum habebat expostulare cœpit locum hũc ad Imperiale ditionẽ pertinere. Langæus ad eũ codices rationarios misit, ante ducentos annos cõfectos, quibus constabat illius tractus incolas ius petiisse & salinarium vectigal apud Sammenehaldum pendere consueuisse. Hac Cæsar satisfactione accepta Danvillerium contendit, oppidum à duce Aurelio antea deletum instaurari & muniri iubet: deinde Lucemburgum iter facit, vt in Germaniam perueniret. Sed expeditionem hanc, quia nihil cõmunc habet cum iis quæ scribenda suscipimus, Cæsaris studio sis relinquimus, qui eam copiosè suis monumentis celebrarunt, maximè verò Ludouico Auilano. Rex præterea castrum Sammenehaldi communiuit, Sandiserij tria magna propugnacula extruxit, Caldomontem Bassiniorum circumuallare cœpit, Coffij arcem inchoauit. Hic locus ad iactum colubrini accedit ad comitatum Burgundiæ, millia passuum Caldomonte quatuordecim, Lingonibus duodecim distãs. Linij denique castrum inchoari iussit in summo monte, quà Commercium spectat. Quæ omnia tamen morte præuentus absoluere non potuit.

1545. TOTAM hyemẽ Angli cum noſtris qui in munitionibus erant, continenter bellum gerebant: ſed peſtis ex intemperie cæli, niuiúmque & aquarum copia eo orta tam acriter in noſtros graſſari cœpit, vt vna nocte amplius centum viginti milites ſepelirentur: id à me viſum fuiſſe, quum illue a Rege miſſus eſſem, teſtari poſſum. Quę lues nihilo mitior tamen reddita eſt, vt ad extremum non aliud ſepulturę genus vſurparetur, quam quo vniuerſis in domo aliqua mortuis domus ipſa in eos dirutavice ſepulchri erat. Quin & domus ipſæ ſpelunceæ duntaxat erant ſubterraneæ, quibus appẽdix quædam ſtraminea imponebatur: quæ non minima fortaſſe cauſa fuit huius peſtilentiæ ob nimium humeſcens hyeme ſolum. Illic aliquando apud Villafrancum diuerſatus ſum, cuius ego eubiculum ſaluberrimum eſſe omnium exiſtimabam: ea nocte tamen eo ipſo loco eius frater & duo filij peſte ſublati ſunt, qui nullam intẽrdiu morbi ſignificationem dederant. Hæc peſtis adeo diuturna fuit, vt ex viginti peditum cohortibus vix ſupereſſent nongenti homines: milites tamen locum deſerere nunquam animum induxerunt, multaſque acerbitates illic pertulerunt. Eſſæus & Rioltus, poſtquam peſtis intermiſiſſet, acceptо aliquo ſupplemento, multa egregiè & fortiter aduerſus Anglos geſſerunt: vnũ ſubit comme morare. Menſe Aprili commeatum in munitiones conuehendum eſſe neceſſarium videbatur, quòd illic noſtri penuria iam laborabant. Senerpontio Dubetij legato datur negotium, vt aſſumptis ſexaginta cataphractis rem conficeret. Montrolio ſub veſperum Paſchalibus profectus, illuc poſtero die mane peruenit, cibariáque & cætera id genus introducit. Dum pontem lateritium tranſit, incidit in trecentos equites Anglos, qui eum tranſitu prohibere conabantur. Acriter vtrinque dimicatur, duo ex noſtris cataphracti & tres arcitenentes ex Senerpontij turma capiuntur, vt eripi nulla ratione poſſent. Clamore Boloniam perlato, Angli ſuorum numerum ad ſeptingentos equites augent, quibus quadringentos pedites ſcloperarios attribuunt: qui dum Senerpontius commeatum in munitiones introducebat, tranſmiſſo flumine inſidias in vico Danis nomine colloeant, inter Stapas & munitiones, vt noſtros reuertentes opprimerent. Senerpontius quum ad locum redeundo peruenisſet, videt ſcloperarios cum equitibus nondum eſſe coniunctos: itaque ſeiunctos adhuc aggredi ſtatuit. Equitum tres erant turmæ, quarum duabus coniunctis, tertia a latere noſtros circũuenire conabatur. Senerpontium comitabatur Taxius eum ſex aut ſeptem duntaxat nobilibus, & Ringrauius cum pari numero. Hic primo conflictu ex equo ſaucius deturbatur: Dubetius reliquum exercitum in aeie habebat. Cataphracti prælium ingreſſi tanta vi ferri cœperunt, vt Angli eorum impetum ſuſtinere non poſſent. Equites vtrinque cireiter ducenti eadunt, mareſchallus Caletenſis, qui rei ſuſcipiendæ autor fuerat, moritur, & centum viginti ferme Angli, viui capiuntur ſeptuagintaquinque, omnes paludamentis holoſtricis auro argentòq; intertexto ornati. Aliàs Dubetius certior factus cibaria noſtros deficere, ſupplementum introducere conſtituit. Caſtris ad Montrolium profectus iter ad pontem lateritium flectit, vbi Millortum Sorelium cum ſex Anglorum millibus obuiũ habet, qui eum prohibere conabantur. Cum Dubetio erant quinquaginta cataphracti, comes Ringrauius cum ſuo peditatu quatuor millium Germanorum, & ducenti ſclopetarij ducibus Bruellio Britone & Scarbolliato. Dubetius vbi ſe in hoc periculũ incidiſſe videt, ex ducum ſententia vlterius progredi, & cum illis congredi ſtatuit, quãuis ſe duobus hominum millibus ſuperari eognoſceret: amiſſuros enim eſſe iumenta & commeatum omnem, ſi pedem referre cogitarent. Re ita conſtituta in feſtus in hoſtẽ vadit, prælium diuturnum & arce committitur: Angli tandem pelluntur, ſeque in locum quendam munitum receipiunt, à quo tamen noſtrorum vim defendere nequeunt. Ex hoſtibus octingenti ferè cæſi, Sorelius imperator ducis Northfolci filius eum reliquis fugæ ſe mandat, centum ferè octoginta capti.

Anglorum cædes.

Pax Anglopotentibus data.

ANGLVS ærarium ſuum exhauriri videns, ex ſuis multos eſſe amiſſos, magnos ſibi ſumptus faciendos eſſe in poſterum, quòd Rex obſirmato animo Boloniam recipere decreuiſſet, denique quum Cæſarem (quodcunque tandem fœdus ſibi cum eo intercederet) propriis tantùm rebus curandis incumbere animaduerteret, ſtatuit huic bello atque adeo omnibus ſemel controuerſiis finem imponere. Quamobrẽ Regi per nuntium ſignificat, ſi homines delectos Ardream mittere vellet, qui de pace agerent, ſe quoque ex ſuis quoſdam Guineas miſſurum. Rex tametſi Boloniam iam grauiter premi intellige-

telligebat,quia tamẽ Cæsaris iniquam in se voluntatem perspectam habebat (cuius rei argumento erat,quòd tam incertę significationis responsum ab eo accepissent quos antea miserat)duos porro potentissimos hostes sibi eodem bello imminere nolebat,collo quium de pace haberi assentitur. Annobaldus amiralius & Remondus primus Rotomagensis senatus præses Ardream mittuntur,Gnineas venit Angliæ amiralius nomine Dudelæus,postea dux Northombellanus. Locus inter duo oppida deligitur, vbi multis habitis colloquiis pacem his conditionibus constituunt, vti Rex intra octo annos Anglo octingenta coronatorum millia persolueret,quæ tum ex reliquatione pensionis annuæ debebantur,tum etiam & sumptuum causa quos bello ob denegatam pensionem illato fecerat,& operum quibus Boloniam Bolonien sẽmque agrum munierat. Vtique Anglus Regi Boloniã Bolonien sẽmq; agrũ,loca omnia tum vetusta tum quæ modò extruerat,Montilambertum,turrim Ordream, Ambletellium, Blaconæum integra vnà cùm machinis,commeatu ac reliquo belli apparatu restitueret. Hęc ab vtroque statuun tur & subscripto sigillo cõfirmantur,deinde Annobaldus ad Anglum proficiscitur,Dudelæus ad Regem venit,vt iurisiurandi religione interposita ambo se pactionibus bona fide staturos confirmarent.

Mense Februario, anno 1546 quum Rex Rupeguione esset,in maxima niuium copia certamen constituitur inter adolescentes nobiles qui apud Delphinum erant,vt alij ædes quasdam oppugnarent,alij defenderent, vtrique alios niualibus globis petentes: quo certamine Anguianus casu his ædibus egredi cœpit. Ibi malè consideratus nescio quis cistam linteis plenam fenestra eiecit, quæ in Anguiani caput delapsa gra ui vulnere eum affecit,quo paucis diebus mortuus est,magno Regis ipsius atq; adeo totius aulæ mœrore ac luctu,partim quòd in ipso adolescentiæ flore è vita decedebat,partim q; tã inopinata vulneris occasio extiterat. Is ad quascunq; expeditiones à Rege missus fuerat,tanta in rebus administrandis fœlicitate,tanta apud omnes existimatione atque autoritate fuerat,quanta alium quenquam eius ætatis nostro seculo vidimus. *Anguiani vehemens indignatio mortis.*

Pace cum Anglo facta Rex quum in Germania Cęsarẽ cũ exercitu esse intelligeret,ac belli cum Protestantibus ancipitem esse exitum sciret, ipse statuit Campaniæ & Burgundiæ extrema oppida perlustrare, vt videret qua diligentia res administrata esset ab iis quibus negotium fuerat datum. Iter ingressus a Burgundia,principio Burgũ Bressia...orum,Catalaunũ ad Ararim,deinde Seurram, exiguum oppidum ad idem flumen situm,quod nunc primùm communire cœperat, Belnam postea & Diuionem venit. Campaniam ingressus Lingonum oppidum inuisit, vnde amiralium mittit, qui Coffiũ & Montinium Regium adiret,qui paulo post ad Caldomontẽ Bassiniorũ ei præsto fuit. Inde profectus Linium Barrorum, Sandiserium & alia loca obit: Ginvillæ panagia celebrat,quum quidem antea Lotaringiæ ducissam Barloduci inuisisset. Vitrium Francũ venit: sic enim oppidum appellari iussit quod ad Matronam flumen duobus Vitrio Parthenorum passuum millibus inchoauerat. Nã Vitrium istud incommodo magis loco situm esse iudicabat,quàm vt muniri posset,quòd tribus aut quatuor montibus cinctum esset. Inde Sammenohaldum, Villafrancam ad Mosam, Musonem, Sedanum, Masseriam,Malberfontanum itinere facto Moncorneto Arduennorum, denique Liessam & Folembræum extremo Nouembri mense se recipit.

Folembræo deinde Compendium quum venisset, ibique mensis ferme vnius moram fecisset, Sangermanum Layorum venit: vbi nuntium accipit Henricum octauum Angliæ regem diem suum obiisse,relicto filio Eduardo impubere annos octo nato. Huius mortem ægrè admodum tulit,tum quòd sperauerat firmiorem cum eo pacem & fœdus factum iri quàm adhuc fecerat, tum quòd æquales & eadem fere constitutione ambo erant: vnde suspicari cœpit sibi non multo post migraturum esse. Imò qui apud eum interiorem conuictum habebant,comperiebãt eum deineceps magis cogitabundũ esse factum. Interim quoniam bellorum omnium exitus dubios esse sciebat, periculúmque esse perspiciebat, ne Cæsar confecto bello Germanico vires omnes in Galliam conferret,quæ res Campaniæ detrimentosa esset, Langæum mittit, qui opus vbiq; accelerandum & perficiendum curaret,ad eámq; rem centum nonaginta millia francorum expromi iubet: deinde Plancio libellorum supplicum magistro & Borano mandat,commeatum quantum satis esset,in singula oppida introducerent. Sed ante- *Henrici Anglia Regis mors.*

quam ista absolu erentur, mors molientem & administrantem oppressit. Etenim paulo pòst lenta febri correptus, valetudinis causa Mutam proficiscitur, quam domũ proRegis morbus & mors. ximè ædificauerat, quatuor Sãgermano passuum millia in extrema sylua. Vbi eum dies septem vel octo commoratum loci satietas cepit: itaque non repetito Sangermano Villaprobam venit, atque nocte illa febris proxysmum sensit. Postridie Dampetrum non longè Cebrosia venit: indéque Limorsum contendit, vt illic hilaria quæ vocantur perageret: ac tum omnes consuetudinem illius ac mores in dies mutari perspiciebãt. Illinc post tridui moram Rupefortem proficiscitur, ibique aliquot dies cõmoratur, ac nonnunquam venatum ibat, sic tamen vt quotidie vesperi febri tentaretur: quocirca Sangermanum redire constituit. Porro vt venando se per totum hoc iter oblectaret, Rupefor- 10
te Rambollietum venit, eo consilio, vt illic semel tantùm pernoctaret. Sed quum propius accederet, tanta loci amœnitate in venatu & aucupio captus est, vt sententia mutata aliquot dies illic considere statueret. Ibi febris qua iampridem vexabatur, variis intermissis subinde grassari atque augeri cœpit, tandémque in continentem conuersa est. Accessit etiam dolor ex vomica, qua paulo antè laborare cœperat, quàm Cæsari obuiam procederet, quum Galliaiter faceret. Tum vitæ finem imminere arbitratus, cœpit animum ad piam cogitationem aduertere, atque ad mortem homine Christiano dignam se comparare. Multis Delphinum, hodie Regem, grauiter sapientérq; cohortari cœpit, populum Gallicum eius fidei committens & mandans. His perfectis animam Deo tradidit in arce Rambollietana prid. Cal. April. anno 1546 ante Paschalia. 20

Hic princeps magnum sui tum ciuibus tum exteris desiderium reliquit, quòd om
Rex hominũ eruditorum amantissimus nibus se virtutibus præstantem præbuit. Magni erat & generosi animi, bonas literas maximè amauit & fouit. Eius opera, studio & autoritate literæ à situ & tenebris vindicatæ, & magnum artibus bonisque disciplinis, quæ in tenebris velut delitescebant, lumẽ allatũ est. Viros literatos mirificè amauit, gymnasia Lutetiæ instituit ad linguæ Latinæ, Græcæ & Hebraicæ professionem: ad quas docendas viros artium liberalium peritos ex omnibus orbis regionibus accersendos curauit, & amplissimis stipendiis affecit, vt iuuentus bonis literis & moribus institueretur. Quanquam autem in literis à puero institutus non fuerat, nulla tamen erat scientia de qua scitè non disseruet, partim quia cum viris omni eruditione excellentibus crebra habebat colloquia, partim quia incompa- 30
rabili memoria diuinitus donatus erat: vt eruditi omnes fateantur se plus ab eo accepisse quàm illi cõtulisse. Mortuus est anno ætatis quinquagesimo tertio, variã subinde fortunæ vicissitudinem, sæpius tamen aduersam quàm secundam expertus. Neque tamen vel grauissima vnquam calamitas animi eius firmitudinem & constantiam fregit, sed immota spe ab vno Deo suspensas omnes suas rationes habuit. Mentis & memoriæ integrum vsum ad extremum vsque spiritum seruauit.

FINIS.

INDEX
RERVM POTISSI-
MARVM QVAE HIS COMMENTARIIS NARRANTVR. NVMERVS SI VNICVS EST, PAGINÆ INITIVM NOTAT: SI ALter accesserit, ad numeros 10. 20, &c. referendus est, qui in interioribus paginarum marginibus ascripti sunt, vt inter eum & proximè subsequentem, id quod notatur, commemorari intelligas.

A.



CERRIMA Sandiserij oppugnatio, quam tamen Galli fortiter sustinent 410.20
Aciei Gallicæ descriptio, quum pugna Serisolana committenda esset, 397.20, 399.10.
Adriani papæ electio 40.10
Ægrotat Rex captiuus Madrilij 83.50
Alba ab Anguiano modicis copijs capitur 408.10
Aleonora pacem inter fratrem & maritum foue re conatur 112.30
Alexandriâ Lautrecus captâ Sfortiæ restituit 95
Alexandriam & Papiam Prosper Gallis adimit 40.10
Amicitiam veterem statuum Imperij cum Galliæ Regibus perpetuò intercessisse principes Germani ostendunt, vt Francisco cum sibi aduersus Carolũ & Ferdinandũ cõcilient 113.40.
Andreas Auria à Rege deficit 100.20
Andreas Auria Cæsari, quum in Prouincia esset, pecuniam & commeatum adducit 291.40
Anglus Boloniam & Montroliũ obsidet 405.40
Anglus in Galliam bellum Regi illaturus naui gat 2.10
Anglus se arbitrum interponit in controuersijs Cæsaris & Regis 20.40
Anglus vtile sibi consilium nõ sequitur, ita Deo Galliæ salutem procurante 412
Anglus à pontifice Romano deficit 157.10
Anglus in Picardiam descendit 50.10
Angli erga Regem singularis voluntas & liberalitas 107.10
Angli à Dubetio profligantur 430.30
Angli à Gallis profligantur 2.20
Angli à Gallis cruenta pugna vincuntur 427.30
Angli propugnaculum Gallorum ad Boloniam aggrediuntur 428.10
Angli quadringenti à Guisio profligãtur 51.40
Anglos Sampaulius profligat 52.10
Anglorum duo millia à Brissaco profligantur, 427.40
Anguianus ad Pedemontanos prorex mittitur 393.50. Aliquot oppida capit 394
Anguianus fortiter & periculosè ad Serisolas dimicat 401.10
Anguianus Heluetijs ægrè morigeris vtitur 407.30
Anguianus Massiliam prorex mittitur 376.30
Anguiani virtus & animi celsitudo 401.40
Anguiani verè herois indigna mors 431.20
Anna Bolania Anglo nubit 129.20
Anna Ludouici duodecimi vxor moritur 6.20
Annobaldus à Cæsarianis superatur, postquam commeatum Teroanã introduxisset 319.20
Annobaldus apud Pedemontanos optima Langæi consilia non quanti debet facit 364.50. & 365. Niuibus per alpes iter faciens, pene obruitur 366.40
Annobaldus Ciriam Cæsarianis adimit 271.50
Annobaldus in demortui Brionij locum amiralius creatur 374.40
Annobaldus Montijano succedit 334.50
Annobaldo Venetijs eundi quæ causa fuerit 335.30
Antonius Leua Gallorum metu in segete delitescit 231.10
Antonius Leua Ioannem Iacobum Medequinũ prælio superat 95
Antonij Borbonij ducis Vindocini Picardiæ præfectires gestæ dum Perpinianum obsidetur 359.50
Aquensis ciuitas in Prouincia adueniente Cæsare deseritur, licet ad eam defendendam Montijanus suam operam polliceretur 258.30
Ardream Burgundiones capiunt & excindunt, 24.10
Arelatum describitur & communitur 286.50
Arlonem Lucemburgorum dux Aurelius capit. 359.denuo 382.20
Arlonensium egregia erga Regem fides 386
Atrocitatũ prima origo quæ inter Gallos & Burgundiones extiterunt 28
Auennam occupare Rex statuit 374.40
Aumalius Cæsarianos Sandiserium obsidentes vexat 411
Aumalius grauiter ad Lucemburgum vulneratur 383.10

Aumalius Guisij filius cum iuuenibus nobilitatis Gallicæ Burgundiones aggreditur 372.10
Aumalius lancea grauiter in capite ad Boloniam vulneratur 426.30
Aumalius & multi nobiles Landrisium vltro ingressi cum Roquendolfio dimicant 379.40
Aurelius annos natus 23 febre pestilenti moritur 425.40
Aurelij ducis expeditio ad Lucemburgum subigendum 356.40
Auspicia Cæsaris quum Prouinciam ingrederetur 246.40

B.

Badij capitanei fortissimi verba nouissima & mors 69.10
Balansonius à Cæsare missus cum rege agit de auxilio aduersus Turcam 115.20
Ballietus secundus curiæ Parisiensis præses Bronio à rege misso respondet 64.40
Bapalma à comite Sampaulio & Guisio capitur 50.50
Barbarossa classem auxilio Regi adducit 376.30
Barbarossa & Anguianus Nicæa capiunt, arcem frustra oppugnant 391.30
Bargæ Pedemontanorum frustra à Buterio obsidentur 364
Bargas Pedemontanorum Vassæus Langæ operta capit 364.20
Bartholomæi Alviani mors 14
Bayonam Lautrecus fortiter aduersus Hispanorum impetum defendit 60.30
Bellaius Auennam proximè accedit, deinde reuocatur 375
Bellaius commeatum Landrisium fœliciter introducit 389.10
Bellaius in pugna Serisolana aciem instructam moderatur 400.10
Bellaius pecunias Anguiano ad castra magna cũ difficultate adfert 395.40
Bellaij Martini solertia & diligentia in patefaciẽdis Vastij consilijs de Tautinorum oppido opprimendo 369.10
Belli fecũdi inter Cæsarem & Regẽ occasio 172
Bernates Sabaudo agri partem adimunt 158.30
Bocartus vir militaris moritur 44.10
Bolonia Anglo turpi & ignaua deditione traditur 415.20
Boloniam Galli incautè occupant, in eaque cẽdũtur 416.20
Boloniam & omnes munitiones Rex magna pecuniæ summa ab Anglo redimit 431
Boniuetus ad Mediolanum infœliciter pugnat 68.30
Boniueto superato Mediolanũ amittitur 69.30
Borbonij antequam ad Cæsarẽ deficeret, ad Regem epistola 56.40
Borbonium nonnulli nobiles relicta patria sequuntur 58.30
Borbonium quæ causa ad defectionis cõsilia impulerit 55.10
Bosij præfecti prætorio mors 16.50
Brionius amiralius à Vercellarum obsidione exercitum reducit 196.30
Brissacus ferentariorum magister Cæsarianos equites cædit 380.40
Britonię ducatus cum Gallico regno ex regionis ordinum consensu coniungitur 116.30
Brixiam Lautrecus obsidet 15.20
Burgundiones à Martino Bellaio huius historiæ scriptore in Picardia profligantur 311.50
Burgundiones à Sampaulio & Guisio profligantur 51
Burgundiones à Telinnio profligantur 42
Burgundiones & Hispaniá Pondormio in Picardia delentur 75.10
Burius & Taxius ad Cazalum à marchione Vastio superantur 306.30
Buterius Sangermanum in deditionem accipit 393.20

C.

Cæsaris aduersus Regem oratio Romę habita coram Rege à Cæsaris oratore recitatur 199.40
Cæsar cum Italiæ dynastis & populis agit vt belli sumptus ferant 274.50
Cæsar Galliam cum exercitu ingressus de pace facienda cogitat 412.50
Cæsar in Angliam nauigat 18.20
Cæsar in Prouincia quum esset, auxilium ab Italiæ populis petit 375
Cæsar iter à Lutetia famis metu auertit 414.10
Cæsar Neapolitanus Taurinos scalis & proditione tentat 324.40, & plaustris fœno onustis 371
Cæsar re infecta & multis amissis è Prouincia discedit 294.10
Cæsar Regem Landrisio redeũtem subsequitur 390.20
Cæsar Romam ingreditur 182.30
Cæsar & Anglus alioqui inimicissimi, Regi bellum inferunt 405.10
Cæsaris apparatus bellicus quum Prouinciá vellet inuadere 204.40
Cęsaris ab Anglo voluntas alienatur, quum pactis non staret 411.40
Cæsari in Prouinciam exercitum ducenti nõnulli occurrendum esse contendebant 251.40
Cæsarianus exercitus in Campania famę laboras cuiusdam Galli capitanei tarditate recreatur 413.40
Cæsariani à Gallis ad Balneas opprimuntur 378
Cæsarianæ aciei descriptio, quum pugna Serisolana committenda esset 399.30
Cæsorum in pugna Serisolana numerus 402.40
Cameraci arcem Cæsar ędificat, qua ciuitatis libertatem opprimit 391.20
Cameracensis pacti conditiones cur seruari non possent 111.20
Campania à Rege communitur, qua Germani Galliam ingredi solebant 429.10
Campanię & Burgundię oram Rex perlustrat, 431.30
Cancellarius pratensis magnum in pecunia numeranda damnum infert, dum lucrum quęrit 107.40
Capitis supplicio afficitur Lugduni Ioannes Ludouicus Germanus, qui tumultum non semel excitarat 328.20
Cardinalis Lotaringus Delphini mortem Regi nuntiat 269.20

INDEX.

Cardinalis Lotaringi ad Cæsarem oratio 196.
Cardinalis Lotaringi ad papam oratio 207.40
Cardinalis Lotaringi cum Antonio Leua colloquium 196.10
Cardinales in nuptijs Catharinæ Mediceæ quatuor Massiliæ creantur 139.
Carinianum à Vastio captum statim Langæus recipit 363.20
Carinianum Anguianus circunsidet, ne commeatus introducatur 394.10
Carinianum Cæsariani fame coacti Anguiano dedunt 403.50
Carmaniolam Vastius capit, & Salussij mortem perfidè vlciscitur 323.30
Carolus Austrius quî educabatur 9.40
Castellam à Cæsare Neapolitano obsessam Villaganio defendit 363.50
Castrorum quæ Mommorencius munijt situs & forma 266.30
Catharinæ Mediceæ genus 16.10
Causa ob quam Franciscus Mediolanum amisit 32.30
Causa primi belli quod inter Franciscum & Sabaudum gestum est 158.10
ad Certamen singulare Franciscus Cæsarem prouocat 91.30
Certamen singulare Mommorencij & Lorgij cũ duobus è castris Cæsarianorum 27.20
Certamẽ singulare Sarzæi & Venerij Gallorum 333.30
Chiusam frustra à Vastio obsidetur 363.40
Clades Gallorum ad Nouariam 4.10
Clandestina consilia Cæsar in Gallia quærebere videbatur 244.10
Classis regiæ naues 418.40
Claudiæ reginæ mors 70.40
Clemens papa captiuus è Cæsarianorum manib. aufugit 96.20
Clemens papa pacem inter Cæsarem & regem conciliare studet, quo tempore Rex ad Papiã erat 72.20
Colloquium Cæsaris & Regis ad Aquas mortuas 334.20
Colloquium Clementis papæ & Regis Massiliæ 138.50
Colloquium Leonis papæ & Francisci regis Bononiæ 14.10
Colloquium papæ, Cæsaris & Regis ad Nicæam 334.
Colloquium Regis & Angli Ardreæ 17. 30, & 116.50
Columnæ pace cum papa facta Romam statim adoriuntur 87.
Commeatum Galli recipiunt, quem hostes ademerant, dum Sampaulum duceretur 312.10
Commeatum Lucemburgum princeps Melphitanus ægrè introducit 385.40
Comitatus Burgundiæ ordines cum Regepacẽ ineunt, deprecatoribus Heluetijs 305.30
Comum Piscarius Gallis adimit 39.20
Concilium habendum papa negat, principes haberi postulant 124
de Concilio habendo Cæsaris & Francisci Regis disceptatio 126.10.40
Concio Cæsaris ad milites, quũ in Prouinciã eos ducturus esset 143
Concio Cæsaris in concilio 140.40
Conditiones iniquas Cæsar fert regi captiuo 82. 40
Coniugium Henrici & Catharinæ Mediceæ cõciliatur 121.
Coniũ ab Annobaldo frustra obsidetur 366.10
Conspirant Italiæ populi aduersus regem, ne Mediolanum recipiat 55.
Controuersia inter Caguinum Gonzaguam & Guidum Rangonem 330.50
Cremonam amisſam Lautrecus confestim recipit 39.40
Cremonam Cæsariani capiunt 49.50
Cremonam fœderatorum Italiæ imperator Cæsari adimit 86.50
Cusanus Cæsarianos prælio ad Sauilianum superat 272.30. Ibi tamen vulnus accipit quo paulo pòst moritur 273.40

D.

DAmmartinus comes Peronæ moritur 298. 50
Daniæ rex à Francisco auxilium accipit 16.20
Danvillerium Lucemburgorum dux Aurelius capit 358.10
Delphinus Balneas obsidet 378.10
Delphinus Emerianum castrum & Malbeugium capit 377.10 & 30
Delphinus exercitum ducit, quo Cæsari Galliam ingresso obsistat 407.
Delphinus Franciscus nascitur 16.10
Delphinus Henricus multa apud Pedemõtanos oppida recipit 331.30
Delphinus Henricus Vastium ad pugnam elicere conatur 331.
Decimæ Regi Francisco ab antistitibus Ecclesiæ Gallicanæ conceduntur 119.40
Diuionem Heluetij obsident 5.40
Dubetius à Sorelio Anglo opprimitur 417.10

E.

EMerianum castrum à Delphino captum Bellajus à Rege iussus munire cœpit 377.10. Exciditur 379.10
Epistola qua Rex ad Cæsaris inuectiuam respondet 199.50
Exequiæ Delphini Romæ celebrantur papæ iussu, inuitis Cæsarianis cardinalibus 305.40
Exercitus à Rege aduersus Cæsaris in Prouinciã expeditionem conscribitur 216.30
Exercitus à rege Nauarræ conscribitur quo Gallia aduersus Hispaniam muniatur, quum Cæsar Prouinciam aggrederetur 216.50
Exercitus Francisci regis aduersus Borbonium in Prouinciam venientem 70.
Exercitus in Italia à Regis socijs colligitur, dum Cæsar in Prouincia esset 271.10.20
Expeditionem Rex in Pedemontanam regionẽ parat, vbi res suas malo loco esse intelligebat 320.30
Expeditio Cæsaris ad Franciscum regem Mediolano expellendum 36.30
Expeditio Cæsaris in Prouinciam 245.

Expeditio altera Regis ad recipiendum Mediolanum 70.50
Expeditio Francisci regis ad Mediolanum tuendum 36.40
Expeditio Gallorum in Nauarram Boniueto duce 28.20
Expeditio prima Francisci regis ad Mediolanum recuperandum 9.20
Expeditio prima Gallorum in Pedemontanorũ fines 178.40
Expeditio Regis aduersus Vastium 329
Eruptio acerrima Gallorum Fossani obsessorum 230.40

F.

FAmes grauis apud Pedemontanos, cui Langæus singulari prudentia medetur 387
Ferdinandus Arragoniæ rex moritur 16.10
Ferentarij equites Galli à Burgundionib. opprimuntur 54.10
Fontirabia à Gallis capta 29.20
Fontirabiam ab Hispanis obsessam mareschallus Chabannius liberat 50
Fontirabiam Hispani recipiunt 60.50
Florengia à Nassauuio capitur 22.20
Florentiã Cæsariani & Papani obsident 110.10
Fœdus Angli cũ Rege Francisco 10.10,& 114.10
Fœdus Ludouici regis, Cæsaris Maximiliani & papæ aduersus Venetos 3
Fœdus Regis cum Anglo 17.10
Fossanum ab Antonio Leua obsidetur 228.10
Franciscus è captiuitate Hispanica liberatur 84.40
Franciscus Galliam vndique aduersus Cæsaris expeditionem communit 206.20
Fracisceus imperatoriam dignitatem petit 16.40
Franciscus Rex Aleonoram Cæsaris sororem in matrimonium ducit 109.30
Franciscus Rex bonarum literarum in Gallia stu dia excitauit 432.20
Franciscus Rex Cæsaris oratorem in basilica Parisiensi alloquitur 92
Franciscus Rex exercitum parat ad Cæsaris bello primo impetum sustinendum 22.50
Franciscus Rex Ludouici duodecimi filiam Claudiam vxorem ducit 6.20
Franciscus Rex Mediolanum recipere instituit 9.20
Francisci Delphini veneno sublati mors 268.50
Francisci marchionis Salussij fœda & detestanda proditio 228.40
Francisci Regis mira in rebus aduersis constantia & fortitudo 270.10
Francisci ducis Mediolanensis mors 159.20

G.

GAbrieli marchionatus Salussianus à Rege, & Annobaldi filia in matrimoniũ datur 323.30
Galli Anglos incautè adoriuntur qui commeatum in castra ad Teroanam ducebant 2.30
Galli milites breuis inediæ impatientes relictis castris domum redeunt 385.40
Galli nobiles ad Anguianum ex aula veniunt vt prælio interessent 395.10
Gallorum ad Bicoccam clades 45.20
Gallorum ad Boloniam exercitũ pestis vehemẽter infestat 430
Gallorum animos Briniolana clade territos Mõmorencius confirmat 266
Gallorum in Angli regionem descensio 420.30
Gallorum & Anglorum pugna in insula Huictia na 420.40
Gallicana Ecclesia de curiæ Romanę immodicis exactionibus conqueritur 117.50
Gandaui à Cęsare ob rebellionẽ puniuntur 334.40
Geneua Sabaudi dominatu excusso in libertatẽ vindicatur ope Francisci Regis 172.40
Genua à Cæsarianis capitur & diripitur 49.20
Genuam Franc. Rex capit 94.40
Genuẽses Auria autore à Rege deficiũt 104.20
Germani pedites à Guisio delentur 63.10
Germani pedites Campaniã ingressi quum à Borbonio accerferentur, à Guisio cæduntur 63
Germanorum auxilia ab Anglo accersita venire à Rege prohibentur 428.30
Germanorũ viginti millia à Turca delentur 341 30
Guisiam Cæsariani quam obsederant, relinquũt 385.10
Guisia à Nassauuio per summam Gallorum ignauiam capitur 268.20
Guisius ex gente Borbonia vxorem ducit 2.50
Gulielmi Langæi mors 365.10

H.

HEdinum Angli & Burgundiones frustra obsident 51.30
Hedinum Franciscus Rex capit 38.50
Hedinum Galli capiunt 31.20
Hedinum grauiter oppugnatum Rex deditione capit 310
Heluetij à Rege prælio superati 12.10
Heluetiorum in prælio mos, vt hostium machinas rectà petant 400.30
Heluetiorum non conscio magistratu exercitus ad castra Auenionensia 221
Henricus Delphinus venia à Rege accepta in castra Auenionensia proficiscitur 287.30
Henricus octauus qua ratione quę alijs locis gerebantur cognoscebat 203.30
Henrici Angliæ regis mors 431.40
Hẽrico Aurelię ducẽ postea Regi Catharina Medicæa nubit 139
Hispani ab Anguiani exiguo equitatu delentur 401.40
Hispani ad Sauonam à Michaele Salussio & Malierzo delentur 73.40
Hispani Heluerios perfidè spoliant 392
Hispani in Gallos Perpiniano erumpũt 361.30
Hispani nocturno impetu Lorgium & Badium aggrediuntur 66.40
Hispanos Mommorencius profligat 43.20
Humerius Delphinatui sapienter prospicit, quo tempore Cæsar in Prouinciã venit, 216.50.
Idem prorex apud Pedemontanos Albam capit, & Quierasium communit 323.40

I.

IAcobus Scotiæ Rex moritur 417.20
Induciæ trimestres inter Gallos & Burgundiones 320.20
Induciæ

INDEX.

Inductæ violatæ ob legatorum Regis nefariam cædem 339.40
Ioannes Aurelius archiepiſcopus Toloſanus cardinalis creatur 128
Ioannes Bellaius cardinalis Lutetiæ diligenter prouidet, quo tempore Burgundiones Peronam obſidebant 295.10
Ioannes Ludouicus marchio Saluſſius ob rebellionem in vincula conijctus, in libertatem & marchionatũ à Rege reſtituitur: poſtea à fratre deceptus eſt & in carcerem perpetuum detruſus 292
Ioannes Medices Regi militat 77.20
Ioannis Medicis mors 87.20
Ioannis Vngariæ regis ad Franciſcum Regem legati 115.10
Iudicis Taurinenſis ob proditionem ſuſceptam ſupplicium 369
Iudicium in Regis intimo concilio adhibitis omnibus principibus, aduerſus eum factum qui Delphinum veneno ſuſtulerat 304.40
Iudicium ſenatus Pariſienſis aduerſus Cæſarem 307.10

L.

LAnda vir fortiſſimus Sandiſerij glãde machinaria interficitur 410.10
Langæus Gul. apud Pedemõtanos prorex vt publicis negotijs inſeruiret, proprias facultates inſumpſit 337.20. Multa fortiter & ſapienter aduerſus hoſtes geſſit 294
Lãgæus Gul. in Angliam miſſus multa ab Anglo obtinet 106.50 Rurſus eõdẽ mittitur 128.50. In Germaniam miſſus calumnias refutat quibus Rex iniquè petebatur 217.20
Langæus Gul. multorum ſtudia in regione Pedemontana conciliat, quibus tamen Rex vtinõ fuit 357.20
Langei apud principes Germanos orationes duę pro duce Virtembergenſi 143.40, 148.10
Langæi literæ ad principes Germanos 142.10
Landriſium à ciuibus deſertum & incenſum Rex munirí iubet 375.50, & 376.20
Landriſiũ Cæſar quàm magnis copijs obſidebat 386.20
Landriſium defendere Rex ſtatuit quum Cæſarem illuc proficiſci audiſſet 384.40
Landriſii recẽtes milites introducũtur 388.30
Landriſiani tormentum æneum ex Cæſarianis caſtris in oppidum aduehunt 386.30
Landriſiani ciborũ penuria premuntur 387.10
Lauda ab Hiſpanis capta 47.10
Laudam capitaneus Badius capit 61.40
Lautrecus Brixiam obſidet 15.20
Lautrecus in Apulia Aurangio pugnãdi facit poteſtatem 96.40
Lautrecus Mediolano reuerſus Regi ſe purgare conatur 47.30
Lautrecus Neapolim mittitur 93.50
Lautreci exercitus ad Neapolim peſtilẽtia laborat 101.40
Lautreco ſubſidium Rex in Mediolanenſem ducatum parat 40.50
Legati à papa miſſi qui bellum inter Cæſarem & Regem oriri impedirent 210.50
Legiones in Gallia inſtituuntur 157.20
Leodienſis epiſcopus Roberti Marcani frater à Regẽ deſciſcit 21.40
Leonis papæ præ gaudij magnitudine mors 40.10
Liberi regij in Galliam dato redemptionis pretio remittuntur 108
Linium Barrorum à Cæſarianis ducum incogitãtia capitur 406.40
Lillerium Arteſiorum Galli capiunt 310.40
Lillerium Arteſiorum Vindocinus capit 372.40
Literæ à Cæſarianis effictæ, quibus Sandiſerij de ditione confecta eſt 411.10
Literas Cæſaris Anglus ad ſe ſcriptas oratori Regis oſtendit 203.20
Literæ Langæi ad imperij electores 220.40
Longouillanus Gallis ſerò ſubſidio venit 59.20
Longouillanus in Italiam cũ exercitu miſſus ſtatim reuocatur 49.30
Lormarinũ in Prouincia, vbi Cæſariani aliquot, dum Cæſar in Prouincia eſſet, opprimuntur 288.30
Lucemburgum à duce Aurelio ſubactum paulo pòſt amittitur 378.40
Lucemburgum deditione à Cæſarianis capitur 406.10
Lucemburgi ſitus, & antiquitatis monumenta quæ illic viſuntur 282.40
Lucemburgum à Fuſtembergo obſeſſum princeps Melphitanus liberat 392.50
Lucemburgum Aurelius ſecũdò in deditionem accipit 383.20
Lucemburgum captum Rex munire contra omnium ſententiam decreuit 383.40, & 384
Lucemburgum dux Aurelius capit 359.20
Lucemburgum quibus de cauſis Rex ſibi vindicaret 356.10
Lucemburgum Rex denuo exercitum mittere ſtatuit 380
Ludæi in propugnanda Fontirabia incomparabilis virtus 50.10
Ludouicus duodecimus Caroli Auſtrij tutor à Philippo patre teſtamento conſtituitur 2.10
Ludouicus duodecimus Mediolanum recipere inſtituit 1
Ludouici Aſtenſis conſtantia 98.20
Lumæ ad Maſſeriam ædificatę dominus rebellionem facit 158

M.

MAgdalene Franciſci filia Scotiæ regi nubit 306
Malberſontanum à Rege communitur 429.30
Mandata Lãgæus Gul. accipit ad Germaniæ principes 114.40
M. Antonius Columna mortuus 43
Mareſchalli Marcani mors 306.10
Mareſchalli Caſtillionæi mors 49.50
Mareſchalli Montijani apud Pedemõtanos prorẽgis mors 334.30
Martinus Bellaius aliquot oppida Taurinis vicina capit 367.30
Maſſeria obſeſſa commeatu iuuatur 27
Maſſeriam Burgundiones obſident 25.20
Maſſiliam Borbonius obſidet 69.40
Maſſiliam Cæſar proximè accedit vt eam occuparet 278.10

Massilienses Cæsarianos eruptione facta cedunt 279.40
Mater Francisci Regis Galliam regit dum ille captiuus esset 81
Mater Francisci Regis in causa fuit cur Mediolanum Galli amiserint 48
Maximilianus Sfortia captiuus in Gallia moritur 109.30
Maximiliani Cæsaris mors 16.40
Mediolanum à Boniueto obsidetur 65.20
Mediolanū Cæsar Frāciſco Sfortiæ reſtituit 110
Mediolanum capit Rex Franciscus 13.10
Mediolanum denuo Franc. Rex capit 71.20
Mediolanum Prosper Colūna Gallis adimit 38. 50
Mediolano recepto Rex in Galliam redit 14.20
Mediolanensem ducatū Cæsar Papæ pollicetur modò Regi se hostem profiteretur 270
Melpha cum principe vi capitur 98.10
Merlini vaticinia Angli superstitiosè colunt 6
Mervillius ex regia turma Mediolani iussu Sfortiæ nefariè necatur 133
Michael Salussius Neapoli cum alijs Gallis nobilibus moritur 103.40
Mommorencius in castris veram Imperatoris effigiem gerit 267.10
Mommorencius ob singularia merita constabilius creatur 333.20
Mommorencij cōsilium de Prouincia aduersus Cæsaris vires defendenda 250. 30. munitionum quas fecit situs & forma 266.50
Mommorēcio Rex summam imperij per totam Galliam defert, quū Cæsar Prouinciā adoriretur 249
Mommorēcium, quum aula abesset, Delphinus sibi reddi summopere expetit 412.20
Mondidetium ab Anglis captum 64.20
Moniales virgines abiq. cœlibatus voto 377.30
Montejanus Galliæ mareschallus 333.30
Montijanus & Buterius in agro Mediolanēſi infœliciter pugnant 68 in Prouincia 262.10
Montrolium Angli obsidentes Delphini aduentus fama audita relinquunt 416
Montrolium Burgundiones deditione capiunt 318.20
Musonē ad Mosam Burgundiones capiūt 25.10
Musonem Galli recipiunt 28.10

N.

Nascitur Henricus postea rex 16.30
Nassauuius Perona discedit 299.10
Nauale prælium ad Angliam 419.10
Nauale prælium Anglicanæ classis ad Mahæum promontorium 4.30
Nauale prælium Michaelis Salussij ad Sauonam 74
Nauale prælium ad Neapolim 59.20
Nauarræ regnum ab Asperralto receptū denuo mox amittitur 18.40
Nauarræ rex auxilium à Ludouico duodecimo ad recipiendum regnum accipit 1.50
Nauis amiraliana in classe Gallica rimis fatiscēs in portum abducitur 419.10
Nauis totius classis Gallicæ maxima conflagrat 418.40
Neapolis à Lautreco obsidetur 98.40
Neapolim exercitus partem Rex mittit quū ad Papiam castra haberet 72.30
Neapolim Rex subsidium mittit 101.20
Neapolitana obsidione qui interierint 102.40
Niceæ proditionem fictam Anguianus olfecit 376.40
Niuium procellæ in alpibus non aliter quàm fluctuum in mari 367
Noua fossa Artesiorum Pondormij virtute capitur 74.10
Nouaria à Mommorencio capitur 44.10

O.

OMen quum Cæsar Romā ingrederetur 182 30
Oratio Cæsaris in Regem acerbissima ad Papam Romæ habita 186.20
Oratio Cæsaris altera ad papām, qua superioris dicta apertius exponit 192.30
Oratio cardinalis Lotaringi ad Cæsarem quum iter in Prouinciam pararet 211
Oratio Regis in concilio 205
Oratione Langæi pro duce Vvirtēbergensi quid effectum sit 155.50
Orator regius apud Cæsarem captiuus 90
Oratores Regis acerbitatē qua Cæsar in oratione vsus fuerat, dissimulant 194.40
Oratorum Regis cum Cæsare colloquia de oratione ab eo Romæ habita 182.40
Oyanæ regionis descriptio, quam Galli vastant 427.10

P.

PActū Cameracēnse ad liberos Regios in Galliam reducendos 106.30
Pactum Gallorum Fossani obsessorum cum Antonio Leua 234
Pactum Madrilianum 84.30
Pactum marchionis Saluſſij cum Aurangio ad reliquias Gallici exercitus seruandas 103.10
Pactum Nouiodunense inter Franciscum & Carolum Austrium 155.50
Palvesinus cū suis à duce Sfortia profligatur 78. 10
Papam erroris damnant omnium academiarum viri eruditi 107
Papiæ prima obsidio per Lautrecum 44.30
Papiam Lautrecus captā Sfortiæ restituit 95.20
Papiam Lorgius vi capit 102.30
Papiam Sampaulius obsidet 102.20
Papiam Rex Franciscus obsidet 71.40
Papiensis clades, qua Rex capitur 79
Papiensis pugnæ occasio 78.40
Papiensi pugna qui occubuerint 80
Parisini agri mira vbertas 295.30
Parmam obsessam Galli defendunt 37.10
Paulus Ceres Italus multa fortiter & fœliciter aduersus Cæsarianos facit 288.40
Pax inter Regem & Anglum 430.50
Pacis postremò inter Cæsarem & Francisc um factæ conditiones 414.50
Pedemōtanam regionem qui defenderint, quū Cæsar Prouinciam ingrederetur 223.50
Perona à Nassauuio Cæsaris legato obsidetur 274
Peronam à Nassauuio obsessam Robertus Marcanus fortiter defendit 221.& 295.40

Perona

Perona Burgundiones re infecta discedunt 299. 10
Perpinianum à Delphino obsessum 360.30
Pimerolam marchio Vastius obsidet 328.10
Pistolarum vsus recens 413.30
Pondormius Picardiam strenuè cum Trimollio defendit 64.10
Pondormij viri strenui inusitata mors 76.20
Portentum iacturæ Mediolanensis 34
Poyettus cancellarius orationem Latinam meditatus, quum argumentum aliud sumẽdum esset, episcopo Parisiensi lampadẽ tradit 138. 30
Prædatingens è victoria Serisolana 402.20
Prælium Gallorum aduersum à calcaribus nomi natum 5.10
Proditio Guisiæ simulata ad irretiendos Burgundiones 52.20 & Hedini 75.30
Prognostici libelli à Cęsarianis confícti & in vulgus emissi 178.20
Protestantes principes Cæsari aduersus Regem auxilia mittunt 405.20
Prouincia à Rege prudẽter aduersus Cæsaris impressionem seruatur 245.30
Prouinciales rustici Cęsariano exercitui negotium facessunt 277
Prouinciales rustici commeatum ex Italia aduectum intercipiunt 289.10
Prouincias Galliæ Rex describit primo bello cum Cæsare gessit 23.30

Q.

QVersium apud Pedementanos à Tolosino captum 322.20
Quersium, Queraſſium & Albam Vastius capit 227.20
Queruntur Rex & Anglus de nimia curiæ Romanæ auaritia & tyrannide 117.30.50

R.

RAmbergarum nauium, quibus Angli vtuntur, forma & celeritas 420
Rango Genuam scalis admotis nequicquam occupare conatur 302.40
Rangonis exercitus quem Regis iussu collegit quum Cæsar in prouincia esset 301.40
Regni in Anglia mutatio 6.40
Renata Ludouici duodecimi filia duci Ferrariensi nubit 95.50
Rex ad Cęsarem legatos post Aurelij mortem de pace confirmanda mittit 428.40
Rex classem instituit quæ in Angliam nauigет 417.40
Rex commeatu Landrisium introducto se recipit 389.50
Rex filium Henricum post Delphini mortem alloquitur 270.40
Rex Hispania reuersus magistratus in demortuorum locum sufficit 85
Rex Landrisio ad suos iuuandos appropinquat 387.40
Rex milites & duces qui Landrisij obsidionem pertulerant, remuneratur 388.40
Rex sibi maturè à Cæsare cauendum putat 428. 40
Rex suos victores ex Italia non satis commodo tempore accessit 403.20
Regis ad Mommorencium cohortatio 150.10
Regis in concilio oratio, quo tẽpore Cæsar Prouinciam ingredi parabat 212
Regis consilium de Cæsaris in Prouinciam expeditione 214.10
Regis de concilio habendo sententia, 125.40. Quam à Cæsare perperam detortam à calumnia vindicat 126.50
Regis luctus & ad Deũ preces nuntiata filij Delphini morte 269.40
Regis morbus & mors 432
Responsum papæ ad Cęsaris orationem Romę habitam 190.40
Rhetipaulo ante pugnã Papiensem Regem deserunt 77.50
Rinconis & Fregozę Regis legatorum cędes 339.30
Ritus seruati quumliberi regij restituendi essent 108
Robertus Marcanus Peronam defensurus ingreditur 274
Robertus Marcanus primi inter Cęsarem & Regem belli initium dedit 19.10
Roberti Marcani mors 306.10
Rocca Miluia & Castellodelphinum nequicquã à Cęsarianis oppugnantur 238.10
Romam Borbonius dum capit, moritur 88.40
Rupellani à Rege delicti sui veniam obtinent 367.50
Rupemonij equitis cordata & prudens ad Cęsarem oratio 235.20
Russilionensis comitatus à Rege Gallię possidendi debet 356.20
Rusticiè Germania progressi, à fratrib. Lotaringię ducis profligantur 82.10

S.

SAbaudus ditiones suas cum Cęsare alijs commutare cogitat 173
Sabaudus Regi ęqua petenti postulata denegat 173.10
Sabaudiam cur Rex inuaserit 172.30
Sabaudiam Sampaulius subigit 177.20
Salussius à Mediolanensi obsidione discedit 87. 20
Samblancęus iniquo cancellarij pratensis odio opprimitur 48.10
Sammarianum castrum Galli cum aliquot alijs capiunt & excindunt 382
Sampaulum Artesiorum Rex capit 310.20
Sampaulum Burgundiones vi cum magna Gallorum cęde capiunt 306.10
Sampaulius in Italiam cũ exercitu mittitur 102. 10
Sampaulij in Insubria aduersum prælium 105. 40
Sandamianũ à Taxio deditione capitur 403.40
Sandiserium à Cęsare obsidetur 408.30
Sandiserium Cęsar deditione capit 412.10
Sandiserio capto Cęsar cũ Rege de pace agit 336
Santandręus Bononiam ingredi nequicquam conatur 415.50
Sardiniam Galli subigunt, proregem prælio superant 100
Sauenantum locum munitum Mommorencius capit 311.10

Sauona à Genuensibus capta 104.50
Scloporum inuentio qui subiectis furcis torque bantur 34
Scotiæ regis in Galliam aduentus vt Regi opem ferret, cuius filiam vxorem sibi dari petit 305 10
Senerpontius Anglos prælio superat 430.10
Sententiæ variæ de expeditione Cæsaris in Gallia 239.10
Septingenti Cæsariani in oppugnatione Sandiserij cadunt 410.30
Serisolanæ pugnæ occasio 396.40
Serisolanæ pugnæquidam è turri summa spectator 398.20
Sfortia Mediolani obsessus in Borbonij potestatem venit 86.40
Signifer quidam attonitus Roma egressus in castra Borboniana se confert 88.40. Simile accidit in Sampauli expugnatione 317.10
Strategema Cæsarianorum vt suis Papiæ obsessis pecuniam mitterent 73.10
Strategema Langæi quo hostes Padum transire prohibuit, aduersus Vastium 342.30
Strategema quo Anguianus milites ad pugnam nullo accepto stipendio produxit 396.20
Strossius post pugnam Serisolanã à Vastio profligatur 404.20
Strossius triginta milites egregios secum adducit 383
Susias angustias Mõmorencius vi occupat 329. 30
Suspenditur miles qui Taurinorum oppidum pactus fuerat Cæsari Neapolitano tradere 325. 20

T.

TAurinos Annobaldus & Montijanus capiũt 179.30
Telinius moderatè se in administratione ducatus Mediolanensis gerit 33
Teroana à Flandris obsessa liberatur 53
Teroana ab Anglis capta & diruta 5.40
Teroana ab Anglis & Burgundionibus obsidetur 2.20
Teroanam comes Buranus obsidet 319
Tornacum ab Anglo capitur 6.10
Tornacum Anglus Regi restituit 17.10
Tornacum Cæsar Gallis adimit 32.10
Termij primus impetus acerrimus in pugna Serisolana 400.40
Trelonem & Gladionem oppida Bonouallanus capit 378.40
Triremes è mari mediterraneo in Oceanum bis Francisco Rege aduectæ 4.30, & 417.50
Triremes quatuor regiæ ab hostibus capiuntur 377
Tritica fata per vniuersam Galliam gelu correpta 65.20
Tumultus Campanorum & Italorũ Arelati 282
Tumultus Gallorum & Germanorum in regio exercitu 182.20
Tumultus Vasconum Arelati 285.10

V.

VAlentiam Rex aduersus Cæsaris copias munit 267.50
Vassæus singulari certamine Hispanum superat 264.20
Vastius Carinianum Gallis pulsis & magna clade affectis occupat 392.10
Vastius è prælio ad Serisolas fuga discedit 401
Vastius Mondeuisium Gallis adimit 391.50
Vastius per literas se apud Germanos de cæde oratorum Regis purgat 342
Vastij ad Germanos literas Langæus suis ad eosdem literis refutat 343.50
Vastio è prælio fugienti Astæ portæ occludũtur 402.10
Vastitatem Rex tota Prouincia fieri iubet, quum Cæsar exercitum illuc duxit 248.20
Velius Regis orator Granvellani & Cannesij stropbas deregit 173.30
Vercellas Hispani capiunt 67.50
Veronam Hispani Venetis restituunt 15.30
Vidamius Ambianensis cũ suis ferentarijs equitibus à Burgundionibus profligatur 307
Vigeuam Galli capiunt 44.30
Villafranca ad Mosam ædificatur 429.30
Villanouam Astanorum, Pirinum & Cambianũ marchio Vastius capit 362.30
Vindocinus Alenconij sororem in matrimoniũ ducit 1.40
Vindocinus Anglos magna clade cædit 412.30
Vindocinus Bapalma capta, arcem à Rege accersitus relinquere cogitur 376
Villanæ castrum apud Pedemontanos à Mommorencio captum 330.20
Vinum securi diuisum & appensum calatis defertur 393
Vitrium Parthenorum à Cæsarianis occupatur 409.30
Vrbinum papa Leo Regis ope Francisco Mariæ adimit 15.30
Vulnus in capite Francisci rex accipit, quum ludicro prælio decertat 18.20
Vvirtembergensis ducatus à Ferdinando rege occupatus, Regis ope vero domino restituitur 139.20

Y.

YVæsum Lucemburgorum dux Aurelius capit 358.40

FINIS.

ADMONITIO.

Etsi quantum in nobis fuit, operam dedimus vt hi commentarij emendatissimi prodirent, tamen nonnullis mendis fœdatus liber remansit. Quæ quum indicare nos non puderet, hoc etiam voluimus lectorem scire, multos esse locos in quibus ab exemplari Gallico discedendum esse omnino iudicauimus. Quos omnes quum notare nollemus, ne tædium potius quam leuationem aliquam afferrent, aliquot tamen vnà cum erratis, quæ agnoscimus, hic proferre libuit: vt de his commonefactus lector, perspecta veritate, in alijs iudicium suspendere meminerit.

Pag. 57. ver. 19. lege assensit. Ibid. ver. 28. lege Sambonetum. Pag. 76. ver. 40. Eodem tempore Papiæ moritur, &c.
Pag. 183. ver. 33. ingredienti. Pag. 202. ver. 45. disceptabatur.

Pag. 302. vers. 4. post dictionem aurore, adde ista, *Die vicesimo septimo in oppidum quoddam peruenimus, quod quindecim passuũ millia vapia abest, quo incole deserto Papiam se receperant.* Hæ autem, quum hunc locum couerterem, fefellerat quòd ita tum sum sequitur iisdem verbis, *Die vicesimo septimo*, &c. Quo factum est vt prius illud præterm ferim. Sed & exemplar Gallicum mendosum mihi hic quidem videtur, & prior e loco in numero notando erratum fuisse suspicor, aut sane secundo loco scribi debere, *Eodem die*, &c. Sed nec illud video, qui fieri possit vt eodem die duobus locis exercitus a stra faciat.

Pag. 374. ver. 31. sic scripsi, *Vt hac ratione iter Lilerij tutum esset, & ad commeatum ducendum Morinorum subsidio (quod oppidum millia passuum octo inde abest, ad Lenam situm, qua Pernus Lilerium itur) maior facultas daretur.* Quum ita scriberem, satis intelligebam ex his verbis idoneum sensum vix vllum posse elici: sed Gallici exemplaris obscuritas me valde torquebat, cuius sensum non assequebar. Verba Gallica sic habent, *Pour asseurer le chemin a Lillers auec Teroüenne, qui est a quatre lieues de là sur la main gauche, tirant de Pernes audit lieu, pour y mener viures.* Primùm illa, *le chemin a Lillers auec Teroüenne*, mihi obscura videbantur. Deinde illud, *Tirant de Pernes audit lieu*, non minus dubia sunt, neque constat de vtro accipienda sint, Teroana an Lilerio. Præterea quum scribitur, *Qui est a quatre lieues de là*, incertum est, vtrum Pernis an Lilerio Teroana hoc interuallo abiit. Itaq; vt quoquo modo me extricarem, verteram, *Morinorum subsidio*: tanquam deesset quippiam, & dicendum fuisset, *Auec laide de ceux de Teroenne*, vbi est, *Auec Teromenne*. Postea ex iis quæ sequitur, planum huius loci sensum elici posse existimaui. Sic autem auctor loquitur, *His rebus omnino ficbat, vt Marinus, Pernus & Lilerio, postremò Hedino (quod ponè sita) à nostris occupatis, commeatus iam non aliunde importari, sed ex ipsis locis colligi posset.* Quibus ex verbis statui posse putabam quo ordine oppida illa sita sint. Verùm ne error errore tanquam clauus clauo pelleretur, chartam chorographicam consulere malui: vnde agnoui Pernas Gallicæ proximas esse (statim post Hedinum) sequi Lilerium, deinde Teroanam ad Lxam. Itaque locum hunc sic conterere, *Vt hac ratione iter Lilerij ac porro Teroanæ, quæ ab eo millia passuum octo Lenam versus distat, tutum esset, quoties Pernus commeatum illuc deducere oporteret.* Sic enim loci sensum ad regionis situm exigendum puto. Gallica quidem verba paulo aliter legi possent, vt hunc sensum primo aspectu dilucidè ferrent. Sed non statui codicem ipsum mendis repurgare, quibus carere non videtur. Quod ideo moneo, ne quoties ab illius verbis discedere videbor, statim me errasse quispiam existimet: sed rem ipsam, anteq; unicuquam pronuntiet, propijs disputicias. Quale illud est quod pag. 82. ver. 3. duo pedirum Italorum millia ponere non dubitaui, quum ibi ducentos tantùm Gallicus codex habeat. Pag. 152. ver. 13. posteritatem vertì. Pag. 208. ver. 44. offendunt. Sunt autem verba Gallica *ligne* pro *ligne*, & *troubla*, pro *tromua*. Item pag. 323. ver. 13. ducẽtos ferentarios interpretatus sum, quum Gallicè sit *dous cens*, nempe pro *deux cens*. Plura non proferam, nequis me quod in mantica rerum et occultare, & alienis dicis errata notare obuiciat. Sed qui locos attentè leget quos citaui, reperiet emendationes nostras veras esse. Pag. 376. ver. 3. lege, Alcimontius cum militibus, ciuibus, &c. Pag. 399. ver. 5. Bobonca. Alia quæ superesse facile fateor, quia neque sensum violare neque scrupulum illum inuicere possunt, lector (vt spero) deprehensa facilè & humaniter condonabit.

438

FRANCOFVRTI AD MOENVM
EXCVDEBAT ANDREAS WECHELVS,
ANNO SALVTIS M. D. LXXIIII.

FINE

R. SALVAREZZA
RESTAURO
1972